BSB

JOHANNES TURMAIR'S

GENANNT AVENTINUS

SÄMMTLICHE WERKE.

AUF VERANLASSUNG

SR. MAJESTÄT DES KÖNIGS VON BAYERN

HERAUSGEGEBEN

VON DER

K. AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN.

ZWEITER BAND.

ERSTE HÄLFTE.

ANNALES DUCUM BOIARIAE.

BUCH I—III.

MÜNCHEN

CHRISTIAN KAISER

1881.

2

1609 F

Preis: M. 7. 50.

70 g

BSB

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

JOHANNES TURMAIR'S

GENANNT AVENTINUS

SÄMMTLICHE WERKE.

AUF VERANLASSUNG

SR. MAJESTÄT DES KÖNIGS VON BAYERN

HERAUSGEGEBEN

VON DER

K. AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN.

ZWEITER BAND.

MÜNCHEN
CHRISTIAN KAISER
1882.

BSB

JOHANNES TURMAIR'S

GENANNT AVENTINUS

ANNALES DUCUM BOIARIAE

HERAUSGEGEBEN

VON

SIGMUND RIEZLER.

ERSTER BAND.

(BUCH I—IV.)

MÜNCHEN

CHRISTIAN KAISER

1882.

BSB

JOHANNES TURMAIR'S

GENANNT AVENTINUS

SÄMMTLICHE WERKE.

AUF VERANLASSUNG

SR. MAJESTÄT DES KÖNIGS VON BAYERN

HERAUSGEGEBEN

VON DER

K. AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN.

ZWEITER BAND. ERSTE HÄLFTE.

MÜNCHEN

CHRISTIAN KAISER

1881.

BSB

JOHANNES TURMAIR'S

GENANNT AVENTINUS

ANNALES DUCUM BOIARIAE.

HERAUSGEGEBEN

VON

SIGMUND RIEZLER.

Hbe

ERSTER BAND. ERSTE HÄLFTE.

(BUCH I—III.)

MÜNCHEN

CHRISTIAN KAISER

1881.

BSB

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

ANNALES DUCUM BOIARIAE
IOANNE AVENTINO
AUTHORE.

Annalium Boiorum liber primus, in quo haec continentur: Praefatio ad duces Boiorum; nomenclatura Germanorum; Bavari quomodo a Graecis et Latinis vocentur; Bavariae descriptio, situs, telluris qualitas et gentis mores; Bavarorum origo, ibidem de Germanorum conditoribus; regnum Assyriorum, Persarum, Graecorum; transmigratio 1. ex Boiemia et primis sedibus in Italiam; transmigratio secunda ex Italia ad Tauriscos, Noricos et Danubium; pugna cum Iulio Caesare; transmigratio 3. et exilium apud Getas et Dacos in Germania et Sarmatia inibi, ubi deserta Boiorum.

Authores, ex quibus istaec sumpta sunt:

Domestici: Frethulphus et Schritovinus, antiquissimi Boiorum historiographi; Veronardus Noricus de rebus Boiorum; Vitus Areopagus, sacerdos Landesuta oriundus, qui latine et vernacula lingua diligentissime omnium de rebus Boiorum parentum memoria perscripsit sub duce Georgio.

Externi: Graeci: Berosus Chaldaeus in libris antiquitatum, cui

3 *Titel fehlt B und C. In A folgt:* Liber primus et secundus usque ad declinationem Romani imperii et captivitatem urbis Romae. Ab orbe ab aquis liberato ad annum Christi 412. Continet annos 2714. *Der Titel: Annales Boiariae, der durch die früheren Ausgaben geläufig geworden, ist in den Handschriften nur bei den Ueberschriften und Inhaltsangaben der einzelnen Bücher gebraucht.* 4 *In C folgt:* Ioannis Aventini, coeptus anno Christi 1519 sexto die Februarii Abusinae in contubernio Carmelitarum 14 Fretulphus *B*

14 *Vergl. Wiedemann, Joh. Turmair, S. 152, und über Schreitwein, der im 15. Jahrh. schrieb, Lorenz, Deutschlands Geschichtsquellen ², I, 161* 15 *Der sogenannte Bernhardus Noricus; s. Historiae Cremifanenses, herausgegeben von Waitz in Mon. Germ., Script. XXV, 610—678* 15 *Veit Arnpeck (lateinisch bei Pez, Thes. III, c, 330 flgd.; deutsch bei v. Freyberg, Sammlung hist. Schriften, I, 110 flgd.)* 19 *Das von Aventin für echt gehaltene Machwerk des Dominikaners Johannes Annius von Viterbo: Berosus, Antiquitates Italiae ac totius orbis. Ueber seine Benützung durch Aventin s. u. a. Wiedemann, Turmair, S. 140.*

Athenienses publico in gymnasio statuam inaurata lingua statuere; Diodorus Siculus in sex libris, quos de rebus gestis ante bellum Troianum scripsit sub Iulio Caesare; triginta annis Asiam, Europam peragravit; Strabo Cretensis in geographia; Romae diu versatus est, linguam latinam calluit, sub Tiberio imperatore scripsit; Claudius Ptolomaeus in cosmographia; vixit sub imperatore Marco Antonino philosopho; Eusebius episcopus Caesariensis in chronicis; imperatoris Constantini Maximi tempore vixit.

Romani et Latini: M. Porcius Cato in originibus; post bellum punicum secundum claruit, summus imperator iuris peritissimus atque eloquentissimus urbanas res pariter ac rusticas calluit; Caius Julius Caesar in commentariis belli gallici et civilis; Trogus Pompeius et Iustinus in peregrina historia; illius patruus Mithridatico bello turmas equitum sub Pompeio Magno duxit, pater sub Iulio Caesare militavit epularumque, legationum et anuli curam habuit, hic ad T. Aelium Adrianum, Antoninum Pium caesarem augustum scripsit; Titus Livius et Lucius Florus in romana historia; hic tempore Traiani, ille Augusti vixit; P. Velleius Paterculus, homo militaris, ex celeberrimis Campanorum principibus prognatus, in Germania sub Tiberio praefectus equitum fuit, tribunus ante castrorum, item quaestor et legatus in bello pannonico, scripsit sexto imperii Tiberiani anno; item maiores eius, atavi, abavi, avi, patruus, pater, Magius Celer, frater, disciplina bellica, rebus civilibus clarissimi extitere duces, praetores, iudices, senatores, praefecti fabrum, tribuni castrorum, legati imperatoribus romanis fuerunt; Pomponius Mela de situ orbis sub Claudio imperatore; Caius Plinius Veronensis in naturali historia, ad Titum Vespasianum scripsit, militavit in Germania, a consiliis Vespasianis imperatoribus fuit; Cornelius Tacitus de situ, gentibus et moribus Germaniae, sub Traiano scripsit; eius posteritas potita est Romano imperio; divus Hieronymus, Noricus gente, princeps theologorum latinorum et omnium haud dubie professorum; Ioannes Annius Viterbensis, sacrarum literarum interpres et divi Dominici sacris initiatus, commentaria in Berosum edidit.

---

1 *Plin. nat. hist. VII, 123 (publice); Beros. ed. Witteb. 1612, fol. 1 (publico).* 6 Ptolemaeus *A. So stets auch in der Folge* 16 Arrianum *st.* Adrianum *A u. B.* 33 *In A folgt, mit rother Tinte durchstrichen:* Item ex Lactantio, Tertulliano caeterisque plaeraque ad verbum excerpta sunt, quae a me elegantius narrari nón poterant, et festinanti non erat tempus alia conminisci. Id enim et Sallustium Virgiliumque, vatem doctissimum, fecisse constat, qui, cum compilator veterum diceretur, quod quosdam poetarum versus antiquorum ad verbum

Clarissimis principibus Vilelmio, Litavico, Arionisto, fratribus germanis, praefectis praetorio Rheni, superioris inferiorisque Boiariae ducibus, Ioannes Aventinus (S. D.)

Tercius iam agitur annus, principes optimi, dum mandatis vestris pareo dumque tam religioso, tam memorabili vestrae pietatis desiderio atque proposito satisfacere et respondere summa ope studeo atque nitor. cum enim ego potissimum delectus et ob hoc liberali perpetuoque stipendio condonatus fuerim, ut Boiorum clarissima quaeque facinora literarum aeternitati commendarem seu potius consecrarem, non committendum putavi, quo aut expectationem mei fallerem, aut sumptus impensaeque perderentur. religio insuper mihi fuit, rem tam inmensam et maiorem privatis opibus non sua cura ac industria, sed inlotis, ut aiunt, manibus adgredi atque tractare. pro virili itaque parte laboravi; multa tuli, feci, sudavi et alsi; totam Boiariam perlustravi, omnia contubernia sacerdotum penetravi; scrinia, publicas bibliothecas omnis curiosius perscrutatus sum; libellos, codicillos, donaria, conmentarios, fastos, annales omnium gentium, diplomata, instrumenta publica, privata evolvi; signa, sacra, lapides, trophea, epigrammata sepulchrorum, picturas, inscriptiones, titulos, templa, omnia denique antiquitatis monumenta exploravi atque perspexi; nihil intactum, nihil intentatum reliqui; omne genus scriptorum excussi, omnis pene angulos perreptavi. (ubi certa deerant monumenta, famae rerum stetimus, omissis tamen, quae poeticis fabulis magis decora quam incorruptae rerum gestarum veritati fuerant. datur haec venia antiquitati, ut fabulosa veris miscendo primordia sua augustiora faciat; alioqui etiam (quemadmodum de fabulis et obscura opinione collecta et depravata) veritas a vulgo solet variis sermonibus dissipata corrumpi,

in opus suum transtulisset, respondit: *[Hieronymi Quaest. in Genes. pr. (op. ed. Erasmus. Bas. 1516, IV, 90 d)]* magnarum esse virium Heracli clavam extorquere de manu. Accusatur Terentius furti et Cicero repetundarum. ego horum malui aemulari neglegentiam simplicitatemque potius quam ambitiosorum obscuram diligentiam. est enim, ut eleganter docet Plinius *[n. h. praef. 21]*, benignum et plenum ingenui pudoris fateri, per quos profeceris. historia quocunque modo scripta delectat, ait Plinius *[ep. V, 8]*, contra quoque obnoxii profecto animi et infelicis ingenii est deprehendi in furto malle quam mutuum reddere, cum praesertim sors fiat ex usura *[Plin. n. h. pr. 23]*. aliorum sit veteres ad verbum transferre nec nominare quidem; argumentum mei stomachi candidus lector habet, quod voluminibus authorum nomina praetexui *[ebend. 22. 21]*.

3 *In B folgt von anderer alter Hand:* dominis suis clementissimis atque indulgentibus 8 praeclarissima *A* 20 et perspexi *A*. 21 penitus *A* 25 *Liv. praef. 6.*

nullo non addente aliquid ad id, quod audivit.) veterum dirutarumque urbium et arcium vestigia (quarum nomina apud Ptolomaeum caeterosque inlustris authores conmemorantur) inveni, ex diligentissima passuum, segmentorum, partium comparatione et observatione indagavi, sine quibus id negocii sibi summere hominis est imprudentis et intemperanter abutentis ocio atque clementia principum. fateor nec inficias eo: duram admodum coepi provinciam; sed haud invita (ut mea quidem fert opinio) Minerva repugnanteve natura. nempe bonam partem aetatis, patrimonii, valetudinis perlustrando Germaniam, Gallias, Italiam, Sarmatiam, Pannoniam exhausi; longo quoque tempore mathematicis operam dedi. Inde a studio ad aulam latus sum, ubi licet docendi officio occupatus fuerim, subcisivis tamen ista horis curavi. quando vero huiuscemodi munere docendi defunctus rudeque donatus sum, non fuit consilium, socordia atque desidia bonum ocium conterere, sed iussu vestro atque mandato, principum maximi, statui annales Boiorum perscribere. res praeclara, magnifica et generosis animis digna mortuis vitam dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, dubiis fidem, mortalibus inmortalitatem. quis porro tam iniquus rerum aestimator erit, qui neget rerum gestarum memoriam (praeter id, quod omnibus aetatibus dulcis et iucunda est) reipublicae esse utilissimam, cum eam ob rem senes prudentiores sint adolescentulis et nihil eorum, quae ante te acta sunt, scire, id sit semper puerum esse? mihi enimvero divinarum literarum thesaurum perscrutanti conpertum est, deum optimum maximum ut donum peculiare sacrumque solis sacrosanctis vatibus scribendae historiae officium concessisse, ubi tanquam in speculo vitas omnium unusquisque nostrum inspicit atque ex aliis summit exemplum sibi et, quid facto opus sit, admonetur. videt quisque aperte, quam caduca, quam fluxa, quam fragilis sit divitiarum et potentiae gloria, quam brevi dilabatur, pietatem vero atque virtutem esse claram atque aeternam, per quam pro mortalibus inmortales deosque fieri liceat, vel imperitus animadvertit atque plane sentit. proinde, principes celeberrimi, opto, uti, quae vobis placuerint, Christus dominus deusque noster adprobet beneque evenire sinat et coeptis tanti operis, quod vestris auspiciis cudimus, aspiret.

Verum anteaquam inicium narrandi faciam, operae praecium (ut opinor) facturus sum, si propria nomina, quibus maiores nostros usos

21 adulescentulis *B*

8 *Cic. Off. I, 110* 12 *Plin. n. h. praef. 18* 17 *Ebend. 15* 20 *Sall. Iug. 4, 1* 22 *Cic. Or. 120* 28 *Sall. Cat. I, 1; Iug. II, 2.*

fuisse reperio, secundum ordinem literarum conmemorem atque interpretatus fuero. plurimum lucis ea res diligentius inquisita adfert historiae, neglecta tenebras offundit, infinitos parit errores. non uno loco admonet Strabo, author gravis in primis, nomina propria pro varietate sermonum varie efferri. nulla in re frequentius turpiusque peccatur; nec alibi facile alioquin eruditos saepius nugari depraehendes; etenim arduum est barbaris dare gratiam. Virgilius, poetarum doctissimus, offensus asperitate nominum illyricorum, res gestas Augusti describere omisit. nam (ut ait Plinius) in illo nonnullus labor est, ut barbara et fera nomina latinitati non resultent; arte curaque mitiganda sunt, ad levitatem extendenda, contrahenda, inflectenda. et huiusmodi audentia non delicata, sed necessaria est. quemadmodum Ausonius quoque docet, propria nomina locorum et hominum, quae barbara sunt, perite et concinne, modulate et dulciter, ita iuxta naturam romanorum accentuum enuncianda sunt, ut tamen veris ac primigeniis vocibus sua fastigia non pereant; ut in sacris literis et in hebraeis nominibus quoque septuaginta interpretes fecisse reperio. at mira est graecitantium felicitas; in mediis te Athenis diversari credas, nusquam graecula non recantat echo, adeo gentilicia cognomina evertunt, graeca et peregrina sibi adsciscunt, quasi vero idem inlustres authores factitarint, aut non dignitas nominum, decorum rerum veritasque invertatur, si in alienum detorta depravataque huiuscemodi nomina fuerint sermonem, nisi id docendi, non ludendi gratia fiat. habet unaquaeque professio suos peculiares locos, quibus potissimum dubia conprobat. iureperiti iurique dicundo praefecti institutis maiorum, edictis rescriptisque principum, sapientum responsis, legum potestati serviunt atque his locis, quos philosophi et Cicero artis expertes vocare solent. grammatici authoritati, exemplis quoque poetarum et oratorum addicti sunt. innituntur philosophi suis praeceptis, theologi ut sacramento rogati religioneque adacti, maiestatem divinarum literarum praeferunt. nomenclatura notatioque apud rerum scriptores multum pollet, plurimum momenti obtinet. veteres haud temere fortuitove absque delectu, sed auspicato et die lustrico nomina sibi dixere, quae essent aut ingenii aut fortunae indicium. divinationis fuisse genus neminem latere potest, qui philosophos, Platonem, poetas, vates, Mosen, theologos, Origenem, sacrarum literarum utraque instrumenta accuratius lectitaverit. Ausonius eleganter id explicat his versibus:

16 fastigia *sic A u. B; verschrieben für* vestigia?
4 *p. 139, 202, 296* 8 *Don. v. Verg. 8* 9 *Ep. VIII, 4* 12 *Ep. 19*
19 echo *Mart. II, 86,* 37 *Ep. 19.*

Nam divinare est (inquit) nomen componere, quod sit | Fortunae et morum vel necis indicium.

Idem ad Probum praefectum praetorio:

Age, vera proles Romuli, | Effare causam nominis, | Utrum ne mores hoc tui | Nomen dedere, an nomen hoc | Secuta morum regula | An ille venturi sciens, | Mundi supremus arbiter, | Qualem creavit moribus, | Iussit vocari nomine?

Idcirco eleganter divus Hieronymus etiam ita docet: votiva, inquit, et quasi ob virtutis auspicium imponuntur vocabula hominibus et appellativa vertuntur in propria, sicut apud Latinos Victor, Probus, Castus caeteraque his similia ex virtutum vocabulo liberis a parentibus imponuntur. conpertum ego habeo, Germanos in hac re paulo superstitiosiores fuisse, ut qui pertinacissime, tanquam infausto omine abstinuerint a peregrinis et sibi incognitis nominibus. suis semper usi sunt, insignibus tamen et (ut ita loquar) ominosis, ut vel hinc apertissime illorum figmenta semet prodant, qui nescio quos nobis Daedalos, Troianos pingunt, magis quam Graeci audaces, quibus nihil est negatum.

Nobis non licet esse tam disertis, | Qui Musas colimus severiores. Homines nimirum suaves in rebus inconpertis ad equum Troianum tanquam ad aram confugiunt quemadmodum imperiti naturae ad numen divinum. sed liberius altiusque processi, dum me arrogantiae et odiosae ostentationis ardelionum piget taedetque. nunc nomenclatorem agamus.

Petrus, Georgius, Paulus, Ioannes, Anna, Margarita, Barbara, Catharina et huiusmodi nominum sylva nobis recens est; et demum post mortem imperatoris Friderici secundi caesaris augusti apud Germanos nata, labefactata tum sacrosancta imperii romani maiestate factione romanorum flaminum, quorum astu (ne quid gravius dicam) hactenus discordia intestina laboramus neque quidquam praeclari tanti temporis spacio a nobis gestum est. sed in inicio quaerelis abstinea- mus, quae nec tum quidem gratae erunt, cum necessariae fuerint. illud potius inprimis notetur, nostram linguam graecae confinem esse rectiusque nostra scribi graecis literis, latinis non itidem; et Germanos, Teutonas Venedosque conplures consonantes absque vocalibus solere coniungere unaque syllaba proferre, quibus Romani sonantes interponunt. atque hinc rem auspicamur.

3 *Epist. 16* 8 *VI, 59 E (in Mich.)* etiam fehlt *B* 9 adpellativa *A* 22 *Sall. Iug. 4, 9* 28 factione — fuerint *in B eingeklammert* 31 *Liv. pr. 12* 33 *Uebergeschrieben in A von Aventins Hand:* Et Gallograecos dictos Germanos suo loco probabo. *An den Rändern steht hier unter Unwichtigem von Aventins Hand*

A magnam conmunitatem cum o habet apud Germaniae gentes; ut man sive mon, id est vir. Boiorum vero rustici o proferunt, ubi urbanis est a; quemadmodum in toge et tage, hoc est dies; Boier, Baier, Boius.

Abensperg sive Aventperg in veteribus tabulis, patria mea est, oppidum Vindelicorum in ripa Apsi fluminis situm; Antoninus Abusinam vocat, uti ex computatione passuum viae publicae a Bathavia Strubioque Augustam Rhetiae versus palam est.

Abenst sive Abinst, fluvius, Boiariae superioris terminus; oritur in initio pagi (Hallarthunum incola nuncupat), qua Aquilonem Favoniumque spectat, circum villas Enzelusium, Sandolthusium, alluit Maioburgium vicum, regias Rhetios, Milovium, Tranos, Segiburgium vicum, Piburgium caenobium divi Benedicti, Abusinam patriam meam, inde Neostadium contrarius Danubio petit, ibi eidem miscetur. ipsum latinitate donavit Apsumque vocavit Chunradus Celtis poeta et philosophus, nostro aevo nulli secundus, praeceptor meus.

Albereich. reich dives est, albe semper; Albericus est. Adel et adal (nam a ipsi e admodum apud nos adfine est) significat nobilitatem, unde multa nomina virorum ac mulierum apud nos componuntur.

Adalbrecht, Adalprecht, Adelbrecht, diminutive Albrecht et Aelbel, est domitor (seu ut ita loquar) fractor nobilitatis. in aliquibus monumentis Adelbercht lego, quod a dignitate denominatur; bercht enim dignum declarat; unde ob conmoditatem enunciandi, quam facile sit brecht, difficilius asperiusque apud nos est Albercht, Latinis est Alberthus. plura in brecht.

Adalfrid, nobilitatis pax, Adalofridus.

Adalburg, Adelpurg, nobilitatis regia ac civitas, Adalopyrga.

Adalger, Adelger, nobilitatis avidus.

Adalogerion, rex Boiorum, cuius filius Theodo primus Boios in hanc regionem, quam adhuc possident, deduxit.

Adelhait, Adalhait, quae colit ac fovet nobilitatem. Adalaedam Latini vocant. uxor fuit Otonis magni imperatoris Romani. superum albo adscripta est.

ferner: Nam ante natum Christum Graecos Germanorum connubia appetisse, Asiaticos quoque, canunt nostri ac scribunt; item post natum Christum. — Germanos proprias quondam literas habuisse, quae nunc sunt Graecorum, quas in Phrygiam et Maeoniam transtulerunt Phryges, Boii, Franci, Suevi, unde Cadmus VIIII (?) Graeciae intulit. — Fuere dumtaxat sexdecim hae: ΑΒΓΔΕΙΚLΜΝΟΠΡΣΤV. — Nam in confinio arae, tumuli Raetiae et Germaniae extare 2 fere *st.* vero *A* 11 Sandolthusium *fehlt B* 28 est latine *Zusatz in B* u. 54

1 *Zu den folgenden Etymologieen vergl. die in Aventins Deutscher Chronik, Werke, I, 358 fgd.* 6 *Itin. p. 117 Parth.*

Adelgund, Adalgund, quae favet nobilitati. Romanis est Adelogunda.

Adalgoz, nobilitatis deus, Adalogotus.

Adalhoch, nobilitas suprema, Adalochus.

Adelhold, Adelhuld, diminutive Adold, qui nobilitatem amat; hold sive huld amor est. Latini Adeloldum, Adeloaldum Atholdumque invertunt. fuit rex Italiae, filius Theodelindae reginae Boiorum.

Adalholf, Adolph; hylf est auxilium, helfen auxiliari: nobilitatis auxilium. Adolphus sive Athulphus est Latinis.

Adelhard, Adalhard, Alhard; hard est thesaurus, vocabulum poeticum ac amatorium: nobilitatis fons et thesaurus, Adelardus.

Adelram, Adalram, Alram, nobilitatis gloria, Adaloramus.

Adalrich, Alreich, nobilitas regni sive nobilitatis dives. reich et regnum et opes declarat. Adalaricum et Alaricum Latini faciunt. Claudianus: Gildonis furias Alaricum barbara peuce.

Adalmund, nobilitatis os, Adalomundus.

Adalsbint, ventus sive spirans nobilitatem sive nobilitatis restis ac vinculum. Adalovinda.

Adalmer, Almer, Almar: nobilitatem augmentans. Adalomarus.

Adalbeich, caedens nobilitati, via nobilitatis. Adalovicus.

Adalper, Alber. Alberonem Romani faciunt; nobilitatis gemma ac bacca. a et e communitatem habent, ut Adel, Adal; Bair, Beir, Boius.

Al diphthongon Germani ita quidem efferunt, ut utriusque vocalis sonus audiatur; alii per ae diphthongon more latino, ut air, aer, ovum; mair, maer, villicus; Bair, Baer, Boius; Kaiser, Kaesar.

Aich, quercus est; urbium inde nomina Aechostadium et Aecha.

Albeflede, semper lauta et munda. Albofleda est soror Litavici Magni regis Francorum.

Alman sive Almon, crebrum apud maiores nomen (uti in fastis est); al totus est sive omnino, man ac mon vir; rex fuit Germaniae cognomine Hercules, conditor Boiorum, a quo adhuc fluvius, oppidum, arx, pagus in Boiaria Germaniae Magnae nomina retinent. vulgus iure suo ob levitatem in Altmyl corrumpit, illud asperius offendit aures vulgi. nam uti Cicero docet, aurium iudicium superbissimum est, ut quae sepe probant, quod veritas repraehendit, voluptatis aurium gratia; peccare consuetudinem usumque, eruditissimi animadverterunt oratores: quamobrem ab ipsis et grammaticis tantopere euphonia vocalitasve

25 Kaisar *A* 26 *A und B wiederholen hier:* Albereich *u. s. w. wie oben.*
14 *VI. cons. Hon. 129* 32 *Beros. ed Witeb. 1612. f. 49* 34 *Or. 150*
37 *Quint. I, 5.*

praedicatur. in vetustis diplomatibus Chunradi primi et Litavici tercii caesarum nostrorum, quae mihi ostendit Gabriel ex Eube, clarissimis natalibus oriundus, pontifex Aechostadensis, Alimonium et Alimoniam vocari inveni. caeterum Berosus et Claudianus Romanique Alemanum, Stephanus Bizantius Alamanum, nuncupant.

Altman, Altmon, si aliud nomen est a superiore, antiquum declarat virum. verum in instrumentis publicis et privatis reperio idem nomen tque additum esse ob conmoditatem dicendi; quem enim vulgus Altmyl vocitare solet, instrumenta recentiora Altman appellant; antiquiora ut certiora emendatioraque: Alman.

Amelein, foetus nutrire educareque, proprie avium; amel nutrix est; complura inde faeminarum nomina; inde et Ameleia. hoc nomine fuit uxor ducis Ludovici.

Amalprecht, qui puero nutricem parat. Amalopertus.

Amalsbint nutricem significat; regina fuit Italiae. Amalovinda filia Theoderici regis Gothorum.

Amalperg, nutritionis mons; Amaloberga, regina Turogorum, neptis huius Theoderici.

Amalfred, nutritionis pax. Amalofreda.

Angel et engel aculeum et cardinem limitemque nobis valet. unde multa propria virorum et faeminarum deducta sunt. inde Angili Ptolomaeo et Anglii Tacito populi Germaniae dicti.

Engelmair, augmentans limitem ac cardinem, Angilomarus.

Angilostadium, Ingolstat, urbs Boiariae in ripa Germaniae Danubiana; publicum Boiorum literarium gymnasium.

Angiloburgium, Engelburg.

Angis, qui instituit; Angisus est. hic chronicariis genuit Anchisen Troianum.

10 *Am Rande in A:* Nuper anno christianae aerae 1521 kalendis Septembribus in ripa Danubii proxime patriam meam (ubi quondam Artobrigam fuisse credunt (?), tamen est.....) acreus nummus ab agricolis inventus est. eius nota est caesaris imago, altera parte genius populi Romani stans dextro pedeque supplicem supinumque conculcans; inscriptio vero talis: FL | IVL | CRISL(?)VS | NOB | CAES | ALAMANNIA | DEVICTA | ST(?)RMI. *Wohl eine der Bronzemünzen des Kaisers Flavius Julius Crispus, welche Cohen, Médailles impériales, T. VI, p. 191 unter Nr. 29 und 30 beschreibt* 19 Amelfred *B* 23 *Am Rande in A:* Anspach, Anoldespach, a caput pagi Boiorum, qui praefecturae Noreiae 24 Ingolstad *A*

2 *Gabriel v. Eyb, Bischof v. Eichstädt 1496—1535* 5 *Ber. fol. 49. Claud. cons. Stil. III, 17. Steph. Byz. p. 30* 22 *Ptol. p. 151, ed. Wilb. Tac. Germ. 40.*

Argle, Aergle, Arcle, Aercle ferus est leo. Latini inde Herculem fecere, cognomen Alemani regis, parentis Boiorum, cuius insigne leo fuit. quo etiam nunc Germaniae principes variato colore fere utuntur. deus belli ob fortitudinem maioribus nostris fuit, quem inituri praelia invocabant, sicuti nunc divum Georgium.

Aribo, Erb haeredem significat. Episcopus fuit Fruxinensis, qui sub Thessalono tercio duce Boiorum vitas divorum Ruperti, Corbiniani, Haemerani carmine heroico conscripsit.

Ariodunum, oppidum Boiariae inferioris primum, medio itinere inter urbes Monachium atque Landesutam; abest ab utraque 20 millia passuum; Aerding.

Arionistus, Ernst; significat severum. in antiquis exemplaribus Arnustum lego; Ernestum vulgo appellant; Caesar Arionistum.

Ariovistus, Erenvest, pertinax decoris ac honestatis et constans.

Arionardus, Erhard, honestatis thesaurus.

Arionulphus, Arnolf, decus honestatis, adiuvans.

Arionoldus, Arnold, qui decus honestatis amat. pro eodem tamen nomine usurpari animadverto, quem urbani Arnolf, agricolae Arnold vocant.

Aristovicus, Erstwic, Erstweg, rex Gallorum sive Germanorum in Italia; significat primariam viam.

Areopagus, honoris rivus, Aerenpegk, fuit historicus Boiorum hoc nomine.

As, cadaver est nobis, inde Asmar, militare cognomen, qui cadavera augmentat. Asomarus itidem.

Asprecht, qui cadavera facit. Asopertus dux limitis Antoripensium, a quo Carolus Magnus genus ducit. alii ab Ansprecht corruptum ferunt Hunnopertumque quasi Hunnorum domitorem a patre Utilone dictum volunt.

Alt et ald, vetus antiquumque declarat, a quibus complura sunt cognomina.

Albein, Albewein, alwein, semper vinum. Latini Albinum vocant. fuit hoc nomine rex Longobardorum et philosophus, praeceptor Caroli Magni.

Au sive ou, mutuo sibi caedunt hae diphthongi (supra admo-

8 *Am Rande in A:* antiquus quoque heros a nostris celebratur, a quo nomen ...(?) in Hercynia sylva ...(?) 14 et *fehlt in B* 32 Altbein *B* Albewein *fehlt in B* antiquum vinum *B.* felix et dives, qui semper bibit vinum *übergeschrieben in A* 34 *Am Rande in A:* omen ingentis felicitatis, pueris impraecantur (?) nutrices.

4 *Tac. G. 3.*

nuimus a cum o habere apud nos adfinitatem) significat et pratum et insulam; Plinius et Romani scriptores fere aviam inde faciunt, in compositione praesertim, ut Bathau Bathavia, Osterau Austravia, Schonau Scandiavia, iam Schondenmarck; alii in augiam, ubi solum est, conmutant; integrum enim auge est Suevis.

Austravia, Osterhofen, civitas inferioris Boiariae.

Austria oriens est lingua Germanorum. in o plura offendes, inde Oesterrich, id est orientis regnum. quidam Austrasiam duriter tamen adpellant.

B inferiores Germani et Saxones more Graecorum perinde ac f sive v consonantem efferunt, superiores Germani more Latinorum: lob, lof, laus; lib. lif, amor; boeth, voeth, advocatus; quamobrem Romani in nostris vocabulis fere in v consonantem mutant, uti Benden, Venedi, Bandlar, Vandali; Lybhard, Livardus, frater divi Leonardi. habet etiam b non parvam adfinitatem cum p. ubi in nostra lingua est sonus p, Latini fere b accipiunt; ut pard, bardus, Langpard, Langobardus, hoc est longa barba. Bad, balneum; badscheid est piceae lignum, a quo Padus Italiae fluvius maximus nomen habet.

Bandern, Bandeln, peregrinari est ac conmutare; inde Bandlar, hoc est Vandali dicti.

Bendein, conmutare; Benden, Venedi.

Bald, sylva est, ubi maiores nostri (qui Deum claudere parietibus nefas putabant) sacrificarunt. unde ballein, ballen gein, est votis susceptis ad templa peregre proficisci. Bald in valda Latini conmutant.

Balgein, belgein, volvi est ac volutare; ab his duobus verbis multa apud nos nomina deducta sunt, ut Belgius, dux Gallorum et Germanorum. itidem Bellovesus (Balweis) peregrinationum ductor; rex fuit, cuius meminit Titus Livius.

Bar verum est; inde barmond, verax ore. Variomundus est, quem Celtici Pharamundum vocant; adhuc nobilitati in usu est.

Beisein ducere, Beiser dux et ductor: in vesum Romani vertunt, ut Bellovesus, Sigovesus, victoriae dux.

20 *Am Rande in A:* Bên, Biên urbs, caput Noricorum et superioris Pannoniae, quam tum Bendobonam, tum Vindobonam scriptores rerum nuncupant, ab integro Germanico vocabulo detortum. Bendpon, Wendpon integrum ut Rätispon. Vindus, Bendus, Bindus, Binda, Wending, Wendling, Oberwendling. Romani Flavium vocarunt ab praeside Noricorum primo Flavio Fabiano, ut et Fabium sive Fabianum et corrupte Favianum vocari reperio 31 et ductor *fehlt B*

2 *Plin. n. h. IV, 97; XXXVII, 42* 22 *Tac. G. 9* 26 *Iustin. 24, 6* 28 *Liv. V, 34* 30 *Prosp. chr. bei Bouquet I, 638.*

Bein vinum est; unde multa nomina, Beinmar, Beinmer, vinum augmentans, Vinomarus; et Beinfrid, pacificus, vinum bibens; Vinofridus est, qui et Bonifacius, primus Mogontinus archiepiscopus.

Bertha, digna; mater Caroli Magni.

Beit, longe, late; Vitechundus longe lateque notus.

Beg, bec, bic, id est via; in vicum vertunt Latini, ut in Ludovicus, Aristovicus.

Bellen est velle; billen voluntas, bold, bald, qui vult; inde plura cognomina. Romani in valdam invertunt, ut Segibolt, Seibolt, Segiovalda, Gerbold, Gariovalda; Cornelium Tacitum sequor.

Billehelm, Bilhalm, qui vult galeam; helm galea est. Vilelmium Pomponius Laetus, vir linguae Latinae peritus et antiquitatis admirator, vocat. quidam admodum duriter in Gulielmum subvertunt.

Billebald, Bilbold a sylva cognominatur. Vilivalda est primus Aechostadensis pontifex.

Belph, catulus et canicula; unde Belphardus, qui et Belpho; Veliphonem ego facio; hoc nomine duces fuere Boiorum conplures, chronicarii Guelphones nominant.

Ber aper est et ursus Graecis et Germanis; inde Beron, Verona, et Berenau, Berunum Virunumve urbs Noricorum, cuius Plinius et Ptolomaeus mentionem faciunt. extant vestigia propter lacum Chiminum.

Beringer, apro congredi audens; Berengarium Latini vocant.

Beren est durare; boeren vero arcere.

Bernhard, durationis (si ita liceret loqui) thesaurus, durus et durans fortiter ut aper. Veronardus est rex Italiae, filius Pipini regis Italiae, nepos Caroli Magni. eo adhuc utimur.

Börnher, arcens exercitum; analogia postulat Veroneronem, crebrum nobis.

Berg, mons est; birg, alpes.

Berger montanus. Plinius in bergos mutat, in briga Ptolomaeus, transpositione literarum. Metathesis familiaris est Germanis, maxime superioribus, ut born, brun, fons: pyrnein, prynein, ardere.

Bergam est montanum; inde Bergomum, urbs Italiae condita a Boiis et Gallis, quorum lingua civitatem montanam significat (ita tra-

1 Beinmair *B* 7 *Am Rande in A*: Beham corrupte vulgus profert; integrum est Baigerhaim sive, ut rure loquuntur, Boigerham, Boierhaim; unde Romani Boiemos et Boiemiam Romana incude formant 17 complures *B* 27 Bernher *B*

10 *Ann. II, 11. 62* 12 *Pomponius Laetus, italienischer Humanist, gest. 1497 in Rom; seine Opera varia erschienen 1521 in Mainz* 20 *Plin. n. h. III, 146.* 21 *Ptol. 159* 30 *Plin. III, 125? Ptol. 158 Beros. 55.*

dunt scriptores); ideo Gallos fere Germanos intelligo, a Graecis ab albedine ita dictos.

Berith, bericht, Germanum Hebraeumque vocabulum, foedus, pactum, compositionem significat; inde Berthold pacis amator; Beritholdus, dux Boiorum.

Berth sive bercht dignus est. Latini in berthus et pertus transmutant; inde Bertha sive Berichtha, hoc est digna, mater Caroli Magni, crebrum maioribus nostris nomen.

Brecht seu precht (promiscue b ac p sine ullo discrimine utuntur fere Germani) pompam, apparatum significat, si a prangen et prenck venit; si a prechen, hoc est frangere, domare, eum qui domat ac frangit, declarat. potest etiam esse deductum a bringen et brengen, quod est adferre, adducere, accersere, parare. conplura inde nomina virorum deducta sunt, ut Diethprecht, Hyldeprecht, Sigeprecht, Rueprecht, quae omnia suis locis reddemus. alii idem, quod berth, transpositam esse unam (uti fit) literam tradunt; asperius hoc, lenius illud esse solet in compositione.

Best, besten est occidens; bester occidentalis. unde Vestria (Besterreich) occidentale Francorum regnum. Celtae in Neustriam corrupere, inde coniuncti Vestrogoti, occidentales Goti; Romani Vessogotos adpellant et Vestrios sive Vestriacos, Vessones; lenius elegantiusque hoc est.

Besso, qui et Vesso; ab occidente cognominatur, fuit venator Thessaloni tercii, a quo Vessobrunna caenobium superioris Boiariae nomen habet.

Berden fieri; inde Birdmer coniunctum, qui maior fiet. Viridomarum Romani scriptores nominant.

Boden est fundus, latifundia, praedia; unde Marobodus rex Suevorum, ab augmentando dictus (Merbod). inde Bodincus, Padus, fluvius Italiae, dictus, quod fundo careat.

Bogen arcus est, boigen, inflectere. unde Boiger, ab inflectendo et arcu dictus. Boius Latinis est, a quo et Boii cognominati sunt. A Boiger, quod obscoenius est, ob voluptatem aurium factus est Baiger. Ita in vetustis diplomatibus lego, unde Boiarii Bagoariive latine dicti sunt. unius tandem literulae g omissione (quemadmodum crebro factum in sermone nostro, in g litera leges) Baier deminute factum est. amat enim usus (uti Cicero quoque admonet) elisiones literarum; vulgo Ger-

9 *st.* seu sive *B* 14 Hildeprecht *B* 26 *In A statt des durchstrichenen* fiet — futurus est 35 literae *B* 36 Bair *B*

1 *Plin. III, 125* 24 *S. Mon. Boic. VII, 372* 30 *Plin. 122; Ber. 63 (174. 207).*

manorum usitatissima est deminutio, quam grammatici syncopam vocant. Non est fere vocabulum proprium loci praesertim atque hominum et gentium, quin aliter, quam vulgo efferatur, in instrumentis antiquis scriptum reperias. usus brevitate gaudens diminuta usurpat. instrumenta ociosis lectoribus scripta veris et integris utuntur rerum vocabulis. caeterum i inter duas sonantes habet vim g et duplicis consonantis. quamobrem placuit Ciceroni ii duplex ibi scribi et efferri, uti vulgo apud nos eiius dici solet. verum usus iam aliter apud nos illud i inter duas sonantes ac unum accipit; ut in Troia, Aquileia, Apuleius, meio et mille huiusmodi. maxima praeterea in nostra lingua facta est mutatio, adeo ut ea, quae ante trecentos annos scripta fuerint, aegre etiam peritus intelligat.

Bolph est lupus; omen auspicatissimum Germanis, genti bellicosae; uti e diverso inauspicatum lepus. inde Voliphonem ego authoritate et analogia fretus romana incude formaverim. unde conplura cognomina deducta sunt.

Bolfgang, diminute Bolf et Boelfel; lupi incessus viaque. fuit hoc nomine pontifex Reginoburgensis, peculiare Boiorum numen. Volipho-ganges est Latinis.

Bolfhart, fortis ut lupus; Voliphardus heros Germaniae canitur adhuc.

Bolfhyld, Boliphylda, uxor Henrici octavi, ducis Boiorum.

Bolfram, luporum venator, Voliphoramus, purgans terram a lupis.

Both est nuncius et interpres; Botho latine.

Brennen est comburere ac igne vastare; castrense verbum, quo bella indicimus, inde Brenner, igne flammaque vastans, crebrum adhuc cognomen. Latinis est Brennus atque Brenno, rex Suevorum, qui Romam caepit. Trogus Brennum, Livius Brennonem adpellat. per p nostri quoque scribunt. hic ambitiosis genuit Priamum Troianum. nam Saxones prienner dicunt. Brenni quoque sive Breuni populi fuere Vindelicorum intra Isaram et Oenum, quorum meminit Ptolomaeus et Horatius.

Braunau, urbs Boiariae; Brundunum est.

Braunhyld, Brunhild, urens amor. Brunylda Latinis, regina Francorum, mater Hyldeberti secundi, de qua complura nostri scriptores. frequens quondam foeminarum apud nos cognomen.

7 *Am Rande in A*: sicut in vetustis lego monumentis 16 nomina *B* 20 *Etwa Wolfdietrich? oder ein verlorenes Gedicht?* 28 *Iustin. XX, 5; Liv. V, 38* (Brennus) 32 *Pt. 158 H. Carm. IV, 14, 11.*

Breit, latum, unde Breitmar, qui late auget. Latini Britomarum nominant.

Burch, burg, burc, civitas castrumque est et locus munitus. inde burger, civis. inde Burgundiones dicti, intra moenia habitantes sive locis munitis. in burgium Tacitus et Ptolomaeus formant, ut Ulsiburgium, civitas Rheni. Teutoburgium urbs Pannoniae, ubi Dravus influit Danubium, ubi haud longe Quinque ecclesias nominant. est etiam sylva in confinio Bestfalorum et Hessonum, in qua Quintilius Varus caesus a Germanis.

Burghard, Burchard, fortis ut castrum. Burigardus est Latinis. Burgiographus urbis praefectus est.

Burchausen, Burgusium, urbs et arx Boiorum in Norico munitissima, quam amnis Iuvavus alluit.

In p conplura offendes, nam invicem caedunt b et p Germanis; discernere non est in promptu.

C eandem vim habet quam et k et q; figura et nomine solum differunt, potestate nihil penitus, affines sunt ipsi literae g. ubi superiores Germani g fere proferunt, inferiores et Saxones in c et k mutant, ut beg, bec, via, burg, burc, castrum, regia. item ubi nobis ch aspiratum est, Saxones c tenue habent, ut pach, pac, rivus, schand, scand, dedecus.

Chelami, urbs Boiorum in Germania, ubi Alemanus fluvius Danubio miscetur (Chelhaim).

Carl virum fortem Teutonum lingua declarat, facto etiam inde proverbio, quod adhuc frequens in ore vulgi est. Venedorum lingua rex est. Romani Carolum adpellant. primus Germanorum imperator.

Carlman, fortis vir, Carolomanus rex Boiorum et Italiae, pronepos Caroli Magni, pater Arionulphi imperatoris romani.

Chynnen, scire, noscere, unde Chunrad, qui scit consilium dare, diminute Chuno, Chuontz, Chuonzel. Latinis est Chunradus.

Chynig, chyni, rex est; inde Chynigund, Chunigund, Chunel, regis favor. Chunigunda est augusta uxor divi Henrici secundi; ambo in numerum divorum relati; Chuniza quoque diminute dicitur.

Chynibyld, regis amor; Chunyldam et Chunigildam vocant. uxor Henrici tercii imperatoris romani.

Kempen, kemphen, est pugnare et singulari certamine congredi.

11 *Am Rande in A:* vicecomes, iudex urbis, comes palatinus 12 urbs est et arx *B* 14 plura *B*

5 *Tac. G. 3. Ptol. 153* 6 *Ptol. 163.*

Kemper, kempher, pugil, qui ad singulare certamen provocare audet; inde Cimbri et Cimmerii, antiquissimi Germaniae populi, dicti sunt, quibus Dani et Saxones successerunt. inde et Sycambri, qui et Sygambri, itidem populi Germaniae, ubi nunc Bestofali habitant, pro victoria pugnantes, ita cognominati.

Chilpericus, Chyldebertus, Clotarius, Clodoveus in h leges.

Chatti nunc Hessi sunt; genus tormenti quoque est, quo saxa iaculati sunt maiores; servat adhuc praefectura vetus nomen.

D conmunitatem habet cum t, ut hard, hart, thesaurus.

Degen pugio et heros est; inde Dagprecht, Dagobertus et Dagopertus, est rex Francorum.

Dieth vocabulum vetus, divitias et officium, facinora praeclara significat. latina incude Theodo formatur. complures eo nomine duces Boiorum fuere; poeticum est, turbam famuliciumque significat.

Diethphort, Theodonis traiectus sive vadum; quod Graecis et Germanis phoros est. Theodophoros.

Diethreich, facinorum dives; est Theodericus.

Diethprecht officiosus, Theodopertus.

Diethbolt, qui vult officium facere. varie effertur: Theopaldus, Diepoldus, Diethboldus. ego authoritatem Cornelii Taciti secutus Theodovaldam vocabo.

Diethmar, Theodomarus, rex Gotorum, augens officium.

Drau, Drou, fides est. Drauen, drouen fidem habere. faeminarum inde complura nomina, ut Gariodruda, Ariodruda.

Druides philosophi Galliae; pulsi a Tiberio caesare in Germaniam migrarunt. vulgus adhuc numinis cuiusdam genus esse putat, quod noctu premat sontes et quo infantes territant; saltationis figurae mathematicae, calcei philosophici genus adhuc nomen ab ipsis inditum retinet.

E et i non parvam habent conmunitatem, uti Ludbig, Ludbeg.

Eber aper est; inde Eburones populi, qui nunc Limburgenses.

Eberhard, fortis ut aper. Eburonardus.

Eck, egk, cornu est angulusque; inde dictus Echard sive Egkard, constans ut angulus et sustentans. Egardus et Echardus est et, quod sonantius est, Ecardus.

14 poeticum — significat *in A und B am Rande nachgetragen* 15 Dietphord *B* 17 Theodoricus *B* 27 noctu *fehlt in B* 29 *Von anderer Hand in A nachgetragen:* Drudenfuß.

20 *S. oben S. 12, Z. 10* 25 *Plin. n. h. XXX, 13.*

Ei diphthongus est Germanis; Saxones uti i longum efferunt. Superiores Germani utriusque vocalis vim servant: bein, reich. Latini in i longum vertunt, ut eisen ferrum, Eisenhart, durus ut ferrum; Isenardus est; Eisennot, qui in calamitate adversitateque perinde ac si ferrum esset, non caedit, Isenotus.

Ellend, exul, exilium, Elliland, Elandus.

Elisabetha Hebraeis, Isabella Gallis, Hispanis, Elysa Germanis est.

Engel in Angel.

Ennß flumen est Norici Ripensis, olim Hunnorum, Abarorum terminus et Boiorum. nos Anassum vocamus. Ptolomaeo et Plinio Aenos est per ae diphthongon; nam per oe diphthongon Oenus alius est, quem Graecorum more Oin vocamus.

Er, eren, honestas, decus, honor. Latini in Ario vertere solent.

Ernvest, Spartiano et Iordano Ariovistus est, ubi corrupte Aristovicus et Arioviscus legitur. Titulus adhuc est; nobilitatis, honestatis pertinax et constans.

Ernest, Ernst, Arnest, Arnust, ita in vetustis lego diplomatibus, eleganter Latino charactere fit Arionistus. Beroaldus uti vir multae lectionis, ita nullius penitus iudicii, Areoiustus legit, ut sit ex Graeco Marte et Latino iusto compositum, cum Germanum sit vocabulum, severitatem remque ,eriam significans.

Erber gravis, honestus; inde fit Eberbein (eliso primo r ob asperitatem), qui etiam vinum potans servat honestatem; Eburovinus est. Celtae in Ebroynum corrumpunt.

Ernprecht, Erenberth, honore dignus. Arioberthus est rex Italiae, origine Boius.

Ernhold, qui amat honestatem. Arionoldus sive Erchanoldus est Latinis.

Erendraud, quae fidit honestati. Ariodruda vates Boiorum mulierque fatiloqua, quae cum fratre Ruperto philosophiam christianam interpretata est Boiis.

Ergle, Ercle, Hercules; in A.

7 Elissa *B*. Aut Elusia; licet ab Hebraeo deductum imperiti arbitrentur, tamen vetus Germanum est vocabulum *am Rande in A* 10 est *fehlt in A* 16 u. 20 Arioiustus *B* 23 fit *fehlt in B* 28 Ernholt *A*

11 *Ptol. 148. Bei Plinius fehlt der Name* 15 *Aurel. 11 Jord. de brev. chron. p. 32 ed. Lind.* 19 *Philippus Beroaldus. Wahrscheinlich ist eine Stelle in dessen Annotationes in autores antiquos (Bononiae 1488 in fol.) gemeint* 32 *Arintrud, Nichte (nicht Schwester) des hl. Rupert, erste Vorsteherin des Nonnenklosters in Salzburg.*

F Germani quemadmodum et Graeci non habent; pro eo idioma nostrae linguae postulat aut ph aut b sive v consonantem, licet scribae multa prave scribentes Latinorum more f usurpent, ubi ph esse debeat, ut pherd, perd, equus; phaph, paph; ubi nos ph aspiratum legimus, ibi Saxonibus est p tenue. usus tamen in quibusdam dictionibus, ut per f scribantur, obtinuit.

Frei, freige, liber est; freium, freigum, freihait libertas. inde denominantur Francus et Franco, creberrimum in fastis nostris nomen.

Franzel, Franculus est ac Franciscus diminutivum. Franzos, id est Francigena; ita Celtas vocamus.

Frid et fred pax est, unda plura cognomina.

Fred pax, gaudium. Fredgund favor et pax et gaudium; Fredegunda uxor Hilperici regis Francorum.

Fridreich (Friz, Frids, Fridel diminutiva sunt) pacis dives sive pax regni. usus Fridericum nuncupat, Eugypius Fridurichum, divus Hieronymus Fretellam.

Forst et farst, sylva est Germanis; forster est praefectus et custos sylvae. inde forestam et forestarium a nobis Celtae receperunt. in v plura leges.

Fritegil regina Germaniae, quam divus Ambrosius per literas religionem christianam docuit.

Fruxinum, Freising; ita in vita divi Maximiliani archimystae Laureacensis nuncupatur.

G adfine est c; supra docuimus; duriusculum est, omittitur in multis dictionibus, ut freige, freie, freigum, freium, liber, libertas. Segibolt, Seibolt. ita Segifrid, Seifrid, Sigmund, Symund, propria virorum sunt; Hau, Haug, unde Hugo. chynig, chyni, rex; Baigerprun, Bairprun, Baiprun, regia diruta in superiore Boiaria. saeli, saelig, beatus; haeli, haelig, sacer.

Gallus proprium nomen crebrum Germanis; rex fuit, unde Gallos cognominatos credunt; an in Germania imperitaverit, nondum com-

14 *Am Rande in A:* Hebraeis Solomon, Graecis Irenaeus, Ἰρηναίος, EIRHNAIOΣ 19 *Am Rande in A:* Sequor Ptolemaeum, ut novissimum ita diligentissimum orbis terrarum scriptorem.

15 *Vit. Sever. 42. 44* 16 *Ep. 106* 21 *Paulin. vit. Ambr. 36* 23 *Wenn Aventin hinsichtlich seiner Quelle nicht irrt, so muss ihm ein anderes Leben Maximilians vorgelegen haben als das uns allein bekannte, das nach 1265 verfasst und in den Acta Sanctor. Boll. Octobr. VI, p. 52—58 gedruckt ist; denn in diesem wird Freising weder als Fruxinum noch unter einem anderen Namen erwähnt.*

pertum habeo; hoc satis constat, Germanos etiam Gallos a rerum scriptoribus gravissimis vocari.

Ganz totus, Ganzrich totus dives sive integrum regnum. Gaensericus est rex Vandalorum.

Gar omnia; geren avere. inde Gardrud et Gerdraud, quae omnino fidit; Gariodruda est.

Garbolt, Gerbolt, qui penitus et omnino vult; a Tacito Gariovalda vocatur. fuit hoc nomine rex Boiorum.

Ge et Gaia Graecis et Germanis terram significat; ut Nordge et Nardge, id est Aquilonis terra. pagum tamen Latini vocant, quod nos ge adpellamus; portio scilicet regionis est, aut a flumine, valle ventove dicta. sunt enim pagi partes, in quas dividi solet regio. Plinius et Cato tribus quoque adpellant; fit hoc per flumina, ventos, valles et huiusmodi.

Geren cupere, avere. inde

German, qui avet viro congredi. proverbium etiam nunc apud nos in audentem, qui non terga vertit, sed ultro hostem petit (gert des mans). unde Germanus Germaniaeque vocabulum. Romani tanquam suum ob similitudinem accepere, quod fratres significat legitimos. est tamen nobis vernaculum aliudque nimirum, quod dixi, declarans, pudet a Graecis atque Italis mutuare rationem Germaniae.

Gerbyrg, Gerpyrg, quae desiderat regiam, Gariopyrga.

Geisel est obses, Gisala Latinis. Crebrum apud nos faeminarum nomen fatale; fuit hoc nomine soror Henrici secundi augusti, uxor Stephani primi regis Ugrorum, cuius ope gens ipsa legem christianam recepit.

Gib est da. Gibhuld da pacem. Gibuldus rex Suevorum est. Eugypius eius mentionem facit.

Got deus est, gut bonum. Gotfrid, divina pax. Gutfrid, bona pax. Gotofridus Germaniae princeps, qui Hierosolyma cepit. Celtae corrupte Iafridum et Gaofridum nominant.

Gotsprecht, deo dignus; Godopertus rex Italiae.

Graph, graphus, comes est. prisca aetas praefectum nuncupavit.

Greimhyld, Grimylda, uxor Attilae, canitur apud nos; filia Guntheri regis Turogorum.

Greimhold, impetum amans. Grimoldus latine fit.

Grothyld, magnus amor, Grothylda, regina Francorum. Celtae tamen depravant ob ignorantiam linguae Francae.

32 Gotprecht *B*

7 *Ann. II, 11* 21 *Plin. n. h. III, 122 (Strab. 290)* 28 *Vit. Sev. 19.*

Gut est bonum, inde Gutha. Graecis Agatha, Latinis est Bona.

Gutdraud, Gutdrud, bene fidens, nihil mali timens. Gutodruda regina Longobardorum, uxor Litoprandi, filia Theodonis ducis Boiorum.

Gutram, bona fama et gloria. Gutoramus rex Francorum in numerum deorum relatús.

Gunthold favor et amor. Guntholdus filius Gariovaldae regis Boiorum, dux Astensis; eius nepotes potiti sunt Italia.

H aspiratio, crebrior maioribus nostris, praecipue superioribus Germanis, sicut et quondam Romanis (uti Catullus notat et Fabius Quintilianus refert) fuit. usi sunt in principio, medio, fine. L quoque aspirarunt et duriuscule e gutture pronunciarunt. Celtae ch esse crediderunt, quemadmodum in Hebraeis dictionibus a Graecis factitatum esse scribit Hieronymus. ubi superioribus Germanis aspiratio, est inferioribus tenuis litera, ut hilp, hilph, auxilium. Austriaci solum h efferunt, ubi nos ch proferimus, ut kirhen, kirchen, templum.

Haben habere est; hat, qui habet; et hast, habes. inde hatfreid, quae gaudium habet. Hadofreda est filia Litavici Magni regis Francorum, uxor Theoderici regis Ostrogetarum.

Hasthylph, habes auxilium. Hastulphus est rex Longobardorum ac Italiae, qui et Hathulphus.

Hauen, haugen, hougen, caesim ferire. inde Haug, qui et Hau, qui caesim ferit. Latini Hugonem nominant.

Hauprecht, Hugopertus, dux Boiorum.

Haunold, Hunoldus, dux Aquitaniae.

Haunen, gentes sunt, quas Latini et Graeci Hunnos et Chunnos vocant; utrumque enim scriptum reperio in antiquis exemplaribus. Habitarunt in ea regione, quae nunc Austria nominatur; Carolus Magnus delevit; eorum reliquias Turcas esse quidam suspicantur. inde Haunprecht, Hauprecht et sine aspiratione Asprecht; is est Hunopertus, divi Arionulphi avus.

Haien, fovere, colere; haid, quae fovet, nutrit, colit, alit. multa inde faeminarum nomina, ut Adelhaid, quaere in A.

Haidweg, Haidwic. Haedovica, uxor ducis Georgii, filia Casiomiri Magni regis Boliorum.

Hain, haim, est domi; reich dives et regnum atque imperium. inde Haimrich, Hainrich, Heinrich, Hainz, Hainzel, Henzel; ubi Suevi n, ibi Boii, qui crassius loquuntur, m habent. veteres Honoricum

18 Theodorici *B* 27 Habitaverunt *B* 28 quidam *fehlt in B*

13 *Cat. 84. Quint. I, 5, 19. Hier. Quaest. in Gen. (IV, 93a).*

dixere, quos Franciscus Philelphus sequitur; in usu est Henricus; Ugri Haemericum et absque aspiratione Aemericum vocant, ipsum pro divo colunt; fuit filius Stephani primi regis Ugrorum et Gisalae, sororis divi Honorici secundi imperatoris romani, ducis Boiorum tercii. significatur hoc nomine prudens et bonus paterfamilias et qui colit regnum et imperium.

Hard, thesaurus, gaza; hart, durus, saevus; plura inde denominata nomina.

Hartwic, Hartweg, dura via; Hartovicus.

Harze, est resina pixque, unde sylva Hercynia orciniumque nemus. varia a locis sortitur nomina. ubi oritur inter caput Danubii et Rhenum, Sylva Nigra ab incolis vocatur; Ptolomaeus et Caesar Helvetiorum adpellant, magno errore illorum, qui eam Bacenim credide-runt; iuxta Danubium Boiemiae sylva, Noreta a Ptolomaeo dicta, nomen retinet; apud Turogos gentis nomen occupat; apud Cathos et Sycambros Besterbald, hoc est sylva occidentalis nuncupatur; ubi Saxones et Turogos separat, nomen vetus servat, a Caesare Bacenis nominatur, circum quam olim consederunt Suevi.

Hecken mordere est et proprie venenatorum animalium et bestiolarum. unde hecht, lupus piscis et Hechter, Hichtor, proprium nomen in fastis nostris. unde factus est Hector Troianus chronicariis. Metasthenes tamen Hectorem quoque adpellat, cuius filius sit Francus, rex Germaniae, author Francorum.

Heilig, heilic, id est sancta; Haelica progenitrix nostrorum principum.

Hezen, haz, venari canibus. inde Haziga, id est venatrix (Haizga), condidit Schirense coenobium.

Hele clarum, serenum; unde Helenus Troianus progenitus chronicariis.

12 *Am Rande in A:* Boium, Suevum simul consedisse, absque interprete se non intellexisse, quasi non consanguines genere sint (?) — Cardinalem *(wohl Matthaeus Lang)* saepius audivi referentem se sex genera (?) ferme Teutonicae ac Gallicae linguae *(sic)* sex iuxta esse..... *(unleserlich)* — Tot collisiones, tot mutationes vocalium pro regionum, caeli, pagorum varietate. 19 Höcken *A* 21 *Am Rande in A:* canitur aduc her Eccard Hectorem *(sic)* Troius *(sic)* id est fidus popularis fuit; unde.... calciamentum rustici portarunt, popularium pundoschucham aduc ab eo adpellamus. — Eius filius Francus, qui et Phrygio et Pherecydes 25 *Am Rande in A:* hansgraf, id est iudex, hans, handel, kaufman, hansstet 26 Hözen *A* 29 chronicariis *fehlt in A*

14 *Aventin meint wohl Gabreta — Ptol. 149. S.* Noreta 22 *Sic. Gemeint ist die unter dem Namen Megasthenes veröffentlichte Fälschung des Dominikaners Annius von Viterbo, De iudicio temporum et annalibus Persarum (Beros. 106).*

Helphen, helpen, auxiliari; hilph, hilp, auxilium.

Helphreich, hilpreich, adiuvans regnum, Hilpericus. Celtae in Chilpericum depravant.

Helt, heros; Helitonius a Livio vocatur rex Germanorum et Gallorum.

Hyld, huld, amor est. Huldreich, Hyldenreich, amor regni sive amoris dives ac plenus. usque obtinuit Ulricus, veteres Hyldericum dixerunt. Celtae, ut solent, corrupte Chyldericum nominant.

Hyldeprecht, qui amari dignus; Hyldeberthus, Celtae Chyldebertus.

Hyldeprand, amoris titio; Hyldebrandus.

Hyldegart, amoris hortus. Hyldegarda Sybilla Germaniae et Caroli Magni uxor.

Hymel, caelum. Himeldrůd, Himeldrud, quae caelo fidit, Hymelodruda.

Hoer, exercitus, hoeren, vastare exercitu; unde Herman, vir exercituum. prisci Hermionem vocant, recentiores Herimanum; rex Germaniae, a quo tercium genus Germanorum Hermiones dicti, qui tractum Danubii adcolunt, quorum pars, ait Plinius, Suevi.

Hoerzog, qui ducit exercitum. nunc duces sunt, imperatores Romani præsides vocabant.

Hued, huet est custodia sive galea. Hutonem, Hudonem et absque aspiratione Utonem ac Udonem veteres adpellant; tandem factus Oto ob linguae Romanae honestatem.

Ingram infensus, infestus maxime. Ingeramus est rex Boiorum; crebro in fastis réperio.

Ingevon, rex Germaniae, a quo Ingevones, populi Germaniae, proximi oceano Germanico, quos nunc Selandos vocamus (se lacus est sive oceanus atque mare, land regio); dicti, quod interiora Germaniae habitent, quasi Ingeboner; inge, interius, bonen habitare valet.

Inn, fluvius est Oenus, Strabo Athesinum nominat; in Alpibus

2 Hilphreich *A* *Am Rande in A:* Alexander Graecis, Varro 5 *Am Rande in A:* Hermunduri, Danubiani populi primi proximi Romanis oppositi Raetis in ripa Danubii, habuere caeteri commercium Danubiani populi Hermunduri ausi transsire Danubium et mercari et vendere in clarissima Raetiorum colonia. Oritur apud eos Albis sive Albino, non ille magnus, sed quondam Suevorum ac Saxonum piscosissimus Nariscorum, qui et a Romanis scriptoribus Albius vocari solet. Integra diplomata Alman vocant, vulgus vocat Altmyl ob commoditatem dicendi alt 11 Hyldegard *A* 15 exercitum *B* 25 *Am Rande in A:* ing, utinum, terminatio frequens urbium, Öting, Ysmenning, ... Dinglfing.

4 *V, 35* (Etitovius) 18 *N. h. IV, 100* 27 *Tac. G. 2* 30 *p. 207.*

separat Noricos (Tyrolios) a Rhetis (Engadinis), uti Tacitus scribit, licet apud eundem depravate Rhenus legatur. in planicie separat Noricos a Vindelicis, hoc est Austriacos, id est, Boios orientales, ab Boiis occidentalibus.

Istevon rex Germaniae, a quo Istevones, populi Germaniae; Rhenani nunc sunt, quod extima Germaniae insideant, dicti tanquam Eisseresten, id est extimi boner, habitatores.

Ioannes, a Teutonibus Hanns vocatur et diminute Hænsel, a Venedis Ian; a quibusdam in Ianum mutatur.

Iugund, iuventus est. Iugunda filia Hyldeberti regis Francorum, quam corrupte Ingundam nominant Celtae.

L aspiratum in diplomatibus a maioribus nostris reperio in propriis fere nominibus, ita Hl; Celtae ch opinati sunt esse.

Laim, lacus, limus, inde Lamisso rex Longobardus.

Land, regio, patria, inde Hollandia, cava tellus, et Selandia, terra maritima, et landographus, regionis praefectus, et Lanthylda, id est patriae amans, filia Hylderici primi regis Francorum.

Landau, Landunum, urbs inferioris Boiariae; patriae pratum.

Landshuet, galea ac custodia terrae; Landesuta urbs Boiorum, opus Otonis primi ducis Boiorum.

Larein, rex et heros Germaniae, canitur adhuc. credidit Laerten Tacitus; eius arma nunc ostendunt Rheti et Norici et credi postulant.

Le, leb, leo est, Germanis omen fortunatissimum, fere principibus nostris insigne, quemadmodum aquila Romanis.

Lieb, liv, amor. Livardus, amoris gaza.

Hliut, liut, leit, populus; unde plurima principum nomina coniuncta sunt.

Hliutbeg, Liutbec, Liutbic, id est populi via. vulgo Celtarum Loys et Clois est. recentiores latine nuncupant Ludovicum, Celtae Clodoveum, Caesar Litavicum, quem sequor. Theodericus rex Gotorum, procurator Italiae et occidentis, Ludbin nominat.

Hliutel, liutl, Ludel, diminutiva sunt superioris nominis; Clodionem faciunt Celtae. ipse est Litavicus primus, pater Hylderici, qui

6 tamquam *B* 8 Hensel *B* 9 *Am Rande in A*: Iudith ... judischer nam, haist bey in ein .. yding, zue teutsch Geuta, ein baierische herzogin, hat Rieder (?) magister (?) gesagt zue Regenspurg, alda ligt sy in chor begraben 11 Celtae *fehlt in A* 12 *Am Rande in A:* L abundat, semivocalis facile effertur sonorior; cuius adpositio, ἐπένθεσις, familiarissima Germanis; Wendling fere d post mutas in diplo. Wending; ita Nordingen, Nordlingen; pro r ut kilchen, kirchen.

1 *H III, 5* 22 *Tac. G. 3* 30 *VII, 37* 31 *Cassiod. Var. II, 41; III, 4.*

Francos ex antiqua Francia, quae et Franconia, trans Rhenum in Gallias duxit.

Liutmer, Hliutmer, qui populum auget; Litomarus est; Clodomirum Celtae corrupte vocant.

Liutbold, Liutbald, qui popularis est, et bene (ut ita loquar) vult populo; corruptissime varieque latinitate donatur, Leopoldus et Leopaldus vulgo est, his Lupoldus, aliis Liutbaldus. ego Cornelii Taciti authoritatem et analogiam aemulatus, non ineleganter, nisi fallor, Litovaldam nuncupabo.

Liutpyrg, populi regia, arx, castrum; Litopyrga, uxor Thessaloni tercii ducis Boiorum, filia Desiderii regis Italiae.

Liutprand, populi titio et amor. Litoprandus rex Langobardorum.

Liutprecht, populi domitor; Litoberthus.


Liuthold, populi amator, Litholdus.

Liutholf, populi adiutor, Litholphus; pro uno tamen nomine usurpari video, quem eruditi Litolphum, vulgus Litoldum, voluptati aurium serviens, vocat.

Louther, clarus, syncerus. Livius Lutharium, Caesar Lutherium nominat.

Loun, praemium est et merces. Latini in leon mutant, ut Leonardus, mercedis praemiique thesaurus, peculiaris Boiorum divus, a quo vicus cognomen sortitus est, ubi frequens coit populus votaque reddit.

Louner, qui mercede conductus est et stipendia facit. Livius Lomnerium, Strabo Leonorium vocat.

Man, mon est vir et fortis. inde Manus rex Germaniae, tempore Semiramidis reginae Babyloniae et Abrami authoris Hebraeorum. illius filius Trevir Treviros in Gallia Belgica condidit, qui usqūe ad Rhenum protensi. parentes nostri scripsere propria nomina Longobardis literis ita: . legerunt imperiti Nini, ut nomen notissimum; illud etiam paucissimis eruditis notum; referunt enim ipsi Galli Iulio Caesari, Belgas esse ortos a Germanis, Rhenum antiquitus traductos; propter loci fertilitatem ibi consedisse Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse. scribit Cornelius Tacitus, Treviros circa adfectationem Germanicae originis ultro ambitiosos esse, tanquam per hanc gloriam

24 *Am Rande in A*: qui lount wol, qui stipendia solvit atque beneficia conferre solet.

7 *S. Diethbolt* 18 *Liv. 38, 16, Caes. VII, 5* 23 *St. Leonhard. Es gibt mehrere Ortschaften dieses Namens in Altbaiern mit Wallfahrtskirchen* 25 *Liv. a. a. O. Strab. 566* 27 *Beros. 49* 32 *II, 4* 34 *G. 28.*

sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur. fama quoque constantissima et vulgatissima est, Treviros primos esse Germanos, nimirum in Gallia belgica, conditos paulo post diluvium, quo totum genus mortalium periit. Nostro aevo Belgae fere omnes, non solum Treviri, bona pars Celtarum, institutis, lingua, moribus Germani sunt, Germanis parent, Germani vocantur. quatuor potentissimi electores germani principis in Belgica et Celtica habitant. imperator Germaniae inungitur et coronatur apud Belgas; si Galli sunt, nesciunt; si Gallos dixeris, indignantur. maxima pars imperii germanici intra Gallias est. Franci, Burgundiones, Nordomani, qui caeteras Galliae partes obtinent, oriundi ex Germanis sunt; ex Germania profecti, expulerunt Galliis Romanos.

Marc, march, limes, inde marchgraph, id est marchio. praefectos ducesque limitis prisca vocavit aetas.

Marcmer, limitem augmentans, Marcomarus est Claudiano.

Marschalc, quasi Marosalicus, qui maior est in sala, hoc est, aula; maior domus a recentioribus dictus. veteres Romani magistrum equitum vocarunt.

Matten, domare. unde Matthaeas, rex Germaniae orientalis, qui cum Philippo patre Alexandri Magni bella gessit.

Maza, virago; genus tormenti quoque bellici, quibus saxa, globos ferreos iaculamur. uxores Cimbrorum viris societate militandi coniunctae, Mazones dictae sunt. Graeci Amazonas vocant.

Meinhard, mea gaza, meus thesaurus; Menardus.

Meinfrid, meum gaudium, mea pax. Menofredum latini scriptores nominant. filius fuit imperatoris Friderici secundi.

Meren, augmentare; mer, qui maior est. latini scriptores in marum formant, ut Viridomarus, Britomarus; de quibus supra in B.

Merbeg, qui viam augmentat. Meroveus Latinis est. rex Francorum, qui cum Attila pugnavit. fuit tamen et antiquior rex Germaniae, a quo Marovingi populi Ptolomaeo proximi Turogis; et Merbisburg urbs, hoc est Meroveiburgium, quae nunc Hercynophoros est, caput Turogorum.

Merbod, qui augmentat terram. Marobodus rex Suevorum, a quo Marobudum urbs, regia eius, quam nunc Pragam nominamus, caput Boiemorum; ex diligenti segmentorum computatione palam est.

34 Merobodus *B* 36 *Am Rande in A:* Môs, palus, Moesii, Mosa flumen, quod ex paludibus oritur; Moesia palus, Mosini u. ä.

15 *L. Stil. I, 240* 20 *Justin. IX, 2* 22 *Strab. 294* 31 *152.*

Mund os est et hostium fluminis; plura inde nomina; Variomundus, Segimundus; hic victoriae os et nuncius, ille os verax vertitur.

N solet omitti per aphaeresim in principio. Nerth, erth, terra; nair, air, ovum.

Neren, alere, nutrire; narum, norum, victus. inde Nerein et Norein proprium regis, quem Graeci et Latini Noricum adpellant. quidam scriptores Germaniae Neronem atque Noreium nuncupant, unde et

Nöreinland, id est Noricum. complectitur nunc partem Boiariae trans Oenum, Austriam, Stiriam, Charionas, Tyrolios.

Names dux Boiorum; Nuneium Caesar adpellat.

Neos, graecum et germanicum vocabulum, novum valet.

Neuburg, Neustad, Neumarkt; nova urbs, novum forum. Neoburgium, Neostadium, Neomartos romana incude haud ineleganter formaveris.

Nord, Nard aquilo est ac septentrio.

Nordman, aquilonaris vir. Nordomanus et Nordbec, aquilonis via; Nordovici; hi sub rege Dañorum sunt, qui Cimbri a priscis dicti, diu depopulati sunt Gallias, ubi victores sedes tandem occuparunt, quas adhuc habent.

Nordge, Nardge, aquilonaris terra. pars est Boiariae, quae in Germania Magna. vulgus Norca vocare solet; Narisci sunt Cornelio Tacito.

Noreta sylva Germaniae Ptolomaeo, haud procul Danubio, proxima Boiemiae; ea pars Hercyniae, qua Boios et Boiemos disterminat, nomen servat; Nordbald, hoc est septentrionalis sylva, a vulgo vocatur. apud Ptolomaeum depravate Goreta legitur.

Ou diphthongus Germanis et Graecis. Saxonibus u longum valet. Superiores Germani utriusque vocalis naturam servant. Boii tanquam au proferunt, pour, pur, agricola.

Oi quoque Germanis diphthongus est; aliqui (ut Graeci), ac si i longum esset, pronunciant; alii per oe longum more Latinorum enunciant. Aliis utriusque vocalis sonus servatur, uti Oin, Oenus fluvius

5 Nören *A* 9 Noreinland *B* 13 Neumart *A et B* 22 Narca *A* 23 *Am Rande in A*: Noreia capta a Chunrado. — Ab Henrico quarto data Chünrado duci Suevorum. Tolossa 30 *Am Rande in A*: Antiqui Germani pro u latino usi ut Graeci; Chuonrad; y pro ü, u solo pro ü, y ut Graeci.

11 *I, 7 (Namm.)* 23 *Germ. 42* 24 *s. Harze.*

est et Moin, Moenus. Hanc scripturam in vetustis diplomatibus offendi. noit, adverbium negandi.

Oede, incultum desertumque; oedein, incultum facere, vastare, deserere, in solitudinem redigere. inde Odagker et Oetagker, vastator agrorum; nomen proprium et militare regum Germaniae; Oetagrius Graecis; Odacer, Odagrius, Odager Latinis.

Ost, Oust, Aust oriens est; oster, ouster, auster, orientale; o et au diphthongus sicuti apud Latinos quoque invicem caedunt: plaustrum, plostrum; Claudius, Clodius.

Osterreich, Austerreich, Ousterreich, id est orientale imperium et regnum. Austriam scriptores romani nominant, Austrasiam corrupte Celtae; inde Ostrogetae Claudiano, quos alii Ostrogotas vocant, dicti.

Outo, Oudo, Uto, Udo, cum aspiratione et sine aspiratione scriptum varie reperio; unum nomen est, a custodia deducitur, tandem Oto factus est.

Outher, custodia exercitus. Utharius atque Autharius inde factus est; rex Italiae fuit, peperit Antenorem Troianum imperitis et ambitiosis.

Outilo, Houdilo, a custodia quoque et galeola deducitur. Utilonem nuncupo ducem Boiorum.

Otinga urbs Noricorum. Utinum est, insigne veteri templo deiparae virginis.

P adfine est b, scribimus fere sine discrimine, unde Per, Pernhard, Prenner, Perg et mille huiusmodi in B quaerenda sunt.

Ph duriuscule superiores Germani efferunt, quasi pf; inferiores rectius aut tenue aut aspiratum.

Paph, pfaph sacerdos est. Paphi urbs Boiorum in ripa Ilmi amnis, Pfaffenhofen.

Paltz, Pfaltz palatium praetoriumque est. inde paltzgraph, pfaltzgraph, comes palatinus, quem veteres praefectum praetorio, legatum et candidatum caesaris nominarunt; nam fisci curam et vices caesaris absentis gerit. quaeque regio suum quondam habuit; nunc sugillata imperii maiestate nomen evanuit, officium eius paucissimis cognitum est.

Perth, equi, perther, equorum exercitus et dominu. Bertharius Latinis dicitur.

7 auster *fehlt in B* 11 corruptius *A* 20 quoque *fehlt in B*
12 *in Eutrop. II, 152* 34 *Plin. n. h. VII, 150.*

Perthrich, equorum dives. Bertharicus rex Italiae, oriundus ex Boiaria.

Phund, pund, pondo, libra; nos crassius pfund.

Phoros traiectus et vadum est; phor et phord, Germani addita d nominant ob dicendi conmoditatem.

Pyr ignis est Graecis; inferiores Germani pyrnein ardere dicunt, quod superiores transpositione literae, ut solent, prynein.

Pyrenei inde montes, quod ab incolis combusti sint, referunt Diodorus et Berosus; separant Gallias ab Hispaniis. nostri Runcivallem vocant. apud Plinium tamen, Aristotelem et Otonem nostrum, montem Noricorum (quem vulgus Prenner et Prynner vocat) Pyreneum quoque nuncupari reperio. Cassiodorus, Aribo episcopus Fruxinensis Breonum adpellant; nisi fallor, et Fortunatus pontifex Pictonum.

Pyrg castrum regiaque est; graecum et germanicum est vocabulum. Pyrgos enim turris est graece. multa inde faeminarum nomina composita: Segipyrga, Seopyrga, Litopyrga, Reginopyrga.

Plut sanguis est; Pluthylda sanguinis amor, filia Lutharii primi, regis Francorum. Celtae Plycthyldam vocant, quae visu amorem prodentem significat.

Pluthruda, uxor Pipini superioris, Grimoldi primi ducis Boiorum filia.

Rain antes sunt et litus. inde Rhaeni urbs Lycatiorum ac Boiariae in ripa Lyci. unde haud procul Lycus fluit in Danubium.

Raid, crispum, Raedobochi, crispa fagus, caenobium druidum superioris Boiariae.

Raitenhaslach, crispum coryletum, Raethasula, caenobium prope Burgusium, ubi mausolea principum nostrorum.

3 *Am Rande in A*: Phruxinum, Fruxinum a Phrygione; Phrygiostadium Nariscorum Boiorum, superius prope Noreiam, orientalium prope Linzium; Phrygii, qui et Moesi, Mosini, Mospurg 11 *Am Rande in A*: alpes Noricas, Raeticas, quatenus Danubio obumbrant, unde Danubium oriri contendunt sive Oenum 11 Pryner *A* 21 *Am Rande in A*: Boiemia a Boiis nomen habet, a Boioque Scytha et Armenio vel, ut alii, filio Herculis — Boius 1. Scythae filius, 2. Herculis, 3. Sipyli Scythae Bulgarii, de quo Diodorus Siculus *[III, 55]*, 4. tempore . . , qui et Boiorix. — Presburg corrupte, integre est Breslaburg a Vratizolao rege Venedorum, qui ad conventum amnium Vratizolaviam, maximam urbium, condidit, et ad Danubium Vratizolaoburgium, quam Romani Pisonium dixere.

9 *Diod. V, 35; Beros. 69* 10 *Plin. Pan. 14. Ar. Meteor. I, 13 Ott. Fris. Chron., M. G. Scr. XX, 254 u. öfter* 12 *Var. I, 11 Arbeo, Bischof v. Freising, Vita Corbiniani* 13 *Fortunati Op. II, 470 ed. Rom. 1786.*

Reich dives, regnum, imperium. inde pleraque nomina:

Reichardus, divitiarum sive regni thesaurus; pro divo colitur; rex fuit Anglorum;

Reicharda, augusta, uxor imperatoris Caroli tercii, albo superum inscripta est;

Reichza, id est dives. Richissa augusta, uxor imperatoris Lutharii secundi.

Regen, erigere, rigidum esse: inde Regino, quo nomine fuit historiographus Arionulpho imperante, qui de rebus gallicis et germanicis diligentissime scripsit.

Regenburg, Reginopyrga, uxor Theodonis primi, ducis Boiorum, a qua Reginoburgium urbs, quae nunc a literatoribus Ratisbona vocari solet. a Carolo Magno Reginoburgium, quemadmodum vernacula lingua Regenspurg, nuncupatur.

Regendroud, Reginodruda, uxor Theodonis tercii ducis Boiorum.

Rue, rued, quies et ocium; inde:

Rudiger, qui petit ocium et quietem; Rogerium Latini vocare solent.

Ruetprecht, qui ocium quietemque frangit; Galli Robertum, nos Rupertum nominamus;

Rudolph, quietem, pacem adiuvans. Rudolphus est Hesychus et Hesychius graecis, Tranquillus Latinis.

Sac, sagum, saccus. inde schecken, vestis militaris, qua maiores nostri pro lorica usi; Tectosaces inde dicti, populi Germaniae ac Galliae.

Sal, sala, aula est; salicus denominativum eius, id est aulicus. lex salica, terra salica, salica praedia, salici clientes, apud iureperitos Galliae atque Germaniae dicti, quod ad aulam spectent. Salii quoque Franci dicti sunt, refert Marcellinus, a duobus fluminibus, quae Franciam antiquam, hoc est, Franconiam, incunabula Francorum, irrigant; ambo Salas nuncupamus.

Sali, salig, beatus. Salingi populi Germaniae, quorum meminit Ptolomaeus, cum Boiis Vindelicum occuparunt. Salingostadium oppidum eorum, iam Neostadium adpellant; situm est in ripa Danubii,

14 Regensburg *A* 15 *Am Rande in A*: Rhincä, Rhinagä, hoc est pagus Rhenanus 16 ac *A* 25 *Am Rande in A*: Superiores Germani, iuxta Danubium primi, s aspirare solent crassiusque proferunt.

29 *Amm. XVII, 8* 33 *Ptol. 151* *Saeligenstadt, älterer Name von Neustadt a. d. D.*

abest ab Abusina, patria mea, occidentem versus quinque millia passuum.

Schala lingua germana patera est.

Se, lacus, oceanus, mare est. Selandia, regio palustris vel in salo sita. est duplex, una ad hostia Rheni exposita est, Caninefatium insulam Tacitus vocat; quondam principibus nostris, nunc Burgundiae subdita. Altera iuxta Albis hostia regi Danorum paret. Scandia a Ptolomaeo dicta.

Segi sive sige victoria est.

Sigmund, Segimund, diminute Sigel; Segimundus est Tacito; Sigillus Iustino.

Segifred, Seifrid, Segifrid, Seitz, victoriae pax. Segifridus sive victoriae gaudium, Segifredus.

Sigbrecht, victoriam adferens et victoria dignus. Segiberthus, rex Francorum.

Sigbeis, victoriae ductor. Sigovesus est Livio.

Sigbot, Seibot, Seibolt, victoriae interpres et nuncius; Segibothus est.

Sigkember, qui pro victoria pugnat; inde Sycambri et Sygambri, gentes Germaniae, ubi nunc Bestofali habitant.

Sonn est sol. Sonno inde Claudiano et Sunnia Hieronymo.

Stad, civitas, urbs; in stadium conmutatur, Neostadium, Angilostadium.

Stain, lapis; complura inde cognomina aedibus nobilitatis coniuncta sunt. Plinius Stonos, Strabo Steonos nuncupat.

Sud, sued, notus, auster, meridies; eius denominativa: Sueden, Suden, Sunder, hoc est australe, meridionale.

Sunderge, pars Boiariae cis Danubium, austrum versus, et praecipue superior Boiaria Alpibus subiecta.

Sudini, populi Danubiani, Ptolomaeo proximi Boiemiae; nomen pars Boiariae servat: Suedenge; vulgus corrupte, ut solet, Suenege nominat.

Suiones, Germaniae gens Tacito; nunc Suedi sunt.

8 *Ebendort*: Sen..(?) caput Croatiae, Crabatiae; ut Liburnia, Illyricum sit Crabatia et pars Pannoniae, ita Bosnia pars Pannoniae et Dalmatiae 11 *Ebendort*: Nicopolis, Sigenburg, Sibenpurg 32 *Ebendort*: Σίπυλος, Σόπυλος, infra Savum, vulgaris Synpold, Synbol, noster Seiphyl.

6 *H. IV, 15* 8 *156* 10 *Ann. I, 57. Bei Iust. fehlt der Name; oder meint Aventin den Scythenkönig Sagylus II, 4* 16 *V, 34* 20 *L. St. I, 241. Hier. Ep. 106* 24 *Plin. III, 134? Strab. p. 204* 29 *p. 152* 31 *Schweinachgau am oberen Regen und Ilz?* 32 *G. 44. 45.*

Suits, Suid, sudor; suitein, suidsin, sudare.

Suito sive Suido, rex et gens Germaniae, proxima Vistulae et Suionibus, quondam continua. Sidones Ptolomaeus, Sitones Tacitus adpellat Suevisque connumerat. hi Hilderico rege Francorum, seu pulsi a Venedis seu ob famem et inundationem terrarum, rege Sidone, qui et Sito, in Gallias profecti sunt, Burgundiae loca et Rheno proxima, ubi quondam Helvetii consederant, occuparunt. Suidser vernacula lingua nuncupamus nos; Saxones vero Suider et Suiter; suspicor apud Tacitum Suitones scriptum fuisse.

T adfine est d; habet et magnam communitatem cum s; ubi superiores Germani t pronunciant, Saxones s efferunt, nisi unam dixeris esse literam, nimirum th, quae a diversis varie dicatur, quemadmodum apud Graecos et Hebraeos quoque in huiusmodi fieri litera palam est studiosis eiusmodi rerum; bather, bathau, aqua, aquosum.

Tuitschen, tytschen, tuizen, tyzen est interpretari; unde Tuitscho, Tuizo, hoc est Tuisco, conditor Germanorum et Sarmatarum, quem maiores nostri uti nuncium ac interpretem deorum venerati sunt.

Theodericus, Theodopertus, Theodo, Theodomarus in d litera,
Tectosaces in s quaere.

Teuto ab innuendo dictus rex Germaniae; quem quidam Mercurium Germaniae interpretati sunt; inde Teutones dicimur.

Thessel dux Boiorum; a quo rivus Thesselpach in superiore Boiaria. quidam Thassilonem, alii Taxilonem, sunt, qui Thessolonem vocitent. ego (ut Iustinus) eum latine Thessalonum vocabo. fuit hoc quoque nomine dux, qui cum Brenno Delphos, celeberrimum templum Graeciae, oppugnavit.

Trocini a lacissendo, ita Tolistobogi a ferendis arcubus cognominati; socii Brenni et Thessaloni. in Asia sedes posuerunt, dicti Galatae, ad quos divus Paulus scripsit.

Trevir agitator est et tortor. conditor Trevirorum in Gallia.

Tunau sive Tonau Danubius est et Hister.

Tunage, hoc est terra Danubii, pagus Boiáriae proximus Danubio;

14 *Ebendort*: Thrax pro diversitate pronunciandi valet: Raetus; thräzen, räzen unum vocabulum. — tornen, tonare, irasci, unde tormo (torino?), dondert und plitz — Othmus est Mercurius — iunior Mercurius cognomine Esus 27 *Ebendort*: et dolo bellico. — trauen, traun, id est fidere, und troier, fidus 30 *In A folgt*: Τρωϋ, Τροϊ. — *Am Rande*: Hic Troiusque, Troge heros Germaniae — Mediomatricum.

3 *P. 152. Tac. G. 45* 16 *Beros. 15. Tac. G. 2* 24 *24, doch beruht Aventins Angabe auf einem Missverständniss.*

vulgus Tunca nominat. a Ptolomaeo Tunicates vocantur, licet ibi corrupte Runicates scriptum sit, populi Vindelicorum.

V consonans cum b habet adfinitatem; nam ubi b est quibusdam, ibi aliis est v consonans; supra admonui.

Varistae, populi Germaniae, in Boiemia cum Marcomanis habitarunt, quorum pars erant, dicti, quod saltus tenuerint, qui varst germana lingua dicuntur. hi gravisimum bellum imperatori M. Aurelio Antonino philosopho moverunt.

Vindelici in Boiaria superiore inferioreque habitarunt. Vindelicia enim ea regio est, quam nunc superiorem inferioremque Boiariam nominamus; ita dicta, quod sub Lyco sita sit, quam Rhetiam secundam etiam vocari compertum habeo. nec me movent aliorum insomnia; in secundo libro testimonia amplissima, quibus refragari inscitia est, citabo; iniquum est negligentiam imperitorum inveteratumque errorem diligentiae ac virtuti praescribere.

Ulsing crebrum nomen maioribus nostris. fuit hoc nomine heros Germaniae; antiquis adhuc celebratur carminibus; Ulyssem Cornelius Tacitus vocat.

Ulreich, eius diminutiva Uetz, Yl, Yel; Ulricus est; in Hylderico offendes.

Vocho nomen frequens in fastis nostris, volucris est, raro tamen in Hercynia adparens; sunt, qui se vidisse iactent; pennae eius noctu ut ignis lucent. meminit Plinius; pictam vidi. Voccionem Caesar adpellat, fuit tamen rex Noricorum. Vocciobur gium vicus et arx Danubio inminens in Boiaria superiore, olim potentissimis clara principibus.

Voeth, graecum et germanicum vocabulum, advocatus est et patronus. Graeci tamen per b scribunt: boethus.

Voethei, patrocinium; Graeci: boetheia. inde Boethi, populi Germaniae Magnae, pars olim Nariscorum atque Boiorum; nunc plerique Franciae adtribuunt. meminit quoque Ptolomaeus Boethorum circa Danubium. interpres, cum sit proprium, commune esse credidit interpretatusque est auxiliatores.

12 *Am Rande in A, vielleicht hieher zu beziehen:* liber Matthaei Marescalci de Petavio *(wohl Matthaeus Marschall von Pappenheim)* 18 *Am Rande in A:* Ylsgë, Ul, quemadmodum et Ptolemaeus; pagus et flumen et urbs Germaniae, Yls, Ylsgë, Ylsstat, nam Bathavia tripolis et caput Boiorum et Danubianorum tria habet .. nomina, Ulsbium, Boiodorum, Bathavia; ita Vienna Bendibona et Vindibona, Flavium Fabianum ....

1 *p. 158* 18 *Germ. 3* 23 *N. h. X, 132. Caes. b. G. I, 53* 26 u. 28 *Vogt, Vogtei* 30 *p. 161:* Λεγίων ἀβοηθός.

Voethlandia, hoc est terra boethorum, id est advocatorum, quemadmodum Pius secundus pontifex maximus licenter, ne dicam inepte vertit. propria enim nomina non sunt vertenda, sed literis aut aucta aut deminuta romana incude formanda sunt. ita Plinius docet, sic Hermolaus Barbarus commonet et ego apud inlustris rerum scriptores diligentius observavi.

Uta, uxor imperatoris Arionulphi caesaris augusti et filia coniunxque Theodonis quinti ducis Boiorum; a custodia deductum nomen, aspiratio omissa est.

Uther, custodia exercitus. veteres crebrius usi sunt aspiratione, nos parcius.

Utharius est rex Longobardorum, maritus Theodolindae, filiae Gariovaldae regis Boiorum.

Util, qui et Houdil, diminutivum est a custodia et galea. Utilonem Latini nuncupant; rex est et dux Boiorum.

Uto, qui et Oto; Utinum oppidum Oeno contiguum, Otinga est; maiores haec omnia aspirarunt.

Z crebrum Suevis, Boiis, Francis, valet t et s; quamobrem Cimbri et Saxones t solum efferunt, ubi superiores Germani z et scribunt et proferunt, ut bezalen, betalen, solvere. scribae germanici, tanquam solum s valeret, quemadmodum et Venedis, t fere praeponunt, ut betzalen.

Zant dens est.

Zeccen, lacessere; zecco, qui lacesit; Latini Ciconium nominant.

Conplura consulto praeterii, quae aliorum industriae conmemoranda relinquo. nam scrupulosior diligentia plaerumque offendit magis, in huiusmodi praecipue rebus, dum sibi lector praereptam gloriam putat et ingenio suo aut invidisse aut de eo male sentire existimat scriptorem ambitiosum. nunc igitur missis eiusmodi quisquiliis narrandi initium expediam.

18 *Ebendort*: zki: in hanc literam fere sua cognomina Veneti, Russi ante s *(sic)* finiunt: Morabizki, Cracobzki, Sclavinzki. — z, ibi caeteri k; korn, zorn, triticum, kaes, zäs — Alani, Ambisontii, Abisontes, Alauner, Alani, Bintzkäuer, Ambesontii, Abisontes. — s crassum atque aspiratum sh.

5 *Ermolao Barbaro aus Venedig († 1495), Humanist und Diplomat* 30 *Sall. Iug. 5, 3; Cat. 4, 5; Tac. H. I, 51.*

Cap. 1. Bavarus nomen barbarum, obscaenum inauspicatumque, semidocto vulgo protritum, recens est, nuper ab imperitis usurpari caeptum; nec latinum nec germanicum est. nusquam apud veteres, nusquam in vetustis exemplaribus, monumentis, literis, epistolis, legibus, tabulis, diplomatibus invenio, quae omnia lingua romana scripta sunt. Demum enim post Friderici secundi fata Germania suum sermonem depingere (literis latinis) didicit. Semper Baioarios, aliquando et Boiarios scriptum lego. Babariae quidem vocabulum post Carolum Magnum eiusque nepotes a privatis literatoribus (ut sunt mores eorum) additum est. etenim cum illi in ea regione, quae Anasso amni orientem versus subiecta est et nunc Austria vocari solet, tum Abaria atque Hunnia erat, ad internecionem Hunnos, quos Boii Abares cognominant, delevissent, nomen et gentem paenitus excidissent, colonias ibi Boiorum deduxerunt Boiariaeque regno coniunxerunt, ut una gens, unus ducatus posthac foret. grammaticae tum tribus ex Boiis et Abaribus vocabulum composuerunt, quod et huiuscemodi rei monumentum esset et utramque regionem uno cognomine conplecteretur; quemadmodum a Gotis et Alanis facta est Gotalania et ex Celtis et Hiberis Celtiberia. longo tamen tempore Babaria in ludo declamatorum delituit. equites patresque semper Baioaria, interim et Boiaria et scripserunt et dixerunt; pedetentim vicit pertinacia grammaticorum, Babaria paulatim irrepsit Baioariam atque Boiariam extrusit ac tandem publice recepta est, sicuti monumenta publica, privata ostendunt. Reginoburgii in templo divi Haemerani Babariae vocabulum in saxo incisum existit. Bavarus vero post imperatorem Fridericum secundum denium natus est, cuius parentes si Boios et Avares dixero, fortassis non mentiar; quos enim Boii et Graeci Abares, Romani Avares vocant, id forte sero a grammatistis animadversum est. eo nomine proavos nostros, tanquam infausto omine ignominiaeque nota, quae et in proverbium cesserit (b nimirum Avaro additum emptum a Boiis esse) abstinuisse compertum habeo.

Quod autem Boiarii apud maiores nostros Norici etiam cognominentur, non ideo fit, quod Boiarii sint Norici, sed quod Noricum pulsis Romanis (sicuti in tercio narrabimus libro) occuparint atque possideant. nam omnes gentes in Norico habitantes, Austriaci, Stirii, (quorum caput Graecium Boiorum cognominatur) Chariones, Tirolii, Boiarii sunt, ab ipsis originem ducunt; unus olim principatus unumque regnum fuit; pars Norici adhuc Boiaria cognominatur. Burgusium,

Tranostoni, Richalii, Brundunum, Scharodunum, Utinum, urbes et gentes Norici, nostris parent principibus. Cuphostonos, Ratoburgium, Chizopicholos imperator Maximilianus mea memoria abstulit Boiorum ducibus Tiroliisque addixit.

Quamvis omnia mihi ex publicis instrumentis exploratissima sint, tamen et operae praecium est aliorum prius audire de Boiariis sententiam. Raemundus Lollius (quem divinitus omne ius humanum divinumque hausisse fama proditum est), Pius secundus pontifex maximus, Raemundus Marianus, Chunradus Celtis praeceptor meus et plaerique, omnes nostrae tempestatis viri eruditi, harum rerum curiosi perscrutatores, eos Boios esse autumant, quos vulgus literatorum Bavaros vocitat. Vitum quoque Areopagum (ut domestica adferam testimonia) horum sententiae esse video; servatur in bibliotheca Fruxinensium pontificum. itidem Tigurinorum venerandae vetustatis codex literis Romanis scriptus, in quo inter caeteros heroas christianos est vita divi Eustasii, sub Luthario Magno Francorum rege scripta; ibi haec ad verbum leguntur: ad Boios, qui nunc Boiarii vocantur, tetendit. Vigileus pontifex Bathaviensis vetus mihi exhibuit diploma, ubi Boiaria scriptum est. exemplar subieci: Henricus Dei gratia dux Boiariae. quemadmodum Chunradus pontifex Bathavensis, germanus noster, deprecatus fuerat, ab curatione templi divi Hippolyti Albertum cognatum amoveo abdicoque, in celebri loco Anassi, cuius rei testimonium hoc diploma esto. in rebus gestis imperatoris Henrici quarti, ducis vero Boiorum septimi, quae carmine heroico perscriptae, venales circumferuntur, hi versus sunt in libro secundo:

Agmina Vangionum cum robore Boiariorum.
Item: Pauci Francorum, pars plurima Boiariorum.

1 *Randbemerkung in A*: Chimini 4 *Randbemerkungen in A:* dominum Volphogangem Menosaeos pontifici Iuvavensi oppignoravit. — Omnia monasteria (*darüber*: infra 34) et conlegia, episcopi, monachi, sacerdotes Boiariae vineas, praedia, vicos, castella, oppida in Austria et praefectura Tyrolensi, in Stiria, apud Carnos etiam nostro aevo possident, quae ipsis condonavere Boiorum principes 8 *Am Rande in A*: Ioannes Campanus episcopus Aprutinus ad palatinum Rheni 26 *Am Rande in A*: Marianus Scotus.

12 *Veit Arnpeck bei Pez, Thes. III, c, 23. 26* 17 *Vita Eustasii auctore Iona; Acta Sanctor. Boll. Mart. III, 787* 18 *Wigileus Fröschl von Marzoll, Bischof von Passau 1500—1516* 19 *Herzog Heinrich XI. von Baiern, der Babenberger (1143—1156), dessen Bruder Konrad von 1148—1164 den Passauer Bischofsstuhl inne hatte. Die erwähnte Urk. s. Mon. Boic. XXVIII, b, 228; v. Meiller, Babenberger Regesten, S. 35, Nr. 22* 25 *Poeta de bello Saxonico (ed. Waitz, Abhdlg. d. Götting. Ges. d. W. 1870, XV; III, 65 flgd.).*

BSB

In libro tercio:

Signa ducis sequitur gens inclyta Boiariorum,
Quam toties domitis celebrat victoria Parthis
Et nunquam violata fides, bellisque probata
Virtus Boiemicis multisque superba triumphis.

Germanicum quoque ac vernaculum nomen longe magis adfine est Boiis quam Bavaris. nam ut Romanus nobis est Römer, Brennus Brenner, Venetus Venedier, Ungrus Unger, Bergus apud Plinium Berger, Vandalus Bandler, Steirius Steirer, et mille huiusmodi iuxta idioma et proprietatem sermonis nostri us in er inversa: ita Boius Boier sit, necesse est; ex quo quam facillime fit Baier, una dumtaxat literula (uti fit crebro apud nos) voluptatis aurium gratia inmutata. quin agricolae vel hodie Boier dicunt. supra docuimus rusticis nostris o esse, ubi urbanis a est. quos itaque vulgus literatorum Bavaros, nostri scriptores Baioarios et Boiarios, prisci Graeci et Latini Boios adpellare solent. eorum situm paucis quam verissime explicabo.

Cap. 2. Boiaria est omnis divisa in tres partes, quarum unam incolunt Narisci, qui indigenae sunt, aliam quondam obtinuerunt Vindelici, terciam Norici, quemadmodum in secundo libro pluribus explicabo. Nariscos a caeteris Danubius dividit; imperatores et reges nostri horum regionem Nordge et Nardge nuncupare solent, quod aquiloni subiecta sit, nam Nordge aquilonis terra valet; quemadmodum in diplomatibus et instrumentis Boiariae pars contraria, cis Danubium, meridiem versus, Sunderge, hoc est meridionalis terra cognominatur. illam superiorem Narca vulgus diminute suo iure adpellat; unde a Cornelio Tacito latine Narisci dicti sunt; in multas civitates divisi. capita populorum nominasse sufficiat. Alemanos, Nariscos proprie dictos, Boethos, Chamabos, Sudinos, Ilissios; horum omnium meminit Ptolomaeus in descriptione Germaniae septentrionalis. nomina retinent flumina memoratu digna, quae in Danubium feruntur: Alemanus Chelamis, Nabus supra Reginoburgium, Rhenus infra, Ilissus Bathaviae; unionum, gemmarum, aureorum granorum feraces sunt. in Moenum influit Babobergami Rhedonessus. urbes liberae et imperatoriae: Visseburgium, Noreioberga; pontificiae: Aechostadium, Babobergomum. nostrorum principum sunt Angilostadium, ubi coetus studia aemulantium, Theodo-

6 *Am Rande in A sind viele weitere Beispiele verzeichnet.* Germani *B* 9 inverso *A u. B* 31 umonum *A* 33 Vyseburgium *A* 34 Echostadium *B*

8 *s. Nomencl. u. Berger* 20 *Caes. b. G. I, 1* 27 *Tac. G. 42. 43. Plin. III, 133* 28 *S. Nom. u. Voethei* 29 *p. 152 Elisios Tac. G. 43 (?).*

phoros, Chelami, suburbanum oppidum Reginoburgii, quam Ripariam a vulgo literatorum reperio vocari, Tectodoriphi, Graphunum, Phoros, maiorem tamen partem praefectus praetorio Rheni, ut dux Boiorum, possidet. caeterum et Noreiobergensibus eorumque praefecto plaeraque oppida parent. hunc totum tractum a scriptoribus nostris cognominari uno nomine Boiariam veterem et Franciae compertum habeo. eorum una pars, quam Noricos obtinuisse dictum est, initium capit a flumine Oeno, vergit ad orientem et austrum; attingit illinc Ugros, hinc Italiam. haec in multos dissecta est regulos. urbes in Alpibus Transnostoni, Richalii, ubi salis fontes sunt; iuxta Oenum Brundunum, Scharodunum; in ripa Iuvavi Burgusium oppidum, arx Boiariae munitissima, Chimensis, maximus Noricorum lacus, in ambitu millia passuum quadraginta conplectens; sub imperio nostrorum sunt principum. pontifices habet conplures: Iuvavensem archimysten opulentissimum; Sebonensem, qui est Brixinensis; Chimensem, Laventinum, Secoviensem, Guricensem, Faviensem, qui et Viennensis dicitur.

Gentes valentissimae, quae suos tetrarchas habent, Austriaci, Stirii, Chariones, Tirolii, qui omnes lingua, institutis, moribus, genere Boii sunt, sicuti omnia instrumenta vetera, privata et publica testantur. Adferam tamen et externum locupletissimumque testem. Paulus Varnefridus Ticinensis, domesticus sacerdos Desiderii regis Italiae et imperatoris Caroli Magni, scribit in libro tercio historiae Longobardae: Noricorum provinciam inhabitare Baioariorum populum habereque ab occidente Sueviam, a septentrione Danubium, ab oriente Pannoniam, a meridie Italiam. unus nimirum quondam princeps Boiorum (quem Graeci monarchen vocant) sicuti uni genti imperitavit. sed in tercio et sequentibus libris res ipsa magis manifesta erit.

Vindelicia, unde mihi origo est, tota principibus nostris paret, continetur fluminibus altissimis, Lyco, Danubio, Isara, Oeno necnon et Alpibus, quas Ptolomaeus Penninas, nos Boias nominamus. hanc potissimum describam.

Lycus oritur ex Rhetis Graiisque Alpibus, in sylva Brigantina et monte Tanobergo, haud procul a vetusto oppido Brigantio, ubi extra Alpes se evolvit campum per latissimum, millia passuum nonaginta exspaciatur; campo ab eo cognomen inditum est, ubi Germania pugnatura copias fere cogit. disterminat Rhetos a Vindelicis, alluit oppida Rhetorum, Fauces sive Abuziacum, divi Magni sepulchro insigne,

10 Tranostoni *A* D(Au.) *r*.

9 *Caes. a. a. O* 18 *Caes. b. G. I, 1. Tac. G. 28* 22 *Pauli hist. Langob. III, 30; Mon. Germ. p. 109* 30 *p. 157. 171.*

Schongiam (quae tamen Boiorum est), Augustam, Rhetiae provinciae splendidissimam (sicuti ait Tacitus) coloniam. Vindelicorum vero Landobergamum, Fridobergamum, Rhaenos, a quibus non longius millibus passuum tribus Danubio miscetur.

Oenus (quem Strabo Athesinum vocat) apud Rhetos Engadinos effusus ex inaccessa praecipitique valle altissimi montis, quem adcolae Vennonis, rerum scriptores Penninum cognominant, millibus passuum fere septuaginta, magno strepitu aquarum, spumans et minabundus per subiecta cadit saxa, impatiens omnis navigii. rivi conplures in eum de celsissimis montium verticibus utrinque praecipitantur. incolae superiorem vallem Oeni nuncupant. separat Noricos Tirolios dictos a Rhetis, quos Engadinos vulgo nuncupamus. deinde circa urbem Noricorum Oenobrigam navigabilis placidiorque; fertur tamen intra Alpes adhuc millibus passuum pene quinquaginta. consuetudo vallem Oeni inferiorem appellat. praeterfluit oppida Noricorum: Halios, ubi sal coquitur, Sevates, Ratoburgium (ibi metalla argenti sunt), Cuphostonos. inde non longe Alpes velut cornua in duo iuga distenduntur, pars ad orientem, pars in occidentem. austrum versus ingenti flexu curvatur atque surgit. hinc Oenus per plana diffusus labitur, millibus passuum non minus centies tricies, circumiacentes campos rigat et faecundat. Vindelicos a Noricis dividit; Bathaviae in Danubium erumpit.

Isara amnis rapidus inter hos medius incedit, profluit ex saltu Schiratio (qui est in gremio Alpium Penninarum) ab alveo Oeni non amplius millibus passuum quindecim, ratium patiens; conplures arces, urbes, vicos Vindelicorum alluit. infra Tectodoryphos cum Danubio miscetur, ubi millia passuum centum quinquaginta cursu suo complevit; quae etiam ab hostiis Lyci ad hostia Oeni Vindeliciae longitudo est; quam nostra tempestate in superiorem inferioremque dividimus Boiariam.

Superior subdita est Alpibus austroque; quamobrem Sunderge, hoc est, meridionalis terra in diplomatibus edictisque imperatorum nostrorum proprie dicitur. impedita crebris paludibus, lacubus ingentibus, fluminibus rapidis, sylvis aspectu horridis; praeter ursos, apros, caeteras huiusmodi feras, centenarios cervorum alit greges, quos absque consensu principis venari crimen est. pecuariis pecoribusque pascendis magis idonea est. pomiferarum arborum faecunda; trimestris duntaxat frumenti, non tamen omnis, maxime ferax; rarius habitatur. lacus, qui nominantur Staphelinus, Cochilius, Valensis, Tigurinus,

27 etiam *fehlt in B* 31 proprie *fehlt in B*

2 *Germ. 41* 5 *p. 207.*

Sifurnus; Ambro et Verres omnium maximi; hic optimis abundat piscibus, longitudine millia passuum quindecim, latitudine quinque conprehendit; alter in longum mille passus decies, in latum ter patet. Amnes partim Oeno, partim Isarae, pars Danubio miscetur. erumpunt in Danubium Barius, Ilmus, Apsus; cum Isara confluunt Libusa, per Cochiliensem lacum delatus, Mosa Fruxini, Ambro, lacui, per quem fertur, dans nomen; in hunc defluunt Verres, ex eiusdem nominis lacu effusus, et Gelonus. in Oenum fluit Magnovalda, ex Tigurino lacu profluens. Urbes iuxta Lycum supra dictae sunt. in Ambronis ripa cubat Baelaunorum oppidum vetustissimum, quo tractu fertilissima est superior Boiaria. Barius alluit Aecham, Schirobusium, Ilmus Paphos, Apsus vero Abusinam, patriam meam, cuius meminit imperator Antoninus in itinerario. urbes in Danubii ripa sitae Neoburgium. et Neostadium, olim Salingostadium dictum, patria Augustini Coloni, a secretis principum nostrorum et eorum epistolarum magistri. Isara interfluit Monachium, splendidissimam praeclarissimamque urbium, quae caesari non parent, tribus alveis; deinde Fruxinum adlabitur, id episcopo paret suo. iuxta Oenum sunt Rosenami et Bathavoburgium, Mylodoryphi, pontificis Iuvavensis municipium. uti superiorem Boiariam absolvi, ita inferiorem describam.

Boiaria inferior fertilior est, crebrius frequentiusque habitatur, propter Danubium, Isaram, Lavarum amnes vitium ferax. flumina in Danubium Lavarus, Vilsus, in Isaram Seno, in Oenum Iseniscus et Rhodanus defluunt, a quibus pagis tribubusque cognomina adcolae fecerunt. urbes prope Danubium: Reginoburgium, caput Boiorum, caesari paret, pastophorio quoque episcopi insigne est, Strubii, Austravia, Vilsovia, ubi hostia Vilsi, unde nomen urbi. Bathaviae pontifex imperat. in Senonis ripa est Ariodunum. Isarae contermina oppida sunt Mosoburgium, Landesuta, praetorium principum nostrorum, Landunum, Dingulofinis. Terra in universum satis ferax, sale, frumento, pecore, piscibus, sylvis, volucribus, pascuis, feris, in summa omnibus, quae ad victum, cultum et usum vitae spectant, satis superque abundat. distrahuntur divenduntur que in alienas regiones et deferuntur sal, pecudes, frumenta; vina aliunde convehuntur, ex Italia, Histria, Rhetia, de Rheno, Nigro, Francia, Pannonia prima. nusquam melius victitatur, nusquam mollius cubatur, id quod et vulgatissimo nobilitatum est proverbio.

Venti Subsolanus et Favonius crebrius spirant, aedificando ut noxii observantur. ille Boiariae serenus et tranquillus nubes et pluvias

13 Antonius *B* 18 Rosenami sunt *B* 39 vitantur, observantur *A*

13 *p. 117 Parth.*

compescit; hic frigidus, humidus et nubilus hiemat. dies longissimus septemdecim fere horarum aequinoctialium, brevissimus octo.

Populi religiosi, simplices; agri, pecoris magis quam belli cultores; Bacho et liberis operam dant. inhumaniores paulo, proterviores atque pertinaciores sunt, propterea quod domi considunt ac consenescunt, raro natale solum relinquunt. mercaturae non multum dediti minimeque ad eos sepe mercatores conmeant. in omni autem Boiaria eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera sunt tria, nam plaebs in agris degit, agriculturae pecuariaeque vacat, quae per se nihil audet et nulli adhibetur consilio; haud tamen servorum habetur numero. nec enim in hanc eadem omnia sunt iura, quae dominis in servos; partem redituum fructuumve ac servitutem rusticam patronis debet; alioquin sui iuris, suae spontis; totos dies, praecipue festos, noctesque continuare potando, saltationibus lascivire, arma, ensem, venabulum ferre, effusissime indulgere dapibus in dedicationibus templorum et epulo nuptiali nulli fraudi, nulli probrum est. sed de his tribus generibus unum est sacerdotum sive mystarum, qui in conlegia cooptantur, alterum equitum, tercium civitatium. sacerdotes locupletissima magnificaque possident templa, superiores opibus censentur; interdiu noctuque per statas horas rebus divinis, propiciandae supremae maiestatis gratia, a principibus institutis intersunt laudesque superum perstrepunt. equites venatibus, aucupiis aetatem transsigunt; in agris, ruri, extra urbis habitant. cives rempublicam ipsi oppidaque sua curant, aut artifices aut caupones agricolaeve sunt; plaerique ad usum vitae necessaria venditant; tenuiores operas suas locant. paucissimi suis vectigalibus contenti in patriciorum sunt numero. principes de omnibus rebus reliquis consultant, omnia apud principes pertractantur, nisi quando aut bellum ineundum, vectigal novum pendendum censusve agendus sit aut denique discordes fuerint principes. quod si huiusmodi res sive aliud inconsuetum inciderit, omnes hi iussi et vocati die locoque praescripto coeunt atque conveniunt: equitum singuli; ex quaque civitate unus vel bini; conlegia sacerdotum eum, qui caeteris praeest, mittunt. in iisdem conciliis ex ordinibus, ut numerus placuit, eliguntur, penes quos est arbitrium decernendi. de Boiaria Vindeliciae et eius urbibus ac incolis ad necessitatem rei satis dictum est; nunc, uti res postulat, originem gentis quam paucissimis aperiam.

3 reliosi *B*

7 *Caes. b. G. I, 1* 12 *Caes. VI, 13* 16 *Tac. G. 22* 18 *Caes. VI, 13* 31 *Tac. G. 11.*

Cap. 3. Boiorum gentem (sicuti ego in annalibus et bibliothecis Boiariae publicis reperio) condidit Alemanus Herculeś, undecimus rex Germaniae Magnae, quem maiores nostri caelesti nomenclaturae adscripserunt belloque praefecerunt et primum omnium virorum fortium ituri in praelia cecinerunt. eius aereum signum in Richavia coenobio Suevorum hactenus servatum Ioannes Stabius historiographus iussu imperatoris Maximiliani caesaris augusti nostra aetate transtulit Tirolios; regia est Noricorum in ripa Athesis. manent adhuc in Boiaria vicus et arx Alemanostoni, pagus et flumen Alemanus, cuius accolae se vetustissimos Boiorum praedicant, quemadmodum et vetusta diplomata ostendunt, quae mihi legenda exhibuit Gabriel pontifex Aechostadensis, episcoporum Germaniae doctissimus. est etiam proxime Reginoburgium, Boiorum caput, mons sylvaque Danubio inminens cognomine Hercules. res ipsa hortari videtur (quoniam de Germania tempus admonuit) supra repetere ac paucis situm exponere, nationes adtingere, rem omnem a prima origine disserere, quo ad cognoscendum omnia inlustria magis magisque in aperto sint.

Iam primum omnium satis constat inter omnesque convenit (etenim communis est animi sententia et consensus gentium) illud, quicquid est, summum, quod deum vocamus, omnia posse, esse unum, optimum, maximum, inmensum, aeternum, infinitum; nulli denique alii quam sibi satis notum; cuius vim et maiestatem neque mente concipere nec verbis enarrare quisquam possit, quia neque tantae intelligentiae lucem pectus humanum, neque explanationem tantae magnitudinis capit lingua mortalis. proinde is certissime deum noscit (quemadmodum a sapientibus pro confesso et indubitato semper habitum est), qui certissima conprobaverit ratione fieri non posse, ut deus intelligentia conpraehendatur. quem mundum hunc et totam molem istam de nihilo in ornamentum maiestatis suae fecisse et propter hominem machinatum esse et ipsum propter se tanquam divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque caelestium, atque universa sua potestate et providentia et gubernare et administrare (explosa iam pridem falsa philosophorum de perpetuitate mundi opinione), receptum est; sacrae literae docent; poetae fatentur; id quoque in arcanis sanctae religionis

13 que *fehlt in B* 26 semper *fehlt in B* 27 conprobarit *B*

5 *Tac. G. 3. Beros. 82* 10 *In seinen kürzeren Annal. ducum Bavar. beruft sich A. für die Angabe, dass die Baiern zuerst um die Altmühl gewohnt, auf die von ihm in Mondsee gefundenen bairischen Annalen. Excerpte aus diesen s. in seinen Adversarien, I, 6 flgd.* 14 *Erkloh bei Regensburg* 17 *Sall. Cat. 5, 9. Iug. 5, 3. 17, 1* 20 *Plin. n. h. II, 20. 27* 22 *Lactant. Inst. I, 8* 23 *Ebend. I, 8* 24 *Eb. I, 3* 29 *Tertull. Ap. p. 97 Oehler* 31 *Lact. de ira dei 14, 1* 32 *Lact. J. I, 8.*

scripturis proditum est, deum optimum maximum sibi innumerabiles procreasse ministros, quos Graeci daemonas et angelos, Romani genios, lares, nuncios vocare solent. horum pars suapte arrogantia suopte livore, tanquam veneno infecta, ex bono ad malum transcendit, sua sponte corrupta, corruptior gens daemonum evasit, condemnata a deo cum generis authoribus et eorum principe. huius generis mali princeps, qui ex bono malus per se effectus est, ab Hebraeis sathanas, a Graecis antitheos cognominatur, tanquam hostis publicus dei et hominum. nuncupatur et graece diabolus, latine criminator, quod crimina, in quae ipse inlicit, ad deum deferat. de his in hymnis ita scripsimus:

Coeli perfidus est transfuga Iuppiter, | Desertrix superum est prava deum cohors, | Nocturni Lemures sunt, | Pulsum et vulgus iners polo | De coelo pepulit vana protervitas, | Praedonum furias atque superbia. | Authores scelerumque, | Nunc mortalibus inminent, | Humanum capiunt mille modis genus, | Tendunt mille plagas, mille nocent modis, | Vanis pectora inescant, | Falsa capta cupidine.

Sunt nempe hi fallacissimi nequissimique spiritus, supremae et venerandae illius maiestatis carnifices, per quos et impii mulctantur et mali puniuntur homines, (quibus caelum, unde ipsi pulsi invident). per horum saevitiam quoque innocentes assidua vexatione ad virtutem exercentur, ut invicta patientia purae ac victrices animae ad deum, id est, originem suam revertantur et de illis ut hostibus, defunctae hac terrestri militia, perpetuo triumphent. nam et victoria constare sine certamine non potest; sic nec virtus quidem ipsa sine hoste. torpens enim ocio et securitate perdit naturam suam; nulla virtus sit necesse est, si adversarius desit. verum de horum praestigiis praeclare scripsit divus Cyprianus Magus ex Antiochia oriundus, non ille Carthaginiensis episcopus, vir eloquentissimus.

Consumato (ad ordinem susceptae materiae redimus) mundo rebusque omnibus mirabili dispositione compositis, ut usui hominibus (quorum causa facta sunt omnia) esse possent, supremus illi opifex rerum ex limo terrae postremo figuravit hominem, quem inmortalitate donaret. poetae hoc in fabulam Promethei transferunt. nemo mihi vitio det, quod poetarum utar testimoniis, cum divus Paulus, eloquentiae chri-

2 *Eb. IV, 6* *Eb. I, 7* 3 *Eb. I, 7* 4 *Eb. II, 8* 6 *Tertull. Ap. p. 136* 7 *Eb. 135, 1* 9 *Lact. Inst. II, 8* 11 *Das flgd. Gedicht Aventins scheint nur hier erhalten zu sein, vergl. Wiedemann, Turmair, S. 109* 27 *Lact. J. III, 29* 28 *Brev. Rom. d. 26. Sept. Liguori, Die Siege der Martyrer; deutsch von M. A. Hugues, Reg. 1843, S. 241* 31 *Lact. J. II, 10* 32 *Eb. II, 8* 33 *Eb. II, 10* 35 *Tit. I, 12.*

stianae princeps, poetas prophetas vocet, eorum testimonia et contra prophanos et instituendis episcopis usurpet. homo itaque recens factus inductus est in hunc mundum, quasi in domum paratam et instructam. cumque supremum numen marem primum finxisset, tum etiam faeminam configuravit, ut duo inter se permixti sexus propagare sobolem possent et omnem terram multitudine opplere. posthac deus hominem, qua dixi ratione genitum, posuit in paradiso, id est, in horto faecundissimo et amaenissimo, quem in partibus orientis omni genere ligni arborumque consevit, ut ex earum variis fructibus aleretur expersque omnium laborum deo patri summa devotione serviret. tum dedit ei certa mandata, quae si observasset, immortalis maneret, si transcendisset, morte adficeretur. id autem praeceptum quidem fuit, ut ex arbore una, quae fuerat in medio paradisi. non gustaret. tum criminator ille invidens operibus dei omnes fallacias et calliditates ad decipiendum hominem intendit, ut ei adimeret inmortalitatem. et primo mulierem dolo inlexit, ut vetitum cibum sumeret, et per eam ipsi quoque viro persuasit, ut transcenderet dei legem. quod posteaquam ausus est, ilico paenas dedit. nam quia deo patri non paruit, ne ipse quidem sibi imperare potuit, sensit enim illico turbam adfectuum pugnare cum ratione. quamobrem pudere eum nuditatis suae caepit absconditque se a facie dei, quod antea non solebat. tum deus eiecit hominem de paradiso, sententia in peccatores lata, ut victum sibi labore conquirerent. ipsumque paradisum igni circumvallavit, ne homo posset accedere, qui perdita inmortalitate morti obnoxius esse caepit et variis tempestatum procellis iactari.

Macies et nova febrium | Terris incubuit cohors | Semotique prius tarda necessitas | Leti corripuit gradum.

Postea autem cum hominum numerus cepisset increscere et orbis terrae oppletus esset hominibus, invaluere simul et scelera, simul cum hominum numero crevere vicia.

Erat tum in Syria Damascena circa montem Libanum urbs maxima nomine Enos, quam Gigantes tenebant, qui universo imperitabant orbi, inmani corporum magnitudine, contemptu religionis superumque insignes. nihil pensi habebant, omnia voluptate et crudelitate metiebantur. violentis ius omne in viribus atque armis erat; freti robore

32 Gygantes *A*

6 *Lact. J. II, 12* 13 *Eb. 15. 16* 17 *Eb. 17. 18* 23 *Lact. J. II, 12. 18. 19* 26 *Horat. 1, 3* 30 *Vgl. Gen. 6* 31 *Das flgd. nach dem sogenannten Berosus, einer Fälschung des Dominikaners Joh. Annius von Viterbo: Berosi sacerdotis Chaldaei Antiquitat. Italiae ac totius orbis, Wittebergae 1612, fol. 6.*

et corporis vastitate, alios opprimebant ac spoliabant; privatim ac publice aliena invadebant, rapiebant, consumebant; caedis atque sanguinis avidissimis gratissimus cibus homines erant. abortus medicaminibus procurabant, a quibus ne dentibus quidem abstinebant. luxu perditi, pecudes hominesque citra ullam sanguinis aut sexus rationem, quo libido ferebat, inibant. tum plaerique omnes, quibus aequum et bonum cordi erat, crimina huiusmodi detestabantur, flagitia arguebant, scaelera palam carpebant, inminens toti orbi exitium praecinebant laterculisque coctilibus inprimebant. sed surdis canebatur crabronesque irritabantur. immo in dies magis atque magis malitia gliscebat. ipsi enim huiusmodi minas tanquam aniles nenias, inania insanorum vatum terriculamenta commentaque irridebant, magis in vicia vetitumque praecipites ibant et ruebant nec a vi temperassent, si non suprema illa maiestas suos vates praesenti ope servasset.

Cum ergo deus pater indulgentissimus cuncta frustra tentasset vulnusque inmedicabile esse videret, ne latius ulcus ac lues huiusmodi serperet neve impii scelus sceleri addentes peius sibi consulerent, statuit morbum ad vivum resecare genusque humanum aquis perdere. sed tamen ad multitudinem reparandam delegit unum, quod corruptis omnibus singulare iustitiae supererat in Syria exemplum. qui centesimo vigesimo ante diluvium anno iussu dei navim in modum arcae fabricare cepit. materiae cedendae convehendaeque quadraginta duos impendit annos, reliquos vero septuaginta octo opus, irridentibus atque inludentibus cunctis, confecit; in quod ipse (sicut ei praeceperat deus) cum coniuge ac tribus filiis et cum totidem nuribus intravit occlusitque hostium anno ab orbe condito milesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto. porro impios solita licentia furentes nec quicquam tale suspicantes nihilque minus timentes aequor et amnes caelesti ira aucti corripuerunt, inluvies aquarum obrutas terras tenuit, omnes terrae mersae profundo, unda universos altissimos montes operuit. quicquid extra navim erat, extinctum est. ita expiatus lustratusque est orbis terrarum. hanc rem poetae mysterio Deucalionis velarunt. subsidentibus deinde aquis paulatim, navis ipsa recubuit in vertice Gordei montis maioris Armaeniae, siccatoque orbe egressus Noas (ita enim ille vocabatur) deo sacrificavit et litavit. urbem inde Sagalbinam (cuius Ptolomaeus quoque meminit) iuxta Araxim amnem maioris Ar-

9 que *fehlt in B*

10 *Verg. Ecl. 10, 8. Plaut. Amph. 707* 12 *Beros. 8* 15 *Lact. J. I, 1, 15* 18 *Vergl. Ovid. Met. I, 188—91. 260. VIII, 484. Lact. J. II, 13, 1* 20 *Lact. a. a. O. vgl. Beros. 8* 34 *Beros 9* *Lact. a. a. O. 4* 36 *p. 358.*

BSB

meniae condit, ubi cum filiis habitare cepit. incredibile memoratu est, quam brevi numerus hominum increverit, ut eam multitudinem una regio ferre non posset, favore quippe singulari numinis supremi, benignitate quoque recentis, necdum effaetae languescentisque naturae. gemini semper frater et soror coniuges uno partu edebantur et nemo omnium interim morte absumebatur. accedebat longinquitas aut spacium vitae longissimum mundo dum adolescente. nam ante diluvium universum orbem terrarum omnesque eius partes hominibus oppletas, habitatas cognominaque sortitas esse, quae Noa servavit, in tanto aevi spacio et adolescente adhuc mundo, certum est, cum post diluvium, senescente iam rerum natura in centum annis tantulo annorum spacio, refertus fuerit coloniis.

Cum itaque Armenia oppleta esset hominibus, anno centesimo primo (id, quod et Moses tradit, si diligentius consulueris: hoc anno Peleg natus est Ebro) posteaquam genus humanum in Armenia repa-ratum fuit, divisit ipse Noas terram, servatis antiquis nominibus (uti ante inluviem fuerat aquarum) in partes tres: Asiam, Europam, Aphricam, et has filiis, vectus navi circum litora, ostendit, in regna dispartitur, principes et colonos designat atque conscribit. decimo deinde anno reversus in Armeniam, Tuisconis (quem in Armenia genuerat) posteros adoptat, omen haud dubie Italiae orbisque potiundi. ipsum inde ex Armenia in Europam mittere constituit et parat. quicquid intra Rhenum et Tanaim amnes continetur, eidem adsignat. Authores rerum Germaniam vocant, cuius situm ac gentes, ut nunc sunt et ut pollicitus sum, pro necessitate rei expediam.

Cap. 4. Germania terrarum Europae maxima et pluribus distincta nominibus; nam et Scythia Getarumque regio, qua contingit Pontum, vocabatur; ultra Vistulam orientem versus Sarmatia; citra vero et Galatia et Gallia et Celtica; eadem etiam nunc Alemania, Francia et Teutonia. separatur a Gallia Narbonensi Celtisque sive Gallia Lugdunensi (quam Franconrich, hoc est Francorum imperium Germani adpellant) Alpibus divi Quintini, Rhemorum agro et Campania, montibus Vosego et Iura, fontibus Matronae, Araris, Rhodani fluminum. disterminatur ab Italia Verbano, Lario, Benaco lacubus maximis, agro Veronensi et Aquileiensi. a Turcis Sao et Danubio fluminibus altissimis, ab Moschis Asiaque Tanai amne submovetur. caetera Oceanus

36 Massagetis *am Rande in A*

1 *Beros. 12* 5 *eb. 23* 14 *Gen. 10, 25. Beros. 25* 23 *Vgl. Ber. 15. 23. 27. 28. 30. (Gen. 11, 18)* 27 *Plin. n. h. V, 66.*

ambit, latos sinus, insularum peninsularumque inmensa spacia incom pertae magnitudinis complectens.

Amnes in alias gentium exeuntium (ait Mela) Danubius et Rhodanus; in oceanum defluunt (refert Plinius) Amisius (Ptolomaeus Amasum, Tacitus Amasiam vocat), Visurgis, Albis, Vistula, clarissimi; Rhenus, Mosa, Gutallus, qui et Suevus et Odera.

Germanorum genera sunt quatuor, Teutones, Venedi, Cimbri, Ugri. hi omnes lingua, institutis, legibus, religione, moribus differunt. Pictos, Hannonios, Luthareos, Burgundionas, Allobrogas, Sabaudienses inter Germanos ne numeraverim, ambigo; medii sunt inter Celtarum Germanorumque imperia; germanis parent imperatoribus, primi semper in discordia, cuius utrinque cura.

Teutones a Celtis Alemani, a Venedis Nomades ac Nemetes a iaculando nominantur, ab Ugris Scythulae sive Scythae, hoc est, casei ac lactis voraces, quos Graeci Tyrophagos et Galactophagos nuncupant. alii in superiores inferioresque dividunt. cum reliquis omnibus mixtim habitant, ut ambiguum sit, quibusnam adscribas; maximam partem Germaniae, Galliarum non parvam, Rhetias, Vindelicum, Noricum, non solum tenent, sed etiam implent. eorum partes sunt Nervii, Flandri, Aduatici, Brabantini, Menapii, Geldrenses, Bathavi, Holandi, Caninefates, Selandi, Frisii, Saxones, a quibus originem ducunt Picti, Anglii, Scoti, qui Britaniam incolunt, Pomerii, Mechaloburgii, Brandeburgenses, Teutones olim proprie dicti; Borusci, Gotones et Gutones, Levonii sive Hilleviones sacratis Teutonum parent equitibus. ducatuum haec nomina sunt: Tungri, Agrippinenses, Eburones, ducatus Limburgensis, Iuliacensis, Clivensis, Sycambri, Bestovali. praefectura praetoriana Rheni in conplures disecta principes: Treveri, Vestria, Mediomatrices, Mogontini, Vangiones, Borbetomagus, Nemetum Augusta, Spira, Augusta Romandorum, Lucilloburgium, Basileia Augusta Rauricum, Tribochi, Elisatii, Argentoratum Strassoburgium Argentuaria, Colmaria, Suitones, quos Aedognotes, id est confoederatos vocamus, Sibeburgenses, Gepidae in veteri Dacia,. Silesii, Lusatii; hi tamen ut plaerique alii Venedis adscribi possunt; bilingues enim sunt. Lusatiorum terram quondam Suevi Senones tenuerunt. Austriaci, Norici, Stirii, Chariones, Carni utranque, Venedam et Teutonam norunt linguam. Tirolii, Vindelici, Boii, Rheti, Suevi, Engadini, Curii, Franci, Chatti, Hessi, Bochi, Turogi,

1 latus *A u. B*

2 *Tac. G. 1; Plin. n. h. IV, 96* 3 *III, 30 Fr.* 4 *Plin. VIII, 24* *Pt. p. 148* (Ἀμασίου) 5 *Tac. A. I, 60 u. ö* 8 *Caes. b. G. I, 1* 10 *Tac. G. 29* 12 *Plin. n. h. V, 88* 19 *Tac. G. 35.*

Moesii Venedi nostro sermone, suo sunt Sclavi; bilingues fere sunt, in multarum gentium capita divisi. nam et Dalmatiam, Lyburniam, Illyricum, Pannoniae, Noricique partem, Iustiniano primo imperante, transsito Danubio occuparunt, sicut ibi adhuc Sclavonia nominatur. Valentissimas nationes nominasse satis erit: Zechos sua, id est Boiemos nostra lingua, Bolios, Massobios, Moravos, Bodolios, Roxalanos, Litavos.

Cimbrorum partes sunt Dani, Scandia, Selandia, Scandiavia, ubi Nordovici et Nordomani, Suiones, qui et Suesii et Suedi, Fenni, Goti (ab his sinus Codanus nomen habet). Graeci Getas, Latini Dacos vocare solent, larvarum ibi ergastula exiliumque, ipsi trollos vocant. lingua eorum cum Saxonibus conmunitatem habet. nam ego ante tris annos, quam haec proderem, legi epistolam missam a Christierno rege Cimbrorum ad Vilelmium principem nostrum, Saxonum fere sono perscriptam. Cimbros a tergo claudunt homines sylvestres, quos Bildenlappos, hoc est feros fatuos adpellamus, nobilissimarum pellium conmercio notissimos; conspectus advenarum vitant, fluminis ulteriore ripa merces positas iuxta venalia tollunt, si placeat permutatio. horum et Tacitus mentionem facit.

Ugri, qui ipsorum lingua Maegari vocantur, una gens est, non in plures nationes divisa, ut caeteri Germani; latissimum possident regnum, Venedis, Teutonibus imperitant, advenae sunt, origo eorum in quarto narrabitur volumine. incolunt Pannoniam et eam partem Germaniae, quam Iaziges, Goti, Getae Gepidaeque olim tenuerunt. nec enim Hunni sunt. nam Hunnis successere Venedi et Boii. hos pepulere Ugri, quemadmodum in quarto referemus libro, in vita imperatoris Arionulphi caesaris augusti.

Pro necessitate suscepti operis satis diximus de Germania, quam diligentissime Cornelius Tacitus et alii conplures inlustrarunt scriptis, ut hodie quaedam in suo quisque tractu ex eorum conmentariis, qui nunquam eo accessere, verius noscat quam indigenarum scientia. verum accuratius, quam fieri solet, illi legi debent ob toties mutatam regionum fortunam, quae rebus humanis inludens ex libidine et vocabula et cultores variat. maximarum urbium, populorum potentissimorum nullae reliquiae, nulla vestigia supersunt; laborat annalium diplomatumque fides, ut illos fuisse credamus. nulla in Germania gens est praeter Frisios, Nariscos, Francos, quae vel vetera cognomina vel

4 transsito *A u. B.* So auch in der Folge 16 veros fatuos *B*

5 *Tac. G. 43* 17 fluminis — permutatio *Plin. nat. hist. VI, 88* 36 *Flor. p. 16, 17 Jahn.*

BSB

veteres suas sedes obtineat, quod a perquam paucis animadverti non vehementer mirari non possum.

Eluvies quasdam gentium esse, doctissimi tradunt philosophorum, quo fit manifesta lex naturae, nationibus etiam et regnis tempore et fine dicto, sive id fataliter sive iuxta religionis nostrae, hoc est placita veritatis supremae venerandaeque maiestatis arbitrio ob scaelera hominum contingat et fiat. urbes enim deleri, oppida subverti, gentes excindi, regna tota, quemadmodum mortales, quorum ne memoria quidem aut ullum vestigium extet, interire, veterum exemplis probare minime opus est, quando Turcae in foribus sunt cervicibusque nostris inminent et tandem, nisi resipiscimus, vel ingratis iugum servitutis (quemadmodum Macedoniae, Thraciae, Scythiae, Dalmatis, Graeciae literarum parenti, Aegypto, Asiae, Illyrico, Liburnis, Moesis finitimis nobis) imponent gravissimum.

Nec est, quod nobis blandiamur de Christo servatore nostro, cuius sanctissimam religionem iampridem polluimus, ne dicam, factis abnegamus. non nos (ait divus Ambrosius) nuda nomina, inanes tituli cassaeque cerimoniae fallant. quamvis in imperatoris nostri verba sacramento rogati iuraverimus, nihilo secius tamen authorem et principem nostrum deserimus, fidem datam frangimus, ad hostes deficimus. sunt conplura publica literarum gymnasia, sunt quoque conplures omnis divini humanique iuris consulti, verum enimvero magis lites quam literas amant. adeo et pecuniae student et ambitione in praeceps abeunt, ventri venerique veluti pecora serviunt, nomine dumtaxat Christiani, re ipsa quidvis aliud. Christiani fiunt, non nascuntur. potest pater omnipotens degeneres abdicare liberos et adoptare atque procreare novam ac germanam sibi sobolem. actum est, siquidem nostro saeculo alii non contigerint mores; iam diu ita vivitur, is status rerum est, ut nihil boni divinet animus. vanus sim precor augur, si non nostris premimur malis.

Ecce dum haec scribo, imperator Maximilianus caesar augustus terras reliquit, continuo Hyldericus dux Viridobergensis Ritulos urbem caesaream obsidet, occupat; eius conatibus occursuri Suevi et eorum foederati delectus agunt, arma parant, copias cogunt. Vilelmium prin-

9 *A* repetere; *daneben am Rande*: probare · 15 Nec — redeo *in B eingeklammert* 18 *Am Rande in A:* Degeneres sumus; *ebendort:* Antichum *(sic)* nominis tantum authoritatem habemus.

17 *Ep. I, 17* 24 *Lact. Inst. III, 8, 6* 25 *Hieron. Ep. 107. Tertull. Apol. p. 102* 32 *Reutlingen, das Herzog Ulrich von Wirtemberg am 28. Januar 1519 einnahm. Der Feldzug des schwäbischen Bundes, durch den Ulrich vertrieben ward, währte vom März bis Mai 1519.*

cipem nostrum copiarum imperatorem communi omnium suffragio declarant. Hyldericus pulsus terra, omnibus oppidis, vicis, arcibus, urbibus exutus est. hostes eius regione potiuntur, principes, qui eligendi imperatoris sibi partes summunt, vulgo male audiunt, quod interregnum tamdiu contra leges maiorumque instituta continuent nec caput creent, quod huic vulneri mederi possit. atque ego etiam, quamobrem id fiat, haud scio, et si sciam, dicere non ausim. verum longius, quam volebam, evagatus sum, dum me flagitiorum aetatis nostrae taedet pigetque; ad rem dimissam redeo.

Cap. 5. Ab orbe restituto anno centesimo tricesimo primo Nymbrothus regnum Babyloniorum, quod et Assyriorum, condidit. cuius primordio Tuisco gigas, pater Germanorum et Sarmatarum, cum viginti ducibus, Sami fratris sui nepotibus, ex Armenia venit in Europam; amnem Tanaimque transgressus ibidem consedit. conterminam regionem ultra Tanaim orientem versus eiusdem frater Scytha priscus tenuit. ab hoc Germani Scythae adpellati sunt, quemadmodum Plinius quoque in libro quarto naturalis historiae prodidit. pars Germaniae in confinio Austriae et Ungariae Scythiae nomen etiam nunc retinet. porro Tuisco lustrato longe lateque eo toto tractu, qui est inter Rhenum et Pontum Euxinum et Tanaim, omnem ambitum in regna, toparchias et tetrarchias divisit, regulis distribuit, coloniias ubique deduxit, regiones habitatoribus opplevit, anno regni vicesimo quinto. et ad retinendam memoriam rerum suarum montibus, fluminibus, regionibus nomina principum indidit, quae forent certissima monumenta posteris. id apud veteres perquam usitatum fuit, uti etiam in penetralibus sanctae historiae traditur. ab illo Tuiscones etiam nunc adpellamur, Itala et nostra nimirum Saxonum lingua, qua et inferiores Germani utuntur. extat in ripa Rheni e regione Agrippinensis Coloniae civitas quondam, nunc vicus et coenobium druidum eodem cognomine; accolae sicut incunabula gentis nostrae venerantur.

Haud abs re fuerit regulos huiusmodi Tuisconis, qui et in penetralibus sacrae veritatis a Mose referuntur, ordine conmemorare. primus dux fuit Sarmata, vir armorum studiosus et peritus rei bene gerendae amorisque popularium conciliandi. ab eo apud priscos Sarmatae quoque nuncupamur. Claudius Ptolomaeus, cosmographorum haud dubie princeps, eam regionem, quae ultra Vistulam eurum spectat,

11 *Beros. 28. 30* 12 *Beros. 15* 15 *ebend.* 16 *IV, 81. Beros. 31* 18 *Aventin denkt an die grosse Donauinsel Schütt bei Pressburg* 22 *Beros. 35* 26 *Lact. Inst. I, 11, 57—63. Beros. 32. 33* 29 *Deutz* 32 *Gen. 10. vgl. Beros. 16* 33 *Beros. 15; 31* 35 *p. 198.*

Sarmatiam vocat, quam nostro aevo incolunt Venedorum nationes valentissimae, Bolii, Bodolii, Multavii, Borusci, Levonii, Litavi, Massobii, Roxalani, Moschi sive Massagetae. princeps secundus Dacus, qui et Danus, condidit Danos, quorum rex nominatissimus est in Germania et latine vocatur rex Dacorum, qui nobis est Danorum. veteres Graeci et Latini Cimbros Cimeriosque adpellarunt; ita Strabo, Diodorus Siculus, Stephanus Byzantius docent. Geta dux tercius nostro sermone Gotus est, a quo Gotolandia insula nomen retinet in sinu Venedico, e conspectu Vistulae amnis, cuius hostia ad austrum spectant. ab illo prognati sunt Getae et Goti, qui post aliquot annos (Hunno filio Herculis Alemani imperante Germanis) egressi regibus Berico et Philomaro profecti sunt ad amnes Danubium Tibiscumque, cui quartus tetrarches nomen dedit. ibi nunc sunt Ungaria magna, Septemcastrenses, Valachia, regnum Gotorum. plus quam bis mille annos mansisse, author est Iordanus episcopus, genere Gotus, cuius exemplar excusum depravatissime venale circumfertur. ab Dano et Goto sinus Codanus nomen sortitus est; ita Plinius et Mela nominant. quicquid inter hostia Albis et Vistulam iacet, nos Osterse, id est orientale mare nunc adpellare solemus. sinus est ingens oceani germanici, quem accolae Besterse, id est occidentalem lacum nuncupant. Moesa quintus regulus, inter Danubium et Savum Pontumque Euxinum cum filiis Brigo, qui et Phrygus, Thyno sive Bithyno, Moesos condidit, a quibus ex Europa transsierunt in Asiam Phryges sive Bryges, Mysi, Thyni, dicti Bithyni. Strabo docet, Plinius recitat et Claudianus. eius carmina subscripsi:

Gens una fuere
Tot quondam populi, priscum cognomen et unum,
Adpellata Phryges.
Thyni Thraces erant, quae nunc Bithynia fertur.

Moesias tenent Bosnenses, Servi, Vulgares, Turcis omnes serviunt. Dalmata Dalmatas genuit, nomen manet. quondam subiecti Boiorum praefectis ex Dachuno et Andechysio oriundis, ita vetera testantur diplomata.

3 Massogetae *A* 5 Boiorum dux Christophorus potitus illo regno *am Rande in A* 23 transsierunt *sic A u. B, auch in der Folge.*

3 *Beros. 15* 7 *Strab. p. 293. Diod. V, 32. Steph. 6, 16* *Beros. 15* 11 *ebend.* 12 *Iord. 4* *Beros. 32* 15 *Iord. 60. (1300 J.)* 16 *Die 1515 in Augsburg erschienene, sehr fehlerhafte Ausgabe des Iordanis, De rebus Geticis, ex recens. Conr. Peutingeri* 17 *Plin. n. h. IV, 96. Mel. III, 31* 22 *Beros. 15. 20. 35* 24 *Strab. 295. Plin. V, 145. Claud. in Eutr. II, 241—46* 31 *Beros. 32* 33 *Die Grafen von Dachau, seit 1180 die von Andechs führten den Titel:* ***Herzog von Meranien oder Dalmatien.***

Huic proximi Iader et Albanus Liburniam, quae et Illyricum proprie, tenuerunt. ibi fuit Iadera colonia, cuius mentionem Plinius et Ptolomaeus faciunt. ibi quoque Albanenses populos enumerat Plinius. Germani Venedicam marchiam nominant, parent Austriacis ducibus. Savus undecimus Tuisconis comes clarissimo amni nomen fecit, qui Pannonias a Moesiis separat, oritur in Alpibus Carnicis supra Laebacum (Carnorum caput est). Pannonem Pannoniam incoluisse cum fratribus Salone et Azalo, nemo omnium inficias ibit, qui Berosum Ptolomaeumque legerit. sunt Ptolomaeo in Pannoniis Sala urbs et Azalorum populus. Hister filius Ebri auctor condendae turris Babyloniae cum Nymbrotho, amnium Europae maximo Histriaeque (quam quondam Boii principes ex Damasia oriundi possedere) celebre apud posteros nomen indidit, consedit inter flumina Draum et Oenum. superiora favonium versus tenuit Adulas, cuius nomen adhuc mons altissimus inter Oenum et Rhenum refert. eius meminit Ptolomaeus in descriptione Rhetiae. Diclas, Obalus, Epirus ubi nam gentium consederint, ut incompertum mihi quidem praetereo.

Anno regni Tuisconis centesimo duodevicesimo Belus Iuppiter, filius Nembrothi, rex Babyloniorum secundus, naturae fatoque concessit. Ninus filius patri in regno succedens, seu ut divina stirpe natus videretur, seu pietate motus, ut memoriam defuncti genitoris coleret, seu quod magis credam, instinctu mali genii parentem consecrat, pro deo ab omnibus coli praecipit, eidem divinos defert honores, ab omnibus deferri edicto publice iubet. templum insuper addit (cuius Plinius meminit) in media Babylonia, statuam ponit atque dedicat, quae ab omnibus adoraretur. ibi tum desertores lares, spiritus fallacissimi, divinitatis adfectatores, ut huiusmodi errorem humano generi inmitterent atque ea pestis late longeque invalesceret avocaretque a veri dei notione, per quam solam potest mors aeterna vitari, inlapsi huiusmodi potentissimorum regum simulacris, adsciverunt eorum nomina. mentitis itaque atque adsumptis eorum nominibus, ut fallerent, responsa dederunt, et sub horum titulis honores sibi deorum vendicarunt; sub nominibus mortuorum delitescentes viventibus plagas extenderunt, huma-

12 princeps *B* 33 dilitescentes *B*

2 *Beros. 32* 3 *Plin. n. h. III, 140. 141. 152. Ptol. p. 165* 4 *Plin. III, 69* 6 *Beros. 32* 8 *ebend.* 10 *Ptol. 161. 160* *Beros. 15* 12 *Die Grafen von Diessen und Andechs besassen die Markgrafschaft Istrien von 1173 bis 1209* 13 *Liv. I, 3* 15 *Adula in Graubünden. Beros. 31* *Ptol. p. 157* 16 *Beros. 16. 32* 17 *Tac. Germ. 46* 19 *Beros. 23. 38* 21 *Lact. Inst. I, 15, 11* 21 *ebend. I, 15, 4* 24 *eb. I, 15, 11* *n. h. VI, 121* 25 *Beros. 40* 32 *Lact. Inst. IV, 27, 16 fg.* 33 *ebend. II, 16, 19.*

nas etiam hostias, ipsi hostes humani generis, excogitarunt, ut perquam multas devorarent animas. ita deiiciendi hominis causa se deos mentiti sunt et varios sibi cultus perversa religione condiderunt; cum enim sint perditores hominum, custodes tamen se vocarunt, ut ipsi coleren-
tur, deus non coleretur. quoniam, cum sint spiritus tenues et incom- 5
prehensibiles, insinuabant se corporibus hominum, occulte valetudinem vitiabant, morbos citabant, somniis animos terrebant, mentes furoribus quatiebant, ut homines his malis cogerentur ad eorum auxilia decurrere; prodesse putabantur, cum nocere desinebant, qui nihil aliud possunt quam nocere; pluvias, quas iam sentiebant, repromittebant; fallaciae 10
eorum fuit aqua cribro gestata, cos novacula discissa, navis cingulo promata, ut numina lapides crederentur et deus verus non quaereretur. in arcanis divinarum literarum huiusmodi simulati ac conmenticii dii uno nomine Bel, Baal, pro idiomate sermonis adpellantur.

Cumque hactenus fines imperii tueri magis quam proferri mos 15
fuisset (infra suam enim cuique patriam regna finiebantur), primus hic omnium Ninus veterem et avitum genitum morem nova imperii aviditate conmutavit, primus intulit bella finitimis et rudes adhuc ad resistendum populos, terminos usque Libyae perdomuit et totius orientis gentes subegit. cuius arma fugiens Sabatius Saga, patruus eius, 20
magnus rex et pontifex maximus Armeniorum, relicto ibi filio Barzane, quem etiam postea Ninus superavit, ad Tuisconem elapsus est. unde in Italiam ad Ianum, qui et Noas, post aliquot annos proficiscitur.

Nam anno regni Tuisconis centesimo tricesimo septimo Noas per- 25
lustrata Asia, Aphrica in Europam transitum facit in Italiaque in agro Viterbensi consedit, Ethruscos Italiae indigenas condidit, dictus Ianus, id est vini repertor: iain Hebraei vinum vocare solent.

Intelligens denique atque considerans ipse pater Germanorum Sarmatarumque Tuisco sine iusticia et absque religionis metu neque 30
rempublicam coalescere neque licentiam hominum contineri posse, iura dedit, leges tulit carminibusque conplexus est, quae publice et privatim cantarentur, ne aut oblivio obliteraret aut ignorantia excusaret. impune plaerique peccant, praetextu ignorantiae, quae tamen onerat ac

11 cribo *B* cingula *B* 16 enim *fehlt in B* 22 ibique decem annos delituit *Randzusatz in A* 23 undecimo anno *am Rande in A*

2 *Lact. Inst. 21* 3 *eb. IV, 27, 17* 5 *eb. II, 14, 8* 8 *ebend. 14* 10 *ebend. II, 15, 1* 12 *Tertull. Apol. p. 139 fg.; vgl. Lact. II, 16, 10. 11. 14. Aug. C. D. X, 16* 20 *Iustin. I, 1. Beros. 39. 42* 21 *Beros. 45* 22 *eb. 41. 46* 24 *ebend. 43, 45. 49* 26 *eb. 43* 28 *eb. 25* 32 *eb. 40. 42.*

revincit, licet excusare videatur. nos huiusmodi carmina adhuc leges vocare solemus, quemadmodum et Graeci (uti est apud Aristotelem Stagiritam) nomos; etiam nunc leges, quas Moses a deo inmortali recepit, in templis patrio sermone canimus. sacerdotibus quidem dumtaxat animadvertere, vincire, verberare permisit, non quasi in poenam aut ducis iussu, sed velut deo imperante. virorum fortium facta, quae exemplum posteris essent, carminibus celebrare instituit, quod adhuc apud nos unum annalium genus existit.

Caeterum lucos et nemora, in quibus res divina rite perpetraretur, consecravit. arbitrabatur caeleste numen pro magnitudine sua nec parietibus cohiberi nec in ullam humani oris vultusve fluxaeque rei speciem adsimulari debere, cum secretum illud ab omni contagione fecis terrenae sola reverentia videatur, cuius effigiem formamque quaerere imbecillitatis est humanae. manent adhuc nobis a luco, quem bald dicimus, balfart, ballen, ballen gen denominata deductaque vocabula; illud celebrem ob religionem conventum, haec ad sacras aedes salutatum superos proficisci significant. auspiciorum sortiumque disciplinam edocuit, ex quorum observatione sacerdos publice prius deum praecatus, caelum suspiciens futuros eventus interpretaretur. iussit et aedificia magis necessaria pro caeli iniuria vitanda quam ambitiosa extruere, oppida condere parva, attamen munitis natura locis. qui inter suos ius dicerent, principes regionum atque pagorum constituit controversiasque minuere praecepit. nulli certum modum agri aut fines proprios habere permisit, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis et quo loco visum erat, adtribuebant agri atque anno post alio transsire cogebant, ne latos fines parare studerent potentioresque humiliores possessionibus expellerent neve accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificarent, ne qua oriretur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones, dissensiones nascerentur, ut animi aequitate plaebem continerent, cum suas quisque opes cum potentissimis aequari videret. victum et amictum parabilem comparari iussit, ut quae in lacte, caseo, carne, pellibus et parvis rhenonum tegumentis consisterent. adulteria praesenti poena cohibuit, nulla publicatae pudiciciae venia; ab parvulis duriciae ac labori studere sobolem praecepit, ut qui diutissime inpu-

18 publicae *B* 34 nasen abschneiden durat adhuc *am Rande in A*

2 *Probl. 19, 28* 6 *Tac. G. 7* 8 *eb. 2* 14 *ebend. 9. Plin. n. h. II, 14* 15 *Wald, Wallfahrt, wallen, wallen gehen* 19 *Tac. G. 10* 23 *Caes. b. G. VI, 23 (Beros. 33)* 31 *eb. 22* 33 *eb. 22, 1. 21, 5* 34 *Tac. G. 19.*

beres permanerent, maximam inter suos ferrent laudem; hoc ali staturam, ali hoc vires nervosque confirmari putabat. intra annum vicesimum feminae noticiam habuisse, in turpissimis haberi iussit rebus, quo sera iuvenum aetas eoque inexhausta pubertas foret nec virgines festinarentur, sed eadem iuventus, similis proceritas, pares validique miscerentur ac robora parentum liberi referrent.

Tradunt quidam ipsum quoque literas invenisse. Roxalani adhuc propriis utuntur literis, non omnino dissimilibus graecis, Venedi quoque, qui Dalmatiam Liburniamque incolunt (quae gentes omnes genere Germani sunt et ex Germania velut officina gentium prodierunt). servatur Reginoburgii in templo divi Haemerani vetustissimum diploma a Carolo Magno datum, latino quidem sermone, aliis tamen literarum figuris scriptum; longobardas quidam, alii geticas arbitrantur; perquam similes graecis sunt. monumenta et tumulos quosdam literis graecis inscriptos in confinio Germaniae Rhetiaeque extare lego apud Tacitum. Iulius Caesar refert, in castris Helvetiorum Boiorumque, qui procul dubio teste Pomponio Mela Germani sunt, tabulas (in quibus ratio nominatim confecta erat, qui numerus domo exisset, eorum, qui arma ferre possent, et item separatim pueri, senes mulieresque) repertas esse literis graecis confectas, quas prisci Galatas vocant et Graeciae intulisse referunt Cadmum circiter sexaginta ante captam Troiam annos, post Tuisconem plus quam septingentos. eas Homerus poeta, patria Meon, consensu totius Graeciae a Troia capta anno quingentesimo emendavit, noster profecto sermo, praecipue Saxonum, literarum natura et potestate, diphthongorum vi et numero, syllabarum pronunciatione, declinatu, articulis, accentu (quos et nostra lingua tonos vocamus), ratione loquendi caeterisque huiusmodi dictionum proprietatibus, maximam habet communitatem, plurimum retinet conmercii cum Graecorum lingua rectiusque literis graecis scribitur.

Infinita sunt vocabula, quae nobis et Graecis idem valent. nonnulla enumerare ad faciendam fidem perplacet. a privativa particula; thyra, hostium; hyperthyron, superius limen; kyssein, osculari; phortion, onus; cemos, frenum; porneia, libido, lascivia; apo, ab; hyper, super; meta, cum praepositio; amar, vas, vasis; rhacos, vestis; hammata, himation,

18 numero *B* 19 seperatim *B*

3 *Caes. VI, 21, 3—5* 6 *Tac. G. 20* 10 *Iord. 4* 12 *Von Urkunden Karl des Grossen für St. Emmeram sind eine echte und drei unechte bekannt; Sickel, Regesten der Urk. der ersten Karolinger, Karl d. Gr. Nr. 138, S. 55 u. S. 406* 16 *Tac. G. 3* *Caes. b. G. I, 29* 17 *Mela kennt die Namen nicht; s. Tac. Germ. 28.*

BSB

vestis; thymos, impetus; thrasytes, confidentia; euphraenein, gaudere; knaptos, fullo; knaptein, laniare; atmizein, spirare; atma, spiritus; politeia, respublica; bele (b pro consonante v pronunciando, ut ipsi Graeci faciunt) sagittae; pneuma graece proferendo spiritus, anhelitus; ge, geia, terra, rus; boethos, advocatus, patronus; boetheia, patrocinium, (b more Graecorum efferendum, ac si v consonans esset); lynchnon, lucerna; gaeein, gloriari; thronos, sedes; argos, piger, tardus, malus; phaulos, malus, piger, non bonus; rhabdos, virga; echtros, hostis publicus; sizein, stridere; lysein, solvere; aethax, lacerta; ictis, genus mustelae; cacos, malus; despotes, dominus orientalibus Germanis; ita doma, domus; uthar, uber; loestos, ultimus; cercos, cauda; laccos, stagnum, palus; zeugle, vincula iumentorum; zacotos, litigiosus; helos, ignavus; mauia, manos, furiosus; mogein, pati; mochtein, facere; mylon, myle, mola; heteros, amicus (h in v mutata ut hesperus, vesperus); schetlios, infestus; rhesso, rumpo; ressein, rumpere; typhlos, caecus; ephialtes, incubus; pithos, dolium; brotos, cibus, panis; astatos, instabilis; antios, contrarius; aethrios, serenus; blyssein, fluere (b apud Graecos v consonantem valet); boros, edax; echtein, odio prosequi; bremein, fremere; bombos, sonitus; graphein, scribere, sculpere; aglaezein, splendere, unde glaesum, id est vitrum deducimus; neos, neon, novum; demos, populus, turba; pyrgos, turris, locus munitus; tribos, semita; docos, trabes; pyr, pyrnein, ignis, ardere; pege, rivus, fons; notis, humor; telos, tributum; telones, publicanus; eleos, miseria, eleemosyna; cripta, locus subterraneus; axine, securis; mene, luna; men, menos, mensis; dokein videri. qui diligentior fuerit et doctior, plura conquisiverit. vir doctissimus Ioannes Camerarius a Dalburgio, Vangionum pontifex, aliquot millia dictionum collegit, quae utraque lingua, teutonica et graeca, idem significant. hec obiter adnotasse festinanti ad res gestas Boiorum sufficit.

Ab orbe lustrato anno ducentesimo nonagesimo secundo natus est Abramus conditor Iudaeorum in Syria, quae quondam terrarum maxima et pluribus distincta nominibus. eadem et Assyria dicta atque Mesopotamia, cuius pars Babylonia est. patria nataleque solum Abrami in arcanis sacrae veritatis Ur Chaldaeorum vocatur. Ptolomaeus

5 boethia *B* 22 e longa in a mutata more dorico; et cognatae sunt literae g et c ac ch Germanis et Graecis *Randbemerkung in A; ebendort:* proheu, interiectio indignationis; idu, ecce; ares, ertag; aphridite *(sic)*, phreitag; doma, templum; ψυκτήρ, vas, sechter; phronimos, prudens, bonus, probus; medymnos, modius.

27 *Johann v. Dalberg, Bischof von Worms, 1482—1503* 33 *Beros. 29. Plin. n. h. V, 66. VI, 121* 34 *Gen. 11.*

BSB

Urchoam, Plinius Uram adpellat. fuit is annus centesimus vicesimus primus regni Tuisconis. qui cum bene sapienterque cum omnium amore et reverentia maxima potestatis annos centum septuaginta sex explesset (nam vitae plus quam ducentos, ut tum erant mores et tempora, complevit) ex hac vita migravit anno orbis ab aquis liberato supra trecentesimum septimo. et quoniam ob merita suarum virtutum et munerum charus fuit his, quibus imperitaverat, magnum desiderium sui mortuus reliquit. quamobrem prisci ipsum communi omnium suffragio ob miraculum sapientiae et bonitatis, sicut indigetem et dei interpretem ac nuncium (id enim nostra lingua Tuisco valet) consecrarunt eundemque pro deo habere caeperunt. matrem quoque eius Nertham, hoc est terram, ex qua editum crediderunt, numinibus adscripserunt, eam intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrati sunt. fuit is mos apud vetustatem usitatissimus referendi bene merentibus principibus gratiam, quo per amorem meriti memoria coleretur gratiaque referri benemeritis videretur et successores eorum ad bene imperandum allicerentur. nempe consecratio ex hominum nata est meritis; suscepit quippe vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentis viros in coelum fama et voluntate tolleret acuendaeque virtutis gratia, aut quo libentius reipublicae causa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoria honore deorum immortalium consecrata. quemadmodum placuit etiam veteribus ex utilitate publica, sub titulo gratiarum agendarum effusius efferre principes praesentes, ut futuri non quasi a magistro, sed tamen sub exemplo praemonerentur, qua potissimum via possent ad eandem gloriam niti atque boni, quae facerent, recognoscerent, mali, quae facere deberent. nam praecipere, qualis esse debeat princeps, pulchrum quidem, sed onerosum ac prope superbum est; laudare vero optimum principem ac per hoc posteris velut e specula lumen, quod sequantur, ostendere, idem utilitatis habet, arrogantiae nihil.

Cap. 6. Tuisconi successit filius Manus; is potitus est rerum sexaginta sex annos. cuius regni anno quadragesimo tercio Noas, qui et Ianus, in Italia mortem obiit, ab inluvie aquarum anno supra trecentesimum quinquagesimo. imperavit ea tempestate Babyloniis Semyramis, uxor Nini. sub idem tempus Trevir condidit Treviros

1 *Ptol. 384. Plin. V, 87. vgl. Beros. 29* 3 *Beros. 49 (174 J.)* 7 *Lact. I. I, 8, 8* 8 *eb. I, 15, 3* 9 *eb. I, 15, 2* 12 *Tac. Germ. 40. 2* 15 *Plin. n. h. II, 19* 17 *Lact. I. I, 15, 4* 18 *Plin. a. a. O* 22 *Lact. Inst. I, 15, 5. 6* 30 *Plin. Paneg. 4. (53.) Ep. III, 18* 31 *Beros. 49. (15)* 34 *ebend. 43.*

urbem ac gentem in Gallia Belgica et ripa Mosellae. quidam filium Nini, alii vero Mani huius fuisse tradunt; hos ut sequar, inclinat animus. siquidem Cornelius Tacitus, qui quam diligentissime de Germaniae gentibus scripsit, Treviros ultro ambitiosos esse in adfectatione germanicae originis, literis mandavit; ipsi quoque Galli Iulio Caesari referunt, Belgas a Germanis ortos esse; quin fama constantissima huc usque manavit, Treviros primos Germanos esse trans Rhenum, qui etiam nunc lingua, moribus, imperio Germani sunt. eorum pontifex deligendi imperatoris romani non extrema tenet estque et vocatur germani principis scribarum praefectus archicancellariusque in Gallis. conplura supra recitavimus.

Manum ob fortitudinem animi in numerum deorum atavi nostri retulerunt. hic filio alteri Ingevoni cognomine regnum per manus tradit; ab eo Ingevones, alterum genus Germanorum, cognominatum existit; proximi oceano sunt dicti, quod inferiora Germaniae incolunt. maiores namque nostri, uti est apud Plinium, Cornelium Tacitum, Pomponium Melam, Germaniam in quinque divisere toparchias, quas oceano, Hercynia, amnibus maximis Rheno, Danubio, Vistula, Tyra, Hypani, Borysthene descripserunt et determinarunt. Primam Vistula et sinu Venedico (mare Suetiae vocat Cusa) inclusam incoluere Vandali. quorum pars iuxta Plinium et Ptolomaeum et Tacitum Burgundiones, Varinae, Charmi, Guthones, Venedi, qui et Schlavini. alteram proximo oceano Ingevones tenuerunt; hos nunc Selandos dicimus; eorum pars sunt Frisii, Cauci, Premenses, Luneburgenses, Litorei Saxones, Cimbri, Dani, Teutones, Hamoburgenses, Lubicenses, Mechaloburgenses, Pomerani, Borusci. proximi Rheno Istevones sunt, Rhenenses dicimus. Hermiones medii sunt, contingunt Hercyniam sylvam, spectant Danubium, ultimi Germanorum Melae; pars eorum Suevi, Boii, Hermunduri, Narisci, Chatti, Cherusci, Cimbri, Mediterranei Plinio. quinta pars Peucini et Basternae, contermini Dacis, ad Tyram et Borysthenem consederunt. Tyras Venedica lingua Danaster, Teutonum Nester vocatur, Borysthenes vero Danuber est et Neper. in Iordani codice perperam Danubium excusum leges, tu repone Danubrum per r consonantem. hec vera atque antiqua sunt nomina Germaniae. tempore

15 interiora *A u. B* 34 *st.* atque et *B*

3 *Liv. I, 24 Tac. Germ. 28* 5 *Caes. II, 4* 11 *Nomencl. unter Man* 13 *Beros. 53* 14 *Liv. I, 3, 9* 15 *Tac. G. 2. Beros. 19* 17 *Plin. IV, 99. Tac. G. 2. Bei Mela findet sich nichts dgl.* 20 *Nicolaus von Cusa, seit 1450 Cardinalbischof von Brixen († 1464)* 21 *Plin. IV, 99. Ptol. 200. 201. Tac. Germ. 2. 40. 44. Beros. 31* 28 *Mel. III, 32* 32 *Iord. Get. 5* 34 *Tac. G. 2. Beros. 19.*

Ingevonis Abramus in Palestina habitavit, Isacus quoque natus est. ipse Ingevon posteaquam quinque et quadraginta annos regnavit, vita defunctus est, relicto aviti regni herede filio Istevone, qui tercium genus, Istevones, extrema Germaniae (unde nomen) incolentes condidit. hi proximi Rheno sunt, a quo nunc Rhenenses nominantur. Istevone tribus et quinquaginta annis Germaniam administrante natus est Iacobus Isaco, nepos Abrami.

Praefuit deinde Germanis annos tres et sexaginta Herminon, qui et Hermion, vir ferox armis, ait Berosus, unde et ipsi nomen; est enim vir exercituum. ab ipso inditum nomen Hermionibus, qui quartum genus Germanorum a Plinio et caeteris rerum scriptoribus censentur. eorum pars fuere Suevi, qui tum latissime imperitabant, Chatti, Hessi, Franci, Hermunduri, qui Danubium adcolunt, Suevi et Boii, Cherusci, Maedoburgenses, Brunonisvici. disciplinam Hermion militarem apud Germanos instituit remque militarem ita colere docuit: quotannis aliquot millia armatorum bellandi causa suis ex finibus educebantur; reliqui, qui domi remanserant, se atque illos alebant; hi rursus invicem anno post in armis erant; illi domi remanebant. sic neque agricultura neque usus belli intermittebatur. mercatoribus erat ad eos aditus magis eo, ut, quae bello coeperant, quibus venderent, haberent, quam quo ullam rem ad se importari desiderarent. vinum ad se omnino importari non sinebant, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrabantur. sed quid non longa dies mutet? nunc apud caeteras nationes male audimus, ut qui omnes potando superemus ebrietatemque vel quotidie inter seria exerceamus. de qua re in nos, nescio cuius, non omnino inelegans circumfertur distichon:

Germani cunctos possunt tolerare labores;
O utinam possent tam bene ferre sitim.

Sed ad Hermionem redeo; qui ob virtutem in caelum sublatus a suis cultusque pro deo; eius templum ac signum dictum Hermansal, hoc est Hermionis sala, id est aula, Carolus Magnus solo aequavit et demolitus est, sicuti in quarto narraturi sumus libro. dum Germania potitur Hermion, Osyris, qui et Apis et Serapis, cum sorore eadem et uxore Iside in Aegypto regnavit, agriculturam docuit; Moses Mizraim vocat.

20 coeperant *sic A u. B* 21 desiderabant *A u. B*

9 *B. 57* 15 *Beros. a. a. O.* 19 *Caes. IV, 1* 23 *Caes. IV, 2* 27 *Petrus Bolandus Laudenburgensis presbyter, den Cisners und Gundlings Ausgaben als den Dichter nennen, lebte gegen Ende des 15. Jahrh.* 36 *Beros. 18. 20. 66. 70.*

Paruit deinde Germania annos sex et quadraginta Marso, ab augmentando ita cognominato; eius opus Marsoburgium oppidum Moesiae; progenies Marsi et Marsigni Tacito et Straboni, terga Marcomanorum Boiemiam incolentium clauserunt; quidam maris adcolas interpretatus, non longe ab Albisque hostiis.

Ad Marsum Osyris rex Aegypti profectus est, aratrum invenit et ferramenta, quibus terra coleretur, manibus hominum prius versa; ipse primus iumenta iunxit, arbores, vites putare docuit, prata tondere, transferre stirpes et plantare, pecuariam instituit pastionesque villaticas. zitum ex hordeo conficere Germani ab ipso didicere. deinde in Italiam Osyris iter fecit, eam a tyrannis liberavit. fuit tum diluvium duos menses in Achaia, quo tempore etiam Iosephus in Aegypto dominabatur, ad quem profectus est Iacobus parens eius, sicut et divus Aurelius Augustinus tradit.

Marsum excipit Gambrivius; idem, sicuti ego existimo, Cimbrus et Cimbreus est, ob literarum adfinitatem et varietatem linguae. a pugnando exercitandoque dictus; eum, qui ad singulare certamen provocat, proprie significat. Berosus virum ferocem interpretatur et fuisse literarum memoriae commendavit. ab ipso Cimbri conditi sunt, qui nomen peninsulae dederunt; Cimbrica Chersonesus est, nunc Danomarchiam vocamus, quamquam Gambrivios Tacitus et Strabo separatim ponant, quos a Plinio Cimbros mediterraneos dici suspicari libet. fuere Cimbri fortissimi ferocissimique Germaniae populi, de quibus Homerus, Diodorus Siculus, Strabo, Cornelius Tacitus complura narrant, quae memoratu digna sunt.

Sub idem tempus Osyris reversus in Aegyptum, a fratre Typhone interemptus est. Typhonem Libyus cognomine Hercules (qui in arcanis caelestium literarum est Lehabim) auxilio matris Isidis, genitoris sui necem vindicans, cum consciis parricidii occidit. totum inde peragravit cum exercitu terrarum orbem, tyrannos iniuste dominantes ubi-

5 non longe ab Albique hostiis *B* 7 prius hominum *B* 8 prius *B* 21 quanquam *A* 27 Lybyus *B* 29 Typhonem cum *B* 30 Commisso Aegypti regno fratribus Oto et ~~Bothe,~~ qui sunt Graecis Apollo et Mercurius, tum (?) maximus .... diique Aegypti .. minores (?), sub quibus Ioseph auspicatus est imperium in Aegypto atque cum fratribus habitavit, quamobrem sacerdotes Aegyptiorum id regnum pastorum cognominant, ob invidiam, uti fit, suppresso nomine regum et deorum, qui eta..*(sic)* Josepho eiusque fratribus addicti fuerunt eosque

1 *Beros. 61* 3 *Tac. G. 43. Strab. 290* 8 *Beros. 70* 10 *ebend.* 11 *eb. 66* 14 *C. D. XVIII, 4* 18 *Beros. 65* 21 *Tac. Germ. 2. Strab. 291* *Plin. IV, 100* 24 *Hom. Od. XI, 14. Diod. V, 32. Strab. 291—94. Tac. G. 37* 27 *Beros. 69—71* 28 *Gen. 10. Ber. 19* 29 *Beros. 74.*

que sustulit, accessit et ad Gambrivium in Germaniam. montes, qui Hispanias et Gallias separant, conflagrarunt, unde Pyrenei cognomen acceperunt; pyrnein ardere Teutonibus significat, Runcivallem iam vulgo nominant; negligentia id pastorum acciderat, qui temere ignem fruticibus subiecerant.

Post Gambrivium, qui quatuor et quadraginta annos regnavit, Germanis imperitasse Suevum invenio annis duodequinquaginta. condidit hic Suevorum gentem, quae quondam interiora Germaniae et maiorem partem obtinuit. propriis nationibus atque nominibus discreti, in communi Suevi dicti fuerunt, quorum Angili, secundum Ptolomaei descriptionem, ea loca incoluerunt, quae nunc Bochi atque Turogi Moesique possident, ab Hercynia sylva usque ad medium Albis protensi. 58 A inde ab Albi Suevi Senones (ubi nunc Lusatii sunt et Silesii) usque ad Suevum amnem tenuerunt, quem adcolae nunc Oderam vocant.

Marcomani pulsis Boiis Boiemiam et eum tractum ad Danubium habitarunt. Quadi Marchoveltas, Rugi Suiones, Levonii nomina servant. Legii, Sitones Polaniam cis Vistulam tenuerunt, contermini ab orientis ora Getis et Dacis; contigerunt Suevum montem, quem Ptolomaeus Carpatum, nos Chreminizium nuncupamus. haec capita Suevorum. ipsi post mortem Attilae, pars Theodosii Magni ante avitis excessere sedibus, partim soli melioris gratia, partim pulsi a Venedis, qui ea nunc loca mixti Saxonibus obtinent. Marcomani, Quadi Hyspanias occuparunt, caeteri Rhetias, Galliam, Franciam; sed haec in sequenti volumine referentur.

Libyus Hercules (Suevo regnante) in Hispania periit, Isis mater eius, regina Aegypti, post caedem mariti interitumque filii in Germaniam ad Suevum venit, frumenta temere incognita mortalibus inter caeteras herbas nascentia reperit, serere, molere et terere et inde panes conficere docuit, lanificii et olei et vini usum monstravit, ob id dea credita; Suevique eam consecrarunt atque pro dea coluerunt. signum eius in modum Liburnae figurarunt, quae doceret advectam religionem peregrinumque sacrum. discessit inde Isis in Italiam, Ceres ibi et

tantum coluerunt atque supra sacerdotum gentem extulerunt. post deos primus hominum regnavit Amasis; ille regum ut potentissimus, ita iustissimus, apud quem et *(hier bricht die Randbemerkung ab)* 19 Cremnitz, Semnitz *am Rande in B.* Josephus summam di

1 *Beros. 70* 5 *Diod. V, 35. Beros. 69* 8 *Beros. 70* 10 *Tac. G. 38* 11 *Ptol. p. 115* 19 *Ptol. 152. 198* 29 *Beros. 70. Diod. I, 14* 32 *Tac. G. 9. Beros. a. a. O.*

Iuno cognominata. Hebraei tum mortuo Iosepho in Aegypto lateres coquere coguntur annis centum et quadraginta quatuor.

Potitur inde Germaniae regno annos unum et quadraginta Vandalus, author Vandalorum et Venedorum, quos primum genus Germanorum Plinius esse docet. partes eorum Burgundiones, Varinae, Charini, Gutones, Ptolomaeo Phrugundiones, haud scio, an corrupte, Avarini, Chariones, Gythones dicti; trans Vistulam omnes habitarunt, in ora sinus Venedici, ubi nunc consident; trans Vistulam Bolii, Borusci, Massobii et huiusmodi Venedorum gentes, quas et Tacitus, Ptolomaeus et Iordanus refert. Caeterum Vandali post mortem Theodosii Magni devastatis Galliis, Hispaniis, Romanis provinciis, Aphricam Carthaginemque occuparunt, Burgundiones partem Galliarum, quae adhuc retinet nomen.

Decimus apud nos regnavit Teuto. imperii eius anni sunt septem et viginti. posteri vero Teutones et Teutoni, Ptolomaeus Teutonarios vocat, proprium ac peculiare olim nationis, nunc autem commune / 59. A gentis vocabulum. consederunt in litore sinus Codani intra Albis et Vistulae hostia, quae loca nostro aevo tenent Leoburgenses, Mechaloburgenses, Pomerani et Borusci cis Vistulam; paulo post plura de hac natione narrabo. quidam Teutonem esse Mercurium Germanorum interpretati sunt, cuius Cornelius Tacitus mentionem fecerit; ego ut incompertum mihi in medio relinquo. eius tempore natus est in Aegypto Moses ille dux Iudaeorum et legifer nobilissimus, colloquio familiari dei inmortalis.

Postremus regum Germaniae, quos Berosus enumerat, est Alemanus cognomento Hercules, conditor primus Boiorum. insigne eius leo fuit, causa cognominis; proinde alere leones gentilicium est principibus nostris. divus Hieronymus et Eusebius primum fuisse Herculem autumant. de eo plura in superioribus explanavimus, quae hic repetere frustra est. Alemanos proprie dictos, quae pars est atque pagus et flumen Boiorum, nomen etiam nunc retinens, procreavit. Celtae in commune omnes Germanos Alemanos vocare solent.

Sub idem tempus fuisse perhibetur diluvium illud Deucalionis trimestre, poetis decantatissimum, proinde pueris vel in scholis notissimum, amnes non solum crebris ac continuis imbribus aucti, verum

2 *Eus. Chr. II, 20. 21 Sch. Dagegen Exod. 12, 40. Gen. 15, 13* 4 *Beros. 77. 78* 5 *N. h. IV, 99. Beros. 31* 6 *p. 200* 10 *Tac. G. 46. Ptol. 200. 201 Iord. 23* 14 *Beros. 80* 15 *p. 151* 16 *Plin. n. h. VII, 93. Paneg. 2* 21 *Tac. G. 9. Ber. 80* 22 *Tac. G. 46* 25 *Beros. 82* 28 *Eus. Chron. II, 25 (?)* 31 *Beros. 49.*

etiam obstructis hostiis meatibusque planiciem camposque operuerunt, seu quodam iniquo fato seu spiritu incluso ac fumida caligine luctante et ad libertatem exire nitente, intumefacta tellus est. nam posteaquam venti pervicere eruperuntque, terra intremuit, apertis meatibus flumina in pristinos alveos redierunt. unda quidem recubuit, sed gravius ignis saevit; nam exustione conflagrationeque terris insecuta gravi pestilentia quoque conflictatum est mortale genus. poetae incendium Phaetontis vocant.

Ea etiam tempestate in Aegypto Hebraei intolerabili iugo servitutis premuntur (eorum maiores sterilitate atque inopia laborantes transsierant in Aegyptum rei frumentariae gratia). tum eorum misertus deus eduxit eos ac liberavit eos de manu Chencris regis Aegyptiorum post annos ducentos quindecim duce Mose, in qua eductione ostendit virtutem suae maiestatis deus. traiecit enim populum medio mari rubro, divino iussu vento noctu scindente aquam, ut populus per sic-
60.A cum gradi posset. qua re audita Chencres tyrannus Aegyptiorum cum magna suorum manu insecutus est et mare adhuc patens temere ingressus coeuntibus aquis cum exercitu deletus est. Hebraei vero egressi in solitudine multa mirabilia viderunt. nam cum sitim paterentur, ictu virgae rupe percussa prosiliit fons aque populumque recreavit. quo rursus esuriente caelestis alimenti pluvia descendit; quin etiam coturnices in castra eorum ventus induxit, ut non modo pane caelesti, sed etiam instructioribus epulis saturarentur. pro his tam divinis beneficiis honorem deo non reddiderunt, sed depulsa iam servitute, iam siti fameque deposita in luxuriam prolapsi, ad profanos Aegyptiorum ritus animos transtulerunt. cum enim Moses dux eorum ascendisset montem atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant ipsi Apin, quod eos signo praecederet, figurarunt. quo peccato ac scelere offensus deus impium et ingratum populum pro merito poenis gravibus adfecit; placatus tandem suppliciis solemnibusque precationibus, legem per Mosen dedit.

Sed ad Herculem, unde diverti, redeo. eidem conplures adsignantur liberi. Noricus primogenitus, Hunnus, Helvetius, Boius minimus natu. posteaquam mortuus est, fratres, uti fit, de regno contendunt. Rhomus, qui tum trans Rhenum in Gallia imperitabat, propter dissensionem fratrum regnum dividit, terminos imperii singulis distribuit. Noricus inter amnes Danubium, Oenum, Draum Italiamque Noricos, antea Tauriscos dictos a Taurisco rege, quem Hercules interemit,

8 *Beros. 88. Eus. II, 26—28* 30 *Lact. Inst. IV, 10, 5—13; vgl. VII, 15. Gen. 47. Beros. 88. 90* 35 *Beros. 105?* 38 *Amm. XV, 9, 6.*

BSB

progenuit, a se dato nomine. omnes eiusdem cardinis populis Herculeam esse prolem, Plinius literis mandavit. quando autem plures fuisse Hercules pro vero constet, cuiusnam filius Noricus fuerit, ambigitur. Schritovinus et Frethulphus tribuunt eum Libyo Herculi Aegyptio, qui in Hispania interiit. Vitus Areopagus Graecorum Herculi, ultimo pyratarum duci vendicat. me haud poenitet eorum esse sententiae, qui ipsum ex Hercule nostro prognatum adfirmant. opus Norici est Noreia, urbs Tauriscorum. de qua ita Strabo narrat: Aquileia extra fines Venetiae est; flumine ab Alpibus descendente disterminatur, per quod sursum navigatur stadia mille ducenta usque Noreiam, ubi Cn. Carbo conlatis adversus Cimbros signis re infecta discessit; eandem a Boiis oppugnatam Caesar, interiisse Tauriscis, Plinius refert. quidam Goriciam esse autumant, quod neque affirmare neque refellere in animo est. Nerobergam quoque, quae diplomatibus et caesaribus Noreioberga est, ab ipso conditam esse tradunt annales nostri; quam si interpreteris, Norici montem valet, quo nomine ab Otone nostro pontifice Fruxinensi nominari solet.

Hunnus Sarmatiam orientalemque Germaniam tenuit, Hunnos procreavit. quorum sedes prima fuit (quemadmodum Ptolomaeus describit) intra montes Amadocum et Alanum, amnem Borysthenem, Maeotim paludem interque Basternas atque Roxolanos. ibi Tartariae nunc confinium caputque.

Helvetius Istevones possedit, a quo Helvetii dicti, qui inter Hercyniam sylvam (quam Ptolomaeus Helvetiorum, adcolae nunc Nigram vocant) inter Rhenumque et Moenum amnes (Tacitum sequor) tenuere sedes. deinde transgressi Rhenum in Gallia Belgica colonias deduxerunt (Pomponium Melam diligentius legito), Helvetium et Aventicum urbes condiderunt, quae in Antonini itinerario ex computacione passuum Silestadium et Verona sunt. ad Rhodanum flumen fines promoverunt, qui in longitudine millia passuum ducenta quadraginta (sicuti Caesar dimetitur) patebant; sub quibus secundum Strabonis etiam opinionem Dribochi, Vangiones, Nemetes continentur, qui haud dubie, inquit Cornelius Tacitus, Germanorum populi. Hercynia quoque, ut Caesar describit, oritur in finibus Helvetiorum, quam partem eius

fol. 60

67. A

5 qui ante centum annos *A* Arcpagus *B* 24 Hercynam *A u. B*

1 *Flor. 115* 2 *Plin. III, 134?* 5 *Beros. 22. 74* 6 *Veit Arnpeck, Chron. Baioar. lib. I, c. 5* 8 *p. 214* 12 *Caes. I, 5* *Plin. III, 131* 14 *Tac. G. 3.* *Liv. praef. 7* 19 *p. 251* 24 *p. 150* 25 *Germ. 28* 28 *p. 168* 31 *Caes. I, 2* *Strab. 193* 33 *Tac. G. 28* 34 *VI, 25.*

nunc, ut dixi, Nigram Sylvam adpellare solemus, gessereque continua bella non cum Germanis, quemadmodum Caesar aliis temere credidit, sed cum Rhetis, uti Strabo longe diligentius Caesare narrat. nam uti est apud Suetonium, Pollio Asinius commentarios Caesaris parum diligenter parumque integra veritate compositos putat, cum Caesar plaeraque et quae per alios gesta erant, temere crediderit; et quae per se vel consulto, vel etiam memoria lapsus perperam ediderit, existimat rescripturum et correcturum fuisse.

Ulteriora Boius possedit; hic Alemanos a patre conditos, Hermionum non parvam partem, a se Boios nuncupavit. Manet adhuc, inquit Tacitus, Boiemi nomen signatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. prima itaque Boiorum sedes fuit intra Hercyniam sylvam et extra, qua occidentem Danubiumque spectat. Hercynia sylva eos pro nativo muro in modum cordis citharaeve munivit. quam regionem ab ipsis adhuc Boiemiam cognominamus, quasi tu dicas, Boiorum patriam et domum; id enim nostro sermone Boiemia declarat. condidit ibi Bubienum sive Boiobinum urbem, quae et Marobudum postea fuit, nunc Praga est. Boiemia eiecerunt Boios Suevi, Marcomani proprie dicti, hos Zechi; natio est Venedorum, hoc est Sclavorum, adhuc Boiemiam /possidens. inferius plura enarrabimus in tercio volumine.

62, A

Extra Hercyniam inter amnes Danubium, Alemanum, Rhaedonessum contiguas sedes habuerunt Boii, ubi adhuc nunc consident seque incunabula Boiorum incolere et tenere gloriantur, quemadmodum a nobis supra quoque commemoratum est; ibi Boioritus et Boiobergomum oppida; hoc Boium montem, illud Boiorum novale significat. ibi Vichto mons, a pinastris ita dictus, insignis partu quatuor fluminum, quos ad quatuor coeli cardines profundit. Salas septentrionem petit, Moenus occidentem solem, Aegra ad orientis oram fluit, Nabus meridiem versus. in confinio etiam Boiemiae Vindelicorum et Noricorum inter confluentes maximorum amnium Danubii, Oeni, Illissi Boiodurum ab Boio conditum existit; Boii id turrim valet; Romani Bathaviam nominarunt. utrumque retinet nomen, corrupto tamen licentia usus et vetustatis sono.

Vitus Areopagus et quidam alii Boium ac Helvetium post inundationem terrarum profectos esse ex Armenia scriptis prodiderunt,

12 sicut et Paterculus narrat *am Rande in A*

2 I, 1 3 *p. 206* 4 *Iul. 56* 11 *Tac. G. 28* 13 *Strab. 293* 14 *Caes. VI, 10* 18 *Strab. 290. Vell. II, 109* 26 *Fichtelgebirg* 34 *Tac. G. 2. Liv. V, 33, 11* 35 *Arnpeck, Chron. Boiar. I, 6.*

quos Moses pro idiomate hebraei sermonis Hevilah et Iobab vocet, quemadmodum Lybium Lehabim, Osyrim Mizraim, Sarmatam Hazarmoth, Histrum Iactan, Saum Saba, Adulam Hadoram adpellet; quisque pro ingenio suo demat vel addat fidem; nam quis rem tam vetterem pro certo adfirmet? in huiuscemodi rebus niti coniecturis satis est, id quod interpretibus sacrarum literarum in plaerisque licere video. hoc enim compertum habeo, imperitis facile imponere ambiguitatem, quod conplura uno nomine nuncupentur, quae discernere nisi peritissimis in promtu non est. multa proinde in unum confundunt sepius imprudentes; quemadmodum, cum accepissent a maioribus Boium fuisse tempore diluvii Deucalionis et imperitasse Hermionibus, similitudine nominum decepti, credidere diluvium primum et Armeniam, ut notiora ipsis, fuisse. itidem hallucinati sunt de Norico et Hercule.

Cuius filii /dum Germania potiuntur, Moses fatiloquus et veridicus dei interpres, vir consultissimus omnis divini humanique iuris, cum centum et viginti annos vixisset, ex hac vita migrat. quem et ethnicis scriptoribus Beroso, Diodoro Siculo, Trogo Pompeio, Iustino, Plinio, Straboni, Iuvenali et plaerisque aliis notum esse reperio. Mosi succedit Iesus, qui et Iosues (Hebraeis Ioschuah est); praefuit Iudeis 17 annos. hic Iudeos vi et armis iussu divino in Palestinam duxit, reges unum et triginta occidit, urbes solo aequavit, gentes excidit, regna subvertit; in homines pecudesque et supellectilem citra omnem sexus et aetatis rationem iure belli saevitum est, mulieres cum infantibus deletae. hinc genti dati a suprema illa maiestate quatuordecim praetores ad Samuelem et Saulum (ut est in arcanis sacrae historiae) per annos trecentos novem et triginta.

63. A

Eadem tempestate Coritus rex Italiae, nepos Libyi Herculis, mortem obiit. inter filios eius, Iasium in regno et Dardanum maiorem natu, ante regnum natum, ut infida est societas regni, paricidiale oritur bellum. Dardanus interfecto fratre Iasio profugus in Asiam minorem evasit, ubi Dardaniam condidit, quam nos regnum Troianum vocare solemus, ab restituto orbe anno octingentesimo duodetricesimo, a primordio regni germanici anno sexcentesimo nonagesimo septimo.

Tum etiam ex Gotolandia, sinus Venedici insula, (quae e regione Vistulae amnis sita, ab aquilone Scandinaviam peninsulam spectat)

1 *Gen. 10. Beros. 16; 31* 4 *Tac. G. 3* 5 *Liv. I, 3, 2* 18 *Beros. 91. Diod. I, 94 u. ö. Justin. 36, 2. Plin. 30, 11. Strab. 760. Iuv. XIV, 102* 23 *Jos. 11. 12* 25 *Lib. Iud. Act. 13, 20?* 26 *Vgl. Spark. zu Lact. I. IV, 5, 7 B. Beros. 228* 29 *Liv. I, 14, 3* 31 *Beros. 85—90. Lact. I, 23, 3 Beros. 87. Eus. Chr. II, 32. (Hier.) 33.*

BSB

Goti, qui Dani, Daci et Getae sunt, rege Berico egressi ad Danubium, migrarunt in eas regiones, quas nostro aevo Ugri transdanubiani, transsylvani Septemcastrenses, Valachi tenent. regnatum ibi a Getis et Dacis usque ad Valentis augusti annum quartum decimum. Hunni tum eos sedibus avitis ēiecerunt. Getae a Romanis in Thracia conlocati sunt, ubi avaricia Maximi praesidis, fame coacti rebellarunt et Romanos deinde variis cladibus adtriverunt.

Cap. 7. Post filios Herculis apud nos regnasse reperio Ingeramum, cognomento Herminium, filium Boii, eiusque nepotem Adalogerionem. Ingeramus condidisse fertur Hermeniam oppidum inter confluentes Nabi, Danubii et Rheni, quae postea translata in aliam ripam, fit Reginoburgium. Adalogeropagum praefecturam Boiorum in tabulis et instrumentis saepius reperio. coenobium eodem nomine etiam nunc est in Boiaria, cuius praesul Voliphoganges Marius, philosophus et poeta, cui hos dedicavimus versiculos:

Tu bonis cantas avibus deumque | Concinis vates meliore plectro; | Tu crucem nostri domini deique | Rite salutas. | Possides templum per amoena prata, | Qua rigat Vilsus speciosa vallis | Arva nec longe tenuis sub undas | Perditur Histri.

Ingerami et Adalogerionis nomina frequentissime in fastis referuntur; ipsos more maiorum antiquis proavi celebrarunt carminibus, quae in bibliothecis extant.

Subsequuntur, quos patrio sermone adhuc canimus et Cornelius Tacitus enumerat, Laertes et Ulysses. hic Ulsiburgium in ripa Rheni a suo nomine adpellavit; in confinio Rhetiae et Noricorum ostenduntur arma, Laertis fuisse incolae credi postulant. his imperantibus Gedeon praetor Iudaeis ius dixit.

Et Venedi Cimbrique, qui etiam Cimmerii sunt (testibus Strabone, Plinio, Diodoro Siculo, Stephano Byzantino) seu ob inundationem oceani, seu ad exonerandam turbam praegravantem regnum domi, sive ut alii scriptis mandarunt, latrocinandi more et cupidine praedae, rege Medo patrios relinquunt penates, novarum sedium avidi, ab ultimis terrarum oris proficiscuntur (Egesippus discipulus apostolorum narrat, Germanos olim imperium orbis agitasse); pars in Hercyniam sylvam Boiemiae fertilissimae, ubi tum Boii (sicuti ex Eratosthene, Posidonio, Cornelio

1 *Jord. 4* 7 *Eus. u. Hier. II, 198. Jord. 26. Oros. VII, 33* 12 *Rheni sic A u. B. Der Regen ist gemeint* 13 *Adalachgau um Isar und obere Vils* 15 *Wolfgang Mayer, Abt von Aldersbach* 25 *Tac. G. 3* 30 *Flor. p. 60. Strab. 293.* 31 *Liv. V, 34 Strab. a. a. O. Tac. Hist. IV, 73* 34 *Flor. p. 17. Liv. V, 37* 35 *Caes. VI, 24.*

BSB

Tacito praediximus) habitabant, transsitum faciunt. at Boii correptis armis agmineque facto illos adoriuntur atque finibus suis exturbant.

Cimbri a Boiis pulsi Danubium transmittunt, in Illyrico, Norico, Pannoniis Gallograecos Venetos in Italia (si Straboni creditur) condunt. alia vero manus Cimbrorum Sarmatis domitis ad oram Meotis lacus pontique perrexit; peninsulam Tauricam occupat, oppidum Cimmerium, quod et Cimbricum authore Plinio, extruitur; ab ipsis et Cimmerius Bosphorus nomen retinet; ibi nunc Tartariae inicium. Cimbrorum quoque uxores societate militandi viris coniunctae. maiore Europae parte subiecta, Asiae quoque nonnullas urbes occupavere, ibi Ephesum multasque alias urbes condiderunt, Asiam deinde armis perdomitam vectigalem fecerunt.

Erant inter illas sacerdotes divinationis peritae, quas patrio sermone Alirunas nuncupant. hae incinctae zonis, nudae pedibus, canis capillis linteaque tunica et alba veste, quae subtus fibulis annexa erat, amictae, captivis per castra strictis occurrebant ensibus, quos ad humum sternentes, ad aereum pertrahebant craterem, deinde eos in sublime tollendo iugulum ferro aperiebant et profluente tum sanguine in craterem eventum belli vaticinabantur. aliae dissecto ventre ex intestinis victoriam interpretabantur. inter proeliandum vero pelles ad carrucarum velamina extensas crebris pultabant ictibus, ingens strepitus cum horrore edebatur. Mazonas nos, id est viragines, Graeci Amazonas vocant.

Referre operae precium est, quae Cornelius Tacitus, quo nemo plura (qui quidem extet) de nobis scripsit, in libro de situ et moribus Germaniae recitat. Germani (inquit) aliquid sanctum et providum inesse mulieribus putant, ad matres, ad coniuges vulnera ferunt nec illae numerare aut exigere plagas pavent cibosque et hortamina bellantibus gestant. Memoriae proditur, quasdam acies inclinatas iam et labantes a faeminis restitutas. dotem quin etiam non uxor marito, sed maritus uxori offert. munera non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus nova nupta comatur, sed frenatum equum et scutum cum framea gladioque. in haec munera uxor accipitur atque invicem ipsa armorum aliquid viro adfert, ne se mulier extra bellorum casus putet. Ipsis incipientibus matrimonium auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in praelio

7 Ex Hermolao de Cimbra insula *am Rande in A*

2 *Strab. a. a. O.* 4 *Strab. p. 293* 7 *VI, 18* 9 *Strab. 294. Oben S. 25* 11 *Iustin. II, 4* 12 *ebend. 3* 14 *Iord. 24* 22 *Strab. 294* 26 *Cap. 7, 8, 18.*

passuram ausuramque. narrat etiam Lucius Florus, in eo bello, quod imperator Caesar Augustus cum Germanis eorumque finitimis gessit, faeminas nostras deficientibus telis infantes ipsos humo adflictos in ora militum adversa misisse. nostro etiam aevo mulieres castra sequuntur, militum numerum aliquando aequantes, damnosae magis quam viri.

De Cimbris et eorum uxoribus fabulosa multa confinxere Graeci, poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis. notissimi enim sunt celebratissimique Graecorum annalibus Cimbri et eorum uxores Amazones; quorum et Homerus, omnium scriptorum Graeciae vetustissimus, meminit Cimbrisque Amazonas coniungit, quas et Eusebius et Hieronymus et Plinius Pomponiusque Mela Cimbris Germanisque addicunt. et Flavius Vopiscus in bello germanico ab Aureliano captas Amazonas et triumphatas narrat; Iordanum et Paulum Varnefridum praetereo, qui Germanas fuisse aperte dicit. Cimbros alii Getas Danosque, alii Scythas et Galatas, quisque notiore sibi vocabulo nuncupant. id satis constat, conlecticiam manum fuisse ex variis Germaniae magnae nationibus; Cimber nostra lingua pugnacem et latronem quoque valet.

Post haec apud nos Brennus regnavit, de quo carmina vernaculo sermone facta legi in bibliothecis. Bathaviae sepultum esse fama tenet, supra quam haud longe Brennobergomum castellum atque gens perdurat, quasi tu dicas Brennonis montem. huic filium adsignant, qui vulgo sit Hiccar (frequens etiam nunc cognomen), in fastis Hichtar, scriptoribus annalium Hector, cuius filius Franco Franconas progenuit. ipsi a Cicerone cum Suevis numerantur, postea et Galliis et Roma potiti sunt. Eorum virtus Romanum imperium in Germaniam transtulit. Varias esse propriorum nominum transmutationes experientia rerum magistra docet et antea ex Strabone admonui.

Tempore huius Franconis, quarto ante Samsonis praeturam anno, decem annos continenter ad Troiam belligeratum est, quo bello nihil notius; vulgo etiam ignobili apud Germanos existit. idcirco reges Troianos paucissimis enumerare non pigebit, simul ut animadvertatur, nil humanorum certum esse sceleraque nunquam impune abire; scelesto semper, licet pede claudo, comes est poena. Primus apud Troiam regnavit Dardanus annos unum et triginta, cui filius Erichthonius

22 Laertes, Ulysses *am Rande in A*

1 *Flor. 115 J.* 7 *Liv. praef. 6* 9 *Il. III, 189* 12 *Eus. II, 60. 61. Plin. VI, 35. Mel. I, 13* *Aurel. 34* 14 *Iord. 7. 9* *Pauli Hist. Langob. I, 15* 18 *Festus p. 43 M.* 21 *Brennberg bei Roding* 25 *Ep. ad. Att. XIV, 10* (Scaevas, Frangones) 27 *Vgl. Iustin. 43, 4* 28 *II, A. 11* 35 *Hor. C. III, 2, 31.*

BSB

quinque et septuaginta annos successit. ipsum subsequitur Tros, a quo Troia nuncupata, qui, posteaquam potestatis sexaginta explevit annos, regnum avitum per manus tradidit Ilo, conditori Ilii urbis, quam Troiam vulgus nuncupat. hic post quinque et quinquaginta annos Laomedonta habuit successorem, patrem Priami; ille sex et triginta, hic quadraginta regnavit annis. Priami filius Alexander, qui et Paris, violato iure hospicii Helenam, uxorem Menelai regis Graeci, hospitis sui, rapuit. graeci principes decem annis oppugnatam Troiam tandem dolo capiunt, igne vastant atque delent; alii dumtaxat captam et direptam, non eversam tradunt. ob unius tum mulierculae stuprum Asia et Europa infestis concurrerunt armis, terra marique varia proeliorum fortuna invicem se trucidarunt, tot invicem data acceptaque damna, tot millia hominum perierunt, tantum sanguinis humani effusum est. regnatum est apud Troiam a sex regibus annos supra ducentos septem et nonaginta.

Scythas, Moesos, Amazonas, Germanos bello Troiano interfuisse, praeter vulgatissimam famam et leges imperatoris Caroli quarti caesaris augusti, a quo provocandi ius non est, authores habeo, quos sequar. et ut conquirere fabulosa ac fictis oblectare legentium animos procul gravitate coepti operis crediderim, ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim. vera enim (uti est apud divum Hieronymum) lex est historiae, vulgi opinionem exprimere. mihi enimvero ad hoc opus conficiendum omnia experto, non adeo barbari maiores nostri fuisse videntur, quin inmortalitati famae memoriaeque rerum suo more suisque monumentis consuluerint; quae si vestigiis et via, qua debent, accuratius inquirantur, ne hac quidem parte aut Graecis aut Romanis cedemus. ita est profecto, quemadmodum scripsi ad Chunradum Peuthingerum iureconsultum, licet reipublicae procellis obrutum, ista tamen sedulo curantem:

Foecunda vatum Roma fidem sibi | Fecisse fertur, si tua Peuthini | Virtus celebrasset parentes, | Non taciti premerentur Orco.

Quis porro tam animo communi lenique erit, qui non stomachetur in tanta hominum ignavia, praecipue eorum, qui sibi literarum principatum summunt et rerum habenas mordicus tenent, cui non moveat socordia bilem, plaerique cum nihil laude dignum gerant ipsi, laudari

32 *Das flgd. von* Quis — subnectam *in B eingeklammert.*

1 *Beros. 215* 7 *Archil. de temp. (Beros. p. 215); vgl. Eus. Chr. II, 32—53* 13 *Tac. G. 37* 14 *Iustin. XI, 14, 2* 16 *Eus. II, 52. 53* 21 *Hier. III, 2 d. (adv. Helv. de p. virg. b. M. in.).*

quoque ineptum putant; invitus refero, veritas odium parit, dicam tamen. Proxime Angilostadium saxa Romanis literis inscripta effossa sunt ab agricolis, ab ipsis et servantur et ostenduntur. actum est etiam nomine principum cum his, qui sibi urbis et gymnasii proceres videntur, uti ea monumenta Angilostadium deveherentur inlustrique loco ac conspicuo conlocarentur. sed surdis cantavimus, qui etiam alio huiuscemodi lapide (qui cuiusdam opera in Danubio Angilostadium vectus) universis in humum literis privati hominis ossa contegi permiserunt. adeo agricolis nostris plus cordi sunt virtutum praeclara monumenta quam istis scholasticis, hoc est, umbraticis declamatoribus sordidisque pecuniae et aurae popularis mancipiolis. Mirum tamen est, cum omnia sibi permittant, quam in alienis libris ingeniosi sint quamque obtrectatione alienae scientiae famam sibi aucupentur. Nemo de simplicitate mea conqueri potest nisi qui de se ipso male senserit. sed longius a suscepti operis materia devecti sumus. ego omissis vitilitigatoribus reliqua subnectam.

Quinam reges post superiores Germaniae Boiariaeve imperitaverint, quaerere distuli; nec enim fas est scire omnia. apud authores, quos ego quidem evolverim, nihil certi de Boiis usque ad Tarquinium Priscum regem Romanorum scriptum reperio. si quid praeclari gestum est, id in commune tum Galli, nunc Germani sibi vendicant. de quibus pro rei dignitate perscribere maius est, quam vires meae ferre possint. et huiuscemodi sine exactissima Germaniae partiumque eius perlustratione tentare insania est. quae graeci latinique, licet hostes nostri, rerum scriptores, de nostris maioribus literarum memoriae commendarint, quam paucissimis potero, magis indicabo quam narrabo. quod si quis ea dumtaxat, quemadmodum referuntur, in librum transferre velit, maius profecto opus conficiet, memoratu digniora, certiora verioraque afferet, quam quidam nostratium, ut ita dicam, chronicariorum, qui ex professo hanc operam condicunt.

At quoniam in Gallos incidimus, de ipsis, quid gravissimi sentiant authores, non fuerit alienum absolvere in eoque paululum conmorari. prisci annalium scriptores (sicut Ephorus et Strabo, graves in primis authores, in libro primo de situ orbis tradunt) omnis populos subiectos aquiloni Scythas, occiduo vero soli tum Gallos Galatasve, tum Celtas aut Celtoscythas in communi cognominarunt. quamobrem in annalibus fere apud eos praecipue scriptores, qui ante romanos imperatores vixerunt, Germani haud aliter quam Celtae et Galli Galataeve ad-

11 *Hieron. Ep. 66, 8* 12 *Plin. n. h. praef. 30* 16 *Plin. a. a. O. 32* 18 *Hor. C. IV, 4* 30 *Plin. n. h. pr. 6* 33 *Strab. 34. 33.*

pellantur. Aristoteles Stagirita, veritatis diligentissimus interpres, in libro secundo meteorologicon Celtis Histrum, qui Germanorum est, adtribuit. Diodorus Siculus in libro sexto regionem inter Rhenum, Danubium, Scythiae conterminam, ubi et Hercynium iugum est, Galatiam Magnam, uti Ptolomaeus Magnam Germaniam, nuncupat. Teutonas, Cimbros, Boios haud dubie Germaniae gentes Sallustius, Titus Livius, Cornelius Tacitus, Festus Gallos, Appianus Alexandrinus Celtas nominat. Sextus quoque Ruffus, vir consularis, qui ad Valentinianum imperatorem scripsit, non aliter quam Gallos Germanos vocare solet. Gallos quoque, qui Romam incenderunt, Delphicum templum spoliarunt, in Asiam profecti sunt, Teutonas Germanosque fuisse, authores habeo Diodorum Siculum, Appianum Alexandrinum, divum Hieronymum, Gotofridum Viterbensem, quemadmodum et vernaculis apud nos annalibus proditur et carminibus antiquis celebramus.

Compertum ego habeo, Gallicam linguam eam vocari, quae modo est Teutonum. Cato, Plinius, Sextus, Festus, Pompeius, Diodorus Siculus Padum, Bodincum, Bulgam, Bergomum, Cimbrum, Emporedum, Rhedam, Pyrenen, cervisiam docent gallica esse vocabula et valere piceam, fundum, montanam urbem, saccos scorteos, latronem, equorum domitorem, currum sive rotas, conbustum, potum ex hordeo, qui sit in Aegypto zitum, in Hispania celia, in Gallia cervisia. his omnibus vocabulis Teutones adhuc utuntur ipsisque valent, quemadmodum ab illis refertur scriptoribus. adde, quod omnia nomina propria populorum, regum, ducum (quos authores rerum Gallos vocant) germanica teutonicaque sunt et adhuc usurpantur, sicuti Sigovesus, Bellovesus, Lutharius, Viridomarus, Britomarus, Brennus, Thessalonus, Tectosaces, Trocini, de quibus abunde supra in inicio explanavimus.

Libet docere, quod perquam paucis cognitum esse animadverto. Ioannem Stabium, Chunradum Celtim, vates absque odio ostentationis undecunque doctissimos, quos ob eruditionem imperator Maximilianus caesar augustus in aulam ultro accivit, in ea esse opinione audivi, quam referam. quemadmodum Belgae, pars Celtarum, adhuc germanice loquuntur, ita caeteros Gallos non alia lingua quam Teutonum et Ale-

33 *Zu* germanice loquuntur: Ita mihi quoque retulit cardinalis Salisburgensis *[Mattheus Lang, Cardinal seit 1511, Erzbischof von Salzburg 1514—1540]* in aula imperatoris Maximiliani, a Gallo perito quo id audivisse *Randbemerkung in A*

2 *Arist. Meteor. I, 13* 3 *Diod V, 32* 5 *p. 147 fg.* 8 *Sall. Iug. 114; Liv. V; Tac. G. 28; H. IV, 73; Fest. p. 36. 43; App. 35. 424. 464 Bk. Brev. 6?* 13 *Diod. V, 32; App. 34. 425. Hier. comm. in Gal. II prooem.* 21 *Plin. III, 122. 125. 123. XXII, 164. Fest. p. 35. 43; Diod. V, 23? vgl. Beros. 36.*

manorum (uti vocant) esse usos. huius rei haec maxima habent documenta, quod Strabo Germanos quasi legitimos fratres cognatosque Gallorum legibus, moribus, lingua interpretetur, quod etiam Iulius Caesar narret, se per interpretem colloqui Gallis solitum, Arionistum vero regem Germaniae usum absque interprete esse gallica lingua. nostrates insuper historici in tris dividunt partes galliam: romanam, Teutonum et gallograecam. Narbonensis verius Italia est (ait Plinius), incolae se Italos etiam nunc esse contendunt. Celtae Aquitani ob longinquam servitutem, qua a Romanis oppressi fuerunt, in romanos ritus transformati, amplius propriae linguae memoriam non servant, romane corruptissimo tamen sono loquuntur. Teutones, Belgae et Germani sunt Cisrhenani. Gallograecia Illyricum, Pannonas, Noricos complectitur, quod proxima fuerit Graeciae. nec me fugit quosdam aliter sentire de Gallograecis, sed ego domestica sequor testimonia.

Denique philosophi Gallorum, bardi druidesque pulsi a Tiberio et Claudio imperatoribus romanis ex Galliis, in Germaniam Magnam trans Rhenum tanquam ad cognatam et eiusdem sermonis gentem transmigrarunt. Caeterum Gallos atque Galatas a candore corporis dictos esse quidam literis mandarunt. inter quos est et divus Hieronymus in conmentariis in epistolam divi Pauli ad Galatas; suae sententiae authores citat Lactantium, Sibyllam, Marcum Varronem, cunctarum antiquitatum diligentissimum perscrutatorem. unde poeta: Tum lactea colla Auro innectuntur, potuisset (inquit divus Hieronymus) dicere candida. idem patrium Galatarum sermonem eum esse adfirmat, qui sit Trevirum, quos esse Germanos palam et manifestum est. Appianus vero Alexandrinus narrat, Germaniae et finitimis regionibus imperitasse quondam tres fratres: Celten, Gallum sive Galatam, Illyrium, qui Celtas, Gallos, Illyricos condiderint. adhuc nobis sane Galli nomen crebrum sacrosanctumque est, ut qui eo nomine divum colamus, cui et urbem coenobio insignem maiores nostri consecrarunt. est et pagus et tribus in inferiore Boiaria, ad utranque Danubii ripam, in diplomatibus caesarum Keltege, hoc est Celtis terra nuncupatur. nomen urbi etiam facit et regiae sitae ad hostia Alemani; vulgo Chelami, id est Celtae domus vocatur, patria Leonardi Aequi, Boiorum doctissimi iure consulti et inter nobiles eloquentissimi et inter eloquentes nobilissimi. illud praeterire non debeo, Gallos plaerosque ortos esse a Germanis; ita ipsi Galli apud Caesarem referunt; et Marcellinus ait, Gallos ex

2 *Strab. p. 290* 4 *Caes. b. G. I, 47* 7 *Plin. n. h. III, 31* 16 *Plin. XXX, 13. Suet. Claud. 25* 20 *II, pr.* 25 *App. p. 423* 30 *St. Gallen* 34 *Leonhard v. Eck* 37 *Caes. II, 4. Amm. XV, 9.*

tractibus transrhenanis oriundos esse, indigenas quidem partem habitasse. hoc satis quoque constat, quemadmodum post natum Christum longo tempore Germaniae coniuncta Gallia fuit ex Germaniaque ortis regibus paruit. ita ante Christum natum Germanis obedisse principibus unumque regnum, unum imperium cum Germania fuisse, authores sunt. nam et Romani (uti scribit Tacitus et Caesar) Galliam intrarunt vocati a Gallis contra Germanos. pars Celtarum, Belgae vero omnes, Burgundiones, Nordomani, Franci ex Germania migrarunt, in Gallia sedes collocarunt, quas adhuc tenent Germanicisque cognominantur vocabulis. sed ad rerum gestarum ordinem redeo.

Eusebius et divus Hieronymus in chronicis annotarunt, Cimbros et Amazonas coniunctis copiis arma Asiae intulisse post captam Troiam, tempore Sauli primi regis Iudaeorum, quemadmodum ante captam Troiam partem magnam Europae, non parvam Asiae tributariam vectigalemque fecerunt. ubi coniunctim eos enumerant rerum authores, id quod paulo ante narravimus, in Asia Cimbros et Amazonas condiderunt. huiusmodi plaeraque bella poetico more velata mysteriis fabularum apud nos patrio sermone et numeris scripta leguntur; populares nostri heroum codicem, quod heroum Germaniae gesta contineat, cognominant. versus sunt Ovidii:

Exit in inmensum foecunda licentia vatum,
Alligat historica nec sua verba fide.

Mea quoque memoria imperator Maximilianus caesar augustus more maiorum fabulis res gestas suas velavit et omnem vitae seriem carminibus et patriis et latinis, nominibus confictis, celebrandam curavit; Teurodancum vocant. rursus coeptae rei seriem prosequar.

Tarquinio Prisco Romae regnante Ligures, Insubres, Suevi, Senones, Sycambri, Cimbri, Chamani aliaeque Galliae et Germaniae Magnae gentes, ductoribus Belloveso, Sigoveso, Medone, Helitonio Alpes hactenus insuperabiles transgressi, Italiae sese superfundunt. deinde Boii (quorum maxima pars erat) pulsi Boiemia Hercyniaque a Marcomanis, Sueviae populis, vestigia priorum rege Ciconio subsequuntur. cum iam inter amnem Padum Alpesque omnia tenerentur, Pado traiecto ratibus, non Ethruscos modo, sed etiam Umbros veteres colonos agris pellunt, Anconem usque omnia occupant. cis Apenninum se tamen tenuere.

29 Brenno, sicuti adhuc apud nos canitur *am Rande in A*

6 *Tac. H. IV, 73. Caes. I, 31. VI, 12* 11 *II, 60. 61* 15 *Diod. V, 32*
19 *Das deutsche Heldenbuch* 20 *Am. III, 12* 27 *Liv. V, 34* 29 *Liv. V, 34. 35*
30 *Plin. XII, 5* 32 *Liv. V, 35* 35 *eb.*

Condiderunt Mediolanum, Ticinum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicetiam, Mutinam, Parmam, Bononiam, Laudem Pompeiam et alia plaeraque oppida instaurarunt. Boiorum tribus fuisse centum et duodecim, auctor est Cato, Plinius recitat. Fluvius eorum Ptolomaeo teste Rubico, finis tum Italiae, lacus Benacus et Larius, qui Gardae et Comensis, et Ravenna, Bononia caput fuit, ipsis Boiobonia dicta, sicut quidam literis scriptum reliquerunt. in Suevorum vernaculis annalibus canitur, Brennum ducem suum centum ac decem annos cum Romanis belligeratum sex urbeis in Italia ab eo conditas esse, Hochosenam, Teutonicam Senam, Veronam, Brixiam, Ticinum, Mediolanum, eo tempore, quo Romae capitolium conditum sit; alioqui in vetusto Sexti Festi Pompei exemplari in menbranis manuscripto lego, Mediolanensem agrum Boiis adtribui. idcirco has gentes promiscue habitasse in Italia cisappenina verisimile est. nam et Plinius Laudem Pompeiam a Boiis trans Alpes profectis conditam refert. habitaruntque Boii Galliam Togatam, quae est sub Apenino Padoque amne, a Placentia usque Ravennam atque Rubiconem flumen, ultrø hoc Suevi Senones, quorum caput Senagallica.

Causa in Italiam veniendi sedesque novas quaerendi intestina discordia et assiduae domi dissensiones fuerunt, quarum taedio in Italiam migrarunt. traditur tamen quoque fama, hanc gentem dulcedine frugum, maxime vini, nova tum voluptate captam, Alpes transisse et invexisse in Galliam et Germaniam vinum inliciendae gentis causa Aruntem Clusinum, ira corruptae uxoris, ab Lucumone (cui tutor is fuerat) ipso praepotente iuvene et a quo expeti poenae (nisi externa vis quaesita esset) nequirent. hic Aruns transeundi Alpes gentibus his dux et author fuit. produnt alii, hanc primam habuisse causam oppugnandae Italiae, quod Helico ex Helvetiis civis eorum fabrilem ob artem in Italia conmoratus ficum siccam et uvam, oleum ac vinum remeans secum tulisset. porro Thusci duce Rheto avitis sedibus amissis Alpes occupavere et nomine ducis Rhetiorum gentem condiderunt, quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo praeter sonum

3 Vide Ptolomaeum de Suevorum et Boiorum urbibus in Italia *am Rande in A; ebendort*: Asi. (?) et Semnonum, Senam gallicam, Fanum Fortunae, Pisaurum, Ariminum 16 Inhabitaruntque — Senagallica *fehlt in* B^2.

2 *Iustin. 20, 5* 3 *Plin. III, 124* 4 *Plin. III, 116* 5 *Ptol. 176* 8 *Auch in der Kaiserchronik (ed. Massmann, V. 272, 7047) heisst Brennus Schwabenherzog; Aventin muss aber hier eine andere Quelle meinen* 12 *Fest. p. 36* 21 *Iustin. XX, 5* *Liv. V, 33* 27 *Plin. n. h. XII, 5* 32 *Iustin. XX, 5.*

linguae nec eum incorruptum retinerent. de Rhetis plura in subsequenti volumine narrabuntur.

Dum autem haec in Europa geruntur, in Asia Hierosolyma, Palestinae urbs peculiariter deo inmortali consecrata, ob scelera et impietatem gentis a rege Babylonio eversa sunt, reges trucidati, oculis privati captivique cum populo abducti sunt Babylonem. regnatum est in Palestina post praetores annos quatuordecim supra quingentos.

Cap. 8. Quoniam ad mentionem Babyloniorum ventum est, quos etiam Assyrios reges cognominari reperio, altius horum primordia repetam in gratiam eorum, qui recte in divinis literis philosophari percupiunt. quatuor esse regna fatalia summaque mundi imperia (quas graeco vocabulo monarchias vocant): Assyriorum sive Babyloniorum, Persarum, Graecorum et Romanorum, in sanctae religionis annalibus traditur; quae quatuor metallis, auro, argento, aeri, ferro comparantur. rectores horum cepere urbes, nationes subigere, libidinem dominandi causam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare. caeteri reges sine cupiditate vitam agitabant, sua cuique placebant. de quatuor ordine dicam.

Regum Assyriae duo genera fuerunt. primi illi proles Semiramidis sunt et Nini, qui alio nomine Assur dictus est et nepos fuit Nembrothi, filius vero Beli. Assyrios et urbem ibi Ninum condidit; haec a sacris vatibus Ninive vocari solet; ubi regnatum est annos mille trecentos quinquaginta duos. postremus Nini regnavit Tonoscoleros, qui Graecis est Sardanapalus, vir muliere corruptior, cibo potuique inmodice deditus; inter scortorum greges effaeminabatur, raro in publicum prodibat. contra hunc Phulobelochus, Babyloniorum dux (quem Diodorus Belosum nominat) communicato consilio cum Arbacto sive Arbace, quem rex Medis praefecerat, clanculum coniurat. erat ille inter sacerdotes (quos Babylonii Chaldaeos vocarunt) inclytus iusticia religioneque, conscius futurorum peritusque astrorum. is tum exitium fatale Sardanapalo urbique inminere aperit, socios ad arma cohortatur, gentes ad defectionem sollicitat. ubi satis virium comparatum, Nini iuxta Euphratem Sardanapalus obsidetur desperataque salute in regia pyra extructa reclusisque in medio pyrae uxoribus et eunuchis, se et divitias ultro in incendium mittit atque cum tota regia et omni suppellectile conflagrat. post haec Belochus cum Arbacto

1 *Liv. V, 33* 8 *Zum flgd. vergl. Justin.; Euseb. chron. I, II; Beros. 219 bis 222. 234* 17 *Sall. Cat. 2* 27 *Diod. II, 23—28* 36 *Iustin. I, 3. Diod. a. a. O.*

regnum, quod virtute sua partum erat, dividit, Arbactum Persis praeficit, ipse Assyrios occupat regnique sedem Babylone constituit. posteri horum, alterum regum Assyriae genus, usque ad Cyrum Dariumque reges Persarum annos quatuor supra trecentos potiti sunt/rerum. ipse Phulobelochus Palestinam, quae Samariae, hoc est Israelis regibus parebat, gravi admodum tributo adtrivit. ab ipso regnum mercatus est Manahes mille talentis argenti. Lege, si libet, sacrae historiae libros, quos regum inscribere solent, unde haec excepimus.

Belocho, qui regnavit annos octo et quadraginta, succedit filius Teglatophulassar annos quinque et viginti; evocatus in auxilium ab Achaz rege Iudaeorum, regem Syriae interfecit, Galilaeam partemque regum Samariae in Assyrios transtulit. post hunc Salmanassar gubernacula tenet annos septendecim, Samariam subiecit; decem Iudaeorum tribus ab ipso captivae in Medos et Assyrios abductae sunt. regnatum est in Samaria ducentis uno et quinquaginta annis. post fata Solomonis regis Hebraeorum (ut pro necessitate sacrae historiae reges Iudeae explicem) Hebraei in duas divisi factiones, ex uno imperio duo fecere regna. proles Iudae Beniaminque filium Solomonis secuta est, caeteri vero (ut quibus depraecantibus servitutis iugum a patre impositum graviora consilio adolescentum minatus fuerat) ab eo deficiunt, sui corporis regem creant. illud regnum Iudae, hoc Samariae sive Israelis posthac dictum est. caput illius Hierosolyma, huius Samaria fuit. nec temere offendes, ubi tanta rerum fortunaeque vicissitudo; tam crebro reges mutati cum stirpeque ob impietatem suam radicitus excisi sunt. Saepius fame, saepius pestilentia laboratum est, saepius hostis obtrivit. clausa etiam coeli beneficia ingrato populo, pii vates et sacerdotes (qui mandato dei inmortalis, patris indulgentissimi ad iusticiam verumque cultum hortabantur) non solum non auditi, verum crudeliter interempti sunt. causa horum malorum non minima pravi sacerdotes fuerunt, qui sub praetextu religionis populum fallebant, legem interpretando (quemadmodum et nostro aevo fieri solet) suis maioribus aptam faciebant. ad ultimum plaebes (quae fere regenti similis est) capta, in Medos, Assyrios transmigrare iussa, poenas contemptae religionis dedit.

Sennacheribus postea filius Salmanassaris regnum accipit, cuius Herodotus quoque mentionem facit. is odio prosequebatur Hebraeos, contra Ezechiam regem Iudae, principem pientissimum, arma movet,

15 *In A folgt, unterstrichen*: Romanum tamen imperium Romulus auctor urbis condidit.

8 4. *Buch der Könige, cap. 15 flgd.* 29 *Lact. Inst. IV, 11.* 36 *Herod. II, 141.*

Hierosolyma expugnaturus. at nocte una in exercitu eius centum octoginta quinque millia hominum divinitus extincta sunt. ipse turpi fuga domum elapsus septimo regni anno in templo a propriis filiis trucidatur. / regnat deinceps Assaradon, qui et Assenaphar, decem annos. in Samariam Medos, Babylonios misit, qui terram colerent, ne deserta habitationique hominum minus idonea redderetur fieretque latibula ferarum. excipit Assaradonem Merodachus cognomento Baladan, tenuit regnum annos duos et quinquaginta. ad Ezechiam superiorem cum muneribus legatos mittit exploratum, quidnam portentum sibi vellet, quod tum acciderat. Ezechias laetaliter aegrotabat, cui desperanti salutem complorantique fatum suum maiestas aeterna quindecim annos adiecit. et diem praeter naturae legem haud scio quot horis longiorem, certissimum condonatae vitae documentum, producit. sol iussu authoris naturae retrorsum orientem versus tendens cursus iterat relictos, longissimum diem mortalibus ministrat. id fama divulgatum est animadversumve a Chaldaeis. 74 A

Annos deinde unum et viginti praefuit Babyloniae Benmerodachus. is Manassen regem Iudeae omnibus flagitiis sceleribusque inquinatissimum (ut qui Esaiam prophetam serra lignea consectum crudelissime necaverit) vinctum Babylonem duxit; ubi eidem post tot adversitates resipiscenti et adfirmanti profitentique, se non amplius peccaturum, supremus deus, pater indulgentissimus (qui purgari homines a peccatis maxime cupit) non solum veniam omnium criminum donavit, verum rursus quoque ad imperii culmen ipsum evexit, quo foret inlustre divinae clementiae monumentum.

Benmerodacho succedit in Assyria annos quinque et triginta Nabocodrosus (ita enim Strabo eum adpellat, qui sacris literis est Nabuchodonosor), contra quem Nechao rex Aegypti usque Euphratem arma movet et Iosiam, religiosissimum Iudeae regem, Babyloniis foederatum, occurrentem hostiliter praelio occidit. deinde Ioachaz filium Iosiae, quem populus regem iusserat, vinctum cathenis in Aegyptum deportat. centum talentis argenti et talento auri terram mulctat, quod tributum viritim exactum est, regnumque vendit fratri huius Iehoiakym sive Heliakym, quem enim Hebraei Heliakym, Syri Heli, Aegyptii Iehoiakym, vulgus Ioakym vocare solet. verum rex Babylonius conlectis copiis iuxta Euphratem Aegyptium caedit, fundit, regi Aegyptio maximam partem regni auffert; Palestinam deinde tributariam facit

27 Nabuchodonosar *B* 29 Babylonis *B* 32 *st.* argenti egypti *B* 33 et 34 Iehoiakim *B* 34 Heliakim *B* 37 quarto anno Ioakymi *am Rande in A*

15 *Vergl. Horat. Carm. I, 34* 20 *Eus. I, 204. Lact. IV, 11, 12.*

BSB

victorque Babyloniam rediit, regnum per manus filio tradidit, qui Na-
75 A bocodrosus Magnus adpellatur Herculique a Chaldaeis praefertur;/po-
titus est rerum annos quinque et quadraginta.

Ei rex Iudeae cum obedire detrectaret, ipse Palestinam armis invadit, Hierosolyma expugnat, Ioakym vinctum cathenis Babylonem missurus, mutato consilio ante moenia urbis trucidat. templi instrumenta, gazam omnem domum defert, in fano suo Babylone locavit. Interim Iehoiachin, filius superioris Iehoiakym, annos natus octodecim, regnum invadit Palestinae tenetque mensis tres, dies decem. Babylonius enim rex octavo regni anno copias rursus adversus Palestinam mittit coeptaque est urbs Hierosolyma obsideri, subsecutus est et rex cum novo milite. sed Iehoiachin consilium secutus Hieremiae vatis divini cum matre et purpuratis Ezechiele propheta, cum famulicio ultro sese victori permittit; qui omnes relegati sunt cum gaza regia Babylonem in carcereque servati. caeterum Nabocodrosus Palestinae regem dedit Sedechiam, filium Iosiae, patruum huius Iehoiachin, quem vulgus Ioachin vocat. verum Sedechias domum redeuntibus Assyriis, inmemor beneficii Hieremiaeque legati dei monita spernens, Babylonio regi servire recusat ab eoque deficit. Nabocodrosus ubi hoc accepit, continuo cum exercitu hostilique animo in Iudeam proficiscitur, Hierosolyma biennio circumsidet, tandem expugnat, Sedechiam regem luminibus privat, urbem cum templo succendit, moenia dirui, solo aequari iubet; populus (praeter paucos admodum vinitores et agricolas et quos fuga servavit) captus, abductus Babylonem in exilium impietatis poenas gravi servitio pependit. factum est id undevicesimo regni anno Nabocodrosi Magni. in Daniele propheta et Hieremia plura de hoc rege scripta offendes; me indicare huiusmodi satis superque est.

Amilinus Evilomerodachus Nabocodroso parenti succedit. primo regni anno Ioachinum e carcere eripit in precioque habet, regiae mensae convivam adhibet; vitam proximam regiae maiestati degere permittit, eidem annonam et vestimenta tribuit. Neri tum ei cognomen populus indidit, quod lucerna Davidici generis, quae videbatur extinguenda, in ipso readcensa sit. quamobrem hymnorum sacrorum carmen octavum et octogesimum factum est, gratiae inmortali deo actae bonisque ominibus et votis, precationibus etiam solemnibus celerior Messiae adventus efflagitatus est.

2 sicut Hieremias, fortis in fortem impegit; ambo conciderunt, ambo eodem anno decessere *am Rande in A* 5 Ioakim *B* 13 Danielo *folgt am Rande in A* 17 vocant *B* 33 in ipsa re adcensa *B*

BSB

Decessit Amilinus regni anno tricesimo, tribus relictis filiis, qui imperium tenuerunt annos non amplius quatuordecim. primus Regassar nomine tres | regnavit annos, alter Labassarodachus sex, Balthassar tercius quinque. tum Cyrus et Darius, annos natus sexaginta duos, fratres, filii Asueri Histaspis Medi, devicto Apanda (Graecis est Astyages) rege Medorum et Balthassare hoc interempto imperium ad Persas transferunt, regnum Medorum et Babyloniorum solvunt. qua tempestate Romae exacti reges sunt ob stuprum inlatum Lucretiae. 76. A

Persarum reges pro necessitate sacrarum literarum paucis conmemorabo. Metasthenem Persam sequor, qui verissime de his tempore Alexandri Magni prodidit. Cyrus et Darius authores regni Persarum ex aequo regnarunt in Perside annos duodecim, Babyloniae duos, mortuo tum Dario Cyrus solus annos duos et viginti. ipsi primo anno, quo Babyloniam coeperunt, Hebreos, qui iam septuaginta annos exularant, publico edicto restituunt solo natali templumque caelesti numini restaurari mandant; sumptus publice a regibus ex fisco praebiti. Iudaei igitur duce Barachia, quem Zorobabel vocant, soluta captivitate in Palestinam laeti migrant. nec mora e vestigio aram, ubi sacrificarent aeternae maiestati, construunt. cumque iam anno altero fundamenta templi iecissent opusque surgeret, Darius rex decedit. finitimi ob gentile adversus Iudaeos odium eos ab incepto vi prohibuere. longius aberat Cyrus, quam ut adiri posset; subacta enim Asia et universo oriente in potestatem redacto Scythis bellum intulerat.

Erat autem eo tempore Scytharum regina Thomyris, quae non muliebriter adventu hostium territa, cum prohibere eos finibus posset, vadum Araxis fluminis transire permisit. itaque Cyrus transiectis copiis, cum aliquantisper in Scythiam processisset, castra metatus est. deinde postera die cum simulato metu et refugiens castra deseruisset, vinum affatim et ea, quae erant epulis necessaria, reliquit. quod cum nunciatum reginae esset, adolescentulum filium ad insequendum eum cum tercia parte copiarum mittit. cum ventum ad castra Cyri esset, ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad praelium venisset, omissis hostibus insuetos Scythas vino se onerare patitur priusque Scythae ebrietate quam bello vincuntur. nam cognitis his Cyrus reversus per noctem saucios opprimit omnesque Scythas cum reginae filio interfecit. amisso tanto exercitu et quod gravius dolen- 77. A

1 Discessit *B* 3 Labassarodochus *B*

6 *Diod. II, 34. Beros. 221. Dan. 5* 10 *Sic. Gemeint ist Megasthenes, De iudicio temporum et annalibus Persarum, unter welchem Titel Annius von Viterbo ein gefälschtes Werk herausgab (Beros. fol. 218)* 21 *Esr. I, 1—6. III, 2. 5.*

BSB

dum, unico filio Thomyris orbitatis dolore non lachrymas effundit, sed in ultionis solatia intendit hostisque recenti victoria exultantes pari insidiarum fraude circumdedit. quippe simulata diffidentia propter vulnus acceptum refugiens Cyrum adusque angustias perduxit. ibi compositis in montibus insidiis ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidavit, in qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod ne nuncius quidem tantae cladis superfuit. caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum coniici regina iubet, cum hac exprobratione crudelitatis: Satia te sanguine, inquit, quem sitisti. Cyrus regnavit annos sex et triginta, non inicio tantum regni sed continuo totius temporis successu mirabilis, ut de quo veridici dei inmortalis interpretes longo ante tempore adiecto etiam proprio nomine vaticinati sunt.

Cyrum excepit nepos ex fratre Dario Asuerus Artáxerxès primus (in historia Iudithae Nabuchodonosor cognominatur, Graecis est Cambyses). eius regni anno primo praesides Syriae (ob antiquam cum Iudaeis simultatem) graviter Iudaeos epistola accusant ‚perfidiae, caedis, defectionis eosdem arguunt, quamobrem Iesus pontifex (demandata filio Heliakym, qui et Iehoiakym, interim provincia pontificis) legatus crimina obiecta confutaturus Babylonem proficiscitur (ibi tum se rex continebat) ulturusque caedem patrui meditabatur expeditionem adversus Arpaxat, cuius fraude atque ope Cyrus perierat, ipse quoque Medos, Persas et Assyrios occuparat. cum itaque bellicis tumultibus Asuerus intentus esset, Iesus auditus non est. victor tandem Asverus, cum Holofernem ducem suum ab Hebraeis trucidatum accepisset, vetuit publice rescripto moenia urbis et templum extrui. tum Ioakym pontifex absente parente res gestas Iudithae memoriae conmendavit. tenuit gubernacula Artaxerxes annos viginti.

Ipsi succedit filius Darius annos septem et triginta. cum fratre Cyro Artabane ob regnum contendit; deinde ad arma ventum est, ibi victor Darius, non solum acta parentis rescidit, sed votis nuncupatis quoque aedificari templum publice edicto praecepit. anno regni eius primo Iesus pontifex rediit. altero deinde anno adhortantibus Aggeo et Zacharia, nunciis dei optimi maximi, Hebraei templum construunt, quarto demum anno perficiunt. Darius tercius cognomine Nothus postea Persis imperat annos undeviginti. Graeci haud scio quem sibi pro hoc Dario Xerxem fingant. hic a patre acceptum regnum filio per manus dedit.

19 A

11 *Iustin. I, 8* 14 *Iudith, cap. 1* 17 *Esr. I, 4* 21 *Iud. 1* 34 *Beros. 234. Esr. I, 5. 6. III, 2. 5. 6. 7.*

Is est Asuerus Artaxerxes Magnus, Darius Meneon, maritus Edissae, quae et Hester, neptis Mardochaei, qui vitae annos centum nonaginta octo explevit. a quo per epistolam admonitus rogatusque Ioakym pontifex rem gestam literis mandavit anniversariumque sacrificium instituit. septimo huius regni anno Esdras sacerdos, armarium divinae legis, in Palestinam migravit. vicesimo deinde anno pocillator regis Neemias subsequitur, moenibus Hierosolyma cingit. regnavit Artaxerxes annos quinque et quinquaginta. postea Artaxerxes Ochus, filius Edissae, tenet regnum annos sex et viginti; eius filius Arses quatuor. postremus apud Persas regnavit annos sex Darius quartus, Arsami filius, Codomanus ante dictus, praefectus Armeniorum. bellum cum Alexandro Magno diu variante fortuna, magna virtute gessit. postremo victus ab Alexandro, a cognatis occisus insidiis, vitam pariter cum regno Persarum finivit, quod annos dumtaxat (ut sunt omnia humana caduca) tres supra trecentos mansit; quemadmodum Arabarzanes quoque apud Q. Curtium Alexandro literis aperuit.

Sed longius ab incepto studium et necessitas sacrae historiae nos traxit. nunc ad Europam Germanosque revertar, si prius admodum pauca de imperio Macedonum, quod et Graecorum vocari solet, adtigero. Alexander ille Magnus, imperii Graecorum author, puer acerrimi ingenii literarum studiis eruditus fuit, exacta pueritia per quinquennium sub Aristotele doctore inclyto omnium philosophorum crevit. accepto deinde imperio regem se terrarum omnium et mundi adpellari iussit. annos natus viginti, cum triginta duobus peditum millibus, equitum quatuor Asiam Persarumque regnum invadit. hac tam parva manu universum terrarum orbem, utrum sit admirabilius, vicerit an adgressus fuerit, incertum est. cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non iuvenes robustos nec primo flore aetatis, sed veteranos plaerosque etiam emeritae militiae, qui cum patre patruisque militaverant, elegit; non tam milites quam magistros militiae electos putares. ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit; ut si principia castrorum cerneres, senatum te alicuius priscae reipublicae videre diceres. illius amici eius virtutis erant ac venerationis, ut singulos reges putares. quippe ea pulchritudo et proceritas corporis et virtutum et sapientiae magnitudo in omnibus fuit, ut qui eos ignoraret, non ex una gente, sed ex toto terrarum orbe electos iudicaret; nec ulla gens unquam tam clarorum virorum proventu floruit, quos primum Philippus pater, mox Alexander tanta cura legerat, ut non tam ad societatem 79A

5 *Beros. eb. Est. 2. 9* 6 *Esr. I, 7* 7 *Esr. II, 1—4* 11 *Hier. V, 275* 16 *VI, 4?*

belli quam in successionem regni electi viderentur. quis igitur miretur talibus ministris orbem terrarum victum?

Sed ut brevi hoc imperium coaluit, ita brevi conlapsum est. cum Alexandro maiestas eius orta, cum eo pariter occidit. ipse enim sublato hoste (ut sunt animi hominum nimia felicitate mersi impotentes sui) successu rerum elatus impatiensque tantae fortunae ut deus adorari voluit; nec iracundiae nec voluptatibus temperare potuit; inter epulas ebrius suorum se sanguine aspersit; quorum ope potissimum vicerat, trucidavit crudelissime. duodecimo tandem regni anno, insidiis petitus a suis, qui eius crudelitatem latius serpere metuebant, veneno in ipso flore aetatis Babylone extinctus.

Duces Alexandri declarato fratre eius Philippo rege, primo specie alieni imperii procurandi ingentia invadunt regna (sed adversus inmodicas cupiditates nullus stat terminus et difficile est eo contentum esse, quod offert occasio; sordent prima, cum maiora sperantur) interfectis Alexandri uxoribus, liberis, matre, omnibus denique, quicunque Alexandrum etiam longinqua cognatione contigerant, reges se a populo adpellari iubent. ita ex uno imperio quatuor confecere regna, Asiae, Syriae, Macedoniae, Aegypti. quodque imperium sub uno stare potuisset, dum a pluribus sustinetur, corruit. ipsi denuo in semet ipsos arma vertunt et, cum civilibus bellis vires suas seque confecissent, facilem praebuere victoriam Romanis, qui regibus captis, trucidatis, pulsis, eorum regna in formam provinciarum redegerunt. Paulus Aemilius Macedoniam, uno die duabus et septuaginta urbibus direptis ac venditis, L. Cornelius Scipio Asiaticus Asiam, Cn. Pompeius Magnus Syriam, imperator Caesar Augustus Aegyptum romano subiecit imperio.

Hae nunc regiones omnes Turcarum serviunt imperatori, non sine maxima christianorum principum infamia iacturaque reipublicae christianae; pudet pigetque dicere, quam degeneres simus. nos pessima atque diversa inter se vicia, luxuria atque avaricia pessundant. maiores nostri (apud quos pluris ferrum quam aurum erat) lacte et caseo avenaeque pulte, parco ac parabili victu contenti, pellibus ferarum et rhenonibus (quae venatio subministrabat) vestiti, Darium opulentissimum Persarum regem (qui Graeciam debellavit, Macedoniam domuit, Ionas navali praelio superavit) turpi ex Germania submovere fuga. ipse enim Germanorum orientalium (quos Scythas et Getas vocare solent) regi Landino nomine bellum intulit; huius filiam Darius in matrimonium

1 successione *B*
31 *Sall. Cat. 5, 8* 34 *Caes. b. G. VI, 21.*

petierat. Landinus Persae adfinitatem amiciciamque sprevit. Darius ita se contemni non aequo ferens animo, ponte Danubium committit, armatis septingentis millibus hominum, Daciam, qui nunc Septemcastrenses sunt, ingressus est. non facientibus hostibus pugnae potestatem sero animadvertit interrupto ponte Histri reditum sibi intercludi posse. insidias igitur metuens, amissis nonaginta millibus hominum trepide refugit, quae iactura abundante multitudine inter damna numerata non est.

Cap. 9. Regnante deinde apud Persas Artaxerxe Magno, marito Edissae, quae et Hester, Germani seu ex veteri et antiquo gentis instituto seu abundante domi multitudine, cum eos non caperent terrae, quae genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quaerendas velut peregrinatum miserunt. alii scribunt latrocinandi studio alienaque rapiendi more prisco caeteris contemptis patrios deseruisse penates. sunt qui tradant ab ultimis terrarum oris, cum omnia cingerentur oceano, ingenti agmine profectos, cum iam media vastassent. ex iis portio duce Brenno, filio regis Angilorum (Suevorum natio est) in Italia faventibus (qui ante Alpes transgressi erant) Germanis consedit, quae et urbem Romam captam incendit, quemadmodum mox enarrabimus. et portio Illyricos sinus per strages barbarorum penetravit et in Pannonia consedit; ibi domitis Pannoniis per multos annos cum finitimis bella gessit. at in Italia M. Caeditius de plaebe nunciavit tribunis, se noctis silentio audisse vocem clariorem humana, quae magistratibus dici iuberet, Gallos (hoc est albos) et Teutonas atque Germanos adventare. id (ut fit) propter authoris humilitatem spretum est, et quod longinqua tum eoque ignotior gens erat.

Brennus Suevorum regulus legatos ad Dionysium Siciliae regem (qui tum adversus Graecos eam partem Italiae incolentes, quae tum Magna Graecia dicebatur, ubi est Tarentum oppidum, bellum gerebat) mittit, societatem ac amiciciam petitum; gentem suam inter hostes eius positam esse, magno usui ei futuram, vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in praelium hostibus, aperuit. grata legatio Dionysio fuit. ita pacta societate et Teutonum auxiliis auctus, bellum velut ex integro restaurat. Germani quoque eius societate freti, / Ethruscorum 81. A oppida, quae nondum expugnarant, sibi deposcunt belloque lacessunt. Boii, qui ante ducentos annos in Italiam transcenderant, cum Senonibus

22 *Am Rande in A*: per idem et in spatium 23 adisse *B*

13 *Iustin. XXIV, 4* 16 *Flor. p. 17* 22 *Iustin l. c.* 26 *Liv. V, 32* 27 *Liv. V, 38* 34 *Iustin. XX, 5* 36 *Liv. V, 33.*

(quos fuisse Suevos inter inlustres constat authores et etiam nunc apud nos carminibus antiquis canitur) Melpum urbem opulentia praecipuam evertunt atque delent; author est Cornelius Nepos. Brennus deinde Clusium obsidet; auxilio fuisse Boios Suevis, ex Plinio existimare licet. romani tum imperii radices Tiberino agro Latioque antiquo millibus passuum quinquaginta finiebantur. vicinae urbes velut aemulae ultro etiam bello lacessebant. Clusini novo et incognito hoste exterriti, legatos Romam, qui auxilium a senatu peterent, miserunt. de auxilio nihil impetratum, legati tres missi, qui senatus et populi nomine agerent cum Germanis, ne socios populi Romani atque amicos, a quibus nullam iniuriam accepissent, oppugnarent; Romanis eos bello quoque, si res cogat, tuendos esse. legatis in concilio Germanorum respondetur: quinam gentium sint Romani, nescimus, nec quicquam nobis cum ipsis rei est; Clusini partem agri, quem latius possident, quam colunt, concedant, aliter pax impetrari non potest. suscipientibus deinceps Romanis atque quaerentibus, quidnam Germanis in Italia omnino rei et quodnam ius id esset agro possessores spoliare, accensis inde utrinque animis primo ad iurgium ventum est, mox praelium conseritur.

Legati quoque contra ius gentium arma capiunt et fortiter ante signa Clusinorum pugnant. quod ubi Germani agnovere, signo dato per totam aciem receptui canunt. omissa inde ira adversus Clusinos in Romanos belli studium convertunt. erant, qui extemplo Romam eundum censerent; vicit seniorum sentencia. legati prius mittuntur quaestum iniurias postulatumque, ut pro iure gentium violato legati dederentur. ubi mandata popularium Germani exposuerunt, senatus cognitionem de postulatis ad populum reiicit. ubi plus gratia ac opes valuerunt, ultro honor habitus violatoribus iuris humani, magistratus delati, nedum mulcta indiceretur. ipsi tribuni militum consulari potestate creati sunt, tantum abfuit, ut dederentur aut de eorum poena ageretur. infensi Germani bellum propalam minitantes, ad suos redeunt, confestim citato agmine Romam versus tendunt. urbes alias raptim praetereuntes omnia tumultu complent. Romam se ire magno clamore significant. fit fuga agrestium. Romani fama nunciisque Clusinorum aliorumque populorum exciti, ad undecimum lapidem ab urbe iuxta Alliam flumen hostibus occurrunt. Brennus regulus Suevorum, omissa multitudine, quae in aequo campi consederat, in subsidiarios, qui editum locum occuparant, impetum dat. parumper illos

1 *Plin. III, 116* 3 *Plin. III, 125* 4 *III, 116* 6 *Plin. III, 56* 12 *Liv. V, 35* 19 *Iustin. IX, 3. Liv. V, 36* 32 *Liv. V, 36* 36 *eb. 37.*

tutatus est locus. ubi loco pulsi, continuo omnes terga vertunt; fit fuga passim, pauci Romam, pars maxima Veios perfugit. in turba impedientium fugam, qui ad ripam Tiberis armis abiectis defugerant, magna strages facta; multos imperitos nandi aut invalidos hausere gurgites. erat inter viam Salariam et Tiberim lucus permagnus; plaerique victi ac fugientes e praelio se occultaverunt ibidem; ubi et quotannis festa in hoc luco posthac celebrabant lucariaque vocabant.

Germani tam repentina victoria praeter spem potiti, haud multo ante solis occasum ad urbem Romam perveniunt. ubi cum equites progressi non portas clausas, non stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris retulissent, noctem insidiasque et ignotae situm urbis veriti, extra urbem consederunt. Romae ubi hostes adesse nunciatum est, qui tum ibi erant, totam urbem lamentis implent, rati reliquos omnis caesos esse. iuventus armata in arcem fugit. Caeteri, qui inutiles bello, ex urbe cum liberis, uxoribus effusi, per agros dilabuntur urbesque petunt finitimas; sacra in doliolis condita flamines ac vestales virgines sacello defodiunt, cum caeteris, quae ferre poterant, ex urbe excedunt. turba seniorum, qui amplissimis usi erant honoribus, domos regressa, insignibus magistratuum cultuque fortunae priscae amplissimo, in medio aedium, sellis eburneis sedens, hostium adventum expectabat. Senones postero die apertam urbem invadunt primoque trepidabant, ne qui subesset dolus. mox ubi solitudinem vident, urbem patente porta ingrediuntur in forumque perveniunt acie instructa. solitudine absterriti, suspectis locis praesidia conlocant, ne quis in dissipatos impetus fieret. Caeteri dilapsi ad praedam patentis passim domos adeunt, ubi sedentes in sellis senes augusto ornatu habituque veluti simulacra deorum venerabundi intuentur. unus ex senibus in caput Suevi barbam suam (ut tum omnibus promissa erat) permulcentis scipionem eburneum impegit; ab eo inicium caedis ortum, caeteri quoque in suis sedibus trucidantur. tecta deinde diripiunt Germani, exhaustis faces admovent, totam urbem igne, ferro vastant; sex menses circa arcem haerent, obsessi in capitolio Romani ex mulierum capillis tormenta faciunt, inde aedem Veneri Calvae consecrarunt. panis iactatus in Germanorum castra, ut desperarent inopia subigi posse Romanos. Pestilentia enim famesque obsessos pariter et obsidentes urgebat. induciae factae, obsidio soluta est. mille pondo auri romani

3 abiectis armis *B*

4 *Liv. V, 38* 7 *Fest. p. 119* 14 *Liv. V, 39* 18 *Liv. V, 40. Vict. de vir. ill. 23* 21 *Liv. V, 41. Flor. p. 17* 31 *Liv. Flor. a. a. O.* 32 *Flor. 18, Liv. ep. 6* 33 *Lact. Inst. I, 20* 35 *Liv. V, 48. Flor. 18* 36 *Liv. V, 48.*

redimunt pacem; inter accipiendum aurum Camillus conlectis profugis ex praelio Romanis Germanos imparatos inopinatosque et nihil mali suspicantes facile cecidit. fugientibus, ne desperantibus rediret in praecordia virtus, non solum via data, sed et navigia permissa, quibus Tiberim transirent, et conmeatus, ita censente senatu, praebiti sunt. capta Roma est quarto decimo calendas Augusti, ab urbe condita anno supra trecentesimum quarto et sexagesimo. hunc diem Roma fastis mandavit aterque decerto pontificum iudicatus est.

Cum reliquiis et aliis Italiam incolentibus subinde pugnatum est. Manlium Torquatum, M. Valerium Corvinum aliosque Romanos duces cum his bellasse in annalibus invenio. conplura praelia tumultuaria latrocinantium more fuerunt. ipse enim ingenti saepius precio mercedeque conducti ab Ethruscis, Umbris aliisque Italiae populis infestis Romae velut in cervicibus positae, Romanum pervastarunt agrum.

Cum saepe alias, tum eo anno, quo Q. Fabius Maximus quintum, P. Decius quartum consules fuerunt, teutonici tumultus praecipuus terror civitatem tenuit imperatoresque bello ambo delecti. Senones Suevi multitudine ingenti rursus ad Clusium (quod Carmas olim adpellabant) venerunt, legionem romanam castraque oppugnatum. Scipio, qui castris praeerat, loco adiuvandam paucitatem suorum militum ratus, in collem, qui intra urbem et castra erat, aciem erexit; sed ut in re solita, parum explorato itinere ad iugum perrexit, quod hostes coeperant, parte alia adgressi; ita caesa a tergo legio atque in medio, cum hostis undique urgeret, circumventa; deletam legionem, ita ut nuncius non superesset, quidam authores sunt. nec ante ad consules, qui iam haud procul a Clusio aberant, eius cladis fama perlata est, quam in conspectu fuere teutonici equites; pectoribus equorum (qui mos adhuc est orientalium Germanorum) suspensa gestantes capita et lanceis infixa. congressi cum duobus consulibus, cum equitatum romanum in fugam vertissent, Decium devotum diis manibus occidunt. superstitione magis deinde quam virtute victi sunt. iidem parvo post tempore, cum ipsis populus romanus bellum ob violatos legatos indixisset, L. Caecilium praetorem cum legionibus profligarunt.

Haec ad occidentem et meridiem tum gesta. in oriente et aquilonis in ora non minor tumultus fuit. Philippus Macedonum rex, pater Alexandri Magni, posteaquam multis urbibus direptis Graeciam domuerat, finitimos in potestatem redegerat, in eam Magnae Germaniae

33 Caelium *B*

3 *Flor. 18. Liv. V, 48* 7 *Liv. VI, 1. Vict. a. a. O. Tac. Ann. XV, 41. Hist. II, 91* 8 *Flor. 17 Liv. VI, 1* 11 *Liv. VII, 10. 26; IX, 42. 46* 13 *Liv. X, 18. 21* 16 *Zum flgd. vergl. Liv. X, 24—28* 33 *Liv. ep. 12.*

BSB

partem, quae Histro Pontoque contermina est, Danubio traiecto, praedandi causa proficiscitur, more negociantium impensas belli alio bello refecturus. Matthaeas, qui eo tempore erat rex harum regionum, cum copiis occurrit. cumque sui virtute ac animo praestarent, astutia Philippi vincuntur. capta pecoris magna vis et 20 millia puerorum ac faeminarum, auri argentique nihil. sed revertentem Philippum accolae Histri armis excipiunt. Philippus ita in femore vulneratus est, ut per corpus eius equus interficeretur; cum omnes occisum putarent, praeda amissa est. nec impune nos Philippi filius Alexander Magnus lacessivit. nam Zopyrion, praefectus Ponti ab ipso relictus, ociosum se ratus, si nihil ipse gessisset, adunato triginta millium exercitu, maioribus nostris bellum intulit. Caesus cum omnibus copiis, poenas temere inlati belli genti innoxiae luit.

Ea quoque tempestate Germanos in Asia militasse, praeter famam vulgatissimam, antiqua carmina, domestica videlicet testimonia, authorem habeo Q. Curtium, qui inter auxilia Darii regis Persarum (quem variae gentes, ne sociis satis quidem notae sequebantur) Suevos commemorat.

Canitur apud nos Alexandrum Asia perdomita in Europam arma convertere decrevisse misisseque ad Germanos finitimosque quendam ex amicis, qui denunciaret, ne Tanaim atque Histrum amnes iniussu regis transsirent, a latrociniis se continerent. maiores nostri militiae factis magni, ad verborum linguaeque certamina rudes, gladium Alexandro misere per legatos, quos convivio adhibitos cum Alexander, quidnam maxime timerent, ratus se dicturos, interrogaret: nihil aliud, rex praestantissime (inquiunt), quam ne caelum in nos corruat. 35.4

Adfuerunt et Germanorum orientalium (quos Sarmatas et Scythas scriptores rerum, nos Venedos, ipsi se Sclavos vocant) oratores. hos ita locutos accepimus: si deus aviditati tuae par corpus dedisset, orbis terrarum te non caperet, altera manu orientem, altera occidentem contingeres. et hoc adsecutus scire velles, ubi solis fulgor absconderetur. sic quoque concupiscis, quae non capis, ab Europa petis Asiam, ex Asia transsis in Europam. deinde si humanum genus omne superaveris, cum sylvis et nivibus et fluminibus ferisque bestiis bellum gesturus es. arbores magnae, quae diu quidem crescunt, una hora extirpantur. leo quoque aliquando minimarum avium pabulum est et ferrum rubigo consumit. nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab in-

2 *Iustin. IX, 1* 9 *ebd. IX, 2. 3* 13 *ebd. XII, 2, 16* 16 *Curt. IV, 12. 9. Die Susiani, Susii des Curtius werden im Alexander Rudolfs von Ems, der Curtius benützt hat, als Swane aufgeführt (ed. A. Ausfeld, Mspt., v. 11475, 12062)* 22 *Curt. VII, 5* 23 *Liv. X, 22* 26 *Strab. 302. Arr. Exp. Al. I, 4. Anders im Alexander des Pfaffen Lamprecht (ed. Weismann v. 4689).*

valido. quid nobis tecum est? nunquam terram tuam adtigimus; qui sis, unde venias, licetne ignorare in vastis sylvis paludibusque viventibus? nec servire ulli possumus nec imperare desideramus. gloriaris te ad latrones persequendos venire; omnium gentium, quas adisti, latro es. iam etiam ad pecora nostra avaras et insatiabiles manus porrigis. impone felicitati tuae frenos, facilius illam reges; si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere; si autem homo es, id quod es, semper esse te, cogita. nos Asiae et Europae custodes habes; utrique imperio tuo finitimos, hostes an amicos velis esse considera. contra rex fortuna sua et consiliis suorum se usurum esse respondet; nam et fortunam, cui confidat, et consilium suadentium, ne quid temere aut audacter faciat, se secuturum.

Ita dimissis oratoribus Tanaim traiicit, ibi more veterum ducum aram atque columnam in terminis posuit; meminit Ptolomaeus. inde Alexandria in ripa Tanais condita, in Asiam revertitur; satis et ad gloriam et utilitatem perfectum ratus, Germanos ulteriores lacessere declinavit. Alexander popularibus nostris etiam imperitis notior est quam sui reges et imperatores, quorum ne nomina quidam norunt. Saxones et Suevi tum se stipendia fecisse praedicant. Noricos Boiosque eidem bellum indixisse antiquis canitur carminibus.

Post mortem eius magna hominum vis seu inopia agri seu spe praedae Germania Pannoniaque migrarunt. hortante deinde successu, divisis agminibus alii Macedoniam, patriam Alexandri Magni, duce Belgio, alii Graeciam ducibus Brennone, Euridano et Thessalono, pars Thraciam, 20 millia hominum cum Lomnorio et Luthario regulis, ferro omnia proterens, petivit. circa Hemum montem castra locant contra Cassandrum et Lysimachum reges Macedonum; cum valli gratia sylvas cecidissent, fontes nati sunt decisa sylva, quos arborum alimenta consumebant. Dromichetes quoque Getarum rex Lysimachum regem vivum capit inferentem sibi bellum; ostendens ei inopiam suorum, liberum dimisit; admonens opulenti populi ducem stolide adversus inopes occupasse bellum; quod magis domi illi timendum sit; quod belli certamen anceps, praemia victoriae nulla, damna manifesta; cum divite in hoste plura concupiscenda, ultro magis prodituros obviam; proinde inquit, ne talibus bellum inferas, sed potius amicis utere.

5 instabiles *A u. B* 6 eam *B*

9 *Curt. VII, 8* 13 *Curt. VII, 9* 14 *p. 202* 15 *Curt. VII, 6. Iustin. XII, 5* 16 *Caes. b. G. IV, 19* 17 *Ueber die ausgedehnte Alexanderliteratur des M. A., an die A. bei diesem Ausspruche wohl auch dachte, s. u. a. Koberstein-Bartsch, Gesch. d. deutsch. Nationalliteratur (1872) I, 146* 22 *Liv. 38, 16* 24 *Iustin. 24, 5. 6. 7* 26 *Liv. 38, 16. Iustin. 24, 4* 29 *Plin. n. h. 31, 53* 31 *Strab. 302* 34 *Iustin. II, 3* 35 *Strab. a. a. O.*

Tantus deinde germanici nominis terror erat, ut etiam reges non lacessiti ultro pacem ingenti pecunia mercarentur. solus rex Macedoniae Ptolomaeus Ceraunos, frater Ptolomaei Philadelphi, regis Aegypti, adventum horum intrepidus audivit iisque cum paucis occurrit. Belgius igitur ad tentandos Macedonum animos legatos ad Ptolomaeum mittit, offerens pacem, si emere velit. sed Ptolomaeus inter suos belli metu pacem Germanos petere gloriatus est nec minus ferociter se legatis quam inter amicos iactavit, aliter se pacem daturum negando, nisi principes suos obsides dederint; non enim fidem nisi inermibus habiturum; milites se habere filios eorum, qui sub Alexandro rege stipendia toto orbe terrarum victores fecerint. renunciata legatione risere Germani undique adclamantes, brevi sensurum, sibi an illi consulentes pacem obtulerint. interiectis diebus praelium conseritur, victi Macedones caeduntur, Ptolomaeus multis vulneribus saucius capitur, caput eius amputatur et lancea fixum tota acie ad terrorem hostium circumfertur; paucos ex Macedonibus fuga servavit; caeteri aut capti aut occisi. haec cum nunciata per omnem Macedoniam essent, portae urbium clauduntur, luctu omnia replentur. desperantibus omnibus Sosthenes unus de Macedonum principibus contracta iuventute et Germanos exultantes victoria compescuit et Macedoniam ab hostili depopulatione defendit.

Interea Brennus, quo duce portio Germanorum in Graeciam se effuderat, audita victoria suorum, qui Belgio duce Macedonas vicerant, indignatus, parta victoria opimam praedam et orientis spoliis onustam tam facile relictam esse, centum quinquaginta millibus peditum et quindecim millibus equitum in Macedoniam inrupit. cum agros villasque popularentur, occurrit ei cum instructo exercitu Macedonum Sosthenes, sed vincuntur Macedones intra murosque se condunt. Victor Brenno, qui et Brennus, nemine prohibente, totius Macedoniae agros depraedatur. inde animum ad delubra auro argentoque ornata convertit, dictitans, aurum esse offensam religionis locupletesque deos nullis opibus egere, ut qui eas largiri hominibus soleant. statim igitur Delphos vertit iter. ubi templum tum Apollinis erat positum in monte, rupe undique impendente, orbi terrarum celebratissimum locupletissimumque. ubi et oracula edebantur, responsa ab insanis vatibus dabantur consulentibus. civitatem ibi fecerat hominum frequentia, qui undique concurrebant; multa ibi et opulenta regum populorumque munera. igitur Brennus cum in conspectu haberet templum, diu deliberavit, an confestim rem adgrederetur, an vero fessis de via militibus noctis spacium ad resu-

4 *Zum flgd. vgl. Iustin. 24, 4—8.*

mendas vires daret. Euridanus et Thessalonus duces, qui se ad praedae societatem iunxerant, amputari moras iubent, dum imparati hostes et recens suus adventus terrori esset; interiecta nocte et animos hostibus, forsitan et auxilia accessura et vias, quae nunc pateant, obstructum iri. sed vulgus inconditum, ex longa inopia attenuatum, ubi primum vino caeterisque conmeatibus referta rura invenit, non minus abundantia quam victoria laetum per agros se sparserat desertisque signis ad occupanda omnia pro victoribus vagabantur. prius itaque suam urbem Delphi viribus sociorum permunivere, quam hostes vino velut praedae incubantes ad signa revocarentur. habebat Brennus lecta ex omni exercitu peditum quinque et sexaginta millia; Delphorum et sociorum non nisi quatuor erant millia. quorum contemptu Brennus ad acuendos suorum animos praedae ubertatem omnibus ostendebat statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul videbatur, solido auro fusas esse plusque in pondere quam in specie habere praedae adfirmabat. hac asseveratione incitati Germani, simul et hesterno mero saucii, sine respectu periculorum in bellum ruebant. contra Delphi plus in Apolline deo suo quam in viribus spem ponentes, cum contemptu hostium resistebant scandentesque Germanos e summo montis vertice partim saxis partim armis obruebant. in hoc partium certamine repente universorum templorum antistites, simul et ipsi vates cum insignibus et infulis pavidi vecordiae suae in primam pugnantium aciem procurrunt. advenisse deum clamant eumque se vidisse desilientem in templum per culminis aperta fastigia; dum omnes opem dei suppliciter implorant, iuvenem supra humanum modum insignis pulchritudinis comitesque ei duas armatas virgines ex propinquis duabus Dianae Minervaeque aedibus occurrisse. nec oculis tantum haec se perspexisse, audisse etiam stridorem arcus ac strepitum armorum. proinde ne cunctarentur diis antesignanis hostem caedere et victoriae deorum socios se adiungere, summis obsecrationibus monebant. quibus vocibus incensi omnes certatim in praelium prosiliunt. terrae motu mox (seu natura seu praestigiis malorum geniorum id factum) portio montis abrupta Germanorum stravit exercitum et confertissimi cunei hostium non sine vulneribus dissipati ruebant. insecuta deinde tempestas est, quae grandine et fulgure saucios ex vulneribus absumpsit. dux ipse Brennus, cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit. haec Graeci scriptores de Brenno.

An vero haec sint conmenta sacerdotum insanorumque vatum et fallacissimorum spirituum praestigiae inaniaque terriculamenta, haud facile dixerim. maiores nostri inter caeteros heroas Germaniae Brennum

antiquis celebrant carminibus; Suevum fuisse, victoria et praeda potitum, traditur. conmilitones quidem eius (quod sane constat), onusti auro et argento, per eadem vestigia, qua venerant, domum repetivere. pars Euridano duce ad confluentem Savi amnis sedes coeperunt, Scordisci posthac adpellati sunt. Thessalonus vero cum non mediocri populo praedae dulcedine Illyricum repetivit spoliatisque Histris in Pannoniae atque Norici confinio consedit. de bello superiore Brenni ita Propertius scribit:

Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum, | Dum petit intonsi Pythia templa dei; | At mons laurigero concussus vertice, duras | Gallica Parnassi sparsit in arma nives.

Peditum vero quindecim millia, equitum tria, qui (cum Brennus proficisceretur in Graeciam) ad terminos gentis tenendos relicti fuerant, ne soli desides viderentur, fugatis Getarum Triballorumque copiis, Macedoniae inminentes ad regem Antigonum (qui Ptolomaeo Sostheneque successerat) legatos mittunt, qui pacem venalem offerrent, simul et regis castra specularentur. quos Antigonus pro regali munificentia ingenti apparatu epularum ad coenam invitavit. sed Germani expositum grande auri argentique pondus admirantes atque praedae ubertate sollicitati, infestiores, quam venerant, revertuntur. quibus elephantes velut inusitatas ipsis formas rex ostendi iusserat, navis onustas copiis demonstrari, ignarus, quod, quibus ostentatione virium metum se iniicere existimabat, eorum animos ut ad opimam praedam sollicitabat. itaque legati ad suos reversi, omnia in maius extollentes, opes pariter et negligentiam regis ostendunt; referta auro et argento castra esse et neque vallo fossave munita, et quasi satis munimenti in divitiis haberent, ita eos omnia officia militaria intermisisse; prorsus quasi ferri auxilio non indigerent, quoniam abundarent auro. hac relatione animi satis ad praedam incitabantur. accedebat tum exemplum Belgii, qui non magno ante tempore Macedonum exercitum cum rege trucidaverat. itaque consentientibus omnibus nocte castra regis adgrediuntur, qui praesentiens tantam tempestatem, signum pridie dederat suis, ut omnibus rebus ablatis, in proximam sylvam taciti se occultarent. neque aliter servata castra, quam deserta sunt. siquidem Germani, ubi omnia vacantia nec sine defensoribus modo, verum etiam sine custodibus vident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes, diu intrare portas timuerunt; ad postremum integris et intactis munimentis scrutantes potius, quam diripientes castra occupaverunt. tunc ablatis, quae

5 non cum *B*.
7 *Iustin. 32, 3* 8 *Prop. III, 13.*

invenerant, ad littus convertuntur; ibi dum naves incautius diripiunt, a remigibus et ab exercitus parte, quae eo cum liberis et coniugibus confugerat, nihil tale metuentes trucidantur.

At Lomnorius, quem Strabo Leonorium nominat, et Lutharius, tercii agminis reguli, (quos supra commemoravi) in Thraciam iter avertunt. ibi cum resistentibus pugnando, pacem petentibus stipendium imponendo, Byzantium (quae nunc Constantinopolis est) perveniunt; eam omnem oram vectigalem faciunt; urbes regionis eius obtinent et aliquandiu possederunt. cupido deinde eos in Asiam transeundi capit, cum audissent ex propinquo, quanta ubertas terrae eius esset. Lysimacha urbe capta, Cherroneso omni armis possessa, ad Hellespontum descenderunt; ibi cum exiguo freto divisam cernerent Asiam, multo magis animis incenduntur. nuncios itaque ad Antipatrum praefectum de transitu mittunt. quae res cum lentius spe ipsorum protraheretur, inter regulos seditio orta est. Lomnorius retro, unde venerat, cum maiore parte hominum repetit Byzantium. Lutharius Macedonibus (quos Antipater per speciem legationis ad speculandum miserat) duas tectas navis et tres lembos adimit, his alios atque alios dies noctesqe transvehendo intra paucos dies omnis copias traiecit. haud ita multo post Lomnorius quoque Nicomede rege Bithyniae adiuvante a Byzantio transmisit.

Ex Europa itaque transgressi, coeunt in unum rursus reguli copiasque iungunt. primo Ilium (quam Troiam vulgo dicunt) occupant; ibi se munire decreverant; verum cum sine moenibus esset, relinquunt. deinde Nicomedi, qui adversus Zyboeam, partem tenentem Bithyniae, bellum gerebat, auxilia ferunt. eorum opera devictus Zyboea est Bithyniaque omnis in ditionem Nicomedis decessit; cum quo Germani divisere regnum. profecti subinde ex Bithynia in Asiam processerunt, non plus ex viginti millibus hominum quam decem armata erant; tamen tantum terrorem omnibus gentibus iniecerunt, ut, quas adissent, quas non adissent, imperio parerent, tributa penderent. proinde stipendia ipsi ex tota Asia cis Taurum montem exigebant.

Denique neque reges orientis sine mercenario illorum exercitu ulla bella gesserunt neque pulsi regno ad alios quam ipsos confugerunt. tantus terror germanici nominis sive armorum invicta felicitas fuit, ut aliter neque maiestatem suam tutam neque amissam recuperare se posse sine teutonica virtute arbitrarentur. Teutonumque ea tempestate

13 Canunt Byzantium sedem regum nostrorum fuisse — Teuthrania forsitan — Polydorus *am Rande in A*

3 *Iustin. 25, 1. 2* 4 *p. 566* 32 *Liv. 38, 16.*

tantae foecunditatis iuventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent. itaque (ut iam dixi) a rege Bithyniae in auxilium invocati, regnum cum eo parta victoria diviserunt, ad Halim amnem consederunt (eam regionem Galatiam Gallograeciamque authores rerum nominant); quos Germanos fuisse, supra ex divo Hieronymo docui. nam et corpora procera, promissae et rutilatae comae (quales Cn. Manlius apud Titum Livium refert) non aliam regionem quam Germaniam indicant, quae tum quoque Gallia dicta fuit. video et a tempestatis nostrae scriptoribus Carolos, Lutharios, Litavicos, Carolomanos, Arionulphos, Godofridos, Baldovinos, Flandros, Brabantinos, reliquos Belgas, cum Germani sint, adpellari tamen Gallos. de Galatis superioribus Claudianus poeta, qui plurima de nobis scripsit, ita canit:

Nuper ab oceano Gallorum exercitus ingens, | Illis, ante vagus, tandem regionibus haesit, | Pro Rheno poturus Halim.

Ad hos divus Paulus scribit. Peculiaria gentis nomina Tollistobogi (horum caput Pessinus), Voturi, Ambiati, Tectosages, Ancyra civitas, Teutobodiaci, Trogini sive Trocini, quorum est Tavium. sed ad Europam Italiamque rursus redeo.

Cap. 10. Post Tarentum, Pyrrhum regem Carthaginiensesque primo bello devictos, subacta iam Italia, trans Apenninum primum promota sunt arma romana; plurima deinceps bella romano populo cum Boiis sociisque eorum fuere; plures de ipsis triumphi quam de toto orbe terrarum acti sunt, donec Boii, qui amplissimi erant, eiecti sunt, socii eorum deleti. ante bellum igitur punicum secundum M. Claudius consul primus Romanorum cum exercitu Apenninum montem Padumque amnem transcendit; cum Boiis et sociis eorum manus conseruit, eos aliquot praeliis egregie fudit, ad pacis demum conditiones coegit. nam Viridomarum regem illorum sua manu occidit, tercia post Romulum opima spolia, quae dux duci detrahit, retulit. de hac victoria Propertius haec fecit carmina:

Claudius a Rheno traiectos arcuit hostes, | Belgica cum vasti parma relata ducis. | Virdomari genus hic Rheno iactabat ab ipso | Nobile.

In agro illorum coloniae deductae sunt Placentia et Cremona

15 Peculiaria — Tavum *in B aufgenommen, in A am Rande und durchstrichen* 32 *Am Rande in A* Viridomarus, Wirdmer.

5 *Iustin. 25, 2. Liv. 38, 16* 7 *Liv. 38, 17* 12 *Claud. in Eutrop. II, 247* 17 *Plin. n. h. V, 146; vgl. Liv. 38, 16. Strab. 566* 23 *Liv. 38, 17* 29 *Liv. ep. 20. Flor. p. 34* 30 *Prop. V, 10* 34 *Liv. ep. 20, 21.*

velut claustra ad eorum tumultus opposita, Romano colono oppletae sunt. missus quotannis ab urbe praetor cum exercitu, qui illos in officio fideque contineret cervicibusque ipsorum inmineret. Histriam quoque tum et Illyricos subiecere Romani.

Non longo post deinde tempore Hannibal dux Carthaginiensium graviter Italiam armis premit; ad Trasimenum lacum Germanis acerrime pro Romanis pugnantibus, deductis ordinibus facit abeundi potestatem, abeuntes sine suorum sanguine sternit. deinde romanum militem gravi praelio ad vicum Cannas fudit. eodem anno nova clade adfecta est Roma, alia super aliam cumulante in eum annum fortuna. L. Posthumius praetor consul absens tercium cum Tito Sempronio Graccho creatus, cum exercitu a Boiis deletus est, sylva erat circa Mutinam vasta (Litanam vocabant), qua exercitum traducturus erat; eius sylvae dextra laevaque circa viam Boii arbores ita inciderant, ut inmotae starent, momento levi impulsae occiderent. Legiones duas habebat Posthumius sociumque a supero mari conscripserat tantum, ut quinque et viginti millia armatorum in agros hostium induxisset. Boii oras extremae sylvae cum circumsedissent, ubi intravit agmen saltum, extremas arborum succisarum impellunt, alia in aliam instabilem per se ac male haerentem incidentes, ancipiti strage arma, viros, equos obruerunt, ut vix decem homines effugerent. nam cum exanimati plaerique essent arborum truncis fragmentisque armorum, caeteram quoque multitudinem inopinato malo trepidam Boii, saltum omnem circumsedentes, interfecerunt, paucis e tanto numero captis, qui fluminis pontem petentes, obsesso ante ab hostibus ponte interclusi sunt. ibi Posthumius omni vi, ne caperetur, reluctans, occubuit. spolia corporis caputque ducis praecisum Boii ovantes templo, quod sanctissimum apud eos erat, intulerunt. purgato inde capite (ut mos tum erat Germaniae, quemadmodum et Plinius et Paulus Ticinensis produnt) calvam auro caelaverunt. idque sacrum erat, quo solemnibus libarent; poculumque idem sacerdotis esse ac templi antistitis. vidi ego nostrates ex ossibus capitum humanorum bibere divorumque capitibus pro pateris uti. praeda haud minor quam victoria Boiis fuit.

Hac clade nunciata Romae in maximo pavore per multos dies

5 Carthaginensium, Carthaginensibus *B* 16 *Am Rande in A*: auxilium exercitum 26 reluctans *fehlt in A u. B*

1 *Liv. 31, 48* 4 *Liv. ep. 20* 8 *Front. Strat. II, 6* 11 *Liv. 23, 24. 22, 35* 29 *Plin. VII, 12; Paul. I, 27; II, 28* 32 *Im Kloster Ebersberg soll der Schädel des hl. Sebastian bei gewissen Kirchenfesten als Trinkgefäss benutzt worden sein.*

BSB

urbs fuit; bellum id eo anno omissum, quamquam ira stimularet; de hoste Hannibale consultatum est. quo superato legati Placentinorum Cremonensiumque Romae conqueruntur, ab accolis Boiis agrum suum incursari et vastari, magnam partem colonorum dilapsam esse et frequentes se urbes, agrum vastatum ac desertum habere. quamobrem Cn. Servilius consul contra Boios mittitur, sed nulla re memorabili gesta, patre Cn. Servilio triumviro agrario et C. Luctatio patruo ex servitute post sextum decimum annum receptis, qui ad vicum Canetum circa Mutinam capti fuerant, hinc patre, illinc patruo latere circumdatus, privato magis quam publico decore Romam rediit, facta deinde pace cum Carthaginiensibus P. Aelius consul cum audisset a Boiis incursationes in agros sociorum factas, duabus legionibus tumultus eius causa scriptis additisque ad eas quatuor cohortibus de exercitu suo, C. Appium praefectum socium tumultuaria hac manu agrum Boiorum invadere iussit; ipse eodem aperto itinere per montes duxit. Appius ingressus hostium fines, primo populationes satis prospere ac tuto fecit; delecto inde ad castrum Mutilum satis idoneo loco, ad demetenda frumenta (iam enim maturae erant segetes) profectus neque explorato circa loco nec stationibus satis firmis (quae inermes ac operi intentos tuerentur) positis, improviso impetu Boiorum cum frumentatoribus est circumventus. inde pavor, fuga etiam armatos coepit; ad septem millia hominum palantia per segetes sunt caesa, inter quos ipse C. Appius praefectus, caeteri in castra metu propulsi; inde sine certo duce, consensu militari proxima nocte relicta magna parte rerum suarum ad consulem per saltus prope invios pervenere; qui (nisi quod populatus est Boiorum fines et cum Liguribus foedus icit) nihil, quod esset memorabile, aliud in provincia cum gessisset, Romam rediit.

Continuo deinde Boii cum sociis Placentiam, cervicibus suis impositam, de improviso invadunt, capiunt, diripiunt ac magna ex parte incensa, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinasque relictis, traiecto Pado, ad Cremonam diripiendam pergunt. vicinae urbis audita clades spacium colonis dedit ad claudendas portas praesidiaque per muros disponenda, ut obsiderentur tamen prius quam expugnarentur nunciosque ad populum romanum mitterent. L. Furius Purpurio, qui tum provinciae praeerat, circa Ariminum consulari exercitu et sociali auxilio cum Boiis obsidentibus Cremonam pugnam conserit. Ancipiti praelio exceptus aedem Iovi vovit, si eo die hostes fudisset.

11 Carthaginensium, Carthaginensibus *B* 12 incursitationes *B*

1 *Liv. 23—25. Front. I, 6* 5 *Liv. 28, 11* 10 *Liv. 30, 19. 21, 26* 27 *Liv. 31, 2* 35 *Liv. 31, 10.*

tandem cum utrinque diu fortiter pugnatum esset, iam huc, iam illuc inclinante fortuna, caesi sunt tres imperatores nobiles Boiorum. ipsi Boii in fugam versi, castris exuti sunt. laeta victoria Romae fuit, literis adlatis supplicatio in triduum decreta est, Furius de Boiis triumphavit.

Deinde Cn. Cornelius Cethegus et Q. Minutius Rufus consules in agrum Boiorum legiones ducunt, Iunoni in foro olitorio aedem vovent, si potiantur victoria; effusis populationibus peragrant fines hostium. Boii ob sociorum defectionem fracti animis pugnam detrectant, relictis castris dilapsi, dissipati per vicos sunt, ut sua quisque defenderet. insequenti anno L. Valerius consul circa Litanam sylvam Boios fundit. idem subsequenti anno proconsul circa Mediolanum cum Boiis et sociis eorum, Dorulaco ipsorum imperatore signis conlatis pugnat; aliquot millia hostium caesa sunt. eodem anno (devicto iam Philippo rege Macedoniae) florentissimis tum rebus imperii et augescentibus annis fortuna, victis potentissimis regibus et imperatoribus, T. Sempronius consul in Boiorum agrum legiones ducit. Boiorum res tum Dorulacus regulus eorum cum duobus fratribus Britomaro et Ariovisto gerebat; tota gente concitata ad rebellandum, castra locis apertis posuit, dimicaturus cum consule. qui ubi, quantae copiae, quanta fiducia esset hosti, sensit, ad Cornelium Scipionem Aphricanum (qui Hannibalem vicerat) conlegam nuncium mittit, uti maturaret venire, se tergiversando in adventum eius rem extracturum.

Contra Boii, ubi consilium romani consulis intellexerunt, maturandum rati, priusquam coniungerentur consulum copiae, per biduum steterunt parati ad pugnam, si hostis contra egrederetur. tercia die vi vallum, castra ab omni parte adgressi sunt. consul iubet efferre Romanos signa, sed in ipso exitu ita conferti stetere Boii, ut clauderent viam. diu in angustiis pugnatum est; obnitebantur Romani, ut signa foras efferrent; urgebant corporibus, scutis Boii, ut aut ipsi castra penetrarent aut exire Romanos prohiberent. quorum duo inde primipili centuriones signa adempta signiferis in hostes iecerunt. dum milites repetunt enixe signum, erupere secundana porta conmilitones. iamque hi extra vallum pugnabant, alia ex parte Boii in portam quaestoriam inruperant, L. Posthumium quaestorem, duos praefectos et duocentos ferme milites resistentes pertinacius occiderant captaque ab ea parte castra erant; sed ab aliis Romanis Boii, qui intra vallum erant,

4 est *fehlt in B* 6 Ruffus *B*

2 *Liv. 33, 18* 4 *Liv. 31, 21–22, 1* 5 *Liv. 31, 49* 10 *Liv. 32, 31. (eb. 27, 5. 30, 1. 10)* 11 *Liv. 34, 22. (42, 2)* 18 *Flor. 34, 5. 8* 21 *Liv. 34, 43.*

BSB

partim occisi partim eiecti sunt. tandem et Romani alii erupere castris; ita simul tria praelia circa castra locis distantibus erant, usque ad meridiem aequis viribus pugnatum. labor et aestus emollida et fluida corpora Boiorum et minime patientia sitis decedere pugna coegit; in paucos restantes impetum faciunt Romani fusosque compellunt in castra. signum receptui a consule datum; ad quod maior pars receperunt se; pars certaminis studio et spe potiundi castris hostium perstitit ad vallum. Boii erumpunt ex castris, fusi deinde Romani, qui imperio consulis parere noluerant. ita varia hinc atque illinc nunc victoria, nunc fuga fuit. Boii sese receperunt in intima finium; consul Placentiam legiones duxit. Scipio alio exercitu iuncto cum conlega per Boiorum agros populantes eunt, quoad sylvae paludesque passae sunt.

Posthaec L. Cornelius Merula consul, M. Marcellus et T. Sempronius viri consulares in Boiorum fines arma movent. pugnatum diu utrimque varia fortuna, donec sol ingenti ardore torrebat minime patientia aestus corpora Boiorum. Boii inde, licet diu obstabant, demum terga dederunt, in fuga multi perierunt.– deinde L. Quintius, Cn. Domitius Aenobarbus consules Boiorum agros duobus agminibus rursus vastant. equites pauci cum praefectis, deinde universus senatus, postremo, quibus aut fortuna aliqua aut dignitas erat, ad mille, ad consules transfugerunt.– ad ultimum dum M. Attilius Glabrio cum Antiocho Magno rege Syriae et Asiae (qui Dacos et Getas Germaniae Magnae populos auxiliares habuit) bellum gerit, P. Cornelius Nasica, vir optimus a senatu iudicatus, consul in agrum Boiorum legiones induxit, cum exercitu signis conlatis prospere pugnavit, Boios acie vicit, castris exuit. cum tot millibus Boiorum nemo imperatorum ante Scipionem hunc conflixit; ingens bellum, magna victoria fuit, castra capta sunt. Boii post eam pugnam extemplo, nempe biduo dediderunt se; obsides dati a Boiis futurae pacis signum. in deditionem itaque accepti, agri parte fere dimidia mulctati sunt, quo, si vellet, populus Romanus colonias deduceret. supplicatio eius victoriae causa decreta a senatu victimaeque maiores caesae; Scipio de Boiis ingenti apparatu triumphavit.

Nec sic quidem pax diuturna. legati Placentinorum et Cremonen-

16 utrinque *B* 26 indixit *B*

13 *Liv. 34, 46—48* 18 *Liv. 35, 4. 5* 22 *Liv. 35, 22, vgl. 35, 40, 3* 24 *Liv. 37, 38; 40* *Liv. 36, 37 fg.* 25 *Liv. 29, 14* 26 *Liv. 36, 38* 28 *Liv. 36, 40* 30 *eb. 38, 7* *eb. 40, 3 (pacis pignus)* 32 *eb. 39, 3* 33 *eb. 38, 7* 34 *ebend. 40, 11.*

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

sium Romam veniunt, in senatu queruntur inopiam colonorum, taedio adcolarum Boiorum ipsos reliquisse colonias; placuit omnino finibus Italiaque depellere Boios. Boii aleam belli tentare amplius detrectantes, caedendum fortunae victoris gentium populi rati, ad Tauriscos Noricosque et usque ad Histrum amnem, qui et Danubius, demigrant; inter amnes Danubium et Draum occidentem versus sedes capiunt et omnem agrum, qui ad Illyricum pertinet, pascendis iumentis pecoribusque idoneum occuparunt, ubi nunc pars Austriae Ungariaeque est. bellum assidue contra Dacos, qui alteram ripam Danubii tum incolebant, gesserunt. ita apud Strabonem et in domesticis libris invenio: tenuere Italiam annos quadringentos.

Post eiectos Boios in eorum regionem coloniae a Romanis deducuntur. Gallia Togata posthac dicta est, quae Ptolomaeo subiacet montibus Apenini, usque ad Ravennam et Rubiconem producta. tercio itaque kalendas Ianuarias Bononiam latinam coloniam ex senatus consulto L. Valerius Flaccus, M. Attilius Serranus, L. Valerius Tappo triumviri deduxerunt. tria millia hominum sunt deducta, equitibus septuagena iugera, caeteris colonis quinquagena sunt data. ager captus de Boiis, quorum Bononia fuerat. Boii Tuscos expulerant. Mutina quoque ac Parma coloniae Romanorum civium deductae sunt. Bina millia hominum in agrum, qui proxime Boiorum, ante Tuscorum fuerat; octena iugera Parmae, quina Mutinae acceperunt. diviserunt agros tres viri M. Aemilius Lepidus, T. Ebutius Carus, L. Quintius Crispinus. Aquileia quoque latina colonia deducta est in agro Boiorum; tria millia peditum, quibus data quinquagena iugera, centurionibus centena. centena quadrageńa equites receperunt. deductae sunt et aliae complures, sicuti Ravenna, Ariminum, Pisaurum; quae si quis cognoscere velit, rerum scriptores evolvat; nos brevitati suscepti operis satisfecimus.

Refert Strabo in Tauriscis et Noricis ea tempestate aurarias haud procul Aquileia repertas, altitudine a solo duos dumtaxat pedes; aurumque fossile inventum in modum fabae, partim purum, partim decoquendum octava parte. Itali adiuvabant Noricos, sed ubi in Italia triente carius vendi aurum Norici acceperunt, eiectis Italis soli vendiderunt. eodem tempore post Antiochum Magnum devictum Cn. Manlius Volsco cum Germanis Asiam incolentibus (quos Galatas Gallograecosque vocant), quod inter auxilia Antiochi fuerant, bellum

2 *Liv. 37, 46* 10 *Strab. 213* *Wohl in Arnpecks Chron. Baior. I, c. 4* 14 *Ptol. 180. 176* 19 *Liv. 37, 57* 24 *Liv. 39, 55* 26 *Liv. 40, 34* 27 *Liv. 39, 44. Ep. 15* 30 *Strab. 208* 37 *Liv. 39, 6; 38, 12; 37, 40.*

gessit, duobus praeliis fusos fugatosque ad pacis conditiones pepulit. denunciatum est, ut agrorum suorum terminis se continerent, morem vagandi cum armis finirent, pacem servarent cum finitimis, caeterum liberi suis legibus viverent. negatus tamen est victori triumphus, quia causam belli non adprobavit senatus.

Hic Manlius primus omni genere licentiae corrupit milites; luxuriae peregrinae origo ab exercitu asiatico in urbem invecta est. hactenus populus romanus parsimoniae paupertatisque amator, respublica magna, sancta, bonis exemplis dives, nullus opibus, nullus pecuniae honos fuit. labente deinde paulatim disciplina crescentibusque viciis cum magnitudine imperii avaricia, luxuria, studium pecuniae laetalis ambitus cum intestinis seditionibus inmigrarunt; iusticia, fides cum sociis omnia venalia coepta haberi; respublica bellis socialibus, servilibus, gladiatoriis conflictata est.

Cap. 11. Cum Germanis brevis sane et quasi ad recipiendum spiritum requies secuta est. anno ab urbe condita sexcentesimo quadragesimo Caecilio Metello et Cn. Papirio Carbone consulibus armorum crepitus et tubae sonitus auditus e caelo futuras portendit calamitates. ab eo enim tempore horribili Marte ululârunt Cimbri, Teutones, Ambrones cum regibus suis Celeo, Teutobocho, Bolo transcendentes Rhenum, multis mox cladibus Romanorum suisque nobiles. Germaniae Magnae hi populi, qui ab oceano germanico ex his regionibus (quas nunc Saxones Danique incolunt) in Illyricum provinciam romanam seu spe praedae seu inopia egestateque agri cum copiis profecti fuerant, irrupturi in Italiam. mitescentia hic Alpium iuga facilem in Italiam aditum praebent. Cn. Papirius Carbo consul, ne quid respublica detrimenti pateretur, cum armis hostes aditu Italiae prohibiturus, circa Noreiam, urbem supra Aquileiam coloniam romanam, occurrit signisque conlatis re infecta discedit. Germani vexato Illyrico consulem iterum aleam belli haud auspicato tentare cogunt, ipsum cum exercitu fundunt, trucidant, delent.

Deinde haud scio, quam ob causam ad Helvetios plurimo quidem auro locupletes, verum in pace vitam agentes iter fecerunt. Helvetii

29 que *fehlt in B*

1 *Liv. 38, 12 Flor. p. 46* 3 *Liv. 38, 40* 5 *Flor. 46* 7 *Liv. 39, 6* 14 *Flor. 56. Liv. praef. 9, 11. Sall. Cat. 10. 11* 16 *Flor. p. 33* 17 *Tac. Germ. 37* 18 *Plin. n. h. II, 148* 20 *Flor. 61. 62* 21 *Vell. II, 8* 24 *Liv. 38, 16. Ep. 63* 25 *Plin. n. h. III, 147* 29 *Strab. 214. Liv. ep. 63* 31 *Tac. Germ. 37. Vell. II, 12. Liv. a. a. O.*

cum viderent Cimbrorum opes praeda partas longe suis maiores esse, Cimbris Teutonisque, maxime Tigurini sollicitati ab ipsis, sese coniungunt. coniunctis itaque viribus totam Galliam occupant atque depopulantur. transgressi Pyreneos montes Hispaniam invadunt, magna inlata calamitate; pulsi inde a Celtiberis in Gallias remigrant. circa flumen Rhenum impedimenta, quae secum agere ac portare non poterant, deponunt; aliquot millia hominum ex suis custodiae ac praesidio relinquunt. hi post illorum abitum a finitimis agitati, cum alias bellum inferrent, alias inlatum defenderent, consensu eorum omnium pace facta, intra Mosam oceanumque sibi locum domicilio delegerunt condidereque Aduaticos et Nervios, ultro in adfectatione germanicae originis (uti ait Cornelius Tacitus) ambitiosos; nunc Brabantinos Flandrosque nominamus.

Caeterum Cimbri, Teutones, Ambrones et Tigurini Divicone principe, cum omnem Galliam occupassent, in provinciam exire atque inde in Italiam contendere parabant. in provinciam igitur Romanorum recta tendunt, iter inde in Italiam facturi. quacunque ibant, late longeque omnia devastabant. Lucium Cassium consulem in finibus Allobrogum (Sabaudienses sunt) cum exercitu caedunt. L. Pisonem legatum, avum L. Pisonis, soceri Iulii Caesaris, eodem praelio interficiunt. milites, qui ex clade supererant, obsidibus datis et dimidia rerum omnium parte, ut incolomes dimitterentur, pacti, sub iugum missi sunt.

Mox Germani ad M. Iunium Syllanum alterum consulem in castra legatos mittunt, inde ad senatum, petentes, ut populus romanus aliquid sibi agrorum terraeve daret quasi stipendium, caeterum, ut vellit, manibus atque armis suis uteretur. senatus negavit. repulsi igitur, quod nequiverant precibus, armis petere constituunt. Syllanum adgressi in fugam vertunt, castris exuunt, cum exercitu caedunt. inde Aurelius Scaurus legatus consul haud secundiore fortuna confligit, fuso eius exercitu ipse captus est; et cum in consilium ab hostibus evocatus, deterreret eos, ne Alpes transsirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos minime vinci posse, a Bolo rege, feroci iuvene, occisus est. eodem fato a M. Manlio, Q. Servilio Caepione proconsulibus male pugnatum est; victi praelio, fugati, binis castris exuti sunt; octoginta

26 vellet *B* 35 castri *A*

3 *Strab. 293* 5 *Liv. ep. 67* 11 *Caes. b. G. II, 29* 12 *Germ. 28* 15 *Caes. b. G. I, 13* 16 *Caes. I, 33* 23 *Liv. ep. 65. Caes. I, 12* 29 *Flor. 60. Liv. a. a. O. Vell. II, 12* 36 *Liv. ep. 67. Sall. Iug. 114.*

millia Romanorum caesa sunt, calonum et lixarum quadraginta. Germani itaque (sicuti est apud Tacitum) ea tempestate Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione, M. quoque Manlio fugatis et captis, quinque simul consulares exercitus populo Romano abstulerunt, quo metu omnis Italia contremuit. vovit victor gentium populus ludos Iovi optimo maximo, si rempublicam in meliorem statum vertisset.

Actum erat de imperio, nisi C. Marius illi saeculo contigisset. is tum bellum prospere gerebat in Aphrica adversus Iugurtham regem Numidarum. Absens contra legem maiorumque instituta consul factus eique decretum bellum germanicum. ea tempestate spes atque opes urbis in illo sitae. ipse ergo Marius cum Quinto Catulo consule non ausus congredi statim, militem tenuit in castris, donec invictus ille ardor et impetus consenesceret. ad explorandam quoque Gallorum et Ligurum fidem literas eis mittit binas consul, quarum primae prohiberent, ne interiores, quae signatae erant, ante certum tempus aperirent. eas ante diem praefinitum repetit, reseratas reperit, hostilia agi intellexit. Germani cunctationem Marii metum interpretantes, tripartito agmine fiducia urbis potiundae per Alpes, id est, claustra Italiae feruntur. habebant Romani pro portento Alpes ab ipsis exuperatas, quemadmodum antea ab Hannibale. Teutones et Ambrones Alpes emensi, summa vi castra Marii oppugnant; summa vi a Mario defenduntur.

Lucius Marius Romanus Teutono provocanti ad singulare certamen respondit, si cupidus mortis esset, laqueo eum posse vitam finire. cumque demonstraret gladiatorem contemptae staturae et prope exactae aetatis, dixit: si eum superasset, continuo cum victore congressurum. Marius deinde, ne hostium copiae coniungerentur, occupatis conpendiis, velocitate praevenit; priores Teutonas sub ipsis Alpium radicibus adsecutus in loco Salviorum, quem Aquas Sextias vocant, ubi pugnaturus postero die, Marcellum cum parva manu equitum peditumque noctu post terga hostium misit. et ad implendam iusti equitatus speciem agasones, lixas armatos, simul ire iussit et iumentorum magnam partem instratorum centunculis; qui, cum mane praelium iniretur, in terga hostium inruerunt. ita Marius duobus praeliis victos oppressit, in fugam vertit. metatores Marii per imprudentiam ita castris locum caeperant, ut Germani vallem tenerent, Romanis nulla aquarum copia

4 *Tac. Germ. 37* 5 *Sall. I. 114* 6 *Suet. Aug. 23* 7 *Flor. 60* 9 *Flor. 96* 11 *Sall. Iug. 114* 13 *Flor. 60* 17 *Front. Strat. I, 2* 19 *Flor. 60* 22 *Liv. ep. 68* 26 *Front. IV, 7* 29 *Plin. III, 36* *Flor. 60* 34 *Front. II, 4* 35 *Liv. ep. 68. Front. a. a. O.* 36 *Front. II, 7.*

esset. flagitante aquam exercitu: Viri, inquit Marius, estis, en illic habetis; itaque tanto ardore pugnatum est eaque caedes fuit, ut flumen cruore flueret. reliquias Teutonum, quia nox circumvenerat, circumsedens Marius sublatis subinde clamoribus per paucos suorum territavit, insomnem hostem detinuit. ex eo consecutus, ut postera die inrequietum facilius debellaret. Teutobochus rex, quaternos senosque equos transsilire solitus, proximo in saltu conpraehensus insigne spectaculum fuit. quippe vir proceritatis eximiae, super trophaea ipsa eminebat. Sublatis Teutonis et Ambronibus in Cimbros convertitur.

Hi repulso fugatoque ab Alpibus Q. Luctatio Catulo proconsule, qui fauces Alpium insederat et ad flumen Athesim castellum editum reliquerat; ipse enim a Cimbris pulsus, cum unam spem salutis haberet, si flumen transsisset, cuius ripam hostes tenebant, in proximo monte copias ostendit, tanquam castra positurus, praecepitque suis, ne sarcinas solverent aut onera deponerent, ne quis ab ordinibus aut signis discederet; et quo magis persuasionem hostium confirmaret, pauca tabernacula in conspectu erigi iussit, ignes fieri, vallum quosdam struere, quosdam lignatum ire, ut conspicerentur; Cimbri ista vere existimantes agi, ipsi etiam castris delegerunt locum; dispersi in proximos agros ad conparanda necessaria mansuris dederunt Catulo occasionem traiiciundi fluminis. fugientem igitur proconsulem exercitumque per hiemem Tridentinis iugis in Italiam prosecuti traiiciunt. si statim infesto agmine urbem petiissent, grande discrimen fuisset. C. Marius et Q. Catulus coniunctis exercitibus cum soli caelique clementia robur hostium elanguisset, eos vini dulcedine mitigatos, dolo in tempore adgrediuntur.

Fulvius conlatis cum hoste castris, equites suos iussit succedere ad munitiones eorum. lacessitis hostibus, simulata fuga recessit. aliquot dies id facit. avide insequentibus Cimbris, animadvertit castra eorum nudari. per partem exercitus consuetudine custodita post castra hostium consedit atque caepit deserta castra. diem deinde pugnae a Mario petunt Cimbri; ille proximum dat additque virtuti dolum. primum namque diem nebulosum nactus, hosti inopinatus occurrit; tum ventosum quoque, pulvis in oculos et ora hostium ferebatur. tum acie conversa in orientem, ex splendore galearum ac repercusso quasi ardere caelum visum est. scribunt alii, Marium constituta die pugnaturum,

12 enim *fehlt in B*

3 *Flor. 60* 6 *Front. II, 9* 9 *Flor. 61* 12 *Liv. ep. 68* 21 *Front. I, 5* 22 *Flor. 61* *Liv. ep. 68* 23 *Flor. 61* 26 *Flor. 61. Liv. a. a. O* 31 *Front. II, 5* 36 *Flor. 61.*

BSB

firmatum cibo militem ante castra conlocasse, ut per aliquantulum spacii, quo hostes aberant, exercitus potius hostium labore de via profligaretur; fatigationi deinde eorum aliud incommodum addidisse, ordinata acie suorum ut adverso sole, vento, pulvere hostium occuparetur exercitus. Cimbri itaque et Teutones fusi deletique sunt. nec minor cum uxoribus eorum pugna quam cum ipsis fuit, cum obiectis undique plaustris atque carpentis, alte desuper quasi de turribus, lanceis contisque pugnarent. desperata tandem salute, suffocatis elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidere vulneribus aut vinculo e crinibus suis facto ab arboribus iugisque plaustrorum pependerunt. canes quoque Cimbros defenderunt, caesis dominis eorum plaustris impositis. Celeus rex in acie dimicans impigre nec inultus occubuit.

Tercia Tigurinorum manus, quae quasi in subsidio Noricos insederat Alpium tumulos, in diversa lapsi fuga ignobili et latrociniis evanuit eodem momento. hunc tam laetum tamque felicem libertatis Italiae adsertique imperii nuncium (authores sunt C. Plinius et L. Florus) per deos Castorem et Pollucem datis praetori literis populus romanus accepit. factum hoc quoque bellis illis populi romani Quiritibus ostentum. Nuceriae in luco Iunonis ulmus, posteaquam ei cacumen amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta est sponte, ita ut protinus floreret. a quo deinde tempore maiestas populi romani resurrexit, quae ante vastata cladibus fuerat, illique et deinde usque ad nostram memoriam (inquit Sallustius) Romani sic habuere, alia omnia virtuti suae prona esse, cum Germanis pro salute, non pro gloria certare. Marius totius consensu civitatis summo honore receptus est; pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit. nobilitas quoque, quae novo homini (ut fit) invidebat, veritate coacta est fateri, conservatam ab eo rempublicam.

Cap. 12. Vix horum bellorum cruoribus expiatis uncta arma erant, Mithridates Magnus rex Ponti intonuit; duarum et viginti gentium rex, totidem linguis iura dixit, pro concione singulos sine interprete adfatus est. maximus sua aetate regum, in reliqua ingenii

6 *Am Rande in A*: trecentae fuerant; a victore petierant, ut virginibus — vestalibus — dono mitterentur nec minus caste quam illas se victuras, quod tamen negatum *(Val. Max. VI, 1. E. 3. Hieron. de monog. I, 42 C)* 11 impositis *A, B u. C* 16 *C. fehlt in B*

5 *Front. II, 2.* 10 *Flor. 62* 11 *Plin. n. h. VIII, 143 (Oros. V, 16)* 12 *Flor. 62* 16 *Plin. n. h. VII, 86* 17 *Flor. 62* 22 *Plin. XVI, 132* 23 *Sall. Iug. 114* 28 *Liv. ep. 68* 29 *Hor. C. II, 1* 32 *Plin. n. h. VII, 88, XXV, 6* 32 *Plin. XXV, 5 u. z. flgd. 7. 3.*

magnitudine, medicinae peculiariter curiosus; ab hominibus subiectis, qui fuere pars magna terrarum, singula exquirens, quid quaeque radix polleret, ad quos usus herbarum folia pertinerent; scrinium conmentationum harum et exemplaria et effectus in arcanis suis reliquit. Pompeius regia praeda potitus, transferre ea sermone romano libertum suum Leneum grammaticae artis doctissimum iussit. hic igitur, de quo dixi, Mithridates, velut turbo septentrionem orientemque involvit armis adversus Romanos. ad Sarmates Germanosque legatos mittit, variis beneficiorum muneribus inlicit, Arsacem regem Parthorum ad belli societatem invitat, ad auxilium ferendum cohortatur ad opprimendumque Romanos, gentium latrones hostesque regum, concitat. Tigranem quoque regem Armeniae et Syriae sibi coniungit. sic excitatis omnibus in bella romana descendit. tanta eius magnitudo fuit, ut non sui tantum temporis reges, verum etiam superioris aetatis vicerit. bella cum Romanis per sex et quadraginta annos varia fortuna gessit. cum summis imperatoribus res illi fuit, Sylla, Lucullo, Pompeio Magno; Asiam occupavit; iussu eius, quicquid civium romanorum in Asia fuit, uno die trucidatum est. Aquilio duci capto aurum in os infudit, Graeciam, Athenas caepit; ita victus, ut maior clariorque resurgeret, instaurando praelio damnisque suis terribilior redderetur. denique ad postremum non vi hostili victus, sed voluntaria morte in avito regno senex haerede filio decessit.

Dum haec in Asia geruntur et Graecia, Germani et Galli servili tumultu Granico duce Italiam correptis armis vastant. Cl. Pulchrum, P. Vorenum praelio vincunt; domiti tandem sunt a M. Crasso.

Quoniam ad Armeniae mentionem venimus, origo eius altius repetenda est. nam eam nostratibus vulgo notam esse (ut in qua reparatum sit genus humanum post illam aquarum cladem decantatissimam) reperio. Armenia duplex est, maior et minor; haec cis Euphraten est, ad septentrionem occidentemque Cappadociam, ad austrum vero Ciliciam spectat. Urbes in ea Nicopolis (ubi Pharnaces filius superioris Mithridatis romanas adflixit copias), Claudiopolis, Iuliopolis. maior trans Euphraten ponticas gentes, Medos, Assyrios, Mesopotamiam contingit; civitates Artaxata, caput gentis, Tigranocerta, Sagalbina in ripa Araxis fluminis, ubi Noas habitavit. in ea sunt montes Gordei,

33 Euphratem *A*

8 *Flor. 64, 66. Iustin. 38, 3* 9 *Iustin. l. c.* 13 *Iustin. 38, 8 (Curt. VII, 8)* 17 *Iustin. 37, 1* 18 *Liv. ep. 78* 19 *Plin. XXXIII, 48* 22 *Iustin. l. c.* 24 *Liv. ep. 97* 25 *eb. 95* *Flor. 87* 27 *Iustin. 42, 2* 32 *Ptol. 345. 341. 342* 34 *eb. 354. 355* *Flor. 66* *Ptol. 358. 360.*

BSB

in quorum verticibus navis, qua vectus Noas, recubuit. paruit Armenia regibus Assyriorum, Persarum, deinde Macedonum. victo vero Antiocho Magno a Romanis peculiares cepit habere reges. regnarunt ibi Artaxias et Radriadas, post hunc Tigranes, quem primo Lucullus, deinde Pompeius devicit captis Artaxatis. eidem Syriam ademit; in Armenia supplicem regnare permisit. Tigranocerta Tigranes condidit; reliquit duos filios, Tigranem et Artabazum, quem ut proditorem M. Antonius triumvir occidit. imperator Caesar Augustus Armeniam in formam provinciae redegit. dati tamen a Romanis aliquando reges fuerunt. Pompeius (unde digressus sum) Asiam, extremam provinciarum tum romani imperii, mediam fecit, tanta felicitas unius hominis valuit.

Interim ad septentrionem rex Germaniae Arionistus (cuius uxor soror erat Voccionis regis Noricorum) cum copiis Rhenum in Gallias transsit. Galli semel atque iterum armis contendunt pulsique magnam calamitatem acceperunt; omnem nobilitatem, omnem senatum amiserunt; fracti praeliis, calamitatibus, obsides dederunt. centum viginti millia Germanorum in Gallias traducta sunt agrique inter ipsos distributi sunt. Boiorum quoque (qui trans Rhenum incoluerant, inquit Caesar, et in agrum Noricum transsierant Noreiamque oppugnarant) triginta tria millia rege Numeio ad Helvetios vicinos et consanguineos suos, utranque Rheni ripam longe lateque incolentes, pergunt. nunc ea loca tenent Suitenses, Brisacii, Elisacii et huiusmodi gentes, quae inter Rhenum Moenumque amnes domicilia habent (Ptolomaeum Tacitumque sequor), inter quas et adcolae Sylvae Nigrae, quam et Ptolomaeus et Caesar Helvetiorum cognominant, magno errore illorum, qui eam Bacenim crediderunt, quum haec Suevos ac Cheruscos pro nativo muro dividat ambaeque gentes accolae Albis fluminis fuerint. authores Claudianum Lucanumque in tanta testium copia citasse sufficiat, quorum prior ita refert: 101, A

Ingentesque Albim liquere Cherusci.

alterius versus hi sunt:

Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos | Albis.

Sed ceptam rem prosequar. Helvetii et Boii coniunctis copiis

13 Arionistus *sic A u. B* 21 utramque *A* 32 sunt hi *B* 34 subtexam *folgt nach prosequar in A*

1 *Beros. 9* 8 *Strab. 531. 524; Liv. ep. 101. Flor. 66* 10 *Strab. 53* 11 *Flor. 67. Plin. n. h. VII, 99* 12 *Flor. 66* 13 *Caes. I, 31* 14 *Caes. I, 53* 17 *Caes. I, 31* 19 *eb. 5* 21 *Caes. I, 7, 29* 25 *Tac. G. 28* 26 *Ptol. 150. Caes. VI, 25. s. oben S. 21 unter Harze* 29 *Claud. IV. cons. H. 452. Luc. II, 51.*

occupare Gallias, in provinciam romanam exire atque inde in Italiam contendere (quemadmodum antea Teutonas Cimbrosque fecisse noverant) compositis necessariis ád huiusmodi expeditionem meditabantur. ad flumen igitur Rhodanum Genevam oppidum extremum Allobrogum armati consident. ex eo oppido pons ad Helvetios pertinebat. Divitiacus Heduus Gallorum princeps profugus Romam ad senatum auxilium postulatum venerat. mittitur in Galliam a Romanis cum legionibus aliquot C. Iulius Caesar, vir consularis, socer Cn. Pompei Magni. is iter prohibiturus pontem, qui erat ad Genevam, rescindere iubet. Boii cum Helvetiis retro pedem referunt ad Ararim flumen (Saonam vocant); in fines Heduorum (Burgundiones sunt) perveniunt; agros populantur, ratibus, lintribus iunctis flumen transseunt. tres partes transsierant, quarta fere pars circa flumen Ararim reliqua erat. ad eam Caesar in auxilium vocatus ab Heduis pervenit, eos impeditos inopinantesque adgressus, caedit, in fugam vertit. ponte deinde subito in Arari facto exercitum traducit.

Boii cum sociis repentino adventu Romanorum conmoti, legatos ad Caesarem mittunt. cum de pacis conditionibus inter eos non conveniret, ancipiti praelio diu ac acriter pugnatum est ab hora septima ad vesperam; inde ad multam noctem Boii cum sociis victi castrisque exuti, supplices a Caesare, internunciis ultro citroque missis, pacem impetrarunt. Helvetii domos, unde venerant, redire iussi sunt. Boios (petentibus Heduis), quod egregia virtute erant cogniti, ut in finibus suis conlocarent, Caesar concessit. quibus illi Gergoviam oppidum et agros dederunt eosque postea in parem iuris libertatisque conditionem, atque ipsi erant, receperunt. cum Romanis aequo iure foedus ictum est, quamobrem et a Plinio in descriptione Galliae Lugdunensis Boii foederati adpellantur. de his Cornelius Tacitus ita: Maricus quidam e plaebe Boiorum inserere se fortunae et provocare romana arma simulatione numinum ausus est; iamque adsertor Galliarum et deus (nomen id sibi indiderat) concitis octo millibus hominum proximos Heduorum pagos trahebat; tum gravissima civitas electa iuventute, adiectis a Vitellio caesare cohortibus, fanaticam multitudinem disiecit. captus in eo praelio Maricus ac mox feris obiectus; quia non laniabatur, stolidum vulgus inviolabilem credidit, donec Vitellio inspectante interfectus est.

28 quidem *B*

2 *Caes. I, 33* 3 *C. I, 6* 5 *Caes. I, 6* 7 *Caes. I, 31* 9 *C. I, 7*
12 *Zum flgd. vergl. Caes. I, 11—13. 26. 28* 27 *N. h. IV, 107* 28 *H. II, 61.*

Paulinus etiam ad Ausonium poetam illorum mentionem facit, Theodosio Magno rerum potiente. versus eius hi sunt:

An tibi me, domine inlustris, si scribere sit mens, | Qua regione habites, placeat reticere nitentem | Burdigalam et piceos malim describere Boios.

Borbonios nunc vocari authores habeo, unde genus maternum Litavicus Gibbosus, ultimus Angilostadensium princeps, avorum memoria duxit.

Bello superiore Helvetiorum Boiorumque confecto, totius Galliae legati ad Caesarem conveniunt; de Germanis conqueruntur, multa millia quotidie Rhenum transsire, quibus locos, sedes, agros dare cogantur; futurum esse paucis annis, uti omnes e Galliae finibus pellerentur atque omnes Germani Rhenum transsirent, deinde Galliis occupatis, ut ante Cimbri, Teutones fecissent, in provinciam exirent atque inde in Italiam contenderent. Caesar Gallorum animos verbis confirmat, sibi eam rem curae fore respondit. legatos ad Arionistum regem Germaniae mittit, qui ab eo postularent, ut aliquem locum medium utriusque conloquio deligeret; velle se de republica et summis utrinsque rebus cum eo agere. cum legati imperio mandatisque defuncti, uti veniret ad Caesarem, dicerent, quis autem est Caesar, Arionistus respondit, et si vult, veniat, inquit, ad me; si quid mihi a Caesare opus esset, venirem forsitan; si quid ille a me velit, ad me veniat, necesse est. et quid ad illum, quid agat nostra Germania? num ego me interpono Romanis? non satis mirari possum, quidnam in mea Gallia, quam bello vici, aut Caesari aut omnino populo romano negotii sit. cum vult Caesar, congrediatur; intellecturus est, quid invicti Germani, exercitatissimi in armis, qui intra quatuordecim annos tectum non subierunt, virtute possint.

Tantus itaque subito terror omnem exercitum Caesaris occupavit, ut testamenta passim in castris scriberentur, Galli mercatoresque ingenti magnitudine corporum Germanos incredibili virtute atque exercitatione in armis esse praedicabant; saepenumero sese cum his congressos, ne vultum quidem atque oculorum aciem dicebant ferre potuisse. quidam petebant Caesarem, ut eius voluntate a castris discedere liceret, et alius alia causa inlata, quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret. nonnulli Caesari renunciabant, non fore dicto audientes milites, cum castra moveri iussisset. Caesar convocato

7 Angilostadiensium *B* 14 Teutonique *A* 23 Nun *A u. B* 36 Caesari *fehlt in B*

1 *Paul. ad Aus. ep. 3* 10 *Zum flgd. vergl. Caes. I, 30, flgd.* 21 *Flor. 72* 24 *Flor. l. c.*

concilio orationeque confirmatis militibus a Vesontione, Sequanorum maximo oppido, Rhenum versus proficiscitur. cum iter non intermitteret, septimo die quatuor et viginti millibus passuum a copiis Arionisti castra metatur. ibi ultro citroque missis legatis de pace frustra actum est. inde Arionistus castra promovet, millibus passuum sex a Caesaris castris sub monte considet, a Rheno millia passuum quinque. copias suas in castris continet nec pugnandi copiam Romanis facit. Germanis tum nec consuetudo nec fas erat ante novam lunam decrescente lumine syderis praelio contendere. quod ubi Caesar intellexit, religione impeditos adgreditur; coacti Germani pugnant, post multa inlata acceptaque vulnera in fugam versi, ad flumen Rhenum perveniunt. ibi viribus confisi, Rhenum tranare contenderunt aut lintribus inventis salutem sibi petierunt. in his fuit Arionistus, qui naviculam ad ripam deligatam nactus, ea profugit. reliquos equites romani consecuti interfecerunt.

Belgae deinde (qui a Germanis orti sunt, sicut apud Caesarem Rhemi referunt) Rhenumque antiquitus traducti, propter loci fertilitatem ibi consederunt, Gallos, qui ea loca incoluerant, expulerunt, communi omnium suffragio arma corripiunt, Germanis transrhenanis se coniungunt. Caesar Belgas aliquot praeliis victos in deditionem potestatemque populi romani redigit; Germanos transrhenanos Gallia expulit, inde in Illyricum proficiscitur.

Galli rursus rebellant, in Germaniam pro auxilio mittunt. redit Caesar, Belgas superat, Aquitaniam subiicit, a Menapiis, qui Gelderenses sunt et nunquam legatos ad Caesarem miserant, sylvis, paludibus et tempestatibus prohibitus est. Germani transrhenani rursus Rhenum vocati a Gallis, transseunt non longe a mari, quo Rhenus influit. inde late longeque populantur; obviam venit cum exercitu Caesar, in fugam eos vertit, caedit trans Rhenumque pellit. mittit et nuncios in Germaniam Magnam, interminatur, ne posthac in Gallias veniant. sed ingentes minae eius in ludibrium versae. Caesar ut Germanos terreret, haud procul infra eum locum, ubi nunc Agrippinensis Colonia est sita, pontem faciundum, licet summa difficultate, curat; opere omni effecto exercitum traducit, relicto ad utranque partem praesidio; Germani in sylvas se abdiderant ibique conveniebant frequentes. Caesar duodeviginti diebus trans Rhenum consumptis satis et ad laudem et utilitatem perfectum arbitratus, in Galliam se recepit pontemque rescidit.

34 utramque *A* 35 se in sylvas *B*

10 *Front. II, 1* 16 *Caes. II, 4* 20 *eb. 3* 21 *eb. 34* 22 *Zum flgd. vgl. Caes. III—VIII.*

Menapii rursus frustra tentati a Caesare; Treviri quoque neque ad concilia Caesaris vocati veniebant neque imperio parebant. Transrhenanos Germanos crebris legationibus sollicitabant, pecuniam pollicebantur. duo de principatu Treverorum inter se contendebant: Induciomarus inimico in Romanos erat animo, Cingentorix gener Induciomari romanas sequebatur partes. Eburones Germani cisrhenani inter Mosam et Rhenum, ubi nunc Iuliacensis est ducatus, Q. Titurium Sabinum et L. Arunculeium Cottam, legatos Caesaris, unam legionem cum quinque cohortibus in finibus, ut ait Suetonius, Germanorum insidiis interficiunt. hac clade audita Caesar adeo indoluit, ut barbam capillumque submiserit. tum quoque Belgae omnes, quos Caesar cisrhenanos Germanos vocat, ad arma concurrunt. omnes suspecti praeter Heduos et Rhemos erant. Induciomari igitur Treverorumque nunciis impulsi Belgae, lignatoribus oppressis, romana oppugnant castra. magnam manum Germanorum conductam Rhenum transsisse passim Galli praedicant, quorum terrore Romanos vincunt. Treviri aperte rebellant aliosque concitant. Menapii, qui uni ex Gallia de pace ad Caesarem nunquam miserant, arma capiunt. Germani transrhenani flumen traiiciunt, hyberna oppugnant, quae summa vi et difficultate maximoque periculo Q. Tullius, frater Ciceronis, defendit. Belgaeque non expectato auxilio Germanorum Romanos adgrediuntur, sed fusi terga vertunt. Germani fuga Belgarum intellecta domos revertuntur. Romani interfecto Induciomaro Treviros recipiunt. senatores Trevirorum in Germaniam trans Rhenum profugiunt. quietior posthac Gallia fuit.

Caesar aegre ferens Germanos toties Rhenum traiicere, rursus ponte facto, ubi nunc Agrippinensis Colonia est, Rhenum cum copiis transsit. Germani in sylvis delectus agunt. Caesar parte pontis, qua Germaniam adtingebat, rescissa in Galliam revertitur. nostrates vi pulsum esse dixisseque referunt; satis est superque vidisse Germanos. et Pompeius narrat apud Lucanum, fugisse Caesarem ex Germania.

Dant animos (inquit), Rheni gelidis quod fugit ab undis.

Venit in mentem scitum illud imperatoris Maximiliani dictum, qui flamini romano interroganti, num Caesaris conmentaria legisset, respondit, Caesarem de rebus suis inflatius scripsisse, ut qui se victorem, cum victus sit, faciat.

Caesar igitur cum conpertum haberet, Germanos nullis adversus Romanos auxilia denegare nec minis nec armis terreri, quin Rhenum transseant, neque Gallos sine eorum favore et consensu in officio

9 *Suet. Jul. 25* 11 *Suet. 67* 31 *Phars. II, 568.*

quietos contineri posse (Galli enim saepius animos tollebant, saepius rebellabant, inflati auxilio Germanorum, quorum vicinitas propinqua et multitudo erat infinita) trans Rhenum in Germaniam mittit, Germanorum animos, quos ferro non poterat, auro sibi conciliat, muneribus allicit, stipendiis invitat; ab ipsis equites peditesque accersit, quorum opera perdomitam Galliam (quae universa communi omnium concensu libertatis vindicandae et pristinae belli laudis recuperandae coniurarat, inflata quingentorum equitum ex Germania adventu) felicissime in ditionem ac obsequium redegit. Gallia itaque omni novem annis devicta et in provinciae formam redacta supplicatio viginti dierum Romae decreta est. Galli posthac, ut Strabo refert, armis positis, agriculturae operam dare coacti sunt. fecere deinde Romani in Gallia Belgica duas Germanias, superiorem et inferiorem, quae adhuc nomina retinent. Plinius, Tacitus, Ptolomaeus, caeteri rerum scriptores explanant; nos in subsequens volumen relegamus.

In bello deinde quoque civili Caesar opera Germanorum usus est, in Graecia, Hispania, Europa, Aegypto, Asia, Aphrica, quemadmodum ipse et Hircius narrant. Nam et Voccio rex Noricorum in id bellum trecentos Caesari misit equites. apud Pompeianos etiam quingenti fuere Germani, quos antea Alexandriae reliquerat Aulus Gabinius praesidii causa apud regem Ptolomaeum, qui pulsus a suis Romam venerat auxilium postulatum et iussu Pompeii reductus est in Aegyptum. causas huius belli plus quam civilis paucissimis aperiam, quae nisi in republica christiana peius saeviant, mentiar dispereamque. sed ad Romanos stilum verto. iam pene toto orbe iusticia ac labore pacato, cuncta maria terraeque patebant Romanis. saevire fortuna coepit; ocium enim ac secundae res animos sapientum fatigant, nedum mali licentiae temperent. crevit primo studium pecuniae, deinde libido dominandi; paulatim divitiae honori esse coeperunt et eas gloria, potentia sequebantur. virtus hebescere, paupertas probro haberi coepta est. ex divitiis superbia, invidia, luxuria, doli, fallaciae invasere. qui plurimum largiebatur, plurimum authoritate pollebat. probitas plaerisque paupertatis causa erat; fides, pietas caeteraeque bonae artes subvertebantur; omnia venalia erant; plaerique mortales inimicicias, amicicias ex commodo aestimabant, omnia utilitate metiebantur, aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habebant, magis vultum bonum

1 quiete *A* 18 narrat *B*

11 *p. 180* 18 *Caes. b. c. I, 18. III, 4, Hirt. b. Afr. 40, 5* 22 *Caes. b. c. III, 110. Strab. 796* 26 — ingenium praestabant *vergl. Sall. Cat. 11. 10. 12.*

quam ingenium praestabant; discordiae, sediciones pro honore magistratibusque grassabantur; caedes impune edebantur; divina humanaque conmixta erant, uti fit, ubi vulgus ignobile paucorumque potentia dominatur. nunquam haud dubie coire aut consentire corpus imperii potuisset, nisi unius praesidis nutu quasi anima et mente regeretur. quod cum fieri non posset citra sanguinem et absque bello civili, cuius victoria fere cruentissima esse solet, acerrima quippe sunt proximorum odia.

Inclinare coepit tandem fortuna ad C. Iulium Caesarem, cuius proprium ac peculiare fuit clementiae insigne, qua usque ad poenitentiam omnes superavit. eius dictum refertur: nihil sibi solemnius esse quam supplicibus ignoscere. at factio nobilitatis, cuius commune malum est superbia, Caesari invidebat; eius victorias calumniabantur, fortunae et felicitati oblatrabant. ipsum ut adfinem Marii, procerum inimicissimum et quem Sylla dictator optimatium partibus cavendum exicioque futurum praedixerat, criminabantur; spoliare eum exercitibus, inde in ordinem redigere atque opprimere conabantur. nam et amici Caesaris omnes urbe pulsi sunt. Caesar vim vi pulsurus, accitis Germanis et Gallis, cum legionibus, quibus Galliam subegerat, in Italiam transsit, armata manu Romam versus contendit. ubi omnis nobilitas metu perculsa, duce Cn. Pompeio urbe Italiaque profugit. Caesar Romam vacuam adversariis intrat, consulem se ipsum facit. republica Romae ordinata, adversarios late per orbem terrarum palantes insequitur feliciterque celerius opinione omnium devincit. inde Romam reversus cuncta in suam unius potestatem arbitriumque trahit. ita finis reipublicae datus; mos uni parendi repetitus est.

Sub idem tempus post Arionistum in Germania, maxime orientali, imperitasse reperio Boerobistam, genere Dacum, qui populares suos Dacos et Getas crebris hactenus et bellis et cladibus adtritos, victus sobrietate et obedientia recreandos curavit et quotidiana armorum meditatione laborumque patientia instructos eo promovit, ut facile caeteris Germaniae tum populis virtute anteirent. usus est avito more gentis sacro consultore vateque fatidico Diceneo quodam mago, qui diu Aegypti oras peragrarat sacerdotesque audierat. huius persuasione vites excisae sunt vitamque abstemiam sine vino agere decretum est.

11 solennius *A*

5 *Flor. 105, Caes. b. c. I, 6* 8 *Tac. H. IV, 70. (Agr. 35. Liv. ep. 126)* 11 *Plin. n. h. VII, 93* 12 *Plut. Caes. 48?* 13 *Sall. Iug. 64* 16 *Suet. Iul. 1* 22 *Flor. 96* 26 *Vict. ep. 1. Caes. 1.*

denique Boerobistas, his bonis suorum artibus fretus, latissimum intra paucos annos peperit imperium. finitimis omnibus subiectis, audacter Danubium traiecit. ipsum Iulium Caesarem mundi domitorem victoremque gentium populum armis lacessere ausus est. Thraciam, Macedoniam, Illyricum, provincias romanas, ferro, flamma devastavit, urbes diripuit, vicos incendit, praeda ingenti potitus, impune ultro citroque conmeavit. Apuliam, inde Romam invadere paravit, maximum terrorem et Iulio Caesari et populo romano incussit. Boios, qui ad amnes Danubium, Arabonem et Draum sedes centum quinquaginta annos tenuerant, posteaquam Italia pulsi, uti paulo ante narravimus, eo transsierant, in Germaniam Magnam transduxit, intra flumina Tyram et Borysthenem et Vistulam finitimasque regiones vicatim distribuit (ubi nunc Roxolani, Bolii, Bodolii, Ungari, Moldavii, Valachi nominantur). habitarunt ibidem Boii conmixti Basternis, Alanis, Gepidis, Vandalis, Quadis, Sarmatis et dicto audientes fuerunt regibus Dacorum, quos et Getas et Scythas vocant, nos Danos et Gotos adpellamus.

Ipsine Boii posthac duces regesve habuerint, nemo tradit nec ego facile dixerim. apud scriptores, quos ego quidem hactenus evolverim, ne nomen quidem Boiorum posthac invenio. quicquid gestum actumve est, ut notioribus, Gotis adtribui solet, quorum magnitudo Boios facile obscuriores reddidit. atque haud scio, an hi sint, quos Ptolomaeus corrupte fortassis Boemos nuncupat et gentem magnam dicit, superioribus nationibus confinem. satis constat, tria tum fuisse genera Boiorum. tria et triginta millia ob virtutem a Iulio Caesare in Gallia Lugdunensi in oppido Gergovia in monte sito conlocati sunt. quidam Borbonios esse autumant.

Narisci (quos in inicio conmemoravimus) avitas nunquam amisere sedes. ab oriente sole contingunt Boiemiam, ex qua alia manus Boiorum profecta in Italiam. inde ad Tauriscos in Noricum et ad circumiectos Histro locos conmigrarunt. postremo taedio accolarum romanorum agrum omnem, qui ad Illyricum pertinet, pascendis ovibus idoneum vicinis reliquerunt, in exilium velut peregrinatum ad Getas secesserunt, cum quibus et Hunnis militare posthac consueverunt. nam Hiros, Schiros, Buros, haud dubie Boiorum nationes, inter illorum auxilia lego. post mortem Attilae demum velut nova sobole aucti,

14 *Am Rande in A:* Strabo liber 7 *Ebendort:* annos fere quingentos 16 *Ebendort:* lacte, caseo .. vesci 21 atque *fehlt B* 22 nuncupet *A u. B*

5 *Strab. 304* 8 *ebend.* 21 *Ptol. 153* 25 *Caes. b. G. I, 29. VII, 9. 36.* 34 *Iord. 46. 50. Exc. Vales. 37. Hist. Misc. XVI, 9.*

BSB

vires recuperarunt. sed istaec in tercium differo librum. harum rerum omnium testes non solum patrios annales, verum et Iulium Caesarem, Strabonem, Franciscum Philelphum aliosque inlustres scriptores authores habeo, qui de dubiis rogentur omnibus; in plaerisque fidem meam non adstringo.

Regio autem, quam reliquere Boii, in solitudinem penitus redacta est, quamobrem adpellatur a rerum scriptoribus Deserta Boiorum. Ptolomaeus Pannoniam superiorem more suo nominat; caeteri Noricis coniungunt. operae precium est verba Plinii, authoris gravissimi, subscribere; Noricis, inquit, iunguntur lacus Peiso, Deserta Boiorum; iam tamen colonia divi Claudii Sabaria, et oppida Sacarbantia, Iulia habitantur; inde glandifera Pannoniae. | Sabaria, patria divi Martini, nomen retinet; alii Graecium Boiorum, quod caput Stiriae est, esse arbitrantur, ubi divus Quirinus episcopus Siscianus sub imperatore Galerio Maximiano pro religione christiana se devovit; molari ad collum eius ligato, in amnem Sabarum praecipitatus est e ponte; diutissime supernatat, populum docet, hortatur ad constantiam christianae pietatis; vix tandem praecibus a caelesti numine obtinuit, ut mergeretur. meminit huius divus Hieronymus. vitam eius carmine conplexus est Prudentius, vir perquam eruditus, indignus, qui a christianis non magis legatur. Sabarum flumen quidam Litam, alii Muram interpretantur. Sacarbantia abfuit a Sabaria iuxta Antonini itinerarium millia passuum quatuor et triginta fuitque media inter Sabariam et Carnuntum, insignis olim sepulchro divi Quirini, de quo iam diximus. cum Germani eas regiones infestas redderent incursarentque, Romani fugam capessunt, in Italiam profugiunt, ossa divi Quirini Romam secum transferunt.

103. A

Carnuntum, cuius Plinius, Hieronymus mentionem faciunt, fuit urbs sub Danubio in confinio Ugrorum et Austriacorum; Hunnoburgium esse, sunt, qui opinentur magis quam sciant. ibi imperator M. Antoninus philosophus mortuus et imperator Septimius Severus electus est. Ptolomaeo et Graecis Carnus, Carnuntis est. extat et in eodem tractu adhuc oppidum Sempronium; Oedoburgium, id est, desertam urbem nostrates nominant; ea lacui Peisoni nomen fecit, qui in longitudinem

3 que *fehlt in B* inlustris *A* 7 adpellantur *B* 26 profugunt *A u. B* 28 proxima, ut ait Paterculus *[II, 109]*, regno Noricorum *am Rande in A* 30 Septimus *B*

3 *Italienischer Humanist, 1398—1481; s. oben S. 21* 8 *Ptol. 160 Strab. 292* 9 *Plin. n. h. III, 146* 12 *Greg. Tur. I, 36. X, 31* 13 *Gratz* 19 *Chr. II, 189 Sch.* 19 *Perist. 7* 22 *Ant. Itin. p. 109. 122. 126* 23 *eb. 123* 27 *Plin. XXXVII, 45. Hier. II, 189* 30 *Spart. Sev. 5* 31 *Ptol. 160.*

quinque et quadraginta millia passuum, quindecim in latitudine patet, ambitu conpraehendens mille passus plus centies, effundit Arrabonem fluvium. Iuliam quidam esse arbitrantur urbem Stiriae, quae nomen retinet, alii Iulium Carnicum, Charionum oppidum nobile; et id nomen corrupto nonnihil sono (ut fit licentia vetustatis et vulgi consuetudine) servat. ego ut mihi incomperta in medio relinquo, nec adfirmare nec refellere animus est. Deserta Boiorum nunc Ugrorum sunt. cum autem posthac ad romanos imperatores venturi sumus et romani imperii nomen sacrosanctum est Germaniae populis, sicut tempus postulat, a prima origine radices eius quam paucissimis in subsequenti volumine repetam; per quos coeperit, per quos adoleverit, ut deinde paulatim labente disciplina consenuerit, donec ad hanc extremam et decrepitam aetatem pervenit, qua apud Germanos animam agit.

Per nefas caeci ruimus, ruunt res
Imperi, florent minus et minus iam,
Nilque nunc restat nisi vana magni
Nominis umbra.

17 *In A u. B folgt:* Finis primi libri annalium Boiorum. *In C, fol. 95 (nicht 81, wie Wiedemann 279 sagt) folgt:* finitus Abusinae in templo Carmelitarum anno Christi 1519 undecimo die Iunii, qui erat pridie pentecostes sive quinquagenalium.

8 *Tac. H. V, 2* 13 *Flor. praef. Liv. praef. 9* 14 *Luc. Phars. I, 135.*

ANNALIUM BOIARIAE LIBER SECUNDUS,

AUTHORE

IOANNE AVENTINO.

Annalium Boiorum liber secundus haec continet: urbis Romae romanique imperii originem; romanos imperatores, quid quisque cum Germanis gesserit; romani imperii descriptionem et provincias; Vindeliciae, Norici, Rhetiae situs; Vindelicia quando subiecta sit Romanis; urbium nomina, situs, vestigia, quas ibi condidere Romani; vetustates romanas, quae passim in Boiaria reperiuntur; praesides romanos harum regionum; declinationem romani imperii, quomodo a Germanis solutum sit, praecipue in occidente, Europa et Aphrica.

Authores, quos secuti sumus:

domestici Vitus Areopagus, cuius mentio supra facta est; Romerius de rebus gestis Germaniae; Ioannes Eburonus, equestris ordinis decurio a Vildeberga (arx est quinque millibus passuum a patria mea) oriundus, fuit praefectus Burgusianae arcis curatorque Haedovigae, uxoris ducis Georgii, auspiciis imperatoris Friderici tercii caesaris augusti; de rebus Boiorum patrio sermone magna cura et impensis perscripsit; Georgius

1 *Ueberschrift und Inhaltsverzeichniss fehlen in B*

13 *Veit Arnpeck; vergl. oben S. 1* 13 *Romerius wird ohne Grund der bis 976 reichende anonyme Fortsetzer Regino's von Prüm genannt (vergl. Potthast, Bibl. hist. medii aevi, p. 507). Von dessen Benützung weist das zweite Buch der Annales keine Spur auf und überdiess spicht gegen die Deutung des Romerius auf diese Quelle die Notiz im X. Bande von Aventins Adversarien (vergl. Wiedemann, J. Turmair, S. 362):* Romerius scripsit usque ad annum Chr. 1106, Henricum scilicet quintum, post quem Oto, post quem vero Urspergensis. *Bis zum Jahre 1106 reicht die Weltchronik Ekkehards von Aura (Mon. Germ. Script. VI) in der Bearbeitung B und da eine Benützung dieses Werkes an mehreren Stellen des zweiten Buchs der Annalen sich nachweisen lässt, ist unter Romerius ohne Zweifel Ekkehard von Aura zu verstehen* 15 *Hans Ebran von Wildenberg.*

Veteres vitae ff

Hugo philosophus, curator Aldhechii inferioris (coenobium est divo Benedicto dicatum); is iussu Georgii ducis latine ~~perscripsit~~ Boios. Latini veteres vitae divorum, quae passim in bibliothecis delitescunt adhuc; divus Hieronymus, genere Noricus; Suetonius Tranquillus, magister epistolarum imperatoris Hadriani, in vitis caesarum; Cornelius Tacitus, eques romanus, in historia augustali ab exitu Augusti ad imperatorem Traianum triginta libros scripsit; Aelius Spartianus; Aelius Lampridius; Iulius Capitolinus; Trebellius Pollio; Flavius Vopiscus; Vulcatius Gallicanus in vitis caesarum ad imperatores Diocletianum et Constantinum Maximum atque ad Iunium Tiberianum, virum inlustrem, praefectum urbis; Ammianus Marcellinus in vitis caesarum, sub imperatoribus Constantio Iuliano et Valentiniano (vixit,) equo meruit; Eutropius vir consularis, ad Valentem augustum scribit, fratrem Valentiniani, praefectus equitum, stipendia fecit sub Constantio et Iuliano; Sextus Rufus Festus vir consularis, ad Valentinianum augustum scribit; Sextus Aurelius Victor in vitis caesarum usque ad Theodosium Magnum, vir consularis, praefectus fuit a Iuliano, imperatore Pannoniae secundae; Eugypius Noricus, sub Attila vixit, scripsit vitam divi Severini Norici, Importuno consule romano; Aurelius Cassiodorus vir consularis, in libro de consulibus ad Theodericum regem Gotorum, occidentis procuratorem, praefectus praetorio et magister epistolarum; cuius particula sine capite, sine calce adnexa est chronicis divi Hieronymi falsoque Prospero adscribitur; Prosper Aquitanus Burdegalensis in chronicis tempore Attilae, scriba Leonis primi pontificis maximi.

Graeci: Dion Bithynus in vitis Caesarum; Herodianus de temporibus suis; Eusebius pontifex Caesariensis in chronicis (et) ecclesiastica historia.

Praefatio ff (3)

Hactenus quae a nobis ante caesarum tempora gesta sunt, sicuti apud inlustres rerum authores inveni, breviter perstrinximus; nunc perquam paucis indicabo, quemadmodum Romanos, rerum dominos,

2 scripsit principes Boio[illegible] *A* 7 triginta libros scripsit *am Rande in A von derselben Hand später nachgetragen* 10 Dioclitianum *A u. B* 12 *Nach Iuliano folgt in B*: Iuviano 13 vixit *fehlt in B* 18 *Am Rande in A*: Eugypius ἀπὸ τοῦ εὐ et γυψ, πος, vultur; Aegypius idem 19 Importuno consule *B* ✝ *Hieher scheint sich zu beziehen die Randbemerkung in A*: is fuit annus Christi quingentesimus supra ~~octavum~~ septimum 20 Theodoricum *B* 29 sicut *B* 30 inlustris *A*

1 *Georg Hauers bisher ungedruckte Gesta illustrium ducum Wavariae, Cod. bavar. Monacens. 214; vergl. darüber Wiedemann, Joh. Turmair, S. 153. Excerpte aus Hauers Chronik stehen in Aventins Adversarien, V, 96—107.*

maiores nostri armis ultro etiam lacessere ausi fuerint. duos quippe perpetuos hostes, Parthos atque Germanos (Romani barbaros vocare solent), hinc occidens, illinc oriens romanae maiestati velut obiices fataliter obdiderunt. quod Virgilius, rerum divinarum humanarumque (etsi dissimulet magis quam ostentet) doctissimus vates, obiter, elegantissime tamen, ut omnia, hisce carminibus adtigit:

Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum,
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
Ante pererratis amborum finibus exul.

Nec hoc Horatius, acutissimi vir ingenii, praeterivit:

Quis Parthum (inquit) paveat, quis gelidum Scythen
Quis, Germania quos horrida parturit
Foetus, incolomi caesare?

Ipsa quidem Germania saepius triumphata, nunquam tamen victa est. multa invicem damna data acceptaque. non Samnis (verbis utor Taciti), non Poeni, non Hispani Gallive, ne Parthi quidem saepius admonuere, quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. nec impune C. Marius in Italia, divus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. nam uti scribit ad Constantinum Maximum Nazarius insignis rhetor (cuius filia Eunomia Christo virginitatem devovit et patrem eloquentia aequavit): Germanorum natio per se potens et post romanam magnitudinem secunda in terris, nunquam non operam et foedera licitata est romanis principibus. quemadmodum quoque docet Claudianus Alexandrinus, vates doctissimus, de Germania ita cantans:

Illi terribiles, quibus ocia vendere semper
Mos erat et foeda requiem mercede pacisci.

Et sicuti nostro aevo rex Celtarum Suitonibus et Germanis aliis rei bellicae peritis (dona muneraque quotannis distribuit,) stipendia (per-petua) largitur, ab ipsis pacem et foedus mercatur: ita empta auxilia sunt Germanorum contra Germanos; etiam hostem hoste oppugnavit, debellavit Romanus, quod idem vates docet hisce carminibus:

Utitur auxiliis damni securus et astu
Debilitat saevum cognatis viribus Histrum
Et duplici lucro conmittens praelia, vertit
In se barbariem nobis utrinque cadentem.

4 humanarum divinarumque *A* 32 debellavit *fehlt in B*, 36 utrimque *A*

4 *Verg. G. I, 509. E. I, 61* 10 *Hor. C. IV, 5* 16 *Tac. G. 37* 20 *Naz. Pan. 38* 21 *Eus. (Hier.) Chr. II, 191. 192* 24 *Claud. L. Stil. I, 209* 31 *Cap. Marc. 21* 32 *Claud. VI. Cons. Hon. 219.*

Ferarum gentium velut examina Danubius ac Rhenus in romanum effudere solum; urbs capta est, quae totum coepit orbem. Vandali Aphricam, Franci, Burgundiones Gallias occuparunt; Saxones Britanniam, Longobardi Italiam tenent; Suevi Rhetias; Boii Vindeliciam atque Noricorum regna possident; Pannoniam Hunnus, Moesias Vulgares, Dalmatiam, Illyricum Venedus invasit. quod tamen mirere, Roma gentium domina haud aliis quam Germanis, hostibus suis, imperatorum suorum (sicuti nunc pontificum) salutem ac vitam credere ausa est. constat enim consensu scriptorum, Germanorum cohortes a caesaribus ad custodias corporis institutas, multis experimentis fidelissimas fuisse. postremo omnium demum ad Germanos gentem fidei conmissae (sicuti ait Tacitus) patientiorem terrarum dea gentiumque, Roma, cui par est nihil et nihil secundum, cum fascibus et aquilis conmigravit. eius primordia, uti negocium postulare videtur, iamiam aperiam.

Capta Troia in caeteros saevitum est Troianos, Aenea vetusti iure hospicii, et quia pacis reddendaeque Helenae semper author fuerat, omne ius belli Graeci abstinuerunt. Aeneas deinde variis casibus terra marique iactatus, in eam partem Italiae venit, quam tum rex Latinus tenebat, qui filiam suam Laviniam nomine in matrimonium Aeneae dedit. Aeneas utramque gentem Latinos nominat, oppidum condit, ab uxoris nomine Lavinium adpellat. regnatum est ibi triginta fere annis.

Ascanius, filius Aeneae (qui patri successerat et quem Iulum Iulia gens authorem nominis sui nuncupat) Lavinium opulentam urbem (ut tum res erant) matri seu novercae relinquit, novam ipse aliam sub Albano monte condidit, quae ab situ porrectae in dorsum urbis Longa Alba adpellata.

Sylvius deinde regnat, Ascanii filius, casu quodam in sylvis natus. is Aeneam Sylvium creat; is deinde Latinum Sylvium. mansit postea Sylvius omnibus cognomen, qui Albae regnarunt; Latino Alba ortus, Alba Atys, Aty Capys, Capy Capetus, Capeto Tiberinus, qui in tractu Albulae amnis submersus, celebre ad posteros nomen flumini dedit; Agrippa inde Tiberini filius; post Agrippam Romulus Sylvius a patre accepto imperio regnat, Aventino, fulmine ictus ipse, regnum per manus tradidit. is sepultus in eo colle (qui nunc pars est romanae urbis) cognomen colli fecit. Proca deinde regnat, is Numitorem atque Amulium procreat. Numitoris ex filia nepos Romulus urbem Romam

20 utramque *A* 30 *Am Rande in A*: Ovidium in fastis leg. *[Fast. II, 389]*.

2 *Hier. ep. 127* 10 *Suet. Galb. 12* 12 *Tac. H. III, 5* 14 *eb. V, 2*
36 *Liv. I, 1—3.*

romanumque condidit imperium: undecimoque kalendas Maii urbis Romae natalis est. vates aeternam fore praedixerunt. res Albana secundum Titum Livium, Iustinum Virgiliumque Maronem ter centum stetit annos.

Sub septem deinceps regibus regnatum Romae; ab condita urbe ad liberatam annos supra ducentos quatuor et quadraginta. nec amplius quam ad sextum decimum lapidem romanum radices imperium egerat. regium imperium nomenque (quod inicio conservandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat) in superbiam dominationemque se converterat. reges exacti sunt, regium nomen antiquatum, ut exosum invisumque; Romani iureiurando adacti, neminem passuros Romae regnaturum. inmutato more annua imperia binosque imperatores sibi fecerunt, quos consules a consulendo dixerunt, eo modo minime putabant licentia insolescere animum humanum. consulum ductu et auspicio incredibile memoratu, quantum respublica creverit. domi militiaeque boni mores colebantur, concordia maxima minimaque avaricia erat. domi parci, in amicos fideles erant; paupertati ac parsimoniae honos maximus erat; quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. ius bonumque non magis legibus quam natura valebat. disciplina militaris diligentissime colebatur; quae iam inde ab iniciis urbis tradita per manus, in artis perpetuis praeceptis ordinatae modum venerat et a maioribus quasi haereditario iure relinquebatur posteris. reges proinde magni bello domiti; nationes ferae et populi ingentes vi subacti, orbis terrarum victus est. tota Europa praeter Germaniam, Pannonias, Moesias, Noricum, Rhetias, Vindelicos in ditionem redacta. Aphrica accessit, posteaquam Carthago aemula imperii romani a stirpe interiit. Asia, Armenia, Syria, Cilicia, Palestina, Mesopotamia armis romanis parere coactae; cum regibus Parthorum Aegyptique foedus ictum est. a regibus exactis ad Iulium Caesarem numerantur a Cornelio Tacito anni quadringenti sex et quinquaginta, ab urbe condita vero septingenti.

IULIUS.

Cap. 1. Imperator C. Iulius Caesar dictator perpetuus, devictis optimatium partibus, popularem reipublicae statum (ipsi libertatem vocant) sustulit ad unius potestatem principatumque romanum coegit imperium, qui mos posthac per annos mille quingentos sexaginta quin-

2 *Plin. XVIII, 247. (Eutr. I, 1)* *Verg. A. I, 278* 3 *Liv. I, 29. Iust. 43, 1. Verg. A. I, 272* 6 *Liv. I, 60* 7 *Eutr. I, 8. Plin. III, 56. Ruf. brev. 3* 10 *Sall. Cat. 6* 12 *Liv. II, 1* 13 *Sall. Cat. 6* *Cic. Leg. III, 8. Quint. I, 6* 14 *Sall. a. a. O.* 15 *Zum flgd. vergl. Sall. Cat. 7. 9. 10* 18 *Liv. praef. 11* 28 *Ruf. brev. 3* 29 *Tac. Hist. III, 72?*

que continenter observatus adhuc manet. imperatoris commune eius cognomen, qui iussu populi exercitus ductabat (dictus, ut docet Varro, ab imperio populi, qui eos, qui id attentassent, oppressit hostis) temporarium antea, praenomen perpetuum (quod regium libero populo invisum esset) factum, ad principes romanos transsit. et caesar, quod ante cognomen familiae fuerat, iam dignitas est atque suprema potestas, sacrosancta Germanis. de tam celeberrimi nominis natura et origine Plinius ita tradit: auspicacius (inquit) enecta parente quidam gignuntur, sicut Scipio Aphricanus prior natus est; qua de causa et Caesones adpellati; simili modo natus et Manlius, qui Carthaginem cum exercitu intravit. nec me fugit Sextum Festum Pompeium, Aelium Spartianum aliter sentire, quibus non praeferre Plinium piaculum est. Caeterum C. Iulio gentilicium est; nec enim ipse ita natus est. cum pontificatum maximum petiit, praedixisse matri Aureliae fertur, domum nisi se pontificem non reversurum. eam in Gallia bellum gerens demum amisit. pater quoque eius (Lucius, nisi fallor) Caesar dictus est.

Ipse sane C. Iulius Caesar eloquentia et eruditione (teste etiam Cicerone) nulli secundus fuit. reliquit de analogia, quos ad Ciceronem scripsit, duos libros et rerum suarum conmentarios Gallici civilisque belli, qui eruditorum consensu multum probari solent. Fastos quoque correxit, iampridem ignavia pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriae aestati neque vindemiarum autumno conpeterent. ad cursum solis annos singulos redegit, Sosigene perito eius scientiae adhibito, ad trecentos sexaginta quinque ipsorum annorum dies, adiecit etiamnum intercalarios diei noctisque quadrantes, ut quarto quoque anno sexto kalendas Marcii unus intercalaretur dies; quemadmodum hactenus vel a nobis observatum est. verum quoniam solis motus scrupulorumque prope inexplicabilis ratio est, idem error obrepsit fastis nostris, ad quos emendandos Ioannes de Monte Regio patrum memoria, Paulus Myldoburgensis nostra aetate, homines Germani, a maximis pontificibus Romam adciti sunt; de qua re libri editi venales circumferuntur. destinarat insuper Caesar, si per caedem licuisset, ius civile ad certum modum redigere atque ex inmensa diffusaque legum

26 calendas *A*

2 *Varr. L. L. p. 90 Sp.* 8 *Plin. n. h. VII, 47* 12 *Fest. de s. v. p. 57 M. Spart. Hel. 2* 15 *Suet. Iul. 13* 16 *eb. 26* 18 *Cic. Brut. 261. Suet. 55* 20 *Suet. 56. Cic. 253* 23 *Suet. 40* 26 *Suet. 40. Plin. XVIII, 211. 207* 28 *Plin. 207* 29 *Johannes Müller von Königsberg in Unterfranken (1436—1476). Ueber seine Berufung nach Rom (1475) s. Wolf, Gesch. d. Astronomie, S. 98* 30 *Paul von Middelburg, Bischof von Fossombrone, gest. zu Rom 1535 im 89. Jahre.*

BSB

copia optima quaeque et necessaria in paucissimos conferre libros, bibliothecas graecas et latinas, quas maximas posset, publicare, data Marco Varroni cura conparandarum digerendarumque. idem, ut clemens erat, nihil aliud efficere volebat (scribit Lactantius) etiam in ipso belli civilis ardore, quam ut bene de republica mereri videretur, duobus optimis civibus Cicerone et Catone servatis.

Rerum gestarum magnitudine omnes superavit. signis conlatis quinquagies bis dimicavit. nam praeter civiles victorias undecies centum et nonaginta duo millia hominum occisa praeliis ab eo, quod ita esse confessus est ipse, bellorum civilium stragem non prodendo. Daci sub eo caeteraeque Germaniae orientalis gentes, rege Schirio (quem et Scorium vocare reperio; Boerobistae successerat) in Thraciam, Pontum se effuderant, romanas provincias late vastabant et, ut ait Horatius, pene occupatam seditionibus delevit urbem Dacus. contra quos dum expeditionem, inde in Parthos bellum meditatur, ob suspicionem adfectati regii nominis, in curia sedens, a senatu patriciisque invasus, tribus et viginti vulneribus in terram datus caesusque est, aetatis anno sexto et quinquagesimo, initae dictaturae quarto. sic ille, qui terrarum orbem humano sanguine impleverat, tandem ipse suo sanguine curiam implevit.

OCTAVIUS.

Cap. 2. Imperator C. Octavius (ita enim a Flacco et Ausonio nuncupatur, quamvis apud hunc Octavianus quoque metri necessitate forsan legatur) Caesar Augustus, Accia nepte Iulii Caesaris genitus, adoptatus ab avunculo, successit. Germanorum manum inter armigeros circa se habuit, partim in urbis, partim in sui custodiam. dum necem avunculi parentisque vindicare, acta eius tueri summa vi conatur, rursus armis civilibus orbem romanum concuti necesse fuit. quibus dum duodecim fere annos conflictatur distringiturque circa mala sua imperium, Daci, Getae, caeteri Germaniae Magnae populi, Romanos dissidentes armis adoriri invadereque parabant. unus ducum, Scorio nomine, duos canes in conspectu popularium conmisit hisque acerrime inter se pugnantibus lupum ostendit, quem protinus canes omissa inter se rixa adgressi sunt. ita ille non tam verbis quam rebus hoc specta-

20 *Am Rande in A:* Calpurnia uxor eius, L. Pisonis filia, viri consularis *[Suet. Iul. 21]* 21 ab *A* 22 licet *A* 30 que *fehlt in B*

3 *Suet. 44* 4 *Lact. Inst. III, 18* 10 *Plin. n. h. VII, 92* 13 *Suet. 44* 13 *Hor. C. III, 6* 20 *Suet. Aug. 8. Iul. 79. 88. Flor. p. 105* 21 *Hor. Serm. I, 10, 82? Aus. Caes. 2* 25 *Suet. Aug. 49* 26 *eb. 10* 29 *Flor. p. 114* 30 *Hor. C. III, 8* 33 *Front. Strat. I, 10.*

culo admonuit, Romam mature ruituram suisque viribus perituram, si hoste careat externo.

Quo tempore et Octavianus Cotisoni Getarum regi (ut facilius Germani nova adfinitate continerentur) Iuliam filiam despondit, sibi quoque invicem filiam regis in matrimonium petiit. finitis bellis civili- bus, republica in meliore statu confirmata, tractatum in senatu est, an, quia condidisset imperium, Romulus vocaretur. censentibus quibusdam, ita eum adpellari oportere quasi et ipsum conditorem urbis, Munatii Planci oratoris, discipuli Ciceronis, (qui rector Galliae Comatae Lug- 115/6A dunum extruxit) /sententia praevaluit, ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore, sanctiore reverentioreque cognomine; quod loca religiosa et in quibus augurato quid consecretur, augusta dicantur ab avium gestu gustuve, id est, quia ab avibus significata sunt et aves pastae id ratum fecere; sicut Ennius docet scribens:

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Ovidius quoque in fastis:

Sacra vocant Augusta patres, Augusta vocantur | Templa sacerdotum rite dicata manu. | Huius et augurium dependet origine verbi | Et quodcunque sua Iuppiter auget ope.

Conversus inde Augustus ad gentes exteraque bella, inter alia totum Danubii tractum (Rheni oram, qua Galliam contingit, Iulius domuerat) pacare, in romanam ditionem redigere nervos intendit, ferocissime ad septentrionem conversa plaga emicabat. in Galliam igitur Comatam Germanorum incursionibus et discordia principum inquietam, necdum frenis servitutis adsuetam, cum exercitu Cl. Tiberius Nero, privignus Augusti, profectus est; (gloriatur ipse apud Tacitum, se novies in Germaniam missum esse ab Augusto pluraque consilio quam vi perfecisse) muneribus animos Germanorum et ingenti pollicitatione praemiorum sibi conciliavit; Sycambros, Chattos, Suevos in ditionem accepit; quadraginta eorum millia, qui se dediderant, in Galliam traduxit et traiecit iuxtaque Rheni ripam in proximis Rheno agris sedibus adsignatis conlocavit./

1164 Marobodus quoque rex Suevorum magnitudine beneficiorum in foedus inlectus est. habitabant tum Suevi in Boiemia, Lusatia et finitimis regionibus trans Albim; quemadmodum et Lucanus hisce docet versibus: Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos | Albis.

8 appellari *B* 28 muneribus quippe *A* nicht

5 *Suet. Aug. 63* 7 *Flor. 123* 15 *Suet. Aug. 7. Hier. Chr. II, 141 Flor. 123* 16 *I, 609* 23 *Flor. 114* 24 *Suet. Tib. 9* 25 *Flor. 114* 26 *Tac. A. II, 26* 32 *Suet. Aug. 21. Tib. 9* 35 *Luc. Phars. II, 51.*

BSB

Is Marobodus a puero versatus Romae erat; fuerat ab Augusto magnas opes consecutus; cum domum rediit, maximum latissimumque adeptus est regnum. ipse Bubienum, caput Boiemiae, Marobudum a se cognominavit, quam nunc Pragam dicimus; id mihi ex Strabone, Cornelio Tacito et Ptolomaeo ex diligentissima segmentorum et partium observatione conpertum est. Cimbri quoque lebetem plurima sacrorum ceremonia consecratam Augusto dono misere et amiciciam postularunt, deprecantes veteres iniurias, quibus adfecerant eorum parentes populum romanum. compotes voti facti domum remearunt.

Deinde M. Lollio demendata custodia Rheni, arma ad Danubii tractum convertuntur. Tiberius Drususque Nerones fratres germani, privigni Augusti, Rhetos, Vindelicos, Noricos in ditionem redigunt romanam. sed de his paulo post plura dicam. Pannonios, qui tribus fluminibus Sao, Drao, Danubio vallantur, Vibius atque M. Vinicius domuit. Marcomani, Quadi, Varistae, Suevi, incolae Boiemiae, de locis intra Draum et Danubium pulsi. / Moesi ab oriente et Sao flumine Pannonios excipiunt, inde cum Danubio ad Pontum Euxinum et confinia Asiae procurrunt. hi per Marcum Crassum victi sunt. Unus ducum ante aciem postulato silentio: qui vos, inquit, estis? responsum invicem: Romani rerum domini; et illi: ita (inquiunt) fiet, si nos viceritis, et statim ante aciem inmolato equo concepere vota, ut caesorum ducum extis et litarent et vescerentur. 116.b A

Daci, qui et Getae et Goti, transdanubianus populus, sub Cotisone rege agebant. quoties concretus gelu Danubius iunxerat ripas, decurrere solebant et vicina populari. nacti quoque alias occasionem, crebro incursiones in romanas provincias faciebant. contra hos Augustus Lentulum cum quinquaginta millibus hominum misit, qui tribus eorum ducibus cum magna copia caesis, impetus repressit, ultra ulteriorem ripam pepulit, citra praesidia constituit. a ducentis millibus militum ad quadraginta millia eorum tum potentia contracta est; tot millia hominum eo bello trucidata sunt. nec parum aberat, quin romano omnino subditi fuissent imperio, si non opibus caeterorum Germanorum freti se erexissent.

Sic Dacia non victa, sed summota atque dilata est. limes per Rhetias, Vindelicum, Noricum, Pannoniam, Moesias inter barbaros et Romanos Danubius ab Augusto constitutus est et ripa romana praesidio militum firmata. de Dacis Horatii carmina subscribere libuit:

3 Marobodum *A* 37 de Dacis — armis *in B eingeklammert.* Gtat

5 *Strab. 290. Tac. G. 28. Ptol. 155* 9 *Strab. 293* 15 *Flor. 116* 25 *eb. u. 117* 29 *Suet. Aug. 21. Flor. 117* 34 *Flor. 117* 36 *Ruf. brev. 8* 37 *Hor. C. III, 8.*

Mitte civiles super urbe curas, | Occidit Daci Cotisonis agmen, | Medus infestus sibi luctuosis | Dissidet armis.

Inter haec Sycambri, ubi nunc Bestofali habitant, duce Melone correptis armis subito et de improviso Romanos vi adoriuntur, M. Lollium cum copiis profligant, aquila quintae legionis potiuntur (incremantque.) in ignominiam populi romani viginti centuriones crucibus adfigunt. exinde alii quoque pacem solvunt in armaque ruunt. horum et Horatius vates doctissimus meminit his versibus:

Concines maiore poeta plectro | Caesarem, quandoque trahet feroces | Per sacrum clivum, merita decorus | Fronde Sycambros. | Idem: Te caede gaudentes Sycambri | Compositis venerantur armis.

Caesar igitur Augustus sentiens se Gallias et conterminas provincias tuto et quiete non posse tenere, quod crebro Germani in romanas provincias, facilem nacti occasionem, incurrerent, omnia inquietarent, igne, ferro, flamma cuncta vastando, simul et in honorem patris sui Caesaris, quem bis transvectum ponte Rhenum, bellum quaesisse sciebat, Germaniam facere provinciam concupivit. curam atque onus germanici belli Cl. Druso Neroni delegat; ab urbe igitur ad ripam Rheni pergit. ipse germanicis bellis, quae per legatos administravit, aut interveniebat aut non longe aberat; Ravennam vel Mediolanum vel Aquileiam usque ab urbe progrediens. Drusus Bonnae Novesiique Rhenum pontibus iunxit classibusque firmavit. Chattos, Sycambros, Suevos, Angilos, Cheruscos, id est, Hessos, Bestofalos, Thurogos, Saxones cis Albim pariter adgressus est; Suevi trans Albim et in Boiemia, quorum rex Marobodus, foederati erant. Caesar etiam Augustus Albim transgredi vetuit, ratus se facilius domiturum hos, si Transalbiani quieti essent nec eos lacessisset. species quoque mulieris germanae habitu Drusum amplius tendere sermone latino prohibuit.

Ipse Drusus in tutelam provinciae trans Rhenum praesidia, stationes militares disposuit, fossas novi et inmensi operis effecit; Drusianas vocant. per Amisiam flumen, per Albim, per Visurgim, per Rheni quoque ripam quinquaginta amplius castella extruxit. primus Romanorum ducum septentrionalem navigavit oceanum. ipse tandem inter

7 horum — armis *in B eingeklammert* 24 est *fehlt in B* 31 efficit *B*

7 *Strab. 291. Suet. Aug. 23. Vell. II, 97. Flor. p. 118* 8 *Hor. C. IV, 2* 10 *eb. 14* 17 *Flor. p. 118* 18 *Vell. II, 97* 21 *Suet. Aug. 20* 22 u. 24 *Flor. p. 118* 27 *Strab. 291. Suet. Aug. 21* 29 *Suet. Claud. 1. Cass. Dion. 55, 1* 33 *Flor. p. 118. Suet. a. a. O* 34 *Suet. a. a. O.*

Rhenum et Salam flumina cum belligeraret, equo super crus eius conlapso, tricesimo, quam id acciderat, die oppetiit in Germaniaque (ut ait Plinius) periit in aestivis castris. (Tiberius Nero nocte ac die longissimum iter vehiculis tribus emensus festinavit ad Drusum fratrem aegrotantem in Germania; in ea fuerunt ducenta millia passuum.) (Claudianus de Druso ad imperatorem Honorium:

Nobilitant veteres germanica foedera Drusos, | Marte sed ancipiti, sed multis cladibus empta.)

(Ovidii quoque ad Liviam Drusillam uxorem Augusti subtexam:

Occidit exemplum iuvenis venerabile morum, | Maximus ille armis, maximus ille toga. | Ille genus Suevos acre indomitosque Sycambros | Contudit inque fugam barbara terga dedit. | Ignotumque tibi meruit, Romane, triumphum, | Protulit in terras imperiumque novas. | Funera ducuntur romana per oppida Drusi, | Heu facinus, per quae victor iturus erat, | Per quae deletis Rhetorum venerat armis, | Heu mihi quam dispar huic fuit illud iter! | Nec tibi deletos poterit narrare Sycambros, | Ensibus et Suevos terga dedisse suis | Fluminaque et montes et nomina magna locorum, | Et si quid miri vidit in orbe novo. | Facta ducis vivent operosaque gloria rerum | Haec manet, haec avidos effugit una rogos. | Stabis et in rostris tituli speciosus honore | Causaque dicemur nos tibi, Druse, necis. | At tibi ius veniae superest, Germania, nullum, | Postmodo tu poenas, barbare, morte dabis, | Spiritus ille minax et Drusi morte superbus | Carnifici in moesto carcere dandus erit. | Aspiciam regum liventia colla cathenis | Duraque per saevas vincula nexa manus.

Idem in fastis:

Et mortem et nomen Druso Germania fecit.

Drusi monumentum adhuc Mogontiaci monstratur, cuius et divus Hieronymus mentionem facit. exercitus enim ei honorarium tumulum excitavit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret Galliarumque civitates publice supplicarent.

Defuncto Druso fratre Tiberius ab Augusto adoptatus consorsque tribuniciae potestatis constitutus in Germaniam mittitur. (nam) intra Rhenum Albimque Saxoniae gentes peragravit cum exercitu, inde in

6 Claudianus — empta *in B eingeklammert* 9 *In B geht voraus:* Item de Druso versus.

1 *Strab. 291* 2 *Liv. ep. 142* 3 *Plin. VII, 84* *Suet. Claud. 1* 5 *Plin. a. a. O.* 6 *Claud. de IV. cons. Hon. 455* 9 *Epiced. Drusi ed. Haupt. p. 2* 13 *a. a. O. p. 7* 16 *eb. p. 12* 19 *eb. p. 10* 26 *I, 597* 28 *Eutrop. VII, 13* 29 *Hier. Chr. II, 153* 31 *Suet. Claud. 1* 33 *Vell. II, 103, 104* 34 *eb. 106.*

urbem redit. C. Sentium Saturninum virum consularem castris praeficit. inde Noricum petit, Boiemiam, ubi tum Marcomani, Suevi genere, cum Marobodo rege habitabant, invadere tentat, a tergo illis Sentium Saturninum imminere iubet. fuitque tum sub Tiberio in Germania praefectus equitum P. Velleius Paterculus, scriptor historiarum.

Tum Pannonia, Dalmatia rebellat. idcirco Tiberius Marcomanis omissis Pannonas adgreditur. Paterculus, annalium scriptor, quaestor partem exercitus a Roma traditi ab Augusto ad Tiberium perduxit, legatus deinde eius fuit. orientis ab ora ferociter Danubius Sausque saeviunt; indignabantur oppressis indigenis ripas suas milite romano custodiri. totum Illyricum, quod inter Italiam regnumque Noricum et Thraciam et Macedoniam interque Danubium flumen et sinum maris Hadriatici patet, ab imposito romanae servitutis resiluit iugo. gentes ferocissimae, Moesi, Pannonii rege Bathone rebellarunt; nemine dubitante, quin Germani iuncturi se Pannoniis fuerint, nisi prius Illyricum debellatum esset. occupata armis Macedonia, pars in Italiam properare decreverat. omnia in omnibus locis igni, ferro vastata, oppressi cives romani, trucidati negociatores, magnus vexillariorum numerus ad internecionem caesus. audita in senatu vox Augusti, decimo die ni caveretur, posse hostem in urbis romanae venire conspectum. senatorum equitumque romanorum exactae ad id bellum operae, habiti delectus; revocati undique omnes veterani, viri feminaeque ex censu libertinum coacti dare militem. ad tutelam ripae Rheni fluminis, item ad praesidium coloniarum Illyricum Danubiumque contingentium servi Romanorum manumittuntur militiaeque libertini sub proprio vexillo adscribuntur. datur rursus Tiberio Neroni tribunicia potestas, in quinquennium delegatur et Germaniae pacandae status. sed nunciata Illyrici defectione, transsit ad curam novi belli, quod gravissimum omnium externorum bellorum post Punica per quindecim legiones, parem auxiliorum numerum triennio gessit; in magnis rerum omnium difficultatibus, summa frugum inopia, saepius revocatus perseveravit, tamen metuens, ne vicinus et praevalens hostis instaret ultro cedentibus. cum Pannonii in aciem oriente sole statim processissent, continuit suos passusque est et hostem nebula et imbribus, qui forte eo die crebri erant, verberari ac demum, ut fessum stando et pluvia non solum animo sed lassitudine quoque

5 Vellius *B*

2 *Vell. II, 105* 4 *eb. 109* 5 *eb. 104* 6 *eb. 110* 9 *eb. 110, 111* 13 *Suet. Tib. 16* *Flor. 114* 14 *Vell. II, 110* 16 *Suet. Tib. 17* 19 *Vell. II, 110* 23 *eb. 111* 25 *Suet. Aug. 25* 32 *Suet. Tib. 16.*

deficere animadvertit, dato signo adortus superavit, perdomuit ac in ditionem redegit.

Sub idem tempus, dum haec in Illyrico geruntur, Germaniae (Magnae) magis victae quam domitae Quintilius Varus ab Augusto praeficitur. cuius avariciam, libidinem atque superbiam cum Germani, laeta bello gens, ferre non possent, proceres hi, Libes, sacerdos Chattorum, Segimundus, filius Segesti, sacerdos Cheruscorum, Veromarus Chattus, Egimarus et filius Sesithacus Cherusci, Berthorites, frater superioris Melonis, cum filio Theoderico, Sycambri, clamculum coniurant, authore Armenio, filio Segimari, ex Cheruscis oriundo, qui inter Visurgim et Albim habitant et communi nunc vocabulo Saxones vocantur. Segestes, socer Armenii, huiusque frater Flavius cum Romanis sentiebant. Varum detecta coniuratione frustra conmonent, ipsi ad romanam transfugiunt ripam. Varus fretus viribus et multitudine militum rem huiusmodi contemnit, suspectos coniurationis ad tribunal citari iubet. Germani duce Armenio arma corripiunt, improviso undique invadunt, opprimunt, trucidant resistentes, capita occisorum praefixa hastis ad vallum Armenius admoveri iubet. castra inde expugnantur, diripiuntur; tres legiones, totidem alae, sex cohortes cum duce legatisque et auxiliis omnibus in saltu Teutoburgensi (ubi adhuc civitas et saltus nomen servat, in ducatu Clevensi, ubi quondam emporium, quod nunc Francophori, fuisse fertur) deletae sunt, ante diem quartum nonas Sextiles, quem decreto pontificum inter âtros referri placuit.

Varia miserandaque caedes per sylvas, per paludes fuit; patronis causarum crudelius insultatum, aliis oculi eruti, aliis manus amputatae. unius caput rescissa prius lingua in manu tenens, Germanus inquit: vipera, sibilare desiste. signa et aquilae in manus hostium venere. hacque clade factum est, ut imperium, quod diu litore oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret. atrocissima calamitas, qua nulla post Crassi in Parthis damnum in externis gentibus gravior Romanis fuit. exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu experientiaque bellorum inter romanos milites princeps, ad internecionem more pecudum contrucidatus. Armenius itaque (sicut Tacitus narrat) liberator haud dubie Germaniae, et qui non primordia populi romani, sicut alii

4 Magnae *fehlt in A M*

1 *Front. Strat. II, 1* 2 *Suet. Tib. 16* 4 *Flor. p. 119. Tac. G. 37* 5 *Flor. 119* 6 *Tac. H. IV, 16* 13 *Strab. 291* 17 *Flor. 119* 18 *Front. II, 9* 30 *Flor. 119* 34 *Vell. II, 119* *Tac. A. II, 88.*

reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit, praeliis ambiguus, bello non victus, septem et triginta annos vitae, duodecim potentiae explevit. Canitur adhuc apud barbaras gentes, Graecorum annalibus ignotus, qui sua tantum admirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.

Hac strage Romae nunciata Augustus excubias per urbem indixit, ne quis tumultus existeret, et praesidibus provinciarum propagavit imperium contra leges institutaque maiorum, ut a suetis et peritis socii continerentur. vovit et ludos magnos Iovi optimo maximo, si rempublicam in meliorem statum vertisset. adeo namque consternatus fuit, ut per continuos menses barba, capillo summisso, caput interdum foribus inlideret, vociferans: Quintili Varre, legiones redde; diemque cladis quotannis moestum habuit ac lugubrem.

(Sub idem tempus, cum hoc ad occidentem, inter Rhenum Albimque geruntur, Tiberius tum victor Romam rediit, praetextatus et laurea coronatus urbem intravit, triumphum tamen ipse distulit, moesta civitate clade Variana. proximo deinde anno repetita Germania vacillantium cis Rhenum sitarum gentium animos et Gallias confirmat, quum animadverteret Varianam cladem temeritate et negligentia ducis accidisse, nihil non de concilii sententia egit (semper alias sui arbitrii contentusque se solo) cum pluribus de ratione belli conmunicavit curamque solito exactiorem praestitit. traiecturus Rhenum, conmeatum omnem ad certam formulam restrictum non ante transmisit, quam consistens apud ripam explorasset vehiculorum onera, ne qua deportarentur nisi concessa aut necessaria.

Trans Rhenum eum vitae ordinem tenuit, ut sedens in cespite nudo cibum caperet, saepe sine tentorio pernoctaret, praecepta diei sequentis omnia et, si quid subiti iniungendum esset, per libellos daret, addita monitione, ut de quo quisque dubitaret, se nec alio interprete, quacunque vel noctis hora, uteretur. disciplinam acerrime exegit, animadversionum et ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis atque etiam legato legionis, quod paucos milites cum liberto suo trans ripam venatum misisset, ignominia notato. vindicare abolereque inlatam ignominiam, non superare Germaniam propositum erat; quam licet tanti putasset vincere Augustus, ipsa magis tamen turpiter amissa est, quam gloriose acquisita. Tiberius re prospere gesta, non multum

6 induxit *B* 13 mestum *A*

13 *Suet. Aug. 23* 17 *Suet. Tib. 17* 18 *Suet. Tib. 18. Vell. II, 120* 33 *Suet. Tib. 18. 19* 34 *Tac. A. I, 3* 36 *Flor. 118.*

abfuit, quin occideretur. ex Germania in urbem post biennium reversus triumphum, quem distulerat, egit. Bathonem Pannoniorum ducem ingentibus donatum praemiis Ravennam transtulit, gratiam referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum passus est evadere. tum Germanicus Tiberius Caesar, filius Drusi, sub obitum fere Augusti in Germaniam non subiiciendae gentis, sed vindicandae cladis acceptae causa cum exercitu perrexit; iacere enim adhuc insepultae reliquiae Varianae cladis ferebantur. nunc (ut pollicitus sum) ad Rhetos, Vindelicos Noricosque redeo.

Cap. 3. Occidentale Rhetiae latus (uti est apud Cl. Ptolomaeum, cosmographorum haud dubie diligentissimum) Rheno indeque ducta linea ad fontes Danubii includitur. septentrionale Danubius, orientale finit Oenus in Alpibus, Lycus extra Alpes (Graias Ptolomaeus nominat), quae ab Austro Rhetiam ab Italia summovent. eam nunc Suevi cis Danubium incolunt; Curenses, Engadini, Graopundi, Volturreni supra Comum, Ananici, Tridentini supra Veronam possident. Rhetorum partem Vindoligos esse docet Strabo, ubi imperiti, similitudine nominum decepti, Vindelicos legunt. illorum oppida Bricantium sive, quod idem est, Brigantium et Cambodunum nomina servant. Augustam (quam splendidissimam Rhetiae coloniam Tacitus adpellat) nonnulli Drusomagum a Ptolomaeo vocari opinantur; quidam falso Vindelicorum cognominant.

Primus Rhetiam coluisse fertur Tuisconis tetrarches nomine Adulas, a quo mons adhuc nomen retinet. deinde longo post tempore Rhetus dux Ethruscorum, Italia pulsus eam occupavit Rhetiamque a suo nomine adpellavit, Tarquinio Prisco tum Romae regnante. demum Alemani Suevi ea tempestate, qua Hyldericus primus et Litavicus apud Francos imperitavit, pulsis Romanis sedes ibi conlocarunt. Noricos tres amnes altissimi, Oenus, Danubius, Drauus (qui in Alpibus Noricis, ut ait Plinius, oritur) vallant. nunc Boii, Austriaci, Stirii, Charini, Tyrolii Noricum tenent. Tuisco, Germanorum et Sarmatarum conditor, Histrum, filium Ebri, in hanc regionem cum colonis misit, qui Danubio et Histriae celebre ad posteros nomen dedit. post hos imperitasse reperio Tibilenum, peculiarem Noricorum deum, et Taurum, a quo mons Taurus adhuc nominatur. subsequitur hunc Panno, a quo Pannonia, pars Norici dicta, nomen vetus retinet; paret pontifici Iuvavensi.

5 *Suet. Tib. 19. 20* 7 *Tac. A. I, 3* 8 *eb. 60* 10 *Ptol. p. 157* 17 u. 19 *Strab. 206* 20 *Tac. G. 41* 21 *Ptol. 158* 24 *oben S. 51 Z. 15* 30 *Flor. 116. Plin. III, 147* 34 *Tertull. Ap. 154. Cap. Max. 22. Herod. VIII, 3.*

succedit Penno, unde Penninae Alpes et mons Penninus vocatus, ubi oriuntur Athesis et Oenus. Venusticum (hoc est Venster mons) vulgo nominant a Vennone, successore Pennonis et authore Vennonum; hi accolae sunt fontium Athesis; vocabulum vetus manet.[7]

Tauriscum tyrannum, a quo Taurisci conditi, vicit Hercules. potitus est dehinc rerum Noricus, filius Alemani Herculis, regis Germaniae Magnae, unde Noricum cognomen recepit. tempore Iulii Caesaris paulo ante natum Christum servatorem nostrum, regem Noricorum fuisse reperio Voccionem, qui Caesari contra Pompeium in bello civili trecentos equites in auxilium misit, cuius etiam sororem duxit Arionistus, rex Germaniae Magnae. post hunc ultimus rex Noricorum Critosirus; postea Noricum in romanam provinciam redactum est. horum omnium regum nomina crebro in fastis reperio antiquis.

Medii inter hos Vindelici, a Rhetis Lyco, a Noricis Oeno, a Germania Magna Danubio separantur. nostro aevo superiorem inferioremque Boiariam nominamus, uti supra in libro primo explanavimus. ita quoque et inscriptio et vetus monumentum conprobat Reginoburgii, quod caput Boiorum est; lapidis huius inscriptionem paulo infra offendes. quinam vero Vindelici fuerint, incertum diversi faciunt authores. Porphyrio Thraces fuisse, eiectos ab Amazonibus in exilium se contulisse hisque regionibus insedisse conmemorat. verum Servius Amazonum Cimbrorumque sobolem testimonio Horatii esse censet. sunt, qui a Vandalo rege Germaniae conditos et dictos velint. alii a Vindis et Lyco dictos esse opinantur. sunt autem Vindi pagi Boiariae intra Isaram et Lycum. nam fluvium Rhetiae, qui supra Augustam Lyco miscetur, quem vulgus Bertham, Latini et Fortunatus Virdonem vocant, quis unquam Vindam dixerit, nisi qui sibi somnia fingunt et gravissimos authores ad suae ignaviae patrocinium malunt erroris ridiculi accusare quam dare operam, ut illos recte intelligant? ego cum Rhetiam secundam hanc regionem et incolas a T. Livio semigermanos vocari reperiam, facile in eam ducor coniecturam, ut Vindelicorum nomen ab Undernlec, Germanico vocabulo, quod infra Lycum declarat, elisis, conmutatis additisque literis (sicut consuetudo scriptorum est) detortum esse existimem; quemadmodum et in quibusdam antiquis lego

19 vero *fehlt in B* 20 Porphirio *B* 30 et *fehlt B* 32 Undeinlec *B*

4 *Vinstgau* 12 *Strab. 304. 313* 20 *Porphyr. p. 126 Meyer* 21 *Servius Honoratus Maurus oder Marius schrieb zu Anfang des 5. Jahrh. einen Commentar zu Vergils Aen. (s. I, 344)* 22 *Hor. C. IV, 4* 26 *Venantius Fortunatus, 6. Jahrhundert (II, 470 Vindo)* 27 *Die Wertach* 30 *Liv. XXI, 38.*

exemplaribus et etiam nunc Austria supra flumen Anassum infraque usurpari solet.

Fuere Vindelici, Norici, Rheti gentes ferocissimae, Italorum infestissimi hostes; crebro in Italiam incursationes factitabant, igne, ferro, flamma omnia vastabant, urbes diripiebant. cum vicum aut oppidum caeperant, non modo puberes, verum etiam infantes trucidabant. nec hisce contenti, faeminas etiam uterum ferentes necarunt, quascunque marem concepisse vateś et sacrificuli sui divinabant. ad retundendam harum omnium gentium crudelitatem anno (ante natum Christum, viventium regem et dominum mundi) quinto decimo, Claudii Tiberius et Drusus Nerones, fratres germani, privigni Augusti a vitrico cum legionibus et copiis missi sunt. Et, ut verbis Paterculi utar, divisis partibus, Rhetos Vindelicosque adgressi, multis urbium et castellorum oppugnationibus nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quam damno romani exercitus, plurimo cum earum sanguine, aestate una, omnes huius cardinis populos perdomuerunt. bis aperto Marte pugnatum est, multum sanguinis effusum est. rivi cruore humano colorem mutarunt. mulieres deficientibus telis infantes ipsos adflictos humo in ora militum adversa miserunt. Horatius Flaccus poeta lyricus quartum librum carminum longo intervallo post tris iussu Augusti ad celebrandum hoc bellum conscripsit. eius carmina haec sunt; ociosis atque curiosis placuit subtexere:

Videre Rheti bella sub Alpibus | Drusum gerentem Vindelici; | quibus | Mos unde deductus per omne | Tempus Amazonia securi | Dextras obarmet, quaerere distuli, | Nec scire fas est omnia; sed diu | Lateque victrices catervae | Consiliis iuvenis revictae.

Idem ad Augustum:

O sol qua habitabiles | Inlustrat oras, maxime principum, | Quem legis expertes latinae | Vindelici didicere nuper, | Quid Marte posses; milite nam tuo | Drusus Gelones, implacidum genus, | Brennosque velocis et arceis | Alpibus impositas tremendis | Deiecit acer plus vice simplici. | Maior Neronum mox grave praelium | Conmisit immanisque Rhetos | Auspiciis pepulit secundis; | Spectandus, in certamine Martio | Devota morti pectora liberae | Quantis fatigaret ruinis; | Ut barbarorum Claudius agmina | Ferrata vasto diruit impetu | Primosque et

29 sol qua *sic A u. B* 31 Gelones *sic A u. B. Hor.:* Genaunos.

8 *Strab. 206. (Dio 54)* 12 *Vell. II, 95* 17 *Flor. 115* 20 *Flor. 115* 27 *Hor. Carm. IV, 14.*

extremos metendo, | Stravit humi sine clade victor, | Te copias, te consilium et tuos | Praebente divos; nam tibi, quo die | Portus Alexandrea supplex | Et vacuam patefecit aulam, | Fortuna lustro prospera tercio | Belli secundos reddidit exitus | Laudemque et optatum peractis | Imperiis decus arrogavit.

Item Ovidius ingeniosissimus poeta de Druso ad Liviam Drusillam, Augusti uxorem:

Fortuna arbitriis tempus dispensat ubique; | Illa rapit iuvenes, sustulit illa senes. | Quae tamen hoc uno tristis tibi tempore venit, | Saepe eadem rebus favit amica tuis. | Quod spes implerunt maternaque vota Nerones, | Quod pulsus totiens hostis utroque duce | Rhenus et Alpinae valles et sanguine nigro | Decolor, infecta testis Itargus aqua | Danubiusque capax et Dacius orbe remoto | Appulus huic hosti per breve pontus iter | Armeniusque fugax et tandem Dalmata supplex | Summaque dispersi per iuga Pannonii, | Consul et ignoti victor Germanicus orbis, | Qui fuit heu mortis publica causa legor.

Sed ordinem coeptum prosequar. Romani victores superiores regiones in formam provinciae redegerunt, colonias deduxerunt, romanis, italicis colonis oppleverunt. arces et munimenta locis editioribus et natura munitis condiderunt. per omnem Danubii ripam navigia, excubatoria, praesidia stationesque militares, quae Germanos vado arcerent, dispositae atque constitutae exercitusque provinciatim distributi, qui subiectos in fide continerent et ab incursationibus Germanorum defenderent. praedia stipendiaria (parochias vocabant) militibus, quemadmodum nostro aevo sacerdotibus, adsignata sunt. custodiere Vindeliciam praeter auxilia tres legiones, Martia, quarta, quinta Bathava, quae per ripam Danubii per suas stationes et cohortes conlocatae sunt. castra quoque sub dio vallo fossaque munierunt, aestiva et hiberna constituerunt, ubi militares copiae, legiones et auxilia excubarent seque tutarentur, si hostis invaluisset. aestiva fuere in inferiore Boiaria, ubi est vicus Gisaleria. hibernorum vestigia monstrantur in superiore Boiaria, supra Gisoveltas, vicum et caenobium sacratarum faeminarum. vulgus vallum fossasque et castra romana nominat. aurariae et ferrariae Noricorum, quas et Strabo et Plinius Horatiusque memorant, reipublicae fiscoque addictae sunt. nobilitas, principes, sacerdotes (ne

8 dispendit *B*

5 *Hor. C. IV, 14* 7 *Epiced. Drusi ed. M. Haupt. p. 13, 371* 16 *p. 16, 457* 21 *Veg. de re mil. V, 15* 22 *Tac. H. IV, 26; Suet. Aug. 49* 31 *Geiselhering* 32 *Geisenfeld* 34 *Strab. 205. Plin. XXXIII, 146. Hor. C. I, 16.*

relinqueretur materia bellandi) aut occisi aut captivi Romam cum uxoribus, liberis abducti, cathenis collo manibusque conligati, triumphati sunt. deinde partim leonibus, apris et huiusmodi bestiis in circo harenave obiecti, romano populo crudelissimum spectaculum sanguinariamque praebuere voluptatem; pars in carcere necati sublatique sunt, quemadmodum nostro aevo Turcas factitare fama est.

Plaebes ademptis omnibus armis agriculturae operam dare (vineas tamen ac vites colere prohibita), tributa annua pendere iussa, amissis legibus patriis linguaque paulatim in mores sermonemque transsit romanum. non solum manu Roma, gentium regina, (ut ait Plinius) sed etiam lingua superavit gentes. nec enim apud victorem et magistratus alia lingua quam romana (quae usitatius latina dicitur) loqui vel agere quicquam licebat, nedum rescripta responsaque alio ederentur sermone. legimus imperatores ipsos in senatu nominaturos etiam necessitate graeco vocabulo rem veniam postulasse, quod sibi verbo graeco utendum esset; atque etiam in decretis patrum graecam conmutandam vocem consueverunt et pro peregrina latinam requirendam aut, si non reperiretur, vel pluribus per ambitum verborum rem enunciandam. militem quoque graece testimonium interrogatum, nisi latine respondere vetitum fuit. data siquidem opera est (ita divus Aurelius Augustinus etiam scribit), ut imperiosa civitas non solum iugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret, per quam non deesset, immo et abundaret etiam interpretum copia.

Superiores regiones, quas dixi, praecipue Vindelicia (ubi nati et cuius situm gentesque describere polliciti sumus) Romanis paruerunt quingentos triginta quinque annos. missus et datus est a romano imperatore rector, quem et praesidem, procuratorem, ducem, comitem, legatum vocabant, qui maius imperium in ea provincia habebat secundum principem; et ne ille fines provinciae, nisi solvendi voti causa, dumtamen non abnoctaret, excederet, lege cautum fuit. in suae provinciae homines imperium tantum habebat, interdum et adversus externos, si quid conmisissent mali. primus praeses fuit post Claudios Tiberium et Drusum Nerones L. Piso vir consularis. praeterea quaestores atque procuratores cum scriba, qui praedia caesaris et fisci bona curarent, item qui ius dicerent, singulis provinciis dati sunt; assidereque dumtaxat in provincia nati permissi sunt. nec enim cuipiam nisi in sua provincia assessori esse licuit; ita lege sancitum erat.

11 *Plin. n. h. III, 42* 20 *Suet. Tib. 71* 38 *Vgl. Spart. Pesc. Nig. 7. Dio. 71.*

Non ingratum fore existimo lectori, si breviter et in transcursu dicatur, quemadmodum princeps urbium caputque mundi Roma, numine caelesti electa, sparsa congregarit imperia, ritus molierit, tot populorum discordes ferasque linguas sermonis conmercio traxerit ad conloquia, humanitatem homini dederit, breviter, una cunctarum gentium in toto orbe patria facta fuerit. prius Claudiani de tanta urbe carmina subnectere libet:

Proxime dis consul, tantae qui prospicis urbi, | Qua nihil in terris complectitur altius aether, | Cuius nec spacium visus nec corda decorem, | Nec laudem vox ulla capit, quae luce metalli | Aemula vicinis fastigia conserit astris; | quae septem scopulis zonas imitatur Olympi, | Armorum legumque parens, quae fundit in omnes | Imperium primique dedit cunabula iuris. | haec est, exiguis quae finibus orta, tetendit | Ingeminos axes, parvaque a sede profecta, | Dispersit cum sole manus, haec obvia fatis, | Innumeras uno gereret cum tempore pugnas, | Hispanas caperet, Siculas submitteret urbes, | Et Gallum terris prosterneret, aequore Poenum. | Nunquam succubuit damnis, et territa nullo | Vulnere, post Cannas maior Trebiamque fremebat, | Et cum iam premèrent flammae murumque teneret | Hostis, in extremos aciem mittebat Iberos. | Nec stetit oceano remisque ingressa profundum, | Vincendos alio quaesivit in orbe Britannos. | Haec est, in gremium victos quae sola recepit | Humanumque genus communi nomine fovit | Matris, non dominae ritu civesque vocavit, | Quos domuit nexuque pio longinqua revinxit. | Huius pacificis debemus moribus omnes, | Quod veluti patriis regionibus utitur hospes, | Quod sedem mutare licet, quod cernẽre Thulen | Rursus et horrendos quondam penetrare recessus. | Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem, | Quod cuncti gens una sumus nec terminus unquam | Romanae ditionis erit; nam caetera regna | Luxuries viciis odiisque superbia vertit.

Sed rem coeptam prosequar.

Cap. 4. Romani diligentissime omnium disciplinam militarem resque bellicas coluerunt atque milites curarunt. ita supergressi omnium penitus nationum regna, maximum latissimumque condidere imperium, id quod etiam in caelestis philosophiae penetralibus continetur.

8 diis *B* 30 *In B folgt, eingeklammert:* At nunc regina urbium gentiumque domina, non solum semidiruta, sed libertate etiam amissa servo servit servorum.

6 *Plin. n. h. III, 39* *Claud. L. St. III, 130 fg.*

BSB

Ubicunque Romanus vicit (verba sunt Senecae), habitavit, colonos in omnes provincias misit. ad hanc conmutationem locorum libens nomina dabat et relictis aris suis trans maria sequebatur colonus senex. posteaquam enim (narrat Severinus Boethius) Romanus hostilem terram obtinuit, deletis hostium civitatibus, denuo novas urbes constituit, dato coloniae nomine, cives iterum ampliavit, milites colonos fecit; urbes provinciarum exercitui adsignari iussit; propter subitas bellorum acies non solum eas civitates demum cingere muris, verum etiam loca aspera et confragosa satis allegari praecepit. nam huiusmodi agros (sicut refert Tacitus) uligines paludum, inculta montium emeriti accipiebant, ut illis maxime propugnaculo esset ista loci natura. id etiam docet Ovidius isthoc carmine:

Fessus in acceptos miles deducitur agros.

Ab hac agrorum nova dedicatione culturae coloniae adpellatae, quae his victoribus, qui reipublicae causa arma coeperunt, adsignatae sunt.

Militares copias in duo diviserunt genera, legiones et auxilia. Legiones ab eligendo dictae, ex propriis militibus, tanquam ordinariis et legitimis constitutae fuerunt; satius enim esse arbitrabantur, suos erudire armis quam alios mercede conducere. nec cuiquam militare licuit, nisi is sacramento rogatus, solemni ritu in verba imperatoris praeeunte legato iurasset. hoc authoramento soluti exauthorati vocantur. pascebantur publica annona milites et partem donativi dimidiam apud signa deponere cogebantur, ne per luxum et lasciviam peculium castrense absumerent aut temere ab signis abessent et fortius pro suo dimicarent. auxilia serius recepta ab exteris, etiam ab hostibus contra hostes accersita emptaque mercede sunt; et tanquam levis armatura in acie legionibus adiungebantur, ut in his praeliandi magis adiumentum quam principale subsidium foret. utrique ordines provinciatim distributi sunt.

Praeterea aerarium militare, provinciae, oppida, praedia stipendiaria (parochias vocabant, quemadmodum apud nos ecclesiastica mystis et sacerdotibus) militibus constituta sunt, ut perpetuo sine difficultate suppeterent sumptus ad tuendos prosequendosque milites. quicquid ubique militum fuit, ad certam stipendiorum praemiorumque formulam

1 Ubicumque *A* 20 cuipiam *B*

1 *Sen. cons. ad. Helv. VII, 2* 10 *Tac. Ann. I, 17* 12 *Ovid. Am. II, 9* 17 *Suet. Aug. 49* 18 *Veg. II, 1* 20 *Veg. I, 28* 26 *Veg. II, 19. 20* 29 *Veg. II, 2.*

adstrictum est, definitis pro gradu cuiusque et temporibus militiae et commodis missionum, ne aut aetate aut inopia post missionem ad res novas sollicitari possent. agri capti de hostibus donati militibus fuerunt, addita iumenta et servi, ut possent colere, quod acceperant, ita ut ad heredes quoque, si militarent, nec unquam ad paganos transirent, quo diligentius pro republica bellicis muneribus operam navarent, si sua rura defenderent. emeritis, maxime tribunis, ducibus, praefectis agri, villae, oppida, quae necessaria, quoad viverent, suppeditarent, dabantur; illis quoque liberos, si utiles imperio forent, succedere aliquando permissum est.

Praeter haec ab imperatore accipiebant praesides provinciarum argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos et, si uxores non haberent, singulas concubinas, quod sine his esse non possent, reddituri deposita administratione mulos, mulas, equos, muliones et cocos, caetera sibi habituri, si bene egissent, in quadruplum redditüri, si male. ante legatum quoque decem milites soliti sunt semper ambulare. in demortuorum vero militum sive missorum sive aliam quamvis ob causam abeuntium locum singulis pene mensibus tyrones suffecti sunt, quos armis ad scutum, ad palum, punctim, caesim feriendo, natando, gradiendo, saltando, equitando, sagittis, missilibus, iactu lapidum et huiusmodi praeexercitamentis accuratissime tribuni exercuerunt. unde tyrocinia dicta sunt, quae vulgus literatorum torneamenta vocare solet.

Penes quemque imperatorum breviarium totius imperii fuit, quantum militum ubique sub signis essent, quantum pecuniae in aerario et fiscis et vectigalium residuis, adiectis eorum nominibus, a quibus ratio exigi posset. milites quoque suos ut scirent, ubique imperatores in cubiculo habuere breves, in quibus nomina, dignitates, tempora et stipendia conscripta; cum soli erant, haec recensebant de promovendisque cogitabant et annotabant. classis etiam Ravennae et altera Miseni, ad tutelam superi inferique maris conlocata fuit (nunc mare Venetum Longobardorumque vulgo adpellatur), unde commode ad Asiam, Aphricam, Graeciam, ad omnes partes menbraque imperii, si quid novi accideret, navigari posset.

Orbis autem terrarum, qui Romanis paruit, partem reges, pontifices, tetrarchae tenuerunt; quam vero ipsi habuerunt, provinciam vocarunt; praefectos et quaestores in eam misere. fuerunt etiam

3 *Suet. Aug. 49* 17 *Lamprid. Al. Sev. 42* 18 *eb. 52* 23 *Veg. I, 9—16* 28 *Suet. Aug. 101* 31 *Lamprid. Al. Sev. 21* 32 *Suet. Aug. 49* 35 *Veg. V, 1,*

nonnullae civitates liberae conditionis. aliae ab inicio per amiciciam, aliae ab ipsis honoris causa libertate donatae; hae secundum patrias leges vivebant, sociae foederataeque nuncupabantur. quinque oppidorum genera fuisse apud Plinium lego, colonias, municipia, urbes foederatas, liberas, stipendiarias. hae stipendia militibus contribuebant, aerario quoque militari vectigales erant. foederatae certis quibusdam pactis, quae foedere expressa fuerant, constringebantur. liberas nemini obnoxias, nemini quicquam praestitisse, sui iuris, suae spontis fuisse, vocabulum indicat. municipiis concessum erat (sicut Gellius docet), ut civitatis romanae honorem quidem caperent, sed negociis tamen atque oneribus vacarent; et municipes fuerunt cives romani, suo iure et suis legibus utentes, muneris tantum cum populo romano participes, a quo munere capessendo adpellati videntur, nullis aliis necessitatibus neque ulla lege populi romani adstricti. coloniae suis radicibus non utuntur, sed ex civitate quasi propagatae sunt et iura institutaque omnia populi romani, non sui arbitrii habent; quae tamen conditio, cum sit magis obnoxia et minus libera, potior tamen et praestabilior existimabatur propter amplitudinem maiestatemque populi romani, cuius istae coloniae quasi effigies parvae simulachraque esse quaedam videbantur. nam, ut divus Aurelius Augustinus ait, civitates a maioribus civitatibus velut populorum examinibus conditae coloniae nuncupantur.

Provinciarum duo genera erant. validiores, quae militum praesidio indigebant, ut gentibus necdum subactis finitimae, steriles et cultu difficiles erant; et quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat, caesares susceperunt administratoresque in eas miserunt, quos legatos, praesides, rectores, procuratores, duces vocari apud rerum scriptores reperio. reges quoque ac pontifices et tetrarchae ad ius caesarum semper spectarunt. caeteras, quae pacatae fuerunt et facile sine armis retinebantur, populo romano ipsi caesares concesserunt, proconsulibus et praetoribus sortito permiserunt. gentibus victis, teste Plinio, semper argentum, non aurum in tributo populus romanus imperavit. et quo celerius ac sub manu adnunciari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, iuvenes primo modicis intervallis per vias militares, dehinc vehicula disposita sunt. commodius id visum est, quod idem, qui in loco proferebat literas, si quid res exigat, interrogari poterat.

Operae praecium fecisse videor, si perquam paucis magnitudinem

19 simulacraque *A*

3 *Strab. 839* 4 *Plin. n. h. III, 7. V, 29* 9 *Gell. XVI, 13* 30 *Strab. 839 fg. Suet. Aug. 47* 31 *Plin. n. h. XXXIII, 51* 36 *Suet. Aug. 49.*

romani imperii indicavero, provincias cum insignioribus urbibus in brevi quasi tabella depinxero, simul ut intelligatur, plane nihil earum rerum (quas tantopere mortales admirantur et pro quibus acerrime armis divina humanaque miscendo dimicant) salvum certumque fore, cum romanum perierit imperium, quod omnium florentissimum, potentissimum et secundum deorum opes (ut ait Livius) maximum fuerit.

Italia illa, quondam altrix victoris omnium gentium populi, omnium terrarum alumna, eadem et parens, violati orbis poenas necdum expiata adhuc luit, pro qua, tanquam re derelicta, pugnis decertant saevissime iampridem pontifex romanus, Germani, Franci, Galli, Celtae, Hispani. eandem tanquam dubiae possessionis in medio positum solum, prout quisque viribus invaluit, trahunt, vexant, lacerant, vastant. sed festinanti ad res Boiorum, quod pollicitus sum, modo aperiendum est altiusque repetendum. Romani ex una civitate profecti, belli pacisque artibus omnium mortalium quondam clarissimi, primo totam Italiam, deinde proxima quaeque Italiae, postremo Europam, Aphricam, Asiam armis et virtute sibi parere coegerunt, cum oceano gallico, hispanico mare Mediterraneum omne, quacunque latissime diffunditur, cum insulis omnibus in obsequium redegerunt.

Terrarum orbis universus in tris dividitur partes: Europam, Asiam, Aphricam. origo ab occasu solis et Gaditano freto, qua inrumpens oceanus Atlanticus in maria interioria diffunditur. hinc intranti dextera Aphrica est, laeva Europa, ante has Asia est, termini Tanais et Nilus. Europam totam tenuerunt Romani praeter eas partes, quae inter Danubium, Rhenum et Tanaim amnes, septentrionalem oceanum continentur; ita Strabo docet. Danubius enim ac Rhenus extremam romani imperii (sicuti Plinius nominat) marginem alluerunt. id quidem eleganter Claudianus describit; versus eius hi sunt:

Prominet Hercyniae confinis Rhetia sylvae, | Quae se Danubii iactat Rhenique parentem, | Utraque Romuleo praetendens flumina regno.

Altera ripa Romanorum, alia Germanorum fuit. Danubii ripam, qua Rhetos, Vindelicos, Noricum, Pannonias, Moesos praefluit, legiones viginti, Rheni vero oram gallicam duo exercitus, superior, inferior, custodierunt. in uno quoque quatuor fuere legiones exercitu; cognomina earum apud Tacitum leguntur. atque hi amnes, cum aucti

14 *Am Rande in A*: Iosephus tertio libro de bello Iudaico [II, 16?].

6 *Liv. I, 4* 8 *Plin. n. h. III, 5. 39. praef. 16* 17 *Strab. 839* 20 *Zum flgd. vergl. Plin. n. h. besonders III—VI; Ptol.; Ammian. bes. XIV—XVI; Strabo; Tac. Ann. I—IV; Ruf. brev. 4 flgd.* 28 *Claud. b. Get. 330 fg.* 35 *Ann. I, 31. 37. (I, 3. IV, 5).*

aquis erant, ab omnibus, qui oram Galliae, Rhetiarum, Vindelicorum, Noricorum Pannoniae, Moesiarum incolebant, diis honor habitus gratiaeque actae. quod si defecissent aut siccitate decrevissent aut denique glacies ripas coniunxisset, omnis tum aetas atque sexus, viri, mulierculae, iuvenes, senes, pueri, puellae publice et privatim indixere iusticium; ab auguribus, sacerdotibus, sacrificulis feriae conceptae, supplicationes decretae, circa omnia pulvinaria deorum supplicatum est; hostiae maiores, minores mactatae et peculiaribus ceremoniis, sacris solemnibus, votis et conpraecationibus Iovi Elicio operati sunt pontifices minores et maximi flamines, ut impetrarent pluviam inundationemque horum fluminum, ne Germanis pateret transsitus. meminit et Claudianus:

Alta nec incertis mentimur flumina votis, | Excidio latura moram, non poscimus amnes | Undosam servare fidem nubesque fugaces, | Aut coniuratum querimur splendere serenum.

Africae ora, quae nobis ex adverso est, tota Romanis paruit usque Aethiopas. nam reliqua vel inhabitabilis et sterilis est ob harenarum tumulos vel a pastoribus incolitur. Asia quoque, quae ad nos vergit, tota romano subiecta fuit imperio, praeter Scythas, Parthos, Persas, Indos, a quibus tamen semper aliquid quotidie demere solebant. termini Tigris, Caucasus mons, mare Rubrum et pontus Borealis.

Europam, quatenus paruit Romanis, in sex diviserunt partes, quarum unamquamque provinciis rursus determinarunt. nomina illarum haec sunt: Italia, Hispania, Gallia, Illyricum, Thracia, Graeciá. Italia patet longitudine, ubi longissima est, decies centena et viginti millia passuum. latitudo varia est: ubi latissima, quadringenta millia passuum explet, aliquibus locis centum triginta quinque non excedens. Italiam imperator Caesar Augustus in undecim divisit regiones, quibus adiectae sunt sex provinciae: Sicilia, Sardinia, Corsica, Rhetia prima, Rhetia secunda, Alpes Graiae, Penninae. prima Italiae regio incipit a Tiberi, terminatur Vulturno amne, continet Latium, Campaniam, Picentinos, antiquum Latium a Tiberi Circeios servatum millia passuum quinquaginta longitudine. deinde processit ad Lirim amnem, ibi Roma terrarum caput, Anxur, quae et Terracinae Volscorum, Tibur, Praeneste, Ardea, Fidenae, Formiae, Sinuessa. extremum in adiecto Latio Campania est a Sinuessa ad Surrentum promontorium; in ea sunt Sarnus amnis, Vulturnus amnis, oppida Capua, Aquinum, Cumae, Misenum, ubi classis Romana, Puteoli, Neapolis, Nola, lacus Avernus. nunc regnum est Neapolitanum, varios sortitum dominos

12 *Claud. b. Get. 46 fg.* 38 *Suet. Aug. 49. Tac. A. IV, 5.*

pro libidine romanorum pontificum. Chunradum ultimum Suevorum ducem Celtae interfecerunt; hos pepulerunt Hispani. Picentini a Surrento promontorio ad Silarum amnem triginta millia passuum procedunt. oppidum eorum Salernum. secunda amplexa est Hirpinos, Calabriam, Pediculos, Apuliam, Salentinos. Hirpinorum fluvius Aufidus, Beneventum, Cannae, nobiles clade romana; Calabriae oppida Brundusium, Hidrus, Hidruntum; Pediculorum Rhudia, Egnatia, Barium, quod ante Iapyx. Apuliae urbes sunt Salapia, Sipus, Sipontum, ubi Nicolaus Perotus pontifex fuit, vir de lingua latina bene meritus. est et in Apulia Garganus mons; Salentinorum oppidum Galleopolis.

Tercia Italiae regio conplectitur a Silaro amne Lucaniam, Brutiam, Magnam Graeciam. Lucanorum oppida Pestum, Velia, Brutiorum Regium. Magnae Graeciae Locri, Tarentum, Petilia, Croton, Metapontum, quo tercia Italiae regio finitur. in quarta sunt Frentani a Tiferno flumine, Anaxini, Carentini, Peligni, quorum oppidum Sulmo, Marsi, Fucinus lacus, Vestini Equiculorum, Cliterni, Carseoli, Samnites, qui et Sabelli, Sabini, ubi amnes Nar et Anio et ortus Tiberis. quinta regio continet Picentes Picenosque, Hadriam Coloniam et Anconem, terminum quiutae sextaeque inicium. haec conplectitur Umbriam, agrum gallicum circa Ariminum. ab Ancone gallica ora incipit, Togata Gallia cognomine; oppida in ea sunt Senogallia, Pisaurum. septima regio sub Apennino est a Macra fluvio ad Tiberim; continet Hetruriam (eadem et Tuscia est); sunt in ea Luna, primum Hetruriae oppidum (ubi Portus Veneris nominatur), Senenses, Pisae, Pistorium, Florentia, Aretium, Perusia. = ed. prim.

Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino; in ea sunt Gallia Togata, Ariminum, Rubico fluvius, ut ait Ptolomaeus, Boiorum quondam finis Italiae, Ravenna, Bononia, Felsina vocata, cum esset princeps Hetruriae, Mutina, Parma, Placentia, Forum Clodii, Livii, Pompilii, Cornelii, Licinii, Faventia. in hoc tractu interierunt Boii (quorum tribus centum et duodecim fuisse author est Cato) et Senones, qui caeperant Romam. nona est Liguria sub Alpibus inter amnes Varum et Macram, qui Liguriae finis, Apeninus, Nicea, Albigaunum, Vada Sabatia, Genua, Dertona, Pollentia, Asta, Alba Pompeia. decima conplectitur Venetiam, Carnos, Histros. Lacus in hac regione inclyti Larius, Verbanus, Benacus, qui sunt Comensis, Magnus, Gardae. oppida Venetiae sunt: Tridentum, Vicetia, Athesis ex Tridentinis iugis

29. A

wlp ! 25 *In B folgt* Pisae *erst nach* Perusia 30 Popilii *B*

9 *Nicolaus Perotto, Bischof von Siponto oder Manfredonia 1458—1480.*

ortus, Patavium Cenomanorum, Brixia, Cremona, Mantua, Verona, Carnorum Iulienses, Foroiulienses, Taurisani, Aquileia, Tergeste; Histriae: Parentium, Pola. Undecima regio Italiae secundum descriptionem Augusti Transpadana vocatur, in qua sunt Augusta Taurinorum, Salassiorum, Augusta Praetoria, Eporedia, Vercellae Libyti-
orum, Novaria, Ticinum, Laus Pompeia, Insubres, Mediolanum, Bergamum, Comum.

Italiae regionibus hae provinciae coniunctae fuerunt italicaeque cognominatae: Sardinia, Corsica, quae et Cirnos, Sicilia insulae (hae primum praetoriae fuerunt, postea singulae a praesidibus rectae sunt), Alpini omnes populi a supero ad inferum mare (Venetum et Longobardum nos vocamus), Rhetia prima, Rhetia secunda, quae et Vindelicum, de qua mox plura. Rhetia et Vindelicia cum Alpium parte a Boiis et Suevis pulsis Italis possidentur. Italia praeter Romam imperio ablata fuit per Longobardos, gentes germanas, a quibus Italiae adhuc cognomen manet. Carolus Magnus, qui primus Germanorum potitus est romanarum rerum, rursus imperio coniunxit. Sicilia ut prima omnium provinciarum fuit, ita ultimo praerepta est romanis imperatoribus, non sine detrimento reipublicae christianae, occiso crudelissime Chunrado adolescente, ultimo Suevorum duce. cuius manibus amplius ducentos annos continentur mutua Celtarum, Hispanorum Germanorumque caede parentatur, velut paria sacerdotibus romanis committentibus, quibus opulentissimus quisque regum maxime formidolosus existit. paret nunc Sicilia Carolo, imperatoris Maximiliani nepoti, regum nominis christiani potentissimo.

Hispaniarum provinciae septem erant. Bètica et Lusitania consulares fuerunt, plaebi senatuique romano adtributae; in alias praesides a caesaribus missi sunt. nunc tota Hispania praeter Lusitaniam potitur Carolus, superior imperatoris Maximiliani caesaris augusti ex filio nepos. Tarraconensis prima provincia Hispaniae, citerior quoque adpellata Hispania, ad Pyrenea iuga cubat, quae Runcivallem vocamus; nunc est Navarrae Castiliaeque regnum. Carthaginensis secunda est, a Carthagine nova ita nuncupata; Gotolaniam Cataloniamque vocant. Betica tercia provincia Granatae est regnum, ulterior dicta quondam Hispania, in qua sunt Gades, Hispalis, Cartheia, quae et Tartessos, Corduba, Calpe mons. quarta Hispaniae provincia, veteribus Lusitania, nobis est Portugallia. caput eius et emporium nobilissimum Ulyssippo.

7 Comum, Bergomum *alt. v. A* / 24 formidulosus *B* 33 Catoloniamque *B*

24 *Karl I. König von Spanien.*

Calleciam sive Callecos quintam provinciam Galliciam nominat vulgus, divi Iacobi sepulchro insignem, quo frequens susceptis votis Germaniae populus proficiscitur. sexta est Tingitana, Mauritania dicta, trans fretum in terra Africana, eadem et Bogudiana, inter Calpem, Hispaniae extimum montem, et Abylam Africae; ius petere in Betica iussa, idcirco et Hispaniae addicta; ibi Atlas mons fabulosissimus. ultima Hispaniarum provincia Baleares sunt insulae, Maioricas adpellant. Hispanias pulsis Romanis post mortem Theodosii Magni occuparunt Germaniae Magnae populi Goti, Alani, Suevi, Navarri, quorum progenies huc usque regnavit.

In Galliis fecerunt Romani sexdecim provincias, quarum haec nominá sunt: Germania secunda, habuit urbes et copiosas et amplissimas Agrippinensem Coloniam et Tungros; amnis Scaldis Plinio terminus fuit. Germania prima praeter alia municipia conplectitur Araris fontes secundum Marcellinum, Argentoratum, Nemetum, Augustam, Vangionum civitatem, Borbetomagum, Mogontiacum. Belgicae primae urbes sunt Treverorum Augusta, domicilium augustorum, Mediomatrici, Leucorum urbs Tullum, Verodunum; haec tota imperatoribus nostris dicto audiens est. Belgicae secundae oppida Rhemi, Suesiones sive Vessonum Augusta, Veromandui, Attrebates, Ambiani, Chatalauni, Turnacum, Cameracum urbs imperatoria, Morini, Bononia Flandrorum; pars Germanis paret, pars Francis occidentalibus.

Sequanorum (quae quinta est provincia Galliarum) urbes sunt Vesontio, Aventicum (caput Helvetiorum Verona est) Basiliensium civitas, Vindonissa, Argentuaria (Colmaria est), Rauracum Augusta, subditae Germanis; sunt, quos Francos orientales quondam vocarunt. Alpes Cottiae, a rege Cotto dictae, habent Segusionem oppidum clarum sepulchro Cotti, Centronum, Tarantasiam. Viennensis provincia amplectitur Viennam, Genevam, Valentiam, Arelaten, Massiliam, regnum Arelatense olim dictum, nunc Delphinatus vocari solet. Carolus quartus, filius eius Segimundus, imperatores romani, primogenito regis Francorum dono dederunt. tabulas legi Luthetiae Parisiorum in coenobio divi Victoris, dum ibi adolescens studium philosophiae sectabar; pars caesaris adhuc clientes sunt. Narbonensis primae oppida: Narbo, Martius, Tolossa, Nemausum, Agatha; secundae: Aquae sextiae, Apta Iulia, Forum Iulii, Antipolis. Lugdunensis prima, provinciarum Galliae

2 et 28 sepulcro *A* 20 Cathelauni *A* 28 Alpes maritimae; Ptolemaeus *[p. 179]* vocat „litoreae“ *am Rande in A* 32 Codicillos et tabulas *A mg.*

28 *It. Ant. 164. 166.*

decima, continet Lugdunum, Heduos, Lingonas, Cabillonem. Lugdunensis secundae sunt Rhotomagus, Turoni, Constantia; terciae vero Senones, Carnutum, Trecasses, Aureliani, Luthetia, castellum quondam Parisiorum, nunc urbium maxima caputque Celtarum. Aquitania prima complectitur Burdegalam, patriam Ausonii poetae, Santhonas, Pictonas, Petrogorios. in secunda Aquitania numerantur Averni, Rutheni, Cadurci, novem populorum provincia, cuius et Hieronymus meminit. eius urbes Ausci, Elusates, Convennae et Consoranni, meminit et Marcellinus. Britannia prima secundaque nunc sunt Anglia et Scotia. Gallias praeripuere romano imperio Franci, Burgundiones, Nordomani, ex Germania profecti; Britanias Anglii, Scoti, Saxonum Suevorumque soboles, ingentia ibi regna condiderunt, quae adhuc nominantur.

Illyrici decem erant provinciae. Noricum Ripense iuxta Danubium est; Ripensum enim Danubium a Romanis vocari, author est Metellus Tigurinus in lyricis. inde et Riparii Ripariolique dicti milites, qui Danubianum limitem custodiebant; Austria est. Noricum mediterraneum primum sive superius Boii trans Oenum et Tirolii possident. Noricum mediterraneum inferius atque secundum Stirios, Carionas vocamus. Valeria quarta provincia Illyrici, quondam pars Pannoniae, inter Draum Danubiumque occidentem versus continetur, a Valeria, filia imperatoris Dioclitiani, ita cognominata; pars est Austriae et Ungariae. Pannonia inter amnes Draum, Saum Danubiumque nunc est Ungaria Carnique; in ea fuit Sirmium, ubi Bacontius flumen in Savum fluit, et Almus mons, quem vitibus Aurelius Valerius Probus consevit. ipse enim primus Gallos, Hispanos, Illyricos provincialesque omnes Europae vineas colere vinaque exprimere permisit, anno Christi ducentesimo octogesimo secundo. nominantur adhuc in Ungaria vina Sirmensia. inde quadraginta quinque millia passuum Taurunum, Graeca Alba est, ubi Danubio miscetur Savus. Pannoniae iungitur provincia, quae Moesia adpellatur. incipit a confluente supradicto, ad Pontum usque cum Danubio decurrit. duas fecere Romani: superiorem inferioremque; tenuerunt illam Dardani, Triballi; nunc Sirvii et Bulgares vocantur; hanc Scythae minores et inferiores; Valachi sunt et Bulgares. inter has fuit Dacia Ripensis, octava provincia, quam Romani cis Danubium amissa Dacia transdanubiana fecerunt. in Liburnia, Illyricum proprie dicta, Iadera colonia est, Sclavoniam vocant.

8 et *fehlt in A*

15 *Metellus von Tegernsee, Quirinalia, bei Canisius, Lectiones ant. I, app.* 26 *Vop. Prob. 18. Eutrop. IX, 17. Vict. 37. Hieron. chr. II, 185.*

BSB

Ultima provinciarum Illyrici fuit Dalmatia; urbes sunt Salona, Epidaurus, quae et Ragusium. praeter Noricum et Pannonios, quos tamen continuis lacessit armis, caeteras provincias nunc possidet rex Turcarum. terminus inter christianos et Turcas Savus est fluvius. Noricum Boii, Pannonias Ugri tenent.

Thracia inter valentissimas Europae gentes sex amplexa est provincias. Hemimons est prima, ibi Mesigetae et Scythae; deinde Ponti ora, cuius urbes Mesembria, Apollonia, Sithonii. inde Rodope, tercia Thraciae provincia, clara est Philippopoli, quae antea Peneropolis et a situ Termontium dicta. Hadrianopolis praetorium est regis Turci.

Quarta Europa proprie dicta et praetura urbana, Constantinopolim, caput Turciae, continet. quinta est Propontidis ora, cuius urbes sunt Selimbria, Perinthus; Heraclea, Bisalta. Chersonesus, sexta inter provincias Thraciae et ultima, habet urbes Seston et Callipolim. hae provinciae omnes iam pridem explosa philosophia christiana Turcis serviunt.

Thraciae coniungitur Graecia, quam in septem provincias divisere Romani. quarum prima Macedonia erat, inclyta Alexandro Magno regum fortunatissimo terrarumque imperio. eius pars Poeonia; urbes Dyrrachium, Neapolis, Philippi, Amphipolis, Apollonia, Thessalica, Beroena, quibus omnibus divus Paulus religionis nostrae mysteria aperuit. Thessalia cohaeret Magnesiae; in ea sunt Larissa, Peneus flumen, Pharsalia, Tempe. Epyrus, tercia provinciarum, nunc Romania est, continet Chaoniam, Pindum montem, Molossos, Actium, Nicopolim, Acarnaniam, Acheloum flumen. huic coniuncta est Hellas, quae et proprie Graecia a Romanis dicta est. haec habet Aetholos, Naupactum, Locros, Phocida, Delphos, Parnassum montem, Opunta, Castalium fontem, Dorida, Beotiam, Thebas, Helicona montem, Atticam, in qua Athenae urbs, quondam nullius indiga praeconii amplius, tanta claritas superfluebat; ne nomen quidem nunc auditur. Peloponesus quinta provincia Graeciae, Pelasgia ante dicta, nunc Morea vocatur, peninsula est; angustiae, unde procedit, Isthmos adpellata; ibi Corynthus et Cenchreae. Achaiae nomen provinciae ab Isthmo incipit, in qua sunt Patrae colonia, ubi divus Andreas pro pietate christiana se devovit, Messenia, Helis, Pisa, Lacones, Sparta, Amiclae, Argolica, Inachus fluvius, Argos, Mycenae, Epidaurus. Arcadia mediterranea Peloponesi tenet; Palantium ibi oppidum; unde palatium Romae, nunc commune praetorii vocabulum vulgo usurpatum. Euboea insula nunc Nigropont vulgo vocatur, in ea urbs Calcis. haec sexta est Graeciae provincia. septima est Creta insula, eadem et Candia. Graeciae

(unde claritas non solum literarum sed religionis nostrae quoque effulsit) omnes provincias possidet Turca. occisis Christianis in ditionem redegit, dum nos inanibus consultationibus tempus trahimus et intestinis bellis maiestatem reipublicae christianae imperiique foede sugillamus.

Quicquid in Africa, altera orbis terrarum parte, possederunt Romani, in duo diviserunt menbra, Africam proprie dictam et Aegyptum; deinde utranque in suas provincias. Africa Graecis est Lybia. Africae sex fuerunt provinciae. prima proconsularis, in qua Carthago, romani olim imperii pertinax aemula, et Utica, morte Catonis clara. provincia secunda erat Bizantium, Libyphenicia quoque dicta, regio eximiae fertilitatis. oppida in ea sita sunt Leptis primum, Adrumetum, Ruspa, quae et Ruspina. huic ab occidente connectuntur provincia Tripolitana praesidialis, in qua Leptis, patria Septimii Severi imperatoris romani, et Numidia consularis; haec has habet urbes: Cirtham, Siccam, Hypponem, Regium. Mauritaniae duae erant, Siticensis et Caesarea, eadem et Bochi; in hac numerantur Caesarea, castra Germanorum. has provincias interceperant Vandali, gens Germanica, post mortem imperatoris Theodosii Magni. restituit Iustinianus primus. Saraceni imperatori Heraclio eiusque nepotibus et religioni christianae abstulerunt et adhuc possident. Aegyptus Cereris horreum romani populi fuit; ex qua maxima habuere tributa romani caesares. custodierunt eam legiones tres, undecim cohortes praeter auxilia. distributa fuit in sex provincias. prima erat Alexandria, in qua Alexandria urbs nomen retinet. Canopos; huic connexa est Augustana, in qua fuerunt Pelusium, Bubaste, Tanis, ubi Moses miracula fecit, Memphis, cui propinquum erat castellum Babylon nomine; nunc Alchairam vocant, praetorium regis Aegypti, vulgus Sultanum vocat. Thebais, tercia Aegypti provincia, contermina Aethiopiae, conplectitur Diospolim Magnam, quae et Thebae, centum portarum fama nobilis. quarta provincia Aegypti, Romanis Lybia sicca, Graecis est Marmarica; in ea sunt Paretonium, Mareotis, Catabathmos oppidum et vallis repente convexa. Cyrenaica, eadem et Pentapolitana, regio quinta fuit; continet Psyllos gentem, insignis maxime quinque urbibus Beronice, Arsinoe, Ptolemaide, Apollonia, Cyrenae. inde extima Romanorum provincia in Aegypto Ammoniaca dicta; in ea fuerunt Alexandri statio, Ammon, Syene castrum, finis, ut ait Plinius, romani imperii. Aegyp-

8 utramque *A* 19 Rustinianus *A u. B* 36 Ammonica *B*

tum victo imperatore Heraclio, deletis Romanis, pietate Christi exsibilata occuparunt Saraceni, quam ad nostram usque aetatem tenuerunt. Abhinc triennium Selinus Turcarum rex Saracenis praelio victis victor Memphim intravit. Greges olim monachorum et heremitarum examina aluit Aegyptus.

Asiam, terciam orbis terrarum partem (quae maior Europa et Aphrica est) ab occidente totam possederunt Romani. termini ab oriente Tigris, a septentrione Pontus et Caucasus mons Caucasiaeque portae, a meridie mare Rubrum fuit, ubi instituta classis a romanis imperatoribus erat, uti per eam Indiae fines vastarentur. divisere Romani Asiam in quatuor membra: Asiam proprie dictam, quae et minor, Pontum, Syriam, Insulas. unaquaeque pars suas habuit provincias. Asiae minoris provinciae fuerunt duodecim. Mysia minor, quae Aeolis ante dicta, adiacet Hellesponto, continet Lampsacum, Abydum, Parium. hanc sequitur Phrygia minor, quae et Troas; in ea sunt urbes Troas, eadem Alexandria, colonia Romanorum, Assum, Ilium, quam Troiam vulgo nuncupant. Mysia maior, tercia minoris Asiae provincia, continet oppida Adramyttum et Pergamum. quarta provincia est Lydia, quae et Maeonia olim et Phrygia; in ea sunt Hierapolis, ubi divus Philippus cum filiabus honorifice sepultus, Thiatira, Sardi, Philadelphia. huic subiecta est quinta, Ionia, cuius sunt Smirna, Colophon, Ephesus. sexta huic cohaeret cognomine Caria et Doris, ubi Miletus, Halicarnassus, Gnidus, Loadicia. Lyciae, septimae Asiae minoris provinciae, sunt Patera et Myrra; Galatiae, octavae, Pepinus, Ancyra, Claudiopolis. in Pisidiae, nonae provinciae, verticibus quondam Solymi fuerunt, quorum colonia caesarea eadem et Antiochia. Pisidiae connectitur Isauria, quam Calicadnus amnis secat mediam; oppida Seleucia, Claudiopolis colonia. decima Asiae minoris provincia Pamphilia nominatur, Mesopia ante dicta, in qua sunt Attilia et Perge. Lycaoniae, undecimae, sunt Iconium, civitatium quatuordecim urbs celeberrima, Listra, Derbe. duodecima Asiae minoris provincia est Cilicia, urbes in ea Tharsus, patria divi Pauli, Pompeiopolis, Philadelphia, Epiphania, Augusta.

Ponti fuerunt undecim provinciae. prima Bosphorana est, continet Chalcedona, Nicomediam. deinde est Bithynia, cuius urbes sunt

13 *Am Rande in A:* Hieronymi Phrygia maior, quae et Bithynia et Mygdonia 33 *Ebendort*: Cydnus amnis.

4 *Am 29. Januar 1517 zog Sultan Selim I. als Sieger in Kairo ein* 10 *Eutrop. VIII, 3. (Ruf. 20.) Hier. chr. II, 163. Cass. chr. p. 440 ed. Par. 583.*

Nicea, Prusa, Iuliopolis, Bithynis, quae et Claudiopolis. Paphlagonia tercia est; oppida in ea sunt Pompeiopolis, Hieropolis, Germanopolis. Inde Pontus est Amasiae, qui et Galaticus; urbes eius sunt Amasia et Sebastopolis. .sequitur Pontus Polemoniacus, cuius sunt Caerasus et Trapezus, Neocaesarea. Cappadocia sexta provincia subiicitur Ponto Polemoniaco, ante Leucosyri dicti, quorum sunt Thyana, Mazaca, eadem et Caesarea, Thermodoon flumen. hanc ab oriente excipiunt Armeniae duae. in minori sunt Satala, Iuliopolis, Claudia, Melitina, Nicopolis. in Armenia maiori numerantur Albanopolis, ubi divus Bartholomaeus obiit, Artaxata, Tigranocerta, Sagalbina, quam Noas post inundationem terrarum condidit, amnis Araxes, Gordei montes, ubi Noas navim, qua servatus est, reliquit. Colchica regio, Iberia, Albania tres provinciae subduntur Ponto et Caucaso monti, qui eas a Sarmatia Asiae disterminat. Colchi insignes sunt Phasi amne et urbe Dioscoriade, quondam adeo clara, ut in eam trecentas nationes, quae dissimilibus linguis loquerentur, descendisse proditum sit; postea a Romanis centum et triginta interpretibus negocia ibi gesta sunt. in Hiberia sunt portae Caucasiae, quae in Sarmatiam tendunt, ingens opus naturae, montibus interruptis, fores obditae ferratis trabibus subter medias amne fluente. caece illi errant, qui eas Caspias vocare solent, longissime inde distantes, vix ullo propter adpositos montes aditu ad Caspium mare; Caspiae portae in media sunt, tendunt ad Parthos. Albaniae oppida sunt Cabalacha et Albania.

Syria, terrarum maxima, pluribus distincta nominibus, decem Romanorum provincias conplexa erat. prima Palestina communi vocabulo adpellata, conpraehendit Idumeam, Palestinam proprie dictam, Iudeam, Galileam, Samariam, Arabiam, cuius oppida Bostia, Gerasa, Philadelphia, Saracenos, mare Rubrum, in quo classis romana. urbes Palestinae Azotus, Ascalo, Caesarea, ante turris Stratonis, Lydda, Assaron, Ioppe, antiquior inundatione terrarum. Hierosolyma quondam fuere clarissima urbium orientis. inde secunda provincia erat Syria Damascena, quae et Decapolitana; continet Damascum, Scitopolim, Philadelphiam, tetrarchias regnorum instar singulas. Phenicia, tercia provinciarum, inclyta est Tyro et Sydone, Berito Sareptaque oppidis et monte Carmelo. Antiochia quarta pars est, Ciliciam contingit; clara est Antiochia, quae ante Epidaphne cognominata, Oronte amne dividitur, ubi primum christianum nomen ortum est. Comagena, quae et Augustofratensis, Syria citra montem Taurum est, ubi Samosata,

15 Discoriade *B* 26 Iudaeam *A* 27 Galilaeam *A*
38 *Vict. ep. 9.*

sedes quondam Comageni regni clarissima. in hanc vergit Sophena Taurumque montem transsit. Adiabenen, septimam provinciam, Tigris et montes cingunt; eius caput est Antiochia, quae et Nisibis vocatur. Assyriorum ibi inicium, quorum urbs est Chtesiphon. Coelesyriae connumerantur Edessa, Epiphania, Salamis, Constantia. Antiochia separatur a Cilicia Amano monte; Iturea, Traconitis, Palmira, Paradisus, Seleucia. Mesopotamia inter Euphraten et Tigrim est; urbes sunt Charrae, Edissa; huic coniungitur Babylonia, Syriae ultima provincia.

Insularum nominatissimae Cyclades, Rhodos et Cypros. in Rhodo humatus est Christophorus dux Boiorum, patruus nostrorum principum. in Cypro obiit mortem Velipho primus, dux Boiorum.

Universas Asiae provincias legati Christi et potissimum divus Paulus, dux et antesignanus religionis nostrae, peragravit et imperatoris servatorique nostro subdidit, unde velut ex fonte ad nos veritas defluxit. verum paulatim romano imperio armis vique ablatae, explosa philosophia christiana, Turcis serviunt. nos crebris paricidiis (nam dicere bellis mihi religio est) pro opibus, gloria, potentia, rebus fluxis et fragilibus sub religionis obtentu saevius grassamur et aeterna bona profligamus. bona verba qnaeso, olim dictum est: omnis homo mendax et vicia erunt, donec homines erunt; qui vicia odit, homines odit. ego ad Vindelicos rursus redeo, unde imperii romani contemplatio me abduxerat.

Cap. 5. Vindelicorum gentes Tunicates, Consuanetae, Belauni, Senones, Brenni, Geloni, Lycatii a Ptolomaeo, Plinio, L. Floro, Flacco Horatio conmemorantur; eas ordine paucis absolvam. Tunicates septentrionalem oram iuxta Danubium tenuerunt; vulgo Tunca vocari solet. imperatoribus et regibus nostris est Tonage, hoc est, Danubii terra sive pagus. apud Ptolomaeum corrupte legitur Runicates. habitarunt
3 5 2 inde Laeuni, quos Horatius Gelonos adpellat. In superiore Boiaria inter amnes Isaram et Ilmum adhuc nominantur flumen et pagus Glan et Glanegk, hoc est Geloni cornu. sub his fuerunt Consuanetae sive Consuanetes, quos a Floro Senones nuncupari invenio; inter Isaram Oenumque tribubus et flumini nomen fecerunt (Csuindau et

7 Euphratem *A* 9 *Am Rande in A:* Salamis urbs Cypri, urbs nunc Constantia 29 appellant *A* 33 *Am Rande in A:* ut calumniatoribus obviem, nec ignoro Senones esse in Gallia quoque.

10 *Christoph, gest. 1493; Welf I., gest. 1101* 19 *Ter. Andr. I, 2* olim — mendax *Paul. Rom. 3, 4* 25 *Ptol. p. 158. Plin. n. h. III, 136. Flor. p. 16. 18. 88. Hor. C. IV, 14.*

Senta). consuetudo ob conmoditatem dicendi, uti fit, t literam addit. Belaunorum urbs antiquissima, ita incolae referunt, in ripa Ambronis, non longe ab eiusdem nominis lacu adhuc extat. ibi superior Boiaria fertilissima est. inde haud procul in sylva disiecta visitur pyramis, ingenti mole saxorum constructa cum hac inscriptione:

M ANTONIN IMP AVG.

Brennos Horatius et Florus adpellant, quos Ptolomaeus Breunos; quarta litera v vocalis est, quod inscicia librariorum factum esse apparet. inter Oenum et Isaram ad radices Alpium adhuc ostenditur arcis dirutae vestigium et sylva, quibus Brennus nomen manet, quamvis eodem nomine mons sit Noricorum nominatissimus, quem a Cassiodoro Breonum, ab Aristotele, Plinio, Otone nostro Pyreneum vocari conpertum est. Ambo vocabula idem valent a conburendoque deducta sunt. Lycatii ab occidente claudunt Vindeliciam, adcolae Lyci sunt, vernacula lingua a nobis Lechrainer, quod ripam Lyci insedeant, dicti.

Pergamus nunc ad urbes et arces aliaque munimenta a Romanis in Vindelico extructa, quae celebrati authores prodidere et ego missus a principibus nostris ad haec conmentanda indagavi; quorum omnium vestigia et vocabula, sono tamen nonnihil licentia consuetudinis et vetustatis iure corrupto manent et demonstrantur, ubi numismata aurea, argentea, aerea, varia supellex, instrumenta domus, saxa effodiuntur passim quotidie romanis literis inscripta, quamvis lapidum atque huiusmodi monumentorum maxima pars partim confracta et in calcem soluta coctaque sit, partim obstructa, infossa tectorioque oblita et literis inversis intrinsecus ad humum parietemve legi non possit. in quibusdam iniuria coeli imbriumque elisae sunt literae, quae extant et legi possunt. referam atque primum ab hostiis Lyci ad hostia Oeni Danubium sequar.

Lycostoma arx, nunc semidiruta, olim celebratissima, principes suos habuit, qui caenobia Schonoveltas et Caesaream condidere. ibi hostia sunt Lyci, qui ibi in Danubium erumpit. unde nomen loco et patrio sermone, quemadmodum graeco Lechesmond, hoc est Lyci os,

1 *Ebendort:* Gswindaha, Swentsa; Schwampach, Schwenda 20 consuetudine *B*

6 *S. Mommsen, Corpus inscription. latin. III, b, Nr. 5986* 10 *Brannenburg? und der Brünnstein bei Oberaudorf?* 13 *s. oben S. 28, Z. 10* 30 *Lechsgemünd, Lechsmund* 31 *Die Grafen von Lechsmund und Graisbach, Gründer der Klöster Niederschönenfeld (bei Rain) und Kaisheim.*

vocari integre solet; corrupte vulgi (uti fit) usus effert Lechsmund. lapis hic repertus subscribitur:

D I M ‖ IVL IVSTV ‖ S V A XXVI ‖ AMABILI ‖ S MATER ‖ F C.

Inde ad octavum lapidem occidentem versus supra Neoburgium urbem ostenduntur et visuntur duarum arcium vestigia, Calatinum sive Galeodunum et Atilia; illam Callatin atque Caesarisburgium, hanc Altoburgium adcola nunc adpellat. Vetusti lapides, qui ibi fuere, Neoburgium translati sunt.

D M TIB CASSIO CONSTANTINO IVNIORI MISERRIMO QVI VIXIT ANNOS III M IIII D XXII FECIT TIB CL CONSTANTINVS PATER FILIO DVLCISSIMO A QVO SIBI FACIENDVM OPTAVERAT ET CASSIAE VERAE MATRI EIVS ET CLAVDIS IANVARIO VICTORI ET MARCELLINO LIBERTIS FIDELISSIMIS VIVIS FECIT ITEM FIDELI QVONDAM ET CAIO ET MODESTO SVIS KARISSIMIS PERPETVAE SECVRITATI.

Aliud ibi monumentum:

P AEL T SATVRNINVS ATILISISCO VET CIVES VET VIXIT A LXXV SATVRNINIVS C R F S C ET S IIII KLENDS IA.

Sunt adhuc ibi conplures huiusmodi lapides, sed legere nemo potest; partim fracti, partim obstructi sunt literis introrsum versis.

Infra Neoburgium deinde quinque circa millia passuum in ripa Germaniae cubat Aureatum, nunc vicus et regia episcopi Aechostadensis, qui et se Aureatensem cognominare solet pontificem; Nassophelisson, quod ibi palustris locus sit, vulgi sermone adpellatur. ibi praeter numismata, calcaria, fictilia Samia et huiusmodi instrumenta, quae mihi Gabriel pontifex Aechostadensis ostendit, tria monumenta reperta sunt Aechostadiumque transvecta; ita mihi idem retulit pontifex. inscriptiones illorum subnotabo:

DEO | MERCVRIO | CL | ROMANVS | DVPL | ALAE | AVR | V S L L M.

IN | HO | D | D | MART | I | VICTORI | LILLI | F | V S L M.

I | O | M | DIS | DEABVSQ | PVB | CONSTITV | TIANVS.

1 Lechsmund *B* 14 CLAVDIS *sic A u. B* 20 C *vor* ET *fehlt in B* 24 u. 28 Aechostadiensis *B* 31 ALE *B*

4 *S. Mommsen III, b, Nr. 5882* 6 *Das pappenheimische Kalentin oder Kalten, schon zur Zeit Apians (Oberbayerisches Archiv 39, 161) in Trümmern* 17 u. 27 *Mommsen l. c. Nr. 5890* 21 *Nr. 5889* 24 *Eichstädt* 25 *Nassenfels a. d. Schutter* 32 *Nr. 5899* 33 *Nr. 5897* 34 *Nr. 5896.*

A Lyci hostiis, unde coepimus, ripa Danubii clementioribus quidem collibus, crebris tamen et sylvosis adtollitur. Aureati paulatim subsidere extendique incipit. labitur inde Danubius maxime per plana, ad tricesimum ferme lapidem, et qua Germaniam contingit planicies agrique iacent fertilissimi, feraces zeae; quinque millia passuum in latitudine patent. ad arcendos Germanos duxere a tergo Romani vallum aggeremque superioris longitudinis alta praeterea fossa munierunt, in quam inmisere paludem, cuius supra mentionem iam fecimus; vestigia adhuc videmus. quidam falso veterem Danubii alveum esse arbitrantur; accolae suo more corrupto sono Pfal, hoc est vallum adpellant, Romanorum esse narrant. extat etiam nunc ibi mons cognomine Romanus. a tergo huius munimenti sylvae aspectu horridae, Hercinei saltus particulae, apparent versus septentrionem Alemanumque fluvium vergunt. supra Neostadium finitur huiusmodi vallum, ubi rursus ora Germaniae vastis iugis, informis saltibus, abruptis ripis, tristis aspectu et cultu; usque ad hostia Oeni insurgit, adeo ut nobis etiam, qui in altera ripa Vindelicum incolimus, horrorem incutiat.

Proxime Angilostadium in ripa Schutari vestigia munimenti visuntur; ibi hic lapis ostenditur:

MERCVRIO | TEMPLUM | EX | VOTO | SVSCEPTO | CL | AVGVSTANVS | L | L | M.

Inde Caesarea vicus et regia contingit vallum superius tanquam porta, abest ab Aureato quindecim, ab Angilostadio quinque millium passuum intervallo. vulgus brevitati simul et commoditati dicendi, ut solet, studens, Kesching nuncupat. in diplomate divi Honorici imperatoris, quod mihi Reginoburgii in inferiore sacratarum foeminarum caenobio demonstratum est, integre Keschring, hoc est Caesarea vocatur. istaec ibi existunt monumenta:

PII | CAES | DIVI | HADRIANI | FIL | DIVI | TRAIANI | NEPOTI | DIVI | NERVAE | PRONEPOTI | T AEL | HADRIANO | ANTONIN | AVG | PIO | PP | PONTIF | M | TRIB | POT | IIII | COS | III | AEL | FL | C.

Positum hoc monumentum est circa annum Christi centesimum ac sexagesimum.

14 Supra — vallum *in A durchstrichen; dagegen steht hier am Rande:* tendit usque ad nigrum amnem 29 *statt* PII II in *B* 30 *In A:* AVREL *über durchstrichenem* AEL 31 ARRIANO *in B* PP *fehlt in B*

18 *Ingolstadt. Die Schutter* 20 *Mommsen Nr. 5904* 25 *Kösching u. ö. v. Ingolstadt* 27 *Die Urk. K. Heinrichs II. für Niedermünster v. 1021, Nov. 15., Mon. Boic. XXVIII, a, 507 hat:* Cheskingen. *Aventin las r statt k* 32 *Mommsen Nr. 5906.*

Aliud: D M M VARIVS MONTANI NVS V A XXII VARGEMI NA MATR P C.

Subsequens in ara est, elisis quibusdam literis:

D M IVL GENIAN SENI LIS C MI IVL VETA L VIX AN LX ILLVA H.

Distat ab hac ad decimum lapidem Epona et ipsa tanquam porta contingens valli extrema. in campis arvoque prope Phoron, vicum Danubianum, et Oetolingonas arcem, ubi Celsus oritur; vestigia extant; Pinoburgium adcolae vocant; in instrumentis est Epinaburgium scriptum; ibi reperi lapides romanis literis inscriptos:

D M ‖ LOCEANEOLO ‖ MAXIMILLIO ‖ MIRIOCIVICA ‖ NAE AN XX ‖ NARENIA CC.

VAL VALLESIAE ‖ VAL FLORVS CON ‖ IVGIFITEM SIBI ‖ V F.

D. M ‖ PEMPTENAT ‖ DALMATA VIX ‖ AN XXV.

CAMPES ET ‖ EPONAE ALAI ‖ STNGHPCR QVI ET ‖ AEL BASSIANVS ‖ PRÆF VSLEM. — In praetorio Aetolingonum:

IN HONOR DD ‖ TEMRVETVSTÆ ‖ CONLABSM COR ‖ NEL ROGATVPRAEF COHIMLSVISQVER CONI ME TEREST.

Artobriga minor, quae et Cenum, maior, quae et Valentia, duobus millibus passuum distant, nomina servant, Artsberg vernacula lingua in instrumentis pontificum et principum vocantur. Absunt ab Epona, itidem patria mea Abusina quinque, supra Reginoburgium viginti millium passuum intervallo; utraque utranque Danubii ripam contingit. illa iuxta pagum Eining, haec iuxta caenobium Veltenburgium. extant fossa, pars moenium, agger loco edito et natura munitissimo; extenduntur in peninsulam, quam Alemanus et Danubius efficiunt. latitudine duo fere millia passuum patent, in longitudine quatuor usque ad ripam Alemani, qui non longe in Danubium evolvitur. praeruptae ibi rupes utrimque Alemanum et Danubium cohibent; adcolae romanam salam nuncupant. lapidem reperi ibidem, in quo sculpta est Minerva et altera parte ara, ubi ritu solenni taurus Minervae inmolatur, cui subiectae sunt hae literae in eodem monumento incisae:

18 *In B ist die Reihenfolge der Inschriften:* I, III, II, V, IV oder: I, III, V, II, IV 20 *Am Rande in A*: Cenum duo munimenta 25 Velteburgium *Aschbach* 26 *Am Rande in A:* non tam urbs quam munimentum et praesidium ab hostiis Danubii ad veterem vallum.

1 *Mommsen Nr. 5908* 4 *l. c. Nr. 5907* 7 *Pföring a. d. Donau* 8 *Ettling bei Ingolstadt; der Kelsbach* 12 *Nr. 5914* 14 *Nr. 5915* 15 *Nr. 5913* 17 *Nr. 5910* 19 *Nr. 5911* 20 *Ptol. p. 158* 21 *Einöde Arzberg bei Kelheim.*

ETNVNCRETMINERSACCENO ‖ COH III BRITARAMTF LFELX ‖ PRAEF EX VOTO POSVIT L M ‖ DEDICAVIT KAL DEC GENTIANO ET BASSO CŌS.

His consulibus, uti Cassiodorus prodit, imperator Septimius Severus mortuus est in Britannia; fuit is annus christianae salutis ducentesimus atque tercius decimus.

Proxime patriam meam:

D M ‖ IVL. DVBITAVS. C. RVT | VI. AN. LXX INGENVA. INGENVI. VI. | AN LXX IVLIANA | VI. AN III FILI | F C.

Abudiacum Danubii Abach est, vicus et arx supra Reginoburgium ad decimum lapidem, incunabula divi Honorici imperatoris romani; ipse pontifici Babobergami, ubi humatus est, dono dedit. divus Oto eiusdem urbis episcopus caenobio, quod extra Reginoburgium condidit, in ripa Danubii donavit; destructaque arx est, ne ab avaris occuparetur principibus. Litavicus primus, dux Boiorum, praefectus quoque praetorio Rheni, vicum occupavit, arcem instauravit, alia largitus coenobio praedia, satisfecit captis. haud procul offendi lapides cum hac inscriptione:

I O M STATORI ‖ FIVET VIE AVS ‖ LEG IIIITANRE-VER ‖ S V S ABE X PED ‖ IEBVRICA ‖ EX VOTO ‖ POSVIT.

INDD DEO MERCV ‖ RIO FORTVNRE ‖ D | SACRVM-VIR ‖ MARCELLVS DE ‖ CIALI FILSA SING ‖ COS PP K III D S I ‖ L MD LXKIVNLV.

D S M | CL MATERNIN | MATRI VIX AN LX HILARINE SAMMOT | CONIVG VIVÆ.

Inde Quartanorum urbs, a quarta legione ita dicta, habitatur, eadem Augusta ab imperatore Tiberio cognominata; nunc Reginoburgium vernacula lingua adpellamus, sicut Leo III. pontifex maximus narrat; atque haud scio, quamobrem vulgus literatorum Ratisbonam vocet. ego in diplomatibus imperatorum nostrorum Reginoburgium, aliquando et Reginam vocari reperio; ita eam divus Viliovalda quoque, primus Aechostadiensis pontifex, sua tempestate eloquentissimus, nuncupat; ut quemadmodum Augusta Augspurg, Iulia Iulenburg, Noreia Norein-

1 *Ligatur* ET *vor* NVNC *fehlt B* 3 COS *B* 4 Septimus *B* 8 M D *A* 9 INGEN. VI. *B* *In A folgt:* Duae imagines sculptae, in medio puer 19 *Der erste der vier Striche vor* TA *ist verlängert* 21 INDD *fehlt in B* 25 NILAINE *B*

3 *Mommsen l. c. Nr. 9535* 4 *Cass. Chr. p. 443* 9 *L. c. Nr. 9536* 10 *Ptol. p. 158* 12 *1007, Nov. 1.; Böhmer Nr. 1014* 17 *Vgl. Mon. Boic. XIII, 202, 203* 20 *L. c. Nr. 9537* 23 *Nr. 9538* 25 *Nr. 9539* 32 *Willibaldi vita st. Bonifatii (Jaffé, Bibl. III, 457:* Regina*).*

burg, Valentia VVeltenburg est, sic et Regina sit Rengspurg. grammatistae, odiosi ingeniorum ostentatores, quod reng Germanis imbrem, burg civitatem valeat, nunc graeco vocabulo Hyetopolim, nunc semilatino semigraecoque Imbripolim fecerunt. sunt, qui nugari non desinant; germana fornace et graeca Reginopolim conflarunt, sicuti et nostro aevo Angilostadium, hic Auripolim, alius Chrisipolim, ille Angelipolim licenter ambitioseque, ne dicam inepte atque inerudite faciunt. hyetos Graecis est pluvia, polis civitas, chrysos aurum. sequor ego Carolum Magnum imperatorem romanum, qui ex Rengspurg barbaro vocabulo Reginoburgium romana incude haud infeliciter format. quod nomen accepit a Reginopyrga, uxore Theodonis primi, qui pulsis Romanis et occisis (sicuti in tercio narrabimus libro) Boios ibi conlocavit. saxa, quae integra sunt adhuc et leguntur, illaec sunt:

DET PERPETVÆ SECVRITATI IVL MVRSAE CONIPIENT VIX AN XLII RO AFRITI FEMINÆ REVERƎNTISSIMAE ƎT FILI FILIAE OBITIS ƎT IVL NONNÆ MATRI PIENT VIX AN LXXX ƎT IVL VICTORINAE SOCR VIX AN LX ITEM VIVIS AVRELIÆ AVR MILITARI FIL ET AMICIS QVORVM I M CI NESIA ET RIBISCA ET AESSVNT ET POST HDBITVMEOROSSA RECINEO SEPVLCHR PERMISIT MAVR MILIT OMHM EX EOLEGIIIIT AV V FECIT.

Aliud ibidem: D M ‖ LE MEMORLE ‖ MISERRIMORM ‖ VINDELICIS ‖ PR MOCENIAN ‖ ET VICTORI ‖ ƎT VRE FIL ‖ VINDEL SVRINVS ‖ INFELIX PATER FC.

om. M IOM ET PERPETVAE SECVRITATI ET MEMORIAE DVLCISSIMAE AVRELIAE M AVRELIAE P AEL IVVIANVS CONIVGI INCOMPARABILI.

D M ‖ TOGIO ET IVNGATO ‖ ET SEVERINO FILIIS ‖ EIVS TVLLIA MARI ‖ TO ET FILIS PIENTI ‖ ESSIMIS MEMOR FEC.

om. M I A N V F ‖ ET CONI ‖ RARISSIM ‖ AE VANI. XX ‖ PRC. CL D IV ‖ STVS CONIVX.

om. M SIG PRO SA ‖ S V L L M ‖ ALBINO ET ÆMILL ‖ COSS.

1 Regenspurg *B* 22 ORLE *sic.* 23 *In A vor* FIL, *wie es scheint, später nachgetragen:* L 24 I *vor* X *fehlt B* 26 PAEL *A* 28 *Darüber in A, wo die 3., 5., 6. und 7. Inschrift am Rande nachgetragen sind:* tertium ibi monumentum 28 FILIS *B* 31 F *fehlt in B* 33 *Darüber in A:* aliud.

10 *Vielmehr Ragenisburgium, Reganisburgium; Sickel, Acta Karol., Urk. Ks. Nr. 132. 138* 21 *Mommsen Nr. 5955* 24 *Vgl. oben Bd. I, S. 27; Mommsen Nr. 5969* 27 *Nr. 5960* 29 *Nr. 5968* 31 *Nr. 5963* 33 *Nr. 5945.*

D M ‖ ET PERPETVAE SEC ‖ VR DEO TITIANO V ‖ IXIT AN XV FEC IVL PO ‖ TITITVS FILIO I M I G R ‖ ITELVS ET FL IANVARIA MATER ET IVL VENVLANTA VIVI FE.

Ab Reginoburgio ad exorientem solem quinto decimo lapide vetera castra in villas abierunt. haud procul inde aestiva sunt romana; effossa ibi sunt ossa gigantis Strubinumque translata ad Albertum, parentem principum nostrorum. ex illorum ossium mensura secundum membrorum naturalem inter se rationem magnitudo picta gigantis Strubini ostenditur.

A quo quinque millia passuum occidentem versus abest Mocenia, pagus est, nomen manet. hostia ibi Lavari amnis. Augusta Acilia Azalburg vetusque urbs est (ita vocare solent) extra Strubinum, novum celebre inferioris Boiariae oppidum, regia quondam ac praetorium principum Boiariae, Selandiae, Holandiae, Phrysiae, Hannoniae, quorum ibi ostenditur mausoleum. Inde decem millibus passuum extat Pisonium; agger, portae, moenia integra sunt, intus villae cubant, incolae Bischelburg adpellant; referunt ponte marmoreo ibi Danubii ripas coniunctas fuisse formicumque bases adhuc conspici, cum aqua plus solito brevior est. Quintanorum urbs supra Vilsi hostia, ad octavum lapidem, in villas abiit, nomen pago fecit; Kyntzen et Kyntzge suo sermone incola vocat; insignis est sepulchro divi Sylvani, qui tempore Attilae vixit. divus quoque Severinus Noricus post mortem Attilae versatus est ibi. visuntur vestigia putei salinarii. Eugypius et Antoninus mentionem faciunt.

Boiodurum Bathavia est; utrumque nomen manet. Tria ibi flumina (unde cognomen Bathaviae inditum) confluunt: ab occidente Danubius, a meridie Oenus, a septentrione Ilissus. Boiodurum et Artobrigam Ptolomaeus quoque ponit sub Danubio urbes. Boioduri lapis vetus existit, in quo insculptae sunt romanae literae, quas hic notabo:

D M ‖ FAVSTINI ‖ ANO VECTI ‖ ILLYR VIL INGENVS ‖ FIL ET FELIX ‖ ZS C EX VIIL ‖ EIVS B M PP.

Haec sunt monumenta, urbes, arces, quae iuxta Danubium possedere Romani. in via, qua a Strubino Augustam Rhetiae pecora

1 *Darüber steht in A*: ibidem in horto pontificis Bathavieusis. TITANO *B* 8 menbrorum *A* 30 DM *fehlt in B*

2 *L. c. Nr. 5965* 9 *u. flgd. Ober- und Niedermotzing an den Mündungen der grossen und kleinen Laber, Straubing, Wischelburg, Künzen oder Künzing, Passau* 22 u. fgd. *Eug. vit. Sev. 15. 27. Anton. Itin. p. 115* 27 *Ptol. p. 158* 30 *Mommsen Nr. 5691.*

agi, butyri, oleum et huiusmodi devehi solent, Regium pagum alluit Lavarus amnis, quindecim millia passuum a Reginoburgio austrum versus; Rokingam usus, imperator Honoricus secundus Rogingam nuncupat. quidam falso Reginoburgium esse arbitrati sunt. inde Abusina, patria mea, regia et oppidum ad Apsum amnem sita; extat turris quadro sectoque lapide extructa, ut incolae ferunt, a Romanis. visuntur in agro Abusino vestigia castrorum, Italica vulgus adpellat. haec quondam suis inclyta fuit praefectis, quos comites vocant; me puero defecerunt. hinc ad vigesimum lapidem Vallatum pagus est et sylva; ibi hiberna fuisse Romanorum fama proditum est; fossam romanam et Pfal, hoc est vallum, consuetudo nuncupat. ab eo millia passuum quindecim Sumuntorium; Hochovartum, hoc est alta specula vocatur; vicus et caenobium faeminarum est; olim arx munitissima, unde quam latissime quoquoversum patuit prospectus; ipsa nobilitata quoque suis principibus fuit. hinc oriunda est mater divi Chunradi Constantiensis pontificis. supplicandi gratia adhuc frequens coit populus. multa hic divorum ossa condita sunt.

Iuxta Isaram haec fuere oppida: Inutrium, nunc Mittenbald nominant, vicus est non longe a fontibus Isarae. lapidem inscriptum romanis literis imperator Maximilianus caesar augustus Oenobrigam inde devehi iussit. Cambodunum iuxta lacum Tigurinum fuit; compluribus pagis hoc nomen manet. ita Fruxinum et Tollusium vetera retinent vocabula. inter haec fuit Augusta Vindelicorum, iuxta traditionem Ptolomaei, exactissimi cosmographorum, ad quindecimum fere lapidem supra Monachium, proxime Veliphorathusium vicum et arcem, claram olim potentissimis principibus, qui Dalmatia, Histria, Norico, Vindelicia, Francia, Burgundia potiti sunt. condita fuit Augusta, ut reliqua subnectam, ad pontes Scaphonies, ubi duo rapidissimi amnes Lusa et Isara ex Alpibus confluunt. contigit viam, quae strata a Romanis ab Oeno ad Lycum adhuc monstratur; Boius Hochostrassam adpellat. proximus est Verres lacus, Vindelicorum maximus, et campus Perlacha, in quo Theodo Magnus legiones romanas secundo praelio

7 *Am Rande in A*: haud inde procul Mosa 21 Tugurinum *B* 18 *Am Rande in A*: Tollusium (Tullos Straboni) ad radices Alpium et sylve, unde Isara rapidissimus fluvius (?), qui et Itargus, et dures *(sic)* iugum, Schaerniza ... Isarwinckel, hoc est angulum et anconam *(sic)* sive cubitum Isarae fluvii.

3 *Rogging* 8 *Abensberg an der Abens. Dessen Grafen erloschen 1485* 24 *Ptol. p. 158* 25 *Wolfratshausen. Die Grafen von Diessen, Andechs u. W.* 29 *flgd. Loisach, Wirmsee, Perlach bei München.*

fudit. pagi haud procul absunt, quibus nomen vetus manet, ubi et monumentum extare dicitur.

Nunc Oeni oram prosequar; Medullum prope Mylodoryphos fuit, extant vestigia arcium nomina retinentium. habuere suos praesides, qui instituere mystis divi Aurelii Augustini duo conlegia, Garzum et Augiam. Carnodunum supra Bathavoburgium extitit, ubi nunc Attila coenobium et Hochunum quondam urbs fuit; quae olim et suis nobilitata erat principibus, Bathavoburgium translata est. cubat adhuc in ripa Oeni vicus et arx, Carnoburgium adpellamus, quondam praefectis limitum inclyta, quos marchionas vocant. duos ibi inveni lapides, qui has continent literas:

D M ‖ CLOD MARIANO FRVMENTARIO ‖ LEG VII GEM ‖ LVCANIVS ‖ LAVRENTIVS ‖ FACEVNDVM CVR.

Non integrum est: ET CASS PO ‖ TENTINVS ‖ IIVIR ‖ CILONE . II ET ‖ LIBONE COS ‖ XV KAL NO.

His consulibus fuit imperator Septimius Severus, et uti Cassiodorum Hieronymumque legenti palam est, fuit is annus ab orbe servato ducentesimus. inde ab Carnoduno abest ad quintum lapidem Aurisium, nobis Rhodos, caenobium divo Benedicto dedicatum, olim praetorium insigne etiam peculiaribus praefectis atque comitibus. ingentis molis hic columnae pilaeque e saxo integro excisae, quae templi cameram sustinent.

Hoc Aurisii monumentum reperi:

D M ‖ ET PERPETVÆ S ‖ CORNELIO COH ‖ V LEG XX MILITI ‖ PRETORIONEN ‖ LIII VIXIT AN ‖ CERVNT COR ‖ NICEFORVS ET ‖ PRÆPES LIBERT ‖ PATRONO BE ‖ NE MERENTI ‖ POSVERVNT.

Abudiacum proxime Rosenamos et hostia Magnovaldae fluminis in villas abiit. Happing agricolae vocant. lapis hic ibi demonstratur:

D M ‖ SEPTIMIAE ‖ TYCHE QVAE ‖ VIXIT ANNIS ‖ XXXVI SEPTI ‖ MIVS IVLIA ‖ NVS CONIV ‖ GI ET LIBERT ‖ KARISSIMAE.

Est et alius ibi lapis, sed detritis literis legi praeter haec non potest:

19 *Rhodos in A corrigirt über durchstrichenem*: Rota.

3 Medling oder Megling bei Mühldorf. Die Klöster Gars, Au, Attl. 9 *Kraiburg. Markgraf Engelbert IV. v. Istrien aus dem Hause Ortenburg (nach 1130) nannte sich Markgraf v. K.* 13 *Mommsen Nr. 5579* 15 *Nr. 5578* 17 *Cass. p. 443* 19 *Kloster Rott* 27 *Nr. 5577* 2 3 *Nr. 5563*

IVL ET SEPTIM ‖ AMANDVS EQR ‖ ET BASSVS POSVIT.

Connumeratur in itinerario Antonini Iseniscus; flumen et vicus est, ubi conlegium sacerdotum; pontifici paret Fruxinensi, uti et Parthanum in Alpibus Penninis. Ambro flumen et pagus in superiore Boiaria nomen vetus servat. haec est Vindelicia cum urbibus, oppidis, vicis, arcibus et regiis secundum descriptionem Romanorum.

Vindelicis extra Alpes, intra vero Rhetis iunguntur Norici, quorum oppida iuxta Danubium sunt Arcdata, Laureacum; ibi archimystes quondam, Bathaviam nunc translatus est; infra Lincium vici sunt; nostro aevo Ardacar et Larc vocamus. Claudonium Ptolomaeus, Plinius Claudiam nuncupat; dimetienti circulos et segmenta Peclara, pontificis Reginoburgensis municipium, esse videtur. Caecii, patria divi Floriani, ad radices montis eiusdem cognominis, in villas abiit; Caeisamuram incola vocat. Favium ab Eugypio Norico, Eugenio secundo pontifice maximo nuncupatur; in codicibus Plinianis Flavium legitur; nunc Vienna est Austriae, Noricorum urbs maxima clarissimaque. longe a Danubio absunt Celeia, patria divi Maximiliani, archimystae Laureacensis; et Petavio, quemadmodum apud Plinium, Ptolomaeum, divum Ambrosium et Marcellinum leguntur; nomina retinent. iuxta Oenum fuere Pontes Oeni. Utinum est regia et mausoleum regum Boiariae, celebre vetusto deiparae virginis templo. ubi confluunt tria flumina: Oenus, Iseniscus Vindelicus et Merena Noricus.

Gallus, Hispanus Tiberisque potor, | Hister et Rhenus coeunt frequentes | Votaque reddunt.

In angustiis Alpium sunt Sabona; arx est, nomen servat, inminet Clusio oppido; pontifice insignis erat, qui nunc Brixiam incolit. ibi via manufacta interruptis angusto transsitu iugis, ita ut vix singula meent plaustra, longitudine decem ferme millia passuum; dextra laevaque impendent scopuli, patet vallis altissima inaccessaque. in qua Isacus amnis praeceps spumansque cum magno strepitu per saxa fertur subiecta. monumenta, quae ibi inveni, haec sunt. columna marmorea iussu imperatoris Maximiliani servata hanc habet inscriptionem:

9 archimystis *B* 10 Ptolomaeus *fehlt A u. B.* 19 Viam Guntheri *Kuntersweg)* accola nuncupat *am Rande in A.*

1 *Nr. 5562.* 2 *It. Ant. p. 110. 119. 120* 2 *flgd. Isen, Partenkirchen, die Amper, Ammergau.* 9 flgd. *Linz, Ardaker, Lorch, Pöchlarn, Zeiselmauer, Wien, Cilli, Pettau, Pfunzen, Oetting.* 10 *Ptol. 159. Plin. n. h. III, 146* 13 *Ptol. 158 fg.* 14 *Vit. Sev. 18 u. ö.* 15 *Plin. a. a. O* 19 *Plin. III, 146. Ptol. 159. 161. Ambros. Ep. 40, 23. Amm. XIV, 11* 22 *Die Isen und die Mören fliessen bei Neuötting in den Inn.* 25 *Seben, Klausen, Brixen, Eisack.*

IMP CAES AVG MAXIMIANO ‖ P F INVICTO.

Quatuor quoque ibi saxa ostenduntur:

ISIDI ‖ MYRIONYMAE ‖ SACRVM ‖ FESTINVST IVLI ‖ SATVRNINI G PP. ‖ SERARI POSVIT. ‖ FORTVNATVS ‖ EIVSDEM SERVS ‖ FACIVNDVM ‖ CVRAVIT.

D I M ‖ ET SOLI SO CI ‖ O SAC VALEN ‖ TINVS SE. ‖ CVNDONS ‖ OB MEMOR ‖ PATRIS SVI ‖ EX COIIEG ‖ V S L M.

ISIDI AVG ‖ FESTINVS ‖ T IVLI SATVR ‖ NINI G PP SER ‖ RARI EX VOTO.

MARTI AVG ‖ CONSERVATORI ‖ CORPORIS SVI ‖ MERCVRIALIS AVG ‖ N. VII EX IVSSV NVMI ‖ NIS IPSIVS SIGILLVM ‖ MARMOREVM POSVIT.

Iulium Carnicum sunt, qui Villacum esse arbitrentur. Iuvavia nunc Saliburgium est, Poedicum Ptolomaeo (ita vetera diplomata ostendunt); pagus ibidem nomen servat; archiflamini et legato romano perpetuo paret. Iuvavus flumen praeterfluit; Salzam nominamus. monumenta subscribo:

P AEL FLAVI DEC ET IIVIR ET FLAMINIS AEL CETIENSIVM ITEM DEC ET IIVIR. ET PONTIFICIS COLONIÆ AVRELIA ANTONINIANÆ OVIL TRIB LEG III AVG ET AELIÆ P FILIÆ FLAVINÆ FILIÆ EIVSDEM ET ÆL MANSVET PATRIS EIVS ET ORGETIÆ SISIÆ MATRIS EX PRECEPTO EIVS ORGETIA VRSA PROPINQVA INPENDIO HÆREDIS FIERI INSTITIT.

L. COTINIVS ‖ L. F MARTIALIS ‖ DEC. IVVAVE. II. I. D ‖ SIB. ET PECCIAE LAT ‖ INAE. VXORI. V F.

SERENVS CLA ‖ PRAESENTINAE ‖ CONIV OPTIMAE.

FRONTO COS ‖ SONIS FIL AN ‖ NORVM LXXX ‖ BANONA AGISI ‖ FIL OBIT AN LXXXV.

IVLIAE PROCILLÆ O AN ‖ XLVIII L COCCEIVS CVPITVS ‖ MARITVS ET IVL IVNIANA ‖ ET COCCEI PROCVLVS FLO ‖ RENTINA. CVPITVS FILII ‖ FECERVNT.

14 Salburgium *B* 17 monumenta duo *A* 18, 25 u. 27 *Diese Inschriften fehlen in A* 28 *Darüber in A*: in moenibus in ripa Igonti 29 FIL *B* 30 *Darüber in A*: nunnen closter PROCILIAE *B*

1 *Mommsen V, Nr. 8055* 5 *L. c. Nr. 5080* 7 *Nr. 5082* 9 *Nr. 5079* 12 *L. c. Nr. 5081* 14 *Ptol. p. 159 Piding zw. Reichenhall u. Salzburg.:* 24 *Mommsen III, b, Nr. 5630* 25 u. 27 *Aus Mondsee; s. Mommsen l. c. Nr. 5625 u. 5627* 20 *Nr. 5542* 32 *L. c. Nr. 5545.*

M MERCVRIO || AEDEM FECIT || ET SIGNVM || POSVIT || C TOGIONIVS || CVPITVS || C TOGI . SVMMVS || FIL REFECIT.

IVL HILARÆ || CON O A XL || T CORNELIVS || MARCELLINVS || T PATERNIA || FLORINA CON || VIV SIB FEC.

RENNIVS FIRMVS || SAMIANTA VIVENI || VRSO FILIO OBIT || ANNORVM XXX || VIVI FECERVNT.

HERCVLI || AVG N || PVDENTIVS || MAXIMINVS || VET EX DEC || ALAE TAMI || V S L L M.

IMP CÆS NL || SEPTIMI SEVE || RI PII PERTINA || CIS AVG ARAB ❦ || ADIAB PARTHICI || MAX. ET IMP CÆS || M AVREL ANTONINI || AVG || IVVAV DD.

SEPTIMIVS SEVERVS PIVS PERTINAX ARAB PARTHICVS MAX ET M AVREL ANTONINVS AVGG LEGIONEN SVMPT MIL CAESARI G AVGG PR PR.

CI ARABICAE || STA || B POLLIENO || AEMILIANO.

Aguntum sive Agontum Plinius, Ptolomaeus, Antoninus, Paulus Longobardus, Fortunatus conmemorant. ibi Gariovalda dux Boiorum cum Venedis et Sclavis pugnavit; vestigia extare circum Iuvaviam aiunt; ego nec adfirmo nec refello. quatuor quidem illic reperti sunt lapides ad Seumque monasterium translati. inscriptiones hic libuit notare:

CN TREBONIO FIRMO ET VAL IANTVMARÆ C TREBONIVS FAVSTVS II VIRVM ET PRAEF ID CIVITATIS AGVONT PARENT B OPTIM ET SIBIET TREBONLÆ MAXIMIF EXORATÆ CONIVGI FECIT.

I O M D D || C RESTITMTVS || RESTITVTIANVS || GIEGEI IVLIA || HONORATA || CONIVX EIVS || V S L L M.

FVSCIA PRO || CVLI FILIA SE || CVNDA OBIT || ANN XXX H S E || HEREDES PVDENTI MATRI || FECERVNT.

1 *Darüber in A:* in monte sanctarum virginum 3 AE *B* 7 HER CVL *B* 8 *In A folgt mit der Ueberschrift:* in suburbano Myl: I . O M || VENVSTINVS || SVMM || SIGNVM || IARVB || CVLTORIB || CVM BASEDO 9 *Darüber in A:* in templo maximo 11 IVVAVIA *B* *In A folgt:* HONORA || TIVS VILI || CVS ET AVE || TONIA VENER || IA CONIVGFS || VIVI SIBI FECER. *Darunter:* in episcopi tectonica. — *Ferner übergeschrieben:* ad sanctum Petrum: SIAL(?)VIO || FILIO DVLCISS || O AN XXXI || ALBI || LEON ASISTATVTA || CONIVG CARISS || ET SIBI POSTERIS || Q SVIS FECFRVNT 12 *Darüber in A:* porticu maximi templi Iuvaviae 22 *Ueber Trebonio in A übergeschrieben:* iuris dicundi.

2 *Nr. 5533* 4 *Nr. 5544* 6 *Nr. 5550* 8 *Nr. 5531* 11 *Nr. 5536* 17 *Plin. III, 146. Ptol. p. 159. It. Ant. 133. Paul. gest. Lang. II, 13. Fortunat. II, 471* 20 *Kloster Seon* 25 *Mommsen l. c. Nr. 5583* 27 *Nr. 5582* 29 *Nr. 5584.*

BEDAIO AVG || ET ALOVNIS || SACR || C C ATIVS || SECVNDIA || N VS IIVIR || IMP ANTONIN || II ET SACERDOTE COS.

His consulibus occisus est Macrinus, qui imperium occuparat, sicut est apud Cassiodorum; fuit annus a nato Christo domino et deo nostro ducentesimus et vicesimus. ita Eusebius et divus Hieronymus adnotarunt in chronicis.

Iuxta radices Curuancae montis ad Chiminum lacum, Noricorum maximum, Teurnia et Berunum sive (quod idem esse quidam opinantur) Virunum quondam celebres fuere urbes; quarum et Plinius et Ptolomaeus mentionem faciunt; nunc sunt pagi villaeque morientium reliquiae, quibus nomina manent. sub dio visuntur pavimenta constrata ex tessellis marmoreis varii coloris, varias rerum facies simulantia. multiplex ibi effoditur supellex praeter romana numismata. hoc monumentum ibi extat:

L TERENTIO VERO IIVIRO TEVRN PR IVRDICOBIT AN LX ET SEPPIAE C F PRESENTIAE L TEREN VERINVS ET C TERENTIVS PRAESENTINVS PARENTIBVS OPTVMIS FECERVNT.

Tridentum a Strabone Rhetis, a Ptolomaeo Venetiae adtribuitur; nunc Noricorum est, auctae Germaniae terminus. Theodericus rex Gotorum moenibus cinxit contra Boios. in tercium librum plura consulto differo. oppida Noricorum Vianam, Aemoniam, Solvense, quae Plinius, et Gamanodurum, Gebodunum, Badacum, Vacorium, Pedicum, Idunum, Sianticum, quae Ptolomaeus recenset, praetereo; ad alios, qui diligentius indagent, relego. animus est ea dumtaxat studiosius persequi, quae ad Vindeliciam, genitale solum, spectent. romana monumenta, quae in Boiaria Noricorum Brunduni, Burgusii, Stiratii et in ripa Iuvavi amnis reperi, subscribam.

Burgusii: L BELLICIO L F QVARTIONI DECVRIONI IVVAVENSIVM IIVIRO IVRISDICVNDI VIXIT AN LVIII SAPLIAE BELATVMARAE CONIVGI AN LXII BELLICIVS SECCIO ET BELLICIVS ACHILLES CVM CONIVGIBVS EX TESTAMENTO FACIENDVM CVRAVERVNT.

18 TERENCIVS *B* 21 Theodoricus *B* 28 Stiracii *B* 32 BELANTVMARAE *B* 34 FACIIENDVM *B*.

3 *Mommsen l. c. Nr. 5581* 5 *Cass. Chr. 443* 6 *Eus. II, 178. 179* 11 *Plin. III, 146. Ptol. p. 159 — Thauernhausen, Bernau* 19 *L. c. Nr. 5568* 20 *Strab. 204. Ptol. 178* 22 *Cass. Var. V, 9* 15 *III, 146* 25 *p. 159* 28 *Braunau, Burghausen, Sterzing? Stiriata, das bei Liezen im Ennsthale lag, scheint nicht gemeint.* 34 *Mommsen l. c. Nr. 5589.*

Aliud in agro Burgusiano:

LOL POCCA || VF SIBI ET || VIATORI || CONIVGI || OBIT AN L || ET ANNONI FIL || OBIT AN XXX || POSTERIS O SVIS || V F.

Brundini in ripa Oeni:

VICTORIAE || AVGLRESTITVT || PERPETVS ET ATTIANIA MATRONA || PRO SE ET RESTITVTIS || RESTITUTO ET FLORINO || FILIS V S L L M.

Stiratii in Alpibus Noricis:

POSTVMIA || VICTORINA || SIBI ET || TI CLAVDIO RAE || TICIANO GENE || RO PIISSIMO.

In ripa Iuvavi prope Luphos Noricorum tres lapides:

SEX IVL APTVS || VETERAN EXPR || OB AN L || MAXIMILLA MARITO || OPTIMO ET SIBI || V F.

In ripa Iuvavi secunda lapis:

MARCIVS ATT || IVS MARCELLIN || VS VET COH PSO || BITAN XXXV MAR || CIVS MAESV T || F MAERMCVB.

3. CL SENECA || OB AN LXV || SENECIO TER || HONORATAE SER || MATRI ET FRATRI || ET SIBI ET SVIS || V F.

Cap. 6. Satis evagati sumus; ad narrationem redeo. Augustus (inde enim diverti) annos 56, menses 6 potestatis explevit, cum M. Antonio duodecim annis, solus quatuor et quadraginta rempublicam administravit. princeps belli pacisque artibus iuxta clarissimus, versu, prosa graece, latine valuit. ingenia saeculi sui omnibus modis fovit, recitantes benigne patienterque audivit. plurimum dilexit Horatium Vergiliumque poetas. genus eloquendi secutus est elegans et temperatum; vitatis sententiarum ineptiis atque concinnitate et reconditorum verborum (ut ipse dicebat) foetoribus praecipuam curam duxit sensum animi quam apertissime exprimere, quod quo facilius efficeret aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neque praepositiones verbis addere neque coniunctiones saepius iterare dubitavit; quae detractae adferunt aliquid obscuritatis, etsi gratiam augent. cacozelos (id est nimis anxie superstitioseque loquentes stilumque morositate quadam obscurantes), item antiquarios, ut diverso genere viciosos, pari fastidio

8 Stiracii *B* 12 tres lapides *fehlt in B* 18 V *vor* Mar *fehlt in B* 26 loquendi *B*.

4 *Mommsen l. c. Nr. 5610* 8 *Nr. 5612.* 12 *Laufen* 14 *Mommsen l. c. Nr. 5595* 17 *Nr. 5596* 19 *Nr. 5598* 22 *Vict. ep. 1. Eutr. VII; 8. Suet. 8* 25 *Suet. Aug. 89.*

sprevit. orthographiam, hoc est formulam rationemque scribendi a grammaticis institutam, non adeo custodivit; secutus potius eorum opinionem, qui perinde scribendum, ac loquamur, existimant. ad epistolas omnes horarum quoque momenta, nec diei modo, sed et noctis, quibus datae significarentur, addebat. in evolvendis utriusque linguae authoribus nihil aeque sectabatur quam exempla et praecepta publice vel privatim salubria eaque ad verbum excepta aut ad domesticos aut ad exercituum provinciarumque rectores aut ad urbis magistratus plaerumque mittebat, prout quique monitione indigerent. etiam libros totos et senatui recitavit et populo notos per edictum fecit saepe, quo magis persuaderet rem non a se primo animadversam, sed antiquis iam tum curae fuisse. annum a Iulio ordinatum, sed postea negligentia pontificum conturbatum ad pristinam rationem redegit. fastos correxit et motu lunae tum sua opera invento adnotavit. orbem terrarum diligentissime descripsit urbique spectandum proposuit; porticum quae huiusmodi rem conplecteretur, perfecit. Dionysium orbis terrarum situs authorem tum recentissimum, ad conmentanda omnia in orientem, unde oriundus erat, praemisit, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res maiore filio.

Eius dicta memoratu digna sunt istaec: satis celere fieri, quidquid fiat satis bene; aureoque hamo eum piscari, qui bella temere susciperet, ubi maior damni metus quam emolumenti spes esset. domini adpellationem ut maledictum et opprobrium semper exhorruit, (cuius modestiam, utinam deus faxit, ut christiani sequamur). edicto dominumque se posthac adpellari vetuit, ne a liberis quidem aut nepotibus suis vel serio vel ioco passus est atque huiusmodi blandicias etiam inter ipsos prohibuit. non temere urbe oppidove ullo egressus aut quopiam ingressus nisi vespere aut noctu, ne quem officii causa inquietaret. marmoream (ut ipse dicebat) Romam reliquit, quam latericiam acceperat. eius felicitas caeteris postea optata est imperatoribus. ipsis enim adclamari solitum: felicior Augusto, melior Traiano. omnes graves ignominias cladesque duas omnino nec alibi quam in Germania accepit, Lollianam et Varianam, sed Lollianam maioris infamiae quam detrimenti, Varianam pene exitiabilem, quae foeda maiestatis eius (ait Plinius) sugillatio fuit. mortuus est quarto decimo

1 *Suet. 86* 3 *Suet. 88* 5 *Suet. 50* 12 *Suet. 89.* 13 *Suet. A. 31. Iul. 40* 16 *Plin. III, 17.* 19 *Plin. VI, 141* 22 *Suet. 25. Vict. ep. 1* 23 *Suet. 53* 29 *Suet. 53* 30 *Suet. 28. Vict. ep. 1* 31 *Eutrop. VIII, 5* 34 *Suet. 23.* 35 *Plin. VII, 150.*

BSB

kalendas Septembris hora diei nona, septuagesimo et sexto aetatis anno, diebus quinque et triginta minus, duobus Sextis, Pompeio et Apuleio consulibus.

Imperante Augusto crebro et passim plus solito plaeraque ostenta prodigiaque in caelo et in terra visa sunt. consulti astrologi, vates, sacrificuli, ipsa etiam deorum oracula responderunt, principem dominumque orbi terrarum naturam parturire. Romani id ad Augustum referebant, prudentiores de Christo viventium rege et domino mundi interpretabantur, qui altero et quadragesimo imperii Augusti anno natus est, octavo kalendas Ianuarias, quo die tum (uti Plinius ait) bruma erat, literatores hiemale solsticium vocant. ea potissimum tempestate posthac omnia oracula conticuisse atque defecisse, cultores etiam deorum testes sunt, Strabo, Plutarchus et alii plaerique. omnes Christi servatoris gentis humanae avos proavosque et totius generis seriem pro necessitate sacrarum literarum, uti tempus postulat, subnectam.

Huius mundi aetates in caelestis scripturae sacrario senario numero (ut mathematici docent) pleno esse definitas comperio; quas tamen non annorum multitudine, sed prole nepotumque numero dimetimur et stirpis successione. duae decima sobole, tres reliquae quarta decima determinantur. uterque numerus, alius aliam ob causam philosophis, vatibus et theologis sacrosanctus est. prima aetas est ab orbe condito ad eundem aquis obrutum annis mille sexcentis sex et quinquaginta. ab orbe ab aquis restituto ad Abrami conditoris Iudeorum natalem numerantur anni ducenti nonaginta duo, qui sunt secunda aetas. inde ad regnum Davidis tercium est seculum, continet annos noningentos unum et quadraginta. quarta aetas a Davide ad exilium, dum a cultoribus summi dei Babylonem migratum est, conplectitur annos tris et septuaginta supra quadringentos. ab exilio Babylonico ad natum Christum anni sunt sexcenti, quatuor minus, quae est aetas quinta. Christi sexta et ultima est, cuius dies et annos scit nemo. eandem philosophi quidam, sibyllae et poetae praedixerunt futuram, qua de caelo rediret depulsa olim terris iusticia. de hac et Vergilius

14 *Am Rande in A*: lex Mosi *(sic)* mille quingentos et septem annos mansit 18 definitos *A u. B* 23 eumdem *A* 24 Iudaeorum *A* 26 saeculum *A* 31 Vide Danielem — Beda *am Rande in A* 33 Virgilius *A.*

3 *Suet. 100* 7 *Suet. 9432 Eus. Chron. II, 144. 145* 10 *Plin. n. h. XVIII, 221.* 13 *Strab. 327. 419? 813. Plut. Cic. 5. Eus. Pr. ev. V, 1* 18 *Vgl. Lact. Inst. VII, 14* 25 *Für das flgd. vgl. Phil. brev. de temp. in Beros. 223 fg. Beda de temp.*

Maro (authorem habeo divum Aurelium Augustinum), poetarum nobilissimus, ex sententia sibyllae ita cecinit:

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas, | Iam nova progenies coelo demittitur alto, | Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna.

Anni itaque ab orbe condito ad secundum et tricesimum annum regni Herodis primi, quo natus est Christus, secundum Philonem sunt ter mille noningenti quinquaginta octo. et quantum est a primordio mundi ad Abramum, tantumdem pene ab eo ad Christum, ademptis duobus et sexaginta annis, quibus populus dei, quasi vita defunctus, capite diminuto servivit regi Babylonio. propago generis ante Davida clara manifestaque est; post hunc nonnihil scrupulorum atque nodi habere videtur, sed inlustribus fretus scriptoribus omnia eximam dissolvamque. imperator Iulianus Caesar Augustus et Porphyrius Phoenix philosophus, rabidi adversus Christum canes, calumniantur evangelistas nostros, quasi duos genitores uni tribuant filio; cum tamen Matthaeus proavos contexat ipsius Ioseph, partim legales a Sŏlomone ad Ioram, cuius filius Ozias non quidem gradu sanguinis, sed lege et successione fuerit, inde naturales subtexat. Lucas vero describit genus deiparae virginis, cuius maritus Iosephus ipsius Heli (qui et Ioakym vulgo; est pater Mariae) filius erat, non quidem natura, sed, ut ait divus Hieronymus, lege matrimonii. lege saucitum erat apud Hebraeos, quae iubebat defuncto fratri absque liberis posteros instaurare viventem; et ita natus duos habebat parentes, unum natura, alterum lege et successione, in cuius (nimirum mortui) nomen et familiam adoptatus haereditatem ipsius defuncti quoque adibat. ita in regia familia quoque constitutum est. Davida enim conplures habuisse filios inter eosque de regno certamen ésse ortum ipso adhuc vivente constat; donec David lege cavit et edicto declaravit, Solomonem minimum natu fore regem atque eius nepotes; tum proximum illi aetate fratrem germanum, Nathan nomine, eiusque posteritatem regiae domus praefectos perpetuo esse iussit, ex quibus et regia progenies, si Solomonis deficeret, instauraretur. quamobrem Ahiasarim et Mathatim hebraeo sermone hi dicti sunt quasi fratres principis et donati successione

10 Bedae et Philonis computatio ducentis annis aberrant ab Hebraeorum computatione *am Rande in A* 22 ut .... instauraret *corrigirt in A;* instauraret *ohne ut B* 32 Mathathim *A.*

1 *Aug. C. D. X, 27. (Verg. Ecl. IV, 4).* 14 *Hier. catal. scr. prooem., vgl. Phil. a. a. O.* 15 *Ev. Math. 1* 18 *Ev. Luc. 3* 22 *Hier. IX, 6 (comm. in Matth. I, 1 in:)* 26 *Für das flgd. vgl. Phil. a. a. O. 229. Kön. III, 1. IV, 11. Chron. II, 22. 23.*

regia. ipsi enim tanquam regiae sobolis restitutores cum filiis regum educabantur erantque praefecti praetorio palatiique et aulae rectores; tribum possidebant Beniamin, quemadmodum proles Solomonis tribum Iudae.

Intercidit autem genus Solomonis in Ochozia rege. qui cum unum regnasset annum, occisus est nec liberos reliquit. màter eius Athalia, videns filium suum interfectum esse absque liberis, conata est delere omnem prolem regiam. interfecti itaque sunt omnes posteri Nathan, quorum ius erat recuperare et restituere regiam stirpem, quae in Solomonis sobole defecerat. attamen divinae maiestatis nutu et opera sororis Ochoziae, uxoris pontificis unus infans a Nathan octava soboles servatus subtractusque periculo in templo clamculum educatus est. is septimo deinde anno interfecta Athalia rex a populo creatur adpellaturque Ioas Symeon, primus rex de progenie Nathan, cum iam Solomonis genus intercidisset. fuere posthac omnes reges binomines, alii qui et trinomines. ut autem omnia facilius intelligantur, rudiuscule pinguique Minerva rem subiiciam oculis stemmaque proponam.

Paralypomenon I. cap. 3.

Reges.	David Bethsabe.	Praefecti domus regiae.
Solomon annos 40 regnat	Nathan	
Roboam 17	Mathatan	
Abia 3	Menna	
Asa 41	Melcha	
Iosaphat 25	Heliachim	
Ioram 8	Iona	
Ioachas	Iudas	
Ochozias	Ioas,	. . . . . rex primus de sobole
Azarias	Symeon	Nathan, unde prognata
in hoc defecit progenies Solomonis, potita rerum annos 95. mater huius Athalia succedit, septem regnat annos; interfecit prolem regiam.	Amasais, 29	deipara virgo, regnat annos 40 interfecta Athalia.
	Levi	
	Ozias, 52	
	Mathat	
	Ioatham, 16	
	Iorem	
	Achas, 16	
	Heliezer	
	Ezechias, 29	
	Iesus	

5 aut *B* 18 Paralypomenon — secundum carnem *fehlt in B* 20 *Am Rande in A*: libro regum 3, c. 4.

17 *Cic. Lael. 5, 19 Vgl. Phil. 233 fg. Kön. III u. IV. Chr. I u. II. Ev. Matth. 1. Luc. 3. Esr. I u. III. (Eus. I, App. II, 55).*

Manasses, Her	55	
Amon, Helmadan	2	
Iosias, Ohosan	31	
Iechonias Melchi Heliachim Ioakym de Hoyakim Iechonias Neri Ioachin, Iehoiachim		regnavit tres menses, dies decem, migravit Babylonem, ultro se Chaldaeis tradidit.
Mesezabel Schealthiel		Babylone natus est, vulgo Salathiel dicitur, genuit et ipse Babyloniae Barachiam, cognomento Zorobabel.
Ioachas, Addi	3	menses regnat, captivus abductus in Aegyptum.

Duces inde pro regibus fuerunt. regnat 2 annos, occisus a Chaldaeis.

Neemiae 3.

Duces Iudaeorum, progenies Christi. Barachias Zorobabel dux. a Babylone reversus Hierosolyma, fuit dux annos 58

moenia aedificat Neem. 3. Paralypomenon, 1, c. 3.	Resa Mosolla Moscholla	66		A ..... Ananias Eliakym Azor Sadoch Achim Eliud Eleasar Matthan Iacob Ioseph	progenies Iosephi. Paralypom. lib. 1. cap. 3.
	Iohannaben Resa	53			
	Iudas primus	14.	Hircanus cognomine, tempore Alexandri Magni.		
	Iosephus primus	7			filius Helinon natura, sed lege matrimonii.
	Semei Abner	11			
	Mathathias Elyh	12			
	Maath Aser	9			
	Hagge Artaxat	10			
	Hesli Agai	8			
	Naum Maslot	7			

7 *Am Rande in A*: libro primo Paralypo. c. 3 8 *Ebendort*: regnat annos 11, occisus Achaldus. 20 *Die Namen* Ioachas *und* Addi *sind durch*: lege *verbunden mit den Namen*: Iechonias — de Hoyakim 43 *Wurmstichig.*

Amos Syrach	} 14	
Mathathias Siloa	} 10	
Iosephus iunior Arses	} 60	familiaris fuit Ptolomaeo Euergetae tertio, regi Aegyptio.
Ianne secundus Hircanus	} 16	ab Ptolomaeo quinto Epiphaniae honore magno exceptus est; ei Iudas Machabeus pontifex praeripuit ducatum, quod magnarum calamitatum Iudaeis causa extitit.
Melchi		
Levi		
Mathat		
Heli		hic Hebraeis est Heliakym, Aegyptiis Iehoiakym, vulgo Ioakym, pater deiparae virginis, avus Christi secundum carnem.
Maria.		

Christus (ut nominis rationem propter ignorantium errorem exponam) non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis et regni; sic enim Iudaei reges suos adpellant. erat Iudaeis ante praeceptum, ut sacrum conficerent unguentum, quo perungi possent ii, qui vocabantur ad sacerdotium vel ad regnum. et sicut olim Romanis indumentum purpurae erat insigne (ut nunc aquila est) regiae dignitatis, sic illis unctio sacri ungenti nomen ac potestatem regiam conferebat. maschah Hebraeis unxit est, unde meschiah et inde Messias. Graeci etiam veteres χρίεσθαι, chriestae, ungi dicebant. ob hanc rationem nos eum Christum nuncupamus, id est unctum, qui hebraice Messias dicitur; utroque nomine rex significatur; non quod ille regnum terrenum fuerit adeptus, fragile nimirum et caducum atque fluxum, sed quod caeleste ac sempiternum est. pròprium eius nomen est Iesus, Hebraeis Iehoschuah, quod servatorem valet. nos eum communi nomine regis, tanquam natura inmortalem, unum, solum, verum regem regiaeque potestatis mancipem adpellare solemus. caeteri reges umbratici sunt, voluntate et arbitrio vulgi et creantur et abdicantur, nascuntur et intereunt ut caeteri mortalium.

Perplacet inscriptiones nomismatum, quae imperatorum romanorum nota signata sunt, quod haec res iucunda lectoribus et studiosis utilis esse soleat, subscribere, eorum dumtaxat, quae in provinciis, quas Boii

32

6 *Am Rande in A*: Eusebius et Philo. 12 Hebreis *A* ~~17~~ *In A folgt hier mit der Randbemerkung*: Ex Iosepho, Philone, Maccabae. p., Eusebio, *eine theilweise sehr wirr durcheinander geschriebene Reihenfolge jüdischer Hohepriester und Könige, welche in B nicht aufgenommen, für welche dort auch kein Raum offengelassen ist.* in Lr f. 731–735. 744. 762. 770.

13 — sempiternum *Lact. I. IV, 7.*

nunc possident, inveni et comparavi. nam passim in agris, uti supra conmemini, effodiunt agricolae.

DIVVS AVG S C. altera ex parte nota est aquila volans ex suggesto.

CAESARI AVGVSTO S P Q R. altera parte subscriptum currui triumphali: AVG P M COS IIII AVGVR TRIPOT.

Aliud: NERO CLAVD CAESAR AVG GER P M TR P IMP P P DECVRSIO S C.

Aliud: NERO CLAVD CAESAR AVG GER P M TR P IMP P P GENIO AVGVSTI S C.

TIBERIUS. 3.

Cap. 7. Claudius Tiberius Nero, tristissimus (ut ait Plinius) hominum, coepit anno Christi quinto decimo imperare, cum filiis Germanico adoptivo et Druso naturali. sub inicio imperii eius robora Germanorum (inquit Tacitus), qui tum custodes imperatori aderant, mittuntur cum Druso filio in Illyricum ad Pannonicas legiones sedandas, quae exitiabili tumultu fremebant. Frisii quoque transrhenani sub idem tempus pacem exuunt, milites romanos cruci adfigunt; clarum inde inter Germanos Frisium nomen. Germanicus sub Augusti pene mortem missus in Germaniam ad vindicandam cladem Varianam recipiendaque signa cum Varo amissa aliquot praeliis Chattos et Cheruscos fudit, varia belli fortuna cum Arminio, authore stragis Varianae, pugnavit. uxor Arminii Thosnelda nomine capta est cum Thumelico filio trimulo. Sesithacus etiam et Rhamis uxor eius, filia Harpi Chattorum principis, capti sunt.

Inter auxilia romana Chauci (germana gens erat), Marsorum quoque dux Malovendus fidus Romanis et Flavius, Arminii frater,

3 *Am Rande in A:* DIVI FRATRES CAESARES AVGVSTI COS DESIG; *darüber*: zum Nero — NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMP — TI CLAVDIVS CAESAR AVG PM TR P IMP PP S C; *darunter*: ad Tiberium — ferner: IVLIA AVGVSTA || MATER DEVM || S C — intra coronam SPQR || OB || CIVES || SERVATOS — TI ET NERO CAESAR AVG GERM || S C — NERO CLAVD CAESAR AVG GER PM TR P IMP PR || S ROMA C — DIVVS AVGVSTVS || S C || CONSENSV SENAT. ET EQ. ORDIN. PQR. — AVGVSTVS PATER P || S C || PROVIDENT. — DIVVS AVGVSTVS PATER PATRIAE; ex altera parte nota aquila insidens globo S C 21 Vario *A u. B.*

1 *S. 149* 4 *Wohl Cohen, Médailles impériales, Augustus, Nr. 282* 6 *Sic; nicht bei Cohen* 8 *Cohen l. c., Nero, Nr. 122 flgd.* 10 *Nicht bei Cohen* 12 *Plin. n. h. XXVIII, 23* 17 *Tac. Ann. I, 24* 19 *Tac. Ann. IV, 72. 74* 25 *Strab. 292.*

BSB

romanus erat miles. Segestes praeterea, cuius filiam Arminius rapuerat, inicio a genero dissentiens ad Romanos transfugerat. Suevi insuper cum rege Marobodo Romanis foederati erant. Arminius tamen bello non victus, praeliis ambiguus, bellum continuavit, donec imperator Tiberius caesar augustus praesidia, exercitus, copias romanas omnis citra Rhenum in Galliam Belgicam deduci iussit, ne hostes conciret neve caeteri Germani, qui hactenus quieti fuerant et foedus servarant, irritarentur et iunctis viribus romanum invaderent imperium. Germanicus post sextum cladis annum, anno servatoris nostri undevigesimo, imperii vero Tiberii quarto, septimo kalendas Iunias triumphavit; aquilas tamen duas, aliquaque signa (sicut narrat Florus) sua adhuc aetate Germani detinebant; id fuit sub Traiano. Segestes, cum cognati sui triumpharentur, adfuit; honorifice habitus, incedebat in pompa.

Reddita libertate Germaniae pulsisque Romanis Arminii favor apud omnis gliscit; passim ut adsertor Germaniae more gentis canitur. Marobodi regis nomen invisum, ipse proditor et desertor patriae nuncupatur, ut qui fugax in latebris Hercyniae latitaverit. non solum Cherusci et socii eorum, vetus Arminii miles, bellum summunt, sed e regno Marobodi quoque Senones ac Longobardi, Suevi genere, deficiunt. pulsus Marobodus secedit invocatque Romanos; transgressus Danubium, qua Noricam provinciam praeterfluit, Ravennae duodeviginti annos consenuit. Catovalda quoque, qui Marobodo pulso, eius regnum occuparat, viribus Hermundorum a Vivilo Germania deturbatur; ipse ad romana itidem confugit arma; ductus est Forum Iulii, Narbonensis provinciae. utrumque comitati in confinio Moraviae, Austriacorum Ugrorumque intra Marum et Cusum flumina conlocantur, dato rege Vannio gentis Quadorum. huius regni Vanniani meminit et Plinius.

Druidas quoque, Gallorum philosophos et vates, imperator Tiberius exegit omni Gallia, succisa sylva eorum; ipsi in Germaniam trans Rhenum demigrarunt. in sylvis et sub quercubus de natura rerum et deorum philosophati sunt. terriculamenti nocturni genus, calciamentum philosophicum, figura mathematica apud nos adhuc ab his nomina servant. B f. 67 Sng. (Au.?) Dn:? tumfue(ss)

16 omnes *B*

1 *Tac. A. I, 60. II, 9. 17. 25* 2 *Tac. A. I, 55* 4 *Tac. A. II, 88* 11 *Tac. A. I, 62. II, 41* 12 *Flor. p. 119 I* 14 *Strab. 292.* 20 *Tac. A. II, 44. (H. II, 61)* 28 *Tac. A. II, 63* *Plin. IV, 81* 30 *Plin. XXX, 13; vgl. Suet. Claud. 25* 33 *Drud, Trud, eine Hexe, die das Alpdrücken verursacht; s. Schmeller-Frommann 648. Drudenfuss; vgl. Nomencl. u.* Druides.

Defunctis ambobus filiis iam senem orbumque imperatorem Tiberium Germani floccifaciunt, ruptis limitibus imperii, Rheno atque Danubio, Gallias, Pannonias, Moesias ferro, flamma, praeda devastant, vicos diripiunt, incendunt, pecora, captivos abigunt, impune ultro citroque conmeant, magno dedecore (teste Suetonio) imperii nec minori discrimine. obiit Tiberius octavo et septuagesimo aetatis anno, tercio et vicesimo imperii, septimo decimo kalendas Aprilis, Cnaeo Acerronio Proculo, Caio Portio Nigro consulibus. rector Vindelicorum tempore Tiberii et Caii caesaris fuit Fabianus, ita annales patrii produnt. ferunt Tiberio principe excogitatum vitri temperamentum, ut flexibile esset, et totam officinam artificis eius abolitam, ne aeris, argenti, auri metallis precia detraherentur; eaque fama diu crebrior quam certior fuit. ipse Tiberius studiosissime artis liberalis utriusque generis coluit, sed adfectatione et morositate nimia stilum obscurabat, ut aliquanto ex tempore quam cura haberetur praestantior. carmen lyricum composuit, fecit et graeca poemata. de cometis praeclaro carmine perscripsit, adversus convicia, malos rumores, famosa de se carmina (quae vel hodie in pontifices Romae eduntur) subinde iactabat, in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere. praesidibus onerandas tributis provincias suadentibus rescripsit, boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.

Eius imperii anno duodevicesimo Christus, dominus mundi deusque noster, cruci adfixus et a Iudaeis, duobus geminis consulibus octavo calendas Apriles, quo tum die, authore Plinio, vernum erat aequinoctium. eadem tempestate Pontius Pilatus, et ipse iam pro conscientia sua (inquit Florens) christianus, legatus Iudeae atque Hierosolymorum, omnem vitam miraculaque Christi Tiberio caesari per literas aperit; violentia suffragiorum a Iudaeis sibi extortum, ut in crucem eundem dederit, eadem annunciat epistola. caesar rem ad senatum detulit cum praerogativa suffragii sui, ut Christus pro deo reciperetur. senatus respuit, quod ad se Pilatus non scripserat. legum enim vetus erat decretum, ne quis deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probaretur. senatus itaque consulto urbe eliminantur christiani. caesar in sententia permansit, conminatus mortem edicto accusatoribus christianorum.

12 praccia *B* 34 prima persecutio maxima a Iudaeis pontificibus, monachis, et sacerdotibus Christianorum *am Rande in A*

5 *Suet. Tib. 41* 8 *Suet. 73* 13 *Plin. XXXVI, 195.* 16 *Suet. 70* 17 *Plin. II, 89* (Titus!) 19 *Suet. 28* 21 *eb. 32* 24 *Lact. I, IV, 10, de mort. pers. II, 1. Aug. C. D. XVIII, 54. Hier. chr. II, 145. 148. 149 Sch. Cass. 438 Plin. XVIII, 246* 26 *Tertull. Ap. 130.* 35 *Tertull. Apol. 28—30. Hier. chr. II, 151. (Oros. VII, 4).*

Cum autem Christi comites legatique iussu praeceptoris et magistri sui post reditum eius in caelum veritatem (quae mordax est et odium parere solet) Iudaeis Hierosolymis primum adnunciarent, ira simul et invidia flagrantes Iudaei non solum caelestem philosophiam ipsis tamen longo ante tempore per sacros vates ab inmortali deo promissam non receperunt, sed et doctores variis calamitatibus adfectos neci dediderunt. Iacobum, fratrem Ioannis, securi percutiunt; Stephanum lapidibus obrutum interimunt. vulgus Christum professum praediis, agro, peculio, pecunia spoliant, bonis eorum publicatis. divus Petrus in vincula coniectus, divinitus liberatus evasit crudelitatem Iudaeorum. caeteri auditores Christi per provincias dispersi, fundamenta ecclesiae ubique posuerunt, multa per orbem terrarum variaque a Iudaeorum genere perpessi sunt, quemadmodum in sacra continetur historia. divus Paulus Tharsensis, saevissimus antea hostis, de caelo tactus devictus est et ab imperatore nostro militiae nostrae armamentarius caelesti oraculo designatus, constitutus est. qui, ut ipse fatetur, ab Hierosolymorum urbe exorsus per circumiectas quoquo versum regiones longe lateque usque ad Illyricum et Danubium amnem cultoribus deorum primus arma militiae christianae intulit et labefactatis deorum viribus ducis nostri signum inmortale ubique fixit.

Eius conmilito et cognatus Lucius Cyrenensis in Vindelicia et Rhetiis provinciisque Histro conterminis christianae pietatis sementem fecit, quae paulatim radices egit ac succrevit occulto velut arbor aevo, crescens in Galathiam, hoc est Gallias Germaniasque. Titus in Dalmatiam, ita divus Paulus narrat, profectus est. Thomam Germanis et Scythis praedicasse, testis est Sophronius. oppidatim tum communi omnium suffragio delecti sunt sacerdotes, qui populum quisque suum docerent. verum postea ob discordiam et impostorum fraudem, qui sub obtentu ceremoniarum religionem nundinabantur, conplacitum est caput et unum, qui caeteris praeesset, constituere. maiorum itaque civitatium pontifices, Aquileiae patriarches, Laureaci archimystes creatus est. in actis divorum et pontificum Laureacensium scriptum lego, divum Marcum, quem divus Paulus ~~collegam~~ suum vocat ~~dius-~~ que mentionem et in epistola ad Timotheum et Philemonem scripta

20 inmortale signum *B* 33 adiutorem *st.* collegam *A.*

3 *Ter. Andr. I, 1, 41. Lact. I. V, 9. 21. Hier. ep. 31* 11 — Iudaeorum *Act. 12. 7* 13 *Tert. Ap. 131. Lact. IV, 21; de m. p. II, 4.* 15 *Act. 9* 16 *Röm. 15, 19* 21 *Röm. 16, 21* 25 *Tim. II, 4, 10* 26 *Hier. Cat. (I, 121)* 32 *Schreitwein, Catalog. episcop. Patav. bei Rauch, Rer. Austr. Scr. I. 433. 438.* 34 *Tim. II, 4, 11. Phil. 24.*

facit, in Norico Laureaci philosophiae nostrae mysteria interpretatum fuisse. archimystae Laureacensi (qui ab Utilone duce Boiorum Bathaviam, inde a Carolo Magno Saleburgium translatus est) duo et viginti pontifices minores dicto audientes fuisse, fama et literis proditur. Pannoniam superiorem et inferiorem, Noricum et Vindeliciam eidem olim addictas fuisse, vetera romanorum pontificum diplomata, quae extant, testantur. urbium haec fuere nomina, quae etiam apud celebratos authores reperiuntur; conplurium nomina manent, quarundam vestigia mihi quidem incerta sunt: in Pannonia, nunc Ungaria, interiere Siscia, Bolentium, Vetuaria, nisi Vesoprinum sit, instauratum ab Gisala regina, ex Boiaria oriunda. Teutoburgium iam Quinque Ecclesias vocant. Nitrava nomen retinet vetus; ita et Iulii mons, quod et Auguturium, in Germaniae ripa et Moravia, Arrabo sive Gaurinum aduc nominatur in Pannonia. in Noricorum regno, in Stiria Petanio atque Pętavio et Celeia extant; Pictavionis et Asturis reliquiae ostenduntur; apud Charionas Tiburniae, Solii et Liburniae vestigia superesse, periti regionis adfirmant. Iuvavia nunc Saleburgium; Sabona, Brixina atque Clusium est in Alpibus Noricis; Austriae sunt Favonium, nunc Vienna, et Valentia, vocabulum retinens vetustum, corrupto, ut fit, nonnihil sono. Vindelicorum et Boiariae fuisse reperio Bathaviam; Aureatum in vicum abiit; Augusta Vindelicorum interiit, reliquiae tamen monstrantur. plures ab aliis adduntur, ego aliis investigandas relinquo.

NERO CLAVD. CAESAR DRVSVS || GERM. EX S C SACERD COOP || CAESARES AVGVSTI F || COS DESIG.

NERO CLAVDIVS CAESAR || AVG GER. P M TRP IMP || S C || ROMA.

CALIGULA. 4.

Cap. 8. Caius Caesar Caligula cognomen a castrensi loco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur. (de hoc ita Ausonius:

Post hunc castrensis caligae cognomine caesar
Successit saevo saevior ingenio.)

10 interiore st. interiere *B* 17 Iuvania *B* 21 in A folgt nach Bathaviam: Augustam Tiberii, Fruxinum, quae extant 24 Caligula 4. *steht in A u. B sowohl vor als nach den Inschriften* 28 *Am Rande in A steht ferner*: TI CLAVDIVS CAESAR AVG PM RP IMP PP || EX SSFP OB CIVES SERVATOS.

10 *Ptol. 161. Plin. III, 147 — Wersprim. Gisela v. Baiern, Gemahlin K. Stephans v. Ungarn* 11 *Ptol. 163* 15 *Ptol. 161; 159* 20 *Wels* 30 *Suet. Cal. 9 (*ioco *Beroald) Aus. Caes. 4.*

Fax fuit generis humani. de eo dictum est, nec servum meliorem ullum nec deteriorem dominum fuisse. contra Germanos, qui sub Tiberio, ut diximus, Moesias, Gallias, Pannonias caeterasque provincias romanas depopulati fuerant, ingenti conatu et minacissimus bellum instruxit. quos ut alicuius inmensi operis fama territaret, sinum medium Baiarum et Puteolanas moles trium millium et sexcentorum fere passuum intervallo ponte iunxit, contractis undique onerariis navibus et ordine duplici ad anchoras locatis, superiecto aggere terreno ac directo in Appiae viae formam aemulatione Xerxis, qui non sine admiratione Hellespontum aliquanto angustiorem contabulaverit. inde impetum germanicae expeditionis caepit legionibus, auxiliis, quantum ante nunquam, undique accitis; delectus ubique acerbissime egit. innumeras ex omnibus provinciis contraxit copias et omnis generis conmeatum. eo apparatu ad Rhenum profectus, nihil penitus gessit; ingentes eius minae in ludibrium versae, frustra omnis conatus fuit. Germani Gallias usque proruperant; Galliae quoque defecissent, nisi Sergius Galba, qui post imperavit, coercuisset, quamobrem ipse ornamenta triumphalia accepit et sacerdotium triplex, inter quindecimviros, sodales Titios, item Augustales, cooptatus. Germani Caligulae imperitiam insaniamque hominis ridentes, metu simulato in tutis locis in insidiis delitescebant, ut hostem in intima et ignota, perinde iniqua pertraherent loca. cum autem ipse Caligula trans Rhenum inter angustias densumque agmen iter essedo faceret, dicente quodam, non mediocrem fore consternationem, si unde hostis appareret, equum illico conscendit ac propere versus ad pontes, ut eos calonibus et impedimentis stipatos repperit, impatiens morae, per manus ac super capita hominum translatus est turpique fuga Romam rediit. conversus inde ad curam triumphi, Gallorum procerissimum quemque legit ac seposuit ad pompam coegitque non tantum rutilare et submittere comam, sed et sermonem germanicum addiscere et nomina germanica ferre. Germani interea romanas invadunt legiones, fundunt, pellunt. ipse malae pugnae nuncio perterritus, fugam et subsidia fugae classis adparavit, uni solatio acquiescens, transmarinas sibi superfuturas provincias, si victores Alpium iuga, ut Cimbri, vel etiam urbem, ut Senones, occuparent. verum pecunia pacem emit a Germanis. vixit annos duodetriginta, imperavit triennio et decem mensibus diebusque octo;

1 *Plin. n. h. VII, 45* 2 *Suet. 10. Tac. A. VI, 20* 4 *Suet. 51* 10 *Suet. 19.* 14 *Suet. Cal. 43. Galb. 6* 15 *Tac. G. 37 Agr. 13* 17 *Suet. Galb. 6* 19 *Suet. Galb. 8* 27 *Suet. Cal. 51* 30 *Suet. 47* 35 *Suet. 51* 36 *Suet. 59. Eutr. VII, 12.*

occisus est a suis triginta vulneribus anno Christi altero et quadragesimo. ad primum tumultum in auxilium adcurrerunt germani custodes corporis, discurrunt gladiis strictis defensuri caesarem, ac nonnullos ex percussoribus, quosdam etiam senatores, inter quos Asprenas, Norbanus et Atteius, innoxios peremerunt; in theatrum inde procurrunt, populum romanum sese ad internecionem deleturos occisuros-que conminantur; verum suppliciter rogati certioresque facti, Caium mortuum esse, pro mortuo, qui eorum pericula remunerare non posset, amplius pugnare detrectant itaque desistunt infestare Romanos.

Eloquentiae Caligula plurimum attendit, quantumvis facundus et promptus; peroranti verba et sententiae suppeditabant. lenius et comptius genus dicendi contempsit; Senecam tum maxime placentem conmissiones meras conponere et arenam esse sine calce dixit. sub eo Matthaeus primus octavo, postquam Christus in caelum redierat, anno evangelium in Iudaea scripsit, Ioannes in graecam linguam transtulit et Pontius Pilatus multis calamitatibus obnoxius sibi mortem conscivit.

Occiso Caligula senatus in asserenda libertate consensit censuitque nomen et memoriam caesarum abolendam diruendaque templa odio crudelitatis. consules cum senatu et cohortibus urbanis forum capitoliumque occuparunt, asserturi conmunem libertatem; biduo de mutando reipublicae statu haesitatum est. Claudius, patruus Caligulae, quinquagenarius, rumore caedis nepotis sui exterritus, prorepsit ad solarium proximum interque praetenta foribus vela se abdidit; latentemque discurrens forte germanus miles, nomine Gratus, animadversis pedibus e studio sciscitandi, quisnam esset, agnovit extractumque et ad genua sibi accidentem adprehendens, sequentibus ait: iste est Germanus, eum imperatorem salutemus. hinc ad conmilitones alios aduc frementes perduxit. ab his (quia sui defugerant) vicissim succollantibus in castra delatus est tristis et trepidus, miserante obvia turba, quasi ad poenam raperetur insons. receptus intra vallum inter excubias militum pernoctavit minore spe quam fiducia, ubi Gratus superior his eum verbis consolatus est et hortatus: noli de salute tua meticulosus esse, fortis, magno altoque sis animo, ut imperatorem decet, ac potius imperium cogitato. accitus deinde ipse per tribunum plaebis in curiam ad persuadenda, quae viderentur, vi se et necessitate

11 suppetebant *A*.

9 *Suet. 58. Ios. Ant. XIX, 1.* 13 *Suet. 53* 17 *Eus. (Hier.) chr. II, 150. 151. Cassiod. 438* 19 *Suet. Cal. 60* 22 *Suet. Claud. 11.*

teneri respondit. verum postero die et senatu segniore in exequentis conatibus per taedium diversa censentium et multitudine, quae circumstabat, unum rectorem et nominatim exposcente, armatos pro concione iurare in nomen suum passus est promisitque singulis ingentem pecuniam, primus caesarum fidem militis etiam praemio pigneratus.

CLAUDIUS. 5.

Cap. 9. Tiberius Claudius Drusus caepit anno Christi altero et quadragesimo imperare. imperavit annos tredecim, menses novem, dies octo et viginti; occisus est boleto venenato ab uxore Agrippina, matre Neronis privigni sui, tercio idus Octobris, Asinio Marcello et Acilio Ausola consulibus, quarto et sexagesimo aetatis anno, imperii quarto decimo. omnibus liberalibus studiis pertinaciter deditus, nec infacundus nec indoctus fuit. historiam scripsit hortante Tito Livio, item Ciceronis defensionem adversus Asinii Galli libros satis eruditam. maxima cura graeca studia secutus est. novas conmentus est literas tres numero quasi maxime necessarias his figuris: X, antisigma pro ps, digamma aeolicum Ⅎ pro v consonante non inutiliter, ut ait Quintilianus. extat talis scriptura, quam in titulis lapidum legi ita: Ⅎale, Ⅎita. sed post imperium eius evanuere, nemine audente veterem scripturam mutare. quaerente eo de fisci exiguitate, non absurde dictum, abundaturum, si a duobus libertis in societatem reciperetur. druidarum religionem apud Gallias abolevit, excisa sylva, in qua docere druides consueverant; ipsos in Germaniam aufugisse supra admonuimus. Germanos coluit et muneribus prosecutus est. legatis eorum in orchestra (locus est in theatro, ubi senatus spectabat ludos, a saltando dictus) sedere permisit; simplicitate et fiducia eorum motus, quod in popularia deducti (quum animadvertissent Parthos et Armenios sedentes in senatu) ad eadem loca sponte transsierant, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem suam praedicantes. Britanias Orchadasque insulas per Vespasianum, qui postea potitus est rerum, auxilio Germanorum romano adiecit imperio. Cheruscorum etiam gens regem Romae petivit, amissis nobilibus per interna bella et uno reliquo stirpis regiae, qui apud urbem habebatur, nomine Italus; paternum huic genus e Flavio, fratre Arminii, maternum e Cathomaro principe

5 *Am Rande in A:* C CAESAR AVG GERMANICVS PON M TR POT || VESTA S C 7 cepit *B.*

5 *Suet. Claud. 10. Ios. Ant. XIX, 3.* 12 *Suet. 44. 45. Tac. Ann. XII, 67. Ios. Ant. XX, 7. 8. Cass. 438* 13 *Suet. 40* 16 *Suet. 41. 42; vgl. Tac. A. XI, 14* 18 *Quint. I, 7* *Suet. 41* 21 *Suet. 28* 22 *Suet. 25; Beros. 56* 23 *s. oben S. 170 Z. 15* 29 *Suet. 25* 31 *Cass. 438. Eutr. VII, 13.*

Chattorum. caesar Claudius auctum pecunia, additis stipatoribus, misit; pelli coeptus paulo post a nobilibus, Langobardorum opibus refectus vicit. pater eius Flavius, patruus Arminius, avus Cathomarus fuit, clarissimi tum Germaniae principes.

Chauci eadem tempestate Germaniam inferiorem, quae est in Gallia Belgica, incursant. dux gentis Gannasco, qui levibus navigiis praedabundus Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus dites et inbelles esse, dolo insidiisque interceptus, a Romanis interficitur. nece eius motae Chaucorum mentes invadere romanum imperium summis viribus destinabant; sed desiderabatur dux tanto conatui non impar. Claudius, ne hostem conciret adversaque in rempublicam casura mala, novam vim in Germanias prohibuit et referri cis Rhenum in Galliae ripam praesidia copiasque romanas iussit. in superiore quoque Germania trepidatum est iisdem temporibus adventu Chattorum latrocinia agitantium; sed per luxum vino et somno usi, oppressi sunt a Romanis. quidam e clade Variana quadragesimum post annum servitute exempti sunt.

Vannius etiam a Romanis et Druso Caesare, filio Tiberii imperatoris, Suevis impositus, authoribus Vivilo, rege Hermundorum, Vandone et Sidone, sorore Vannii genitis, pellitur regno. Claudius saepe oratus non arma interposuit certantibus Germanis, tutum Vannio perfugium promittens, si pelleretur, scripsitque P. Attilio Histro, qui Pannoniae praesedebat, legionem ipsaque e Pannonia lecta auxilia pro ripa conponeret, subsidio victis ac terrori adversus victores, ne fortuna elati romanam quoque pacem turbarent. nam vis innumera, Legii aliaeque gentes adventabant, fama ditis regni, quod Vannius per triginta annos praedationibus et vectigalibus auxerat; ipsi manus propria, pedites, eques ex Sarmatis Iazigibusque erat, impar multitudini hostium. Legius, Eumondurus (Suevorum genera sunt) ingruerat. praelio funditur Vannius, ad classem in Danubio operientem perfugit, secuti mox clientes, acceptis agris in Pannonia desertisque Boiorum locati, Vando ac Sido inter se partiti sunt regnum.

Agrippina, coniunx Claudii, mater Neronis, in Ubiorum oppidum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat, cui nomen Agrippinensis coloniae inditum est ex vocabulo ipsius. avus M. Agrippa, gener Augusti, eam gentem in suam fidem acceperat Rhenum transgressam. Claudio principe legatus Vindelicorum fuit M. Antonius.

11 consciret *B* 32 ibi Sabaria colonia deducta, in quam collocati sunt *am Rande in A*

13 *Tac. Ann. XI, 16—19* 17 *Tac. A. XII, 27* 32 *Tac. A. XII, 29 u. 30* 37 *Tac. A. XII, 27.*

Philippus, auditor Christi, Hierapoli (civitas est Asiae) lapidibus obrutus crucique adfixus est. Felix quoque tum praeses Iudaeae fuit, apud quem divus Paulus vinctus perorat causam suam. sub idem tempus, imperii Claudiani anno secundo, quidam Petrum Romam venisse credunt. quod mihi non fit verisimile, maxime cum divus Paulus narret Galatis, se duodevigesimo post suam conversionem anno Hierosolymis Petrum adisse, qui fuit annus imperii Claudiani decimus, Christi vero alter et quinquagesimus. ibidem refert post haec Petrum Antiochiam adiisse. hoc quoque satis constat, tercio Neronis anno Paulum et Lucam Romam deductos biennio ibi conmoratos fuisse. unde divus Paulus nomine suo et Timothei ad plaerosque scripsit, quos obscurissimorum quoque Romae degentium verbis sollicite et anxie salutat. at neque Paulus neque Lucas ullam mentionem Petri faciunt, profecto non praetermissuri, si tum Romae ipse fuisset. denique cum Paulus in epistola data Corinthi ad Romanos, ultimo imperii Claudii anno (quod curiosius inquirenti sacram historiam perpalam fiet) ex via properans Hierusalem, iubeat ignobiles Romae salutari, tantum ducem, legatum Christi, nunquam silentio praeteriret. praeterea in secunda ad Timotheum epistola, dum secundo tribunali sisteretur et gladius Neronis capiti eius inmineret, conqueritur se ab omnibus derelictum, solum Lucam secum esse. cum itaque non incelebrati authores sint, eodem quidem die, verum non eodem anno Petrum et Paulum a Nerone Romae occisos fuisse, suspicantur alii, Petrum Nerone principe et post caedem Pauli demum Romam conmigrasse, quamvis non desint, qui ipsum Romae vivum quidem fuisse omnino pernegent, quod Paulo (quemadmodum est in arcanis sacrarum literarum) provincia docendi cultores deorum, quorum caput Roma, demandata fuerit a Christo, Petro Hebraeos dumtaxat instituendi copia facta, quamobrem ipse et Babyloniae, ubi tum multi Iudaei, ut Iosephus scribit, erant, adeo ut potentissimum regem Persarum bello lacessiverint, et ad Iudaeos Christi sectatores scripserit. has ego pugnas ad contentiosos in palestram relego, coniecturas humanas; certi nihil adferre possem. nam Babyloniam ab Petro, sicut a Ioanne Rhomam adpellari, authores sunt;

2 Iudeae *A* 14 ipse Romae *B*

2 *Eus. Chr. II, 152—55. Cass. 439* 4 *Cass. 438* 5 *Gal. 1, 18; 2, 1* 8 *Gal. 2, 11* 9 *Act. 28, 30* 13 *Röm. 16. Hier. Cat. (I, 121)* 19 *Timoth. II, 4, 11* eb. 22 22 *Aug. de Sanctis Serm. 28. Arat. II, 12. Prud. Perist. XII, 5. Zonar. XI, 13. Hier. Cat. (I, 121)* 27 *Gal. 2, 7. Eph. 3, 8. Tim. 2, 1* 29 *Ios. A. XVIII, 9.*

alii Babyloniam Aegypti intelligunt, quae nunc Alchairum est, ~~antiquis~~ Memphis.

NERO. 6.

Cap. 10. Domitius Nero Aenobarbus in Germanos perquam munificus fuit ipsisque (ut ait Tacitus) plurimum confidit, qui in Armenia, Britania, quae defecerant, recuperandis tutandaque Syria, sedulo ei operam navarunt. milite quoque germano in Aegypto, Hiberia, Albania, in expeditione, quam ad Caucasias portas paravit, usus est. Frisii, gens Germaniae Magnae, agris vacuis ripae proximis, militum usui sepositis, tum insedere, authore Verrito et Malorige. hi profecti Romam ad Neronem dixere, nullos mortales armis aut fide ante Germanos esse. aderat iis Boiocalus; vinctum se Cherusca rebellione iussu Arminii referens mox Tiberio et Germanico ducibus stipendia quinquaginta annorum obsequio meruisse. Nero utrumque civitate donavit.

Percrebuerat oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur. plaerique de romano imperatore (ut exitus probavit) interpretati sunt; prudentiores ad Christum referunt. Iudaei (quorum caput Hierosolyma; nam caeteri sub Agrippa et regibus amicis in obsequio quieti permanserunt) ad se hoc vaticinium trahentes, cum et Cestii Flori praesidis avariciam ferre non possent, caeso praeposito rebellant, legatum insuper Syriae consularem, suppetias ferentem rapta aquila in fugam vertunt. contra rebelles Flavius Vespasianus praefectus militiae, ut industriae expertae nec metuendus ullo modo ob humilitatem generis ac nominis, cum maiore filio legato mittitur a Nerone cum copiis. et huic expeditioni miles germanus interfuit. aliquot urbes Iudaeae captae sunt. Flavius Iosephus, scriptor historiarum, dux belli Iudaeorum, victus captusque in vincula coniectus a Vespasiano, ut interficeretur, constantissime adseveravit fore, ut ab eodem brevi solveretur, verum iam imperatore; mortem quoque Neronis praedixit. ob hoc vivere permissus a Vespasiano imperatore, deinde libertate donatur, in nomen et familiam adoptatur. bellum et antiquitatem iudaicam et alia plaeraque scripsit.

2 *So ein Nachtrag von Aventins eigener Hand in B; A hat*: quae nunc Alchairum vulgo est, vetustis Memphis.

5 *Tac. A. XV, 58* 9 *Tac. H. I. 6. Plin. VI, 40. Suet. Ner. 19* 15 *Tac. Ann. XIII, 54—55* 21 *Suet. Vesp. 4; vgl. Tac. H. V, 10—13* 22 *Tac. V, 11; vgl. Ios. Ant. XX, 11. B. J. II, 14. Eus. II, 156. 157* 15 *Suet. Vesp. 4* 26 *Suet. a. a. O. Eus. a. a. O.* 32 *Suet. V. 5. Eus. a. a. O.* 33 *Vgl. Ios. vit. 75.*

Vespasianus duobus praeliis Iudaeos superatos intra moenia Hierosolymorum compulit.

Dum haec in Palestina geruntur, Galliae tumultuantur et Iulio Vindice duce, qui eas pro praetore obtinebat, rebellant. acciti a Nerone Germani, viginti fere millibus Gallorum occisis, Vindicem ad mortem conpellunt, Gallias Neroni restituunt. sed Hispaniae quoque a Vindice antea sollicitatae, desciscunt, Sergium Galbam, Tarraconensis Hispaniae rectorem, imperatorem salutant. ubi hoc divulgatum, caeteri exercitus et provinciae rebellant ob hominis scelera, factum sequuntur Hispanorum, in verba Galbae iurant.

Quinquennio quidem nemo melius Nerone imperavit remque publicam administravit, teste etiam Traiano, principe omnium optimo, qui dicere solitus fuit, omnes principes longe abesse a quinquennio Neronis. postea in omne facinus flagiciumque erupit, magicae vanitati, artium fraudulentissimae deditus, cuius species plures essent; namque et ex aqua, a sphaeris et ex aere et stellis et lucernis ac pelvibus, securibus quoque ac multis aliis modis divina promittit. praeterea umbrarum inferorumque conloquia; quae omnia Nero vana falsaque comperit. primum imperare diis concupivit nec quidquam generosius voluit. nemo unquam illi arti validius favit; omnia suppetebant, quae huic solemnia esse finguntur pravae superstitioni. inmensum et indubitatum exemplum est falsae artis, quam dereliquit Nero. proinde autem (ait Plinius) persuasum sit, intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras, sed in iis veneficas artes pollere, non magicas. attamen senatus ille romanus, ordo amplissimus, Simonem Magum statua et inscriptione sancti dei inauguravit; credo, ut ob persecutionem in nostros motam blandiretur mago Neroni, cui homines inmolare gratissimum. ipse enim vitricum Claudium, a quo adoptatus fuerat, Britanicum fratrem veneno sustulit; uxorem Octaviam, matrem Agrippinam ferro occidit; Lucanum poetam, eius patruum Senecam, praeceptorem suum mori coegit; optimum quemque trucidavit, virtutes ipsas penitus excindere connitebatur. nulli delegavit officium, ubi non adiiceret: scis, quid mihi opus sit; et hoc agamus, ne quis quicquam habeat. urbem romanam incendit et lusitabundus e turri prospectavit.

7 ante *A* 21 solennia *A*

2 *Eus. 157* 3 *Suet. Galb. 9* 4 *Suet. Ner. 40* 6 *Plut. Galb. 6* 7 *Suet. Ner. 42* 8 *Suet. G. 8* 13 *Vict. 5* 15 *Plin. XXX, 1* 22 *Plin. XXX, 14 fg.* 23 *eb. 17* 26 *Tert. Ap. p. 76 Oehler. Eus. h. e. II, 13* 28 *Plin. XXX, 16* 29 *Suet. Ner. 33* 30 *eb. 34* 31 *Tac. A. XV, 70. 60* 34 *Suet. 32* 34 *Suet. 38.*

pessimum omnium et hostem generis humani fuisse vulgus etiam imperitum apud nos praedicat, adeo ut nomen eius ad tyrannos aduc transseat.

Talem principem paulo minus quatuordecim annos perpessus terrarum orbis tandem destituit. statio militum discessit, custodes cubiculi direptis stragulis diffugerunt. nunciata defectione exercituum provinciarumque literas prandenti redditas concerpsit, mensam subvertit, chrystallinos scyphos duos gratissimi usus solo inlisit. desertus itaque ab omnibus, urbis et orbis consensu, per libertorum fidissimos tentavit tribunos centurionesque de societate fugae. sed partim tergiversabantur, partim aperte detrectabant; unus vero etiam proclamabat: usque adeone mori miserum? varia deinde agitavit cogitavitque, Galbamne supplex peteret an atratus prodiret in publicum proque rostris quanta posset maxima miseratione veniam praeteritorum precaretur ac in animos flexisset vel Aegypti praefecturam concedi sibi oraret. sed deterritus est, ne, priusquam in forum perveniret, discerperetur; sic cogitationem hanc in posterum distulit diem. ad mediam fere noctem excitatus, prosiluit e lecto, misit circum amicos; et quia nihil a quoquiam renunciabatur, ipse cum paucis hospicia singulorum adiit. verum omnium fores clausae erant, nullus penitus respondebat. ita rursus domùm in cubiculum rediit, percussorem, cuius manu periret, requisivit et nemine reperto: ergo ego, inquit, nec amicum nec inimicum habeo; procurritque quasi praecipitaturus se in Tiberim, sed revocato rursus impetu, ut nudo pede erat atque tunicatus, penulam obsoleti coloris superinduit adopertoque capite et ante faciem obtenso sudario equum conscendit, ad suburbanum liberti sui circa quartum milliarium ab urbe fugam capessit. statim tremore terrae et fulgure adverso pavefactus, audiit e proximis castris clamorem militum et sibi adversa et Galbae prospera ominantium, etiam ex obviis viatoribus quendam dicentem: hi Neronem persequuntur, alium sciscitantem: ecquid in urbe novi de Nerone? equo autem odore abiecti in via cadaveris consternato, detecta facie agnitus est a quodam et salutatus. dimissis deinde equis inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam aegre nec nisi strata sub pedibus veste ad adversum villae parietem evasit. ibi hortante liberto suo, ut interim in specum egestae arenae concederet, negavit se vivum sub terram iturum. at parumper conmoratus, dum clamdestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subiecta lacuna poturus manu hausit. postea divisa sentibus penula traiectos surculos rasit atque ita quadrupedes, per angustias effossae cavernae receptus

5 *Suet. 40* 9 *Vict. 5.*

in proximam cellam, decubuit super lectum modica culcitra vetere pallio strato instructum; fameque et iterum siti interpellante panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquae autem tepidae aliquantum bibit. tum ut quamprimum se impendentibus contumeliis eriperet, scrobem coram fecit, dimensus ad corporis sui modulum; aquam, ligna, alia quoque conferri iubet, curando mox cadaveri necessaria. Flebat ad singula atque dictitabat: qualis artifex pereo! inter moras certior factus, se hostem a senatu iudicatum et ad Gemonias scalas condemnatum et quaeri, ut puniatur more maiorum, interrogavit, quale esset id genus poenae. et cum comperisset, nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus virgis ad necem caedi, cadaver per urbem trahi atque in cloacam abiici, conterritus duos pugiones, quos secum tulerat, arripuit tentataque utriusque acie rursus condidit, causatus, nondum adesse fatalem horam. ac rursus segnitiem suam his verbis increpat: vivo deformiter, turpiter (pereo.) iam equites adpropinquabant, quibus praeceptum erat, ut vivum eum adtraherent. quod ut sensit, ferrum iugulo adegit, iuvante Epaphrodito a libellis. ita similem moribus suis exitum vitae invenit tricesimo et secundo aetatis anno, die, quo quondam uxorem suam Octaviam interemerat, anno restitutae salutis septuagesimo.

761.A Non defuerunt tamen postea, qui eum vivere aduc adserebant et brevi magno inimicorum malo reversurum. denique post viginti annos extitit conditionis incertae, qui se Neronem esse iactabat; tamque favorabile nomen eius apud Parthos fuit, ut vehementer adiutus et vix redditus sit. quamobrem et quibusdam religionis nostrae sectatoribus persuasum fuisse existimarim, ipsum aduc vivum alicubi clamculum detineri foreque Antichristum, adeo, quod et id sentire divum Paulum interpretati sint.

Ipse vero inter caetera flagicia christianos suppliciis adflixit, quibus tamen primordio imperii favit, ut quem divus Paulus in vincula coniectus adpellaverit ad ipsumque ductus Romam fuerit, ubi biennio libere et nemine prohibente philosophiae christianae veritatem docuit et quosdam ex familia caesaris recipere persuasit. plaebs romana audita morte Neronis pileata concurrit, tanquam servitute crudelissimi

f.80a

2 interpellente *B* 15 pereo, *in B von Aventins Hand nachgetragen, fehlt in A* Lücke (gegen Sueton Nero c. 49. Vivo d. turpe at turpiter, ulpo turpi

12 *Vgl. H. A. Heliog. 17. Vict. 5. Eutr. VII, 15* 17 *Suet. 47—49* 25 *Suet. 57* 25 *Aug. C. D. XX, 19* 28 *Thess. 2, 2* 29 *Eus. 156 fg.* 32 *Act. 25. 28, 30 fg.*

domini liberata atque manumissa. hisce temporibus apud Rhetias Vindeliciamque legatum fuisse Portium Septimium et Sevastum reperio.

Quemadmodum Lactantius narrat, Petrus et Paulus, cum futura, quae ipsis Christus aperuit, et alia multa mira Romae praedicarent, tum etiam hoc futurum esse dixerunt, ut post breve tempus inmitteret deus regem, qui expugnaret Iudaeos et civitates eorum solo adaequaret, ipsos autem fame sitique confectos obsideret; tum fore, ut corporibus suorum vescerentur et consumerent se invicem, postremo ut capti venirent in manus hostium et in conspectu suo acerbissime coniuges suas vexari cernerent, violari atque prostitui virgines, diripi pueros, parvulos allidi, omnia denique igni, ferro vastari, captivos in perpetuum terris suis exterminari, eo quod exultaverunt super amantissimum et probatissimum dei filium. itaque post illorum obitum, cum eos Nero interemisset, Iudaeorum gentem et nomen Vespasianus extinxit fecitque omnia, quae illi futura praedixerant.

Quandoquidem autem de christianorum excruciatione et sanguinis eorum seminatione mentio incidit, non abs re fuerit, paucis religionis nostrae primordia texere, ut intelligamus plane, quantum a vita, moribus et institutis maiorum desciverimus. verissimum est profecto aut illud Plinianum, multum referre, in quae tempora cuiusque virtus inciderit, aut hoc divi Hieronymi dictum, auctos temporalibus spiritualibus diminutos esse. admonet divus Paulus eos, qui pie velint vivere, multa adversa perpessuros. admonet et Christus servator hominum, doctor et magister noster, se gladium et ignem, non pacem missurum. tantum abest, ut nobis pollicitus fuerit opes, gloriam secundasque res huius saeculi. pauperes, nudi aegre veritatis gravitatem ferunt, nedum diviciis, honoribus, imperiis onerati ferre possint, quae plaerumque malos efficiunt, scelestos reddunt, bonos nunquam faciunt et spinae sentesque, nolis velis, adpellari solent a Christo. qui posteaquam inmortali triumpho ad caelos evectus et caelestis spiritus adoptivorum filiorum mentibus inlapsus est, eius comites discipulique (sicut in sanctae historiae sacrario continetur) dumtaxat Iudaeos in Palestina et ubique gentium passim habitantes, tanquam divinae stirpis radicem christianae puritatis fonte inbuerunt. ibi sacerdotes et pontifices ira

22. *Am Rande in A:* Et postquam ad christianos principes venit ecclesia, potentia quidem et divitiis maior, sed virtutibus minor facta sit. *[Hier. vit. Malch. I, 116 C.]* 30 coelos *B* 34 imbuerunt *A*

1 *Suet. 57. Vict. ep. 5* 3 *Inst. IV, 21* 19 *Plin. VII, 106* 21 *Hier. IX, 28 F?* 22 *Tim. II, 3, 12* 23 *Ev. Matth. 10, 34. Luc. 12, 49; 51.*

simul et invidia conmoti, quod a multitudine desererentur et sua vicia patefierent, cognatos et gentiles suos Christo devotos suppliciis adfligunt, eos velut impios et patriae religionis desertores deique inmortalis (cuius legem datam Mosi solverent) hostes et proditores occidunt, trucidant, urbibus eliminant. primus divus Paulus omissa pervicacia et obstinatione inflexibili Iudaeorum, quorum oculi veritati occlusi erant, cultoribus deorum ianuam salutis aperuit eiusque exemplum caeteri discipuli secuti sunt. ibi tum mali genii larvaeque cum cernerent se divinitate, quam hactenus iniuste usurparant, spolari suasque praestigias et conmenta in vulgus edi et prodi, non solum externos hostes, verum etiam proprios domesticosque templo dei concitaruut inimicos. quidam enim sectae nostrae philosophi (quemadmodum rerum christianarum scriptores explicant) sub obtentu nominis vicia caelando male audiebant vulgoque castigabantur, quod aliter viverent, quam sapientibus conveniret. et extiterunt, quod mirere, Petro et Paulo tam vigilantissimis pastoribus ovês pascentibus et procurantibus inter gregem latitantes, qui verae pietatis expertes titulo ceremoniarum caelestem philosophiam (ut illi vocant) cauponabantur et per avariciam facticiis sermonibus de vili plaebecula negociabantur. o mores, o tempora! quid nunc fieri censes, ubi fides iusticiaque etiam vulgari tritoque proverbio depulsa terris in caelum rediit, ubi pastores non tantum non vigilant, sed et ipsi tecti pelle ovina oves devorant, pessimis moribus perdunt, exemplis nimium periculosis sauciant, interimunt, scelera hominum bibunt et comedunt? gravissimus est morbus, qui a capite diffunditur. illorum mores locum fecerunt mendacio prophanorum, qui insontissimos christianos infanticidii, incestus crimine praedamnabant, quibus flagiciis nostro aevo Iudaei Boiemique invisi et infames sunt vulgo. rumor erat, disciplinae nostrae professores, ut genus hominum novae superstitionis ac maleficae, non solum magos, omnium mortalium sceleratissimos, omnium scelerum reos esse, sed in abditis quoque convivari, ubi infans recens natus inmolaretur, sanguis inde pane exciperetur, quo sectae candidatus vesceretur, ubi post convivium (pabulum Iudae nuncupabant) canes ad hoc adsuefacti lumina everterent, iniciatus deinde aut sororem aut matrem incesto pollueret. haec inicia, hos ritus solemnes factionis esse, fama ementiebatur. et ut odium letale intelligas, inquiri in nos (sicut in sceleratos factitabatur) neglectum est; nec volebant illud nec iubebant hostes, ut nomen

35 solennes *A*

34 *Tert. Ap. 11. 38. 43. 46.*

invisum praesumptis et non probatis criminibus solum sui confessione damnaretur et ne fama huiusmodi falsa esse convinceretur et probarentur non esse, quae credere malebant.

Tolerabiliora haec, quod hominem christianum, deorum inmortalium, imperatorum, legum, morum, humani generis hostem, naturae totius inimicum, omnis cladis publicae, omnis popularis incommodi causas existimabant. unde vulgo protritum proverbium fuit: defecit pluvia causa christiani nominis. illud praetereo, quod supersticiosos, inutiles reipublicae penitusque infructuosos, stultissimos, crimini lesae religionis romanae obnoxios nos esse praedicabant. alio quoque iniuriarum titulo postulati sumus (sed leviusculum hoc et odii signum), quod scilicet nostrates se fratres invicem adpellarent et essent, quod romano imperio, quod aeternum fore credebant, male ominarentur interiturumque adfirmarent. in iusque vocati sumus, quod asinum ac solem adoraremus. cum odio sui acerba coepit veritas; lux semper invisa fuit tenebris. totus orbis terrarum consensu gentium in nomen christianum conspiravit. philosophi oblatrarunt, adversus religionem nostram conplures evomuerunt libros, impiam anilemque superstitionem esse vociferabantur. contra pios quoque impia iura condita, constitutiones sacrilegae et disputationes iureperitorum iniustae adversus nos factae leguntur, rescripta conlecta, ut docerent iniqua iureconsulti, quibus poenis adfici deberent, qui se dei cultores confiterentur.

Iudices et praetores plus ausi sunt, quam iubebantur; non solum authores faciundae persecutionis fuerunt, sed et mordacius in nos et Christum eiusque comites debacchati sunt, quos et magiae et latrocinii accusarunt, ut proscriptorum damnatorumque bonis potirentur. quidam etiam ad nos scripsere, ut humane benigneque consulere putarentur; vulgus caecum iure suo christianos in publico apparentes luto lapidibusque incessebat; diis suis sanguinem nostrum insanis clamoribus deposcebat et devovebat. non tam Iudaei tempestate nostra invisi, quam nos illo tempore fuimus. pontifices minores, maximi, flamines, aruspices, augures, item reges, sacrificuli saepe causa praecipue fuerunt iustitiam persequendi. cum enim quidam nostratium sacrificantibus dominis adsisterent, imposito frontibus signo inmortali caelestique nota, deos eorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura de-

18 complures *A*

3 *eb. 18* 6 *eb. 17. 195* 7 *eb. 209* *Aug. C. D. II, 3, 1* 10 *Tertull. 151. (220. 221. 226)* 11 *eb. 220* 12 *eb. 202* 15 *eb. 87. 93* *eb. 38* 19 — putarentur *vgl. Lact. Inst. V, 2* 29 *Tert. Ap. 192* 32 *Lact. V, 19.*

pingere. quod cum intelligerent, conquerebantur, profanos homines sacris interesse, sacrilegos, quos oderint dii, adesse. ita adigerunt principes suos in furorem. ubique tum luctus, ubique pavor, ubique plurima mortis imago; iustos et bonos ubique tanquam malos et impios persequebantur, excruciabant, damnabant, occidebant. varia genera crudelitatis, exquisitissimae mortium species excogitatae sunt. insontes christiani non solum rebus spoliati, proscripti, in exilium acti, hostes reipublicae iudicati, ad bestias, ad metalla, ad latomias condemnati. universus etiam populus cum ipso conventiculo concrematus est; alii crucibus adfixi, pars lapidibus obruti, pars in flumina praecipitati sunt; hic dissectus est, huic vivo cutis detracta, ille igne excoctus; vivis lux, mortuis terra denegata est. nullus voluminum numerus capiet (Lactantius proximus his rebus inquit) tam infinita, tam varia genera crudelitatis. saeviores illi carnifices gravioresque fuerunt, qui neminem statuerunt occidere nihilque aliud cogitarunt quam victoriam conten- deruntque, ut vincerent; hi exquisitos dolores corporibus inmittebant et nihil aliud evitabant, quam ut ne torti morerentur. Iubebant tortis curam diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus menbra renovarentur et repararetur novus sanguis ad poenam. hanc carnificinam quosdam biennio pertulisse literis proditum est. Iulianus quoque imperator talia tentans, unius constantissimi adolescentis, Theodori nomine, fortitudine (ut divus Aurelius Augustinus refert) a furore nos persequendi deterritus est, ne itidem ab aliis victus et voti minime compos pudore ruboreque adficeretur et religionem, quam extirpare destinarat, corroboraret et stabiliret. exquisitior quippe crudelitas illecebra erat magis; sectae plures efficiebantur, quoties metebantur; semen erat sanguis christianorum. excruciati vero gratias agebant Christo deoque canebant; nec patiendo defecti, carnificum vires delassabant. omnis aetas, omnis sexus, omnis ordo, ex civitatibus, vicis, agris, mulierculae, pueri, puellae (de viris taceo) certatim ad cruciamenta ruebant, dilacerari se toto corpore perpetiebantur; illis gemitum nec ignis extorquere potuit. accusatio votum, poena felicitas erat.

Neque aliunde quam de hostibus imperator inmortalis copias suas succenturiavit, quod praeter adflatum divinum hoc modo fiebat. plurimi

15 statuere *B*

3 *eb. IV, 27* 5 *(Verg. A. II, 369.) Lact. V, 11, 12* 9 — proditum est *vergl. Lact. V, 11* 22 *Aug. C. D. XVIII, 52. [Socr. h. e. III, 19. Soz. V, 20]* 27 *Tert. Ap. 267* 31 *Lact. V, 13* 32 *Tert. Ap. 9.*

odio crudelitatis a deorum cultu fugabantur; placebat quibusdam virtus ac fides ipsa; nonnulli suspicabantur deorum cultum non sine causa malum putari a tam multis hominibus, ut emori malint quam id facere, quod alii faciunt, ut vivant. aliqui cupiebant scire, quidnam esset illud bonum, quod ad mortem usque defenderetur, quod omnibus, quae in hac vita iucunda et chara sunt, praeferretur, a quo nec bonorum nec lucis amissio nec dolor corporis nec viscerum cruciamenta deterrerent. valebant haec plurimum, sed et illae maximae causae nostrorum numerum semper auxerunt. audiebat circumstans populus inter ipsa tormenta dicentes nolle sacrificare lapidibus humana manu factis, sed deo vivo, qui sit in caelis. multi hoc verum esse intelligebant et in pectus demittebant. deinde (ut fieri solet de rebus incertis) dum invicem inter se quaerebant, quae esset huius perseverantiae causa, multa, quae ad religionem pertinebant, divulgata ac per rumorem vicissim aucupata discebant. quae quia bona erant, complacere necesse fuit. praeterea ultio consecuta (sicut semper accidit) ad credendum vehementer impellebat. nec haec quidem levis causa erat, quod inmundi daemonum spiritus accepta licentia multorum se corporibus inmergebant, quibus postea reiectis omnes, qui sanati erant, adhaerebant religioni, cuius vim ac potentiam senserant. ipsorum quoque deorum testimonia christianos facere consueverunt; adiurati enim a christianis, daemonas se malos et unum esse deum, cui christiani manciparentur, confessi sunt coactique per nomen dumtaxat Christi, profitebantur unum deum, ut disciplina christiana doceret, colendum esse Christumque omnes ab aevo animas restituto corpore iudicaturum. hae tot causae in unum conlatae, magnam deo multitudinem mirabiliter adquirebant.

Non defuere tamen (tanta est pertinacia impietatis et ea erat contumacia philosophorum), qui cum viderent, tot et tantis persecutionibus religionem nostram non solum non diminui, sed e diverso mirabiliter invalescere, conmenti sunt haud scio quos versiculos tanquam oraculum consulenti divinitus editos, in quibus Christum omnino quidem crimine solvebant, Petrum vero maleficio magicoque susurro, occiso anniculo infante dilaniatoque et ritu nefario sepulto, extorsisse deo trecentos sexaginta quinque annos adfirmabant, quibus Christi nomen coleretur. expleto hoc annorum intervallo deinde continuo Christi nomen penitus in oblivionem perventurum ementiti sunt. con-

21 *Lact. V, 22* 26 *Tert. Ap. p. 148—51* 27 *Lact. V, 22* 37 *Aug. C. D. XVIII, 53.*

finxere hanc fabulam eruditi, nimirum doctores philosophiae, quae semper maioribus nostris suspecta fuit, ut cuius professores, adulatores et tempori servientes per inane nomen sapientiae (sicut divus Paulus conmonefacit) simplices seducebant. ipsi enim (refert Tertullianus) inimice adfectarunt veritatem adfectandoque corruperunt et quibusdam suis opinionibus sacras literas ad philosophicas sententias adulteraverunt, adeo ut scitissime a nostratium quopiam dictum esse referat sacer Hieronymus, philosophos esse patriarchas haereticorum (ut adpellant), hoc est, impiarum sectarum, mendaciorum dissidiique authores. nam philosophus, ut idem ait, est gloriae animal et popularis aurae atque rumorum venale et vile mancipium. inmortalis etiam Ambrosius, ut christiani de eo male opinarentur, philosophiam profiteri coepit, verum nostro aevo divinae penetralia veritatis philosophiae ignaris praeclusa esse opinantur clavesque caelestis thesauri Aristoteli Stagiritae dialecticisque acceptas referunt. at quam pie, quam vere, viderint doctiores. ego ad reliqua pergo. quod si maxime verum esset, nullus theologus esset in universa Germania, quem ego quidem norim.

NERO . CAESAR . AVGVSTVS || VESTA || IMP NERO CÆS AVG P MAXIMVS || VICTORIA AVG || S C.

GALBA. 7.

Cap. 11. Sergius Galba nobilissimus, veteri et honorabili prosapia oriundus, dum vigebat, militari laude apud Germanos floruit et sortitus proconsul Tarraconensem Hispaniam, diu prudentissime administravit provinciam. tandem, Neronem timens, in desidiam et segnitiem, quod nemo rationem ocii sui reddere cogeretur, conversus est. Carthagine deinde Nova conventum agens, tumultuari Gallias comperit. legato Aquitaniae auxilia implorante, supervenerunt Vindicis literae hortantis, ut humano generi adsertorem ducemque se adcomodaret; nec diu cunctatus conditionem partim metu partim spe recepit. nam et mandata Neronis de nece sua ad procuratores clam missa deprehenderat. morte Vindicis consternatus non parum, perseveravit tamen adsumptoque caesaris nomine ad urbem properavit. Nero ab omnibus desertus se ipsum interemit vulgatumque est arcanum imperii, alibi quam Romae posse fieri imperatorem. Galba ubi Romam venit,

16 quod — norim *in B eingeklammert.*

3 *Col. 2, 8. Röm. 16, 17* 4 *Tert. Ap. 235* 7 *eb. 246* 8 *Hier. ep. 133, 2. vgl. Tertull. adv. Hermog.* 10 *Ep. 66, 8. 118, 5* 23 *Suet. Galb. 2* *Tac. H. I, 49* 25 *Suet. 8. 9* 32 *Suet. 9* 33 *Suet. 11* 35 *Tac. H. I, 4.*

Germanorum cohortem a caesaribus olim ad custodiam corporis institutam multisque experimentis fidissimam dissolvit ac sine ullo commodo remisit in patriam. quamobrem facile a M. Salvio Otone res novas moliente inmissis equitibus in medio foro urbis Romae a suis desertus, contrucidatus est tercio et septuagesimo aetatis anno, imperii mense septimo. nemo imperatori opem ferre conatus excepta Germanorum vexillatione. hi ob recens meritum, quod se aegros atque invalidos magnopere fovisset, in auxilium advolarunt, sed serius itinere devio, per ignorantiam locorum retardati.

OTO. 8.

Cap. 12. M. Salvius Oto, Neronis quondam intimus et omnium consiliorum particeps, occiso cuius fraude Galba dominationem occupat imperiumque arripit. germanici tum exercitus fremebant, fraudari se praemiis navatae adversus Gallos et Vindicem operae. primi ergo obsequium rumpere ausi, apud Agrippinensem Coloniam in verba Auli Vitellii iurant, qui pronus ad res novas, a Galba in inferiorem Germaniam missus erat. salutatur itaque Vitellius imperator consensu exercituum utriusque Germaniae; statim Germanicus dictus est. sperans inde auxilia aliorum Germanorum secutura, in Italiam urbemque expeditionem parat. praemissis vexillis Germanorum ad Placentiam ventum est. Dalmatiae, Pannoniae, Moesiae, Norici, Illyrici legiones et totus oriens et Africa Otoniani erant. Placentia obsessa a Vitellianis, cohortis Germanorum cantu truci more patrio nudis corporibus super humeros scuta quatientes hostes territant, naves mergunt Otonianorum. victus itaque aliquot praeliis Oto imperator mori decrevit pugioneque et uno ictu se traiecit infra levem papillam et ita exanimatus est quinquagesimo et octavo aetatis anno et nonagesimo et quinto imperii die.

VITELLIUS. 9.

Cap. 13. Aulus Vitellius post Otonem defunctum Roma deinde potitur, sed octavo imperii mense desciverunt ab eo exercitus Moesiarum atque Pannoniae et transmarini, Iudaicus et Syriacus, ac pars

9 *Am Rande in A:* SER GALBA IMP CAES AVG || S C || AD LO (?) CVM. — SER GALBA IMP CAESAR AVG TR P || PVBLICA LIBERTAS || S C.

3 *Suet. 12* 5 *Suet. 17. 19. Oth. 6. Tac. H. I, 40. Eutr. VII, 16* 6 *Suet. 23* 9 *Suet. 20* 12 *Suet. 2* 15 *Suet. Galb. 16* 16 *Tac. H. 1, 57. Suet. Oth. 8* 17 *Suet. Vit. 7* 18 *Suet. 8. Tac. H. I, 57. 62* 19 *Zum flgd. vergl. Tac. H. I. II. Suet. 9. 11.*

in absentis, pars in praesentis Vespasiani (qui prospere cum filio in Iudaea bellum gerebat) verba iurant. recusavit primo Vespasianus imperium recipere ob germanicorum exercituum famam et robur. quibus ut par occurreret, trahit et ipse in partes Germaniae gentes, Danubii adcolas, principes Sarmatarum et Iazigum. Sido et Italicus reges Suevorum in conmilitium acciti sunt a Vespasiano. cui Vologesus quoque rex Parthorum auxiliares copias pollicitus est; posita in latus auxilia; Sido ac Italicus Suevi cum delectis popularium in prima acie versabantur. infesta Rhetia, cui Portius Septimius incorruptae erga Vitellium fidei procurator erat, Sextilius Felix cum ala Auriana (urbs fuit in ripa Athesis supra Tirolios) et octo cohortibus ac Noricorum iuventute ad occupandam ripam Oeni fluminis (quod Rhetos Noricosque interfluit) missus est. nec his aut illis praelium tentantibus fortuna partium alibi transacta est.

Flavius Sabinus, frater Vespasiani, et reliqui Flaviani Romae in capitolium conpulsi et a germanis militibus, succenso templo Iovis, oppressi sunt. Domitianus, filius Vespasiani, apud aedituum clam pernoctavit et mane Isiaci caelatus habitu interque sacrificulos vanae superstitionis, quum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite uno contulisset, ita latuit, ut scrutantibus, qui vestigia secuti fuerant, depraehendi non potuerit. caeteri vero Germani, qui domi remanserant, ubi Italiam bello flagrare, cuncta invicem hostilia civilibusque armis romanos discordes esse acceperunt, arma et ipsi rapiunt speque praedandi Romanas invadunt provincias. Roxolani, Sarmaticae gentes, transsito Histro, caesis duabus cohortibus, magna spe ad Moesiam inrumpunt, Fronteium Agrippam consularem praesidemque occidunt Dacorumque gentes expugnatis cohortium alarumque hibernis, utraque Danubii ripa potiti sunt; inde castra legionum excindere parabant. per Rhetias quoque et Vindeliciam ingens vis Germanorum timebatur. haec ad Danubii oram gesta.

Rhenus ferocius insurrexi Galliasque adfectavit. author belli Claudius Civilis Bathavus, socii armorum accedunt Brenno Caninefas,

5 *Am Rande in A:* A VITELLIVS GERMAN IMP AVG P M TR P || SC 21 deprehendi *B* *Am Rande in A:* Iosephus: 5 legio in Moesia, *15* in Pannonia — Iosephus: Germani rebellant in Galatia — Scythae: Iosephus.

2 *Suet. Vit. 15* 3 *Tac. H II, 74. 75. III, 1* 6 *Tac. H. III, 5* 7 *Suet. Vesp. 6. Tac. H. IV, 51* 8 *Tac. H. III, 5* 9 *Tac. H. III, 21* 14 *Tac. H. III, 5* 17 *Suet. Vit. 15* 21 *Suet. Domit. 1. Tac. H. III, 74* 24 *Tac. H. III, 46* 27 *Tac. H. I, 79. III, 46. Jos. B. J. VII, 4, 3* 29 *Tac. H. III, 46* 30 *Tac. H. III, 15* 31 *Tac. G. 37.*

id est Selandus, Iulius Sabinus Lingon, Tullius Valentinus Trevir, acerrimus instinctor belli, Iulius Tutor itidem Trevir, regio genere procreatus, e maioribus hostis populo romano. incitabat etiam non parum Velleda, nationis Bructerae virgo fatidica; alta turri habitabat. praetoriam triremem Romanis in Rheno ademptam flumine Luppia domum traxere Velledae Germani. Ubii, genus germanicae originis (eiurata patria Romanorum nomine Agrippinenses vocabantur) recepti sunt; legati missi a Germanis transrhenanis ad concilium Agrippinensium, qui primo gratati, quod rediissent in numerum et corpus Germaniae, deinde moenia destrui, vectigalia abrumpi, Romanos trucidari postularunt. Moguntiacum quoque obsessum est et caesae legiones romanae sunt, quarum caede patrata Civilis Bathavus (ut dixi) dux belli propexum rutilatumque crinem deposuit. idem molem a Druso factam disiecit, Bathaviam insulam excluso sinu maris reddidit quodammodo Germaniae. plaeraque huiusmodi tum copiosissime tum elegantissime narrat Cornelius Tacitus in historia augustali. ego brevitati studens ad Boios festino; haec magis, ut pollicitus sum, ostendo quam edissero.

Dum haec in Germania geruntur, agminis Vespasiani antecessores Romam iam irruperant. tum Vitellius omnibus abs se dilabentibus, zona se aureorum plena circumdedit confugitque in cellam ianitoris, religato pro foribus cane, lecto et culcitra obiectis. unde extractus et agnitus, religatis post terga manibus, iniecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est inter magna rerum et verborum ludibria, reducta coma capite, mento mucrone gladii subiecto, ut visendam praeberet faciem neve submitteret. quidam coeno stercoreque incessebant, alii vicia corporis et animi exprobrabant. tandem apud Gemonias (ubi fratrem Vespasiani necari permiserat) minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est et inde unco tractus in Tiberim anno vitae septimo et quinquagesimo.

VESPASIANUS. 10.

Cap. 14. Flavius Vespasianus, matre Vespasia Polla genitus (filia Vespasiani Pollionis, ter tribuni militum, praefecti castrorum) relicto filio maiore Tito in Iudaea, cui et belli conficiendi curam de-

23 relegatis *B* 24 et *fehlt B* 32 *Am Rande in A*: Iosephus.

4 *Tac. H. IV, 13. 14. 15. 55. 61. 65. 68* 6 *Tac. H. V, 22* 11 *Tac. H. IV, 28. 64. 65* 13 *Tac. H. IV, 61* 15 *Tac. H. V, 19* 20 *Suet. Vit. 17* 22 *Suet. 16. Tac. III, 84, 85* 30 *Suet. 17. Vict. 8. Eutr. VII, 18 Suet. 18. Tac. H. III, 86. Vict. 8* 33 *Suet. Vesp. 1.*

mandavit, ipse Romam omnium votis desideratus advenit. incertum diu et quasi vagum imperium, quod ignavia caesarum ab excessu Augusti per annos sex et quinquaginta pene decoxerat, firmavit, nihil antiquius duxit quam prope adflictam nutantemque rempublicam stabilire. caepit imperare servati orbis anno altero et septuagesimo.

Domitianus filius eius, dum pater abest, expeditionem in Galliam et Germanias disuadentibus paternis amicis inchoavit, tantum Lugdunum usque progressus; pater Vespasianus Germanos muneribus et praemiis sibi conciliavit. dum enim aduc privatus esset, eius amicus erat Civilis Bathavus, dux Germanorum, qui a Cereale duce romano, a Vespasiano cum filio eius Domitiano ad Germanos pacandos misso, ad conloquium invitatus, arma et bellum deposuit. foedus cum Vespasiano init, quod ad Domitianum usque observatum est. Germanorum agmina, ait Iosephus, sedarunt bella civilia. itaque Vespasianus, ut ait idem, pacavit Hesperiam tumultu Germanorum concussam. Vindelicorum praeses fuit sub Vespasianis imperatoribus Sextilius Felix. caeterum Titus, filius Vespasiani, inter haec Hierosolyma gravi obsidione cincta expugnat atque capit, templum succendit, solo omnia aequat. ipsi Iudaei obsessi, siti, fame confecti corporibus suis pasti sunt; se invicem bello intestino consumpserunt. postremo capti in manus hostium venerunt; in conspectu suo acerbissime coniuges suas vexari viderunt, violari et prostitui virgines, diripi pueros, allidi parvulos, omnia denique igni ferroque vastari, captivos in perpetuum terris suis exterminari. undecies centena millia hominum fame et gladio perierunt, alia centum millia capta, publice venundata sunt. coierat frequentior Iudaeorum multitudo Hierosolyma ex toto orbe terrarum paschalibus. iam enim adfore suum Messiam sibi persuaserant, sed ita paenas ob Christum in crucem actum homicidae dederunt. capta itaque urbe, templo subverso, deinde civitatis usque ad Hadrianum per quinquaginta annos mansere reliquiae. praedicarunt haec Romae omnia fore post breve tempus Iudaeis Petrus et Paulus et ea praedicatio in memoriam scripta permansit.

Vespasianus pace terra marique parta cum Tito filio triumphavit, turbatam rempublicam tot malis in meliorem redigere statum, summam

34 statum redigere *A*

3 *Suet. eb.* 4 *Suet. 8* 7 *Suet. Dom. 2* 8 *Tac. H. IV, 86* 10 *Tac. H. V, 26* 15 *Ios. b. Iud. III. 1, 2* 24 *Vgl. oben S. 182 die Prophezeiung der hl. Petrus u. Paulus* 30 *Hier. ep. 129* 32 *Lact. J. IV, 21* 33 *Suet. Tit. 6. Eutr. VII, 20.*

BSB

operam navavit, ingenia et artes maxime fovit. primus e fisco latinis graecisque rhetoribus annua centena constituit. praestantes artifices, nec non poetas coemit. aerearum tabularum tria millia, quae simul cum capitolio conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur pene ab exordio urbis senatusconsulta, plaebiscita de societate ac foedere ac privilegio cuicunque concessis. templum pacis quoque aedificavit, quod indocti concionatores mentiuntur corruisse, antequam extructum sit. comissimus dicacissimusque fuit. quendam e charis ministris dispensationem cuidam quasi fratri petentem, quum distulisset, ipsum candidatum ad se vocavit exactaque pecunia, quantam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinavit. interpellanti mox ministro: alium tibi, ait, quaere fratrem; hic, quem tuum putas, meus est. quidam avarum natura fuisse tradunt idque ei exprobratum a sene bubulco, qui negata sibi gratuita libertate, quam adeptum imperium orabat, proclamaverit: vulpem pilum mutare, non morem. sunt tamen, qui contra opinentur, ad cupiditatem necessitate conpulsum summa aerarii fiscique inopia, quod et verisimilius videtur, quando male partis optime usus est. amicorum libertatem, causidicorum figuras ac philosophorum contumaciam lenissime tulit. imperavit annos novem, menses undecim, dies duo et viginti; mortuus est octavo calendas Iulii, annum gerens aetatis sexagesimum ac nonum superque mensem ac diem septimum. ne extremo quidem periculo mortis iocis abstinuit. prima morbi accessione, ut puto, inquit, deus fio. et alvo repente ad defectionem soluta: imperatorem, ait, stantem mori oportere. dumque consurgit ac nititur, inter manus sublevantium extinctus est.

VESP AVG P M COS IIII IMP CAES || SALVS AVG.

IMP CAESAR VESPASIANVS || AVG TR P || TRIVMP AVG.

IMP CAES VESPASIANVS || VICTORIA AVG || S C.

IMP T CAES VESP || AVG P M TR P COS VII || AETERNIT AVG || S C.

31 *In B folgt* I *nach* TR 32 *In A, zum Theil am Rande, ferner*: IMP VESPASIAN AVG PM TR P PP COS FELICITAS TEMPORVM — IMP CAES VESPAS AVG PM TR PPP COS $\overline{III}$ || SC — IMP CAES VESPASIAN AVG PM TR PPP COS || IVDAEA CAPTA SC — IMP VESPASIAN AVG TR POT SC — IMP CAES VESPASIAN AVG PM TR PPP COS $\overline{VII}$ SC.

1 *Suet. Vesp. 17. Zum flgd. vergl. Suet. Vesp.* 21 *Cass. 439.*

TITUS. 11.

Cap. 15. Flavius Titus Vespasianus aduc privatus atque etiam sub patre principe incivilius violentiusque egit praeter saeviciam. luxuria etiam in eo suspecta fuit, nec minus libido; suspecta et rapacitas, quod in concionibus patris nundinari solitum constabat; ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit. propalam alium Neronem et opinabantur et praedicabant. nec temere quis tam adverso rumore magisque invitis omnibus transsit ad principatum. at illi ea fama pro bono cessit conversaque est in maximas laudes; neque ullo vicio reperto et contra virtutibus summis materiam omnem viciorum amovit. Beronicen reginam, cuius amore infamis fuerat, invitus invitam ab urbe dimisit. tantumque illi ad promerendam omnium voluntatem vel ingenii vel artis vel fortunae superfuit et, quod difficillimum est in imperio, ut amor et deliciae generis humani cognominatus sit. merum miraculum est, quod in uno homine fuere ante principatum tot vicia, in principatu tot virtutes, cum frequentius magistratus corrumpat antea integros, adeo ut non inscite Lucanus dicat:

Exeat aula, qui vult esse pius.

virtus et summa potestas non coeunt, id quod etiam vulgo dici solet: diu in aula, diu apud inferos.

Fuit Titus armorum, equitandi peritissimus, latina graecaque lingua disertissimus, oratione et poematibus promptus et facilis ad extemporalitatem usque; notis quaeque velocissime excipiebat; chirographa quaecunque vidisset, imitabatur. idem omnium officiorum curam ad se recepit patris nomine et epistolas dictavit, edicta conscripsit, orationes in senatu recitavit. natura benevolentissimus fuit; obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret. non oportere, aiebat, quemquam a sermone principis tristem discedere. laudatur etiam a nostrae religionis professoribus illa vox eius memorabilis: recordatus quondam super coenam, quod nihil cuiquam eo die praestitisset: amici (inquit), diem perdidi. sub eo tristia et fortuita acciderunt: conflagratio Vesuvii montis in Campania; incendium Romae per triduum totidemque noctes; item pestilentia, quanta non temere alias.

Sed libet rem curiosius enarrare. mons est in Campania iuxta Neapolim nomine Vesuvius; ad mare vergit, ex quo tum magnus ig-

11 Beronicem *B*

1 *Zum flgd. vergl. Suet. Tit.* 17 *VIII, 493* 33 *Suet. 8. Hier. chr. II, 159* 35 *Die folgende Schilderung des Vesuvausbruchs* (— pestis gravissima) *ist meist wörtlich entnommen aus Cassius Dion. 66 und Plinius, ep. VI, 16 u. 20.*

nis subito, nono calendas Septembris, hora diei fere septima exarsit. quod hoc modo factum est: viri multi atque magni, humanam omnem naturam excedentes, quales gygantes describuntur, partim in monte, partim in finitima regione per urbes interdiu atque noctu per terram oberrantes et in aere procurrentes visi sunt; post haec vehemens siccitas et vehementes terrae motus facti sunt. montes subsiliebant, sonitus e cavernis subterraneis tonitruis persimiles edebantur, terra mugire audiebatur; mare fremebat, caelum resonabat, fragor deinde inmensus subito ceu considentium montium auditus. exiliebant primo lapides ingentes; inde tantus erupit ignis ac fumus, ut aera totum obumbraret, totum solem occultarit; mox ex die nox et tenebrae ex luce factae sunt. existimabantur gygantes revixisse; apparebant enim illorum effigies in fumo. praeterea tubarum sonitus audiebatur. apparebat quoque nubes inusitata specie et magnitudine procul intuentibus, incertum ex quo monte oriebatur; erat forma et similitudine arboris pini, longissimo velut trunco, elata in altum, quibusdam ramis diffundebatur. deinde in latitudine evanescebat, candida interdum, interdum sordida et maculosa. Arsuri timuere gentes fulgura mundi, | Tempus adesse putabant, | 'Quo mare, quo tellus correptaque regia mundi | Ardeat et mundi moles operosa laboret.'

Pars ex domibus fugiebat sub dioque extrema operiebatur; alii ex terra in mare et rursus ex mari in terram profugiebant. quidam trepidi et amentes praesenti periculo oppressi sunt. eructabatur inmensus cinis, occupabat terram, mare, aera; incidebat calidior et densior, quo propius accedebatur. iam pumices nigri et ambusti et fracti igne lapides. pluribus locis latissimae flammae atque incendia elucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur. ledebantur homines pecudesque, pisces et aves absumebantur. iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque, quam tamen faces multae variaque lumina solvebant. deinde flammae flammarumque praenuncius odor sulfuris. praecesserat per multos dies tremor terrae minus formidolosus, quia Campaniae solitus. illa vero nocte ita invaluit, ut non moveri omnia, sed everti crederentur; crebris vastisque tremoribus tecta nutabant et quasi emota sedibus suis nunc huc, nunc illuc abire aut referri videbantur. areae, ex quibus tecta adibantur, cinere missisque pumicibus oppletae insurgebant, ut, si longior sub tecto mora esset, exitus negaretur; sub dio levium exesorumque pumicum casus timebatur; quidam cervicalia capitibus imposita linteis constringunt; id munimentum adversus decidentia fuit.

20 *Ov. Met. I, 256.*

Iam hora diei prima et aduc dubius et quasi languidus dies; rursus iam quassatio tectis, certae ruinae metus, excessum oppidis. vehicula quanquam in planissimo campo in contrarias partes agebantur ac ne lapidibus quidem fulta in eodem quiescebant. praeterea mare in se resorberi et tremore quasi repelli videbatur; certe processerat litus multaque animalia mare in siccis arenis destituebat. ab altero latere nubes atra et horrenda ignei spiritus, certis vibratisque discursibus rupta, in longas flammarum figuras dehiscebat; fulguribus illae similes et maiores erant. nec multo post illa nubes descendere in terras, operire maria coepit, quaecunque oppida, vicos cinxerat. iam cinis his aduc tamen rectus inruebat, fugientium tergis densa caligo inminebat, quae torrentis modo infusa terrae, sequebatur in aperto fugientem. mox nox, qualis in clausis locis lumine extincto. audires ululatus faeminarum, infantium quiritatus, clamores virorum; alii parentes, alii liberos, alii coniuges vocibus requirebant. vocibus noscitabant hi suum casum, illi suorum miserabantur. erant, qui metu mortis mortem praecarentur. multi ad deos manus tollere, plures nusquam iam deos ullos aeternamque illam et novissimam noctem mundo interpraetabantur. nec defuerunt, qui victis mentitisque terroribus vera pericula augerent. paululum reluxit, sed non dies; sed adventantis ignis indicium videbatur et ignis quidem substitit, tenebrae rursus, rursus cinis multus et gravis. hunc identidem adsurgentes excutiebant, operti alioquin atque oblisi pondere. tandem illa caligo tenuata, quasi in fumum nebulamve discessit. mox dies vere, sol etiam refulsit, luridus tamen, qualis esse, cum deficit, solet. occurrebant trepidantibus aduc oculis mutata omnia altoque cinere tanquam nive obducta; metus praevalebat. nam et tremor terrae perseverabat et plaerique lymphati terrificis vaticinationibus et sua et aliena mala ludificabantur. duae civitates conflagrarunt, Herculaneum et Pompeii, sedente in theatro populo. tantus pulvis fuit, ut ab eo loco in Africam, Syriam, Aegyptum Romamque penetraverit. totus aer inminens pulvere oppletus fuit, sol obscuratus obtenebratusque est. per multos dies metus erat maximus; nesciebant homines, quidnam rei esset, quod factum erat, nec coniecturari poterant; existimabant omnia everti, infima imis misceri, solem in terram ferri.

Sequenti anno ignis a terra progrediens urbem Romam populatus est; subsecuta pestis gravissima. Iudaei irae et divinae vindictae tribuebant; poenas violati templi ac civitatis a deo electae et eversae caesarem Titum atque Romanos dare interpraetabantur.

7 fibratisque *B* 37 subsecuta est *A*

BSB

In his tot adversis ac talibus imperator Titus non modo principis sollicitudinem, sed et parentis adfectum unicum praestitit. nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas, medendae valetudini leniendisque morbis nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omnium sacrificiorum remediorumque genere. curatores restituendae Campaniae e consularium numero sorte duxit. bona oppressorum in Vesuvio, quorum haeredes non restabant, restitutioni adflictarum urbium adtribuit. urbis incendio absumptis operibus ac templis ornamenta suorum praetoriorum destinavit. praeposuit conplures ex equestri ordine, quo quaeque maturius peragerentur. actum fuisset de genere humano, si talibus et tot malis saevus contigisset ac truculentus imperator. inter haec morte praeventus, maiore hominum (uti scribunt) damno quam suo excessit, idibus Septembris, post biennium et menses duos diesque viginti, quam successerat patri, altero et quadragesimo aetatis anno. quod ut palam factum est, non secus ac in domestico luctu, moerentibus publice cunctis, ubique fletus ubique lachrymae fuerunt. C. Plinius Secundus Veronensis, vir omnium rerum studiosissimus, qui praeclara monumenta ingenii reliquit, licet occupatissimus esset officiis maximis et amicicia principum, periit, dum superius montis miraculum proprius, ut eruditissimus, noscere concupivit, aetatis anno sexto et quinquagesimo. scripsit idem bellorum Germaniae viginti libros, quibus omnia, quae cum Romanis bella unquam gessimus, conlegit. inchoavit, cum in Germania militaret, sed hi libri non extant, perierunt incuria temporum. nec est, quod, si per fata liceret, legere malim.

IMP TITVS CAES VESPASIANVS AVG P M TR P VIIII || XV. COS VII P P.

IMP T CAES VESP AVG P M TR P COS VII || AETERNIT AVG || S C.

DOMITIANUS. 12.

Cap. 16. Flavius Domitianus, fratri Tito et parenti dissimillimus, super ingenii naturam inopia rapax, metu saevus. primus dominum et deum se adpellari iussit. extat de hoc epigramma Martialis, qui

29 *Am Rande in A ferner:* IMP T CAES DIVI VESP F AVG *(dazwischen* SC*)* PM TRPPPCOS $\overline{\text{VIII}}$ || MEMORIAE DOMITILLAE SPQR. — IMP T CAES VESP AVG PM TR PPP COS $\overline{\text{VIII}}$ || S C.

12 *Flor. p. 60* 24 *Plin. ep. III, 5. VI, 16; vgl. Tac. Ann. I, 69. Hier. chr. II, 165 Sch.* 31 *Zum flgd. vergl. Suet. Dom.* 33 *Cass. 440. Eutr. VII, 15. Vict. 11. Suet. 13. Hier. chr. II, 161.*

sicut et Quintilianus plurimum Domitianum laudant ab eoque amati sunt. tentavit in christianos arma, sed facile coeptum repressit, restitutis, quos relegaverat. mathematicos et philosophos urbe pepulit. bellum civile motum a L. Antonio, superioris Germaniae praeside, absens per Normanium Lappium confecit mira felicitate, quum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transsituras ad Antonium Germanorum copias prohibuisset. Germani deinde transrhenani transdanubianique foedus cum superioribus principibus observatum solvunt avaricia Domitiani, quod solitis stipendiis defraudabantur, conmoti. transsitis Rheno et Danubio utraque ripa potiuntur, Galliam, Moesiam, Pannoniam, Vindeliciam, Rhetias, Noricum, provincias romanas, igne, ferro, praeda devastant, vicos incendunt, urbes diripiunt. Agrippa Pompeius, legatus Illyrici, Oppius Sabinus, consularis, Cornelius Fuscus, legatus, cui summam belli Domitianus conmiserat, cum legionibus caesi sunt; caput Sabini abscissum per populares circumlatum. Domitianus Rhenum Danubiumque navibus in modum pontis contabulaverat, viribus romani imperii Germanos invaserat; verum a Germanis (ut ait Tacitus) tot exercitus oppressi ac deleti, tot militares viri cum cohortibus expugnati ac capti sunt, ut iam non de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione provinciarum dubitatum sit; damna damnis continuabantur; omnis annus funeribus et cladibus insigniebatur. nec iam de libertate Germani (addit Plinius) sed de servitute Romanorum certabant; ac ne inducias quidem nisi aequis conditionibus inibant legesque, ut acciperent, dabant; ingentibus damnis, inmensis muneribus (verba sunt Caecilii Plinii) paciscebamur. empta tandem pax est a Germanis, annua tributa constituta, uti se trans Rhenum Danubiumque continerent. nec sic quidem securus omnino Domitianus, iners ipse alienisque virtutibus tunc invidus, Traianum (qui post imperavit) virum et belli et pacis artibus, ut quisquam illa aetate esse poterat, clarissimum ut validissimum praesidium excivit ex Hispaniis, Germaniis, quae in Galliis sunt, praefecit, ut Germani transrhenani virtute quoque Traiani et admiratione iusticiaque in foedere detinerentur. quibus licet tributa Domitianus coactus fuerit

27 si *st.* sic *A* 33 Agrippinensis Colonia Sycambros formidabat inminentes *am Rande in A*

1 *Mart. V, 8. vgl. VI, 2. IX, 103. X, 72. Quint. Pr. IV. X, 1* 3 *Tertull. Ap. 31* *Suet. 10. Eus. chr. II, 169. 161. 163* 17 *Iord. Get. 13; vgl. Suet. 6* 18 *Tac. Agr. 41* 22 *Plin. Pan. 11* 25 *Pan. 12* 26 *Dio. 67. 68* 31 *Plin. Pan. 14.*

pendere, nihilominus Germanicus dictus est. falsum ex Germania duxit triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur. Domitianus ob crudelitatem, conscia uxore sua Domitia Longina, in cubiculo vulneribus septem contruci-datus est quarto decimo calendas Octobris, anno aetatis quinto et quadragesimo, imperii quinto decimo super mensem quintum. clypei et imagines eius passim ubique per Romam in terram sunt deiectae et a populo per ignominiam publice conculcatae.

Regionibus et provinciis, quas nunc Boii possident, praesedit Sosius Senecio vir consularis. Dion Chrysostomus, aurea praeditus lingua, rhetor et philosophus, cum philosophi Romae passim a Domitiano proscriberentur, ad Gotos Germanosque se trans Danubium contulit exulavitque apud Germanos; orationem de laudibus comae composuit.

IMP. CAESAR DOMITIANVS AVG TR P COS VII.

NERVA. 13.

Cap. 17. Cocceius Nerva occiso Domitiano coepit imperare anno Christi, terrarum domini deique rerum, undecentesimo, imperavit annum unum, menses quatuor. adoptavit Traianum (qui tum Germaniae, quae est in Gallia belgica, praesidebat, annum aetatis secundum et quadragesimum gerebat), ipsum caesarem designavit; imperii insignia eidem in Coloniam Agrippinensem missa sunt. Domitiani omnia acta rescissa, restituti, quos relegarat. porro Nerva periit in hortis Sallustianis aetatis anno altero et septuagesimo.

IMP NERVA CAES AVG P M TR P COS II P P SALVS PVBLICA.

IMP NERVA CAES AVG P M TR P COS II P P. CONCORDIA EXERCITVVM.

DIVVS AVGVSTVS IMP NERVA CAES AVG S C.

TRAIANUS. 14.

Cap. 18. M. Ulpius Traianus apud Agrippinensem Coloniam, Rheno conterminam et inferioris Germaniae (quae est in Gallia belgica)

14 *Ebendort*: IMP CAES DOMITIANVS AVG P M COS XIIII CENS PERPE || FORTITVDO AVGVSTI SC 22 Salustianis *B* 28 DIVVS AVGVSTVS *in B zur flgd. Umschrift gezogen* 28 *Am Rande in A*: IMP NFRVA CAES AVG PMTRPOT COS III P P — IMP NERVA CAESAR AVG DIVVS AVGVSTVS SC.

3 *Tac. Agr. 39* 18 *Cass. 440. Ekkeh. Uraug. chron. univ., M. G. Scr. VI, 103* 19 *Plin. Pan. 9* 20 *Dio. 68* 21 *Eutr. VIII, 2. Vict. ep. 13. Hier. II, 163* 22 *Eus. II, 162—63* 23 *Eus. 162. 163. Eutr. VIII, 1. Cass. 440.*

caput imperator salutatus est. Germanos magno labore ad pacem inlexit; ipsis munera et stipendia ex imperii maiestate largitus est. in utroque flumine, Rheno et Danubio, navigavit. de quo Claudianus ita canit:

Ante tubam nobis audax Germania servit; | Caedant, Druse, tui, caedant, Traiane, labores. | Vestra manus quicquid dubio discrimine gessit, | Transcurrens egit Stilico totidemque diebus | Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis, | Quem ferro, adloquiis, quem vos cum milite solus.

Caeterum in Dacos (qui sint, saepius dictum) expeditionem paravit. Traianus indigne ferebat, annua his dependi tributa. lapideum pontem, ingens et vix credibile opus, infra Savum amnem in Histro faciundum curavit; viginti pilae ex quadrato et secto lapide constructae, fornicibusque coniunctae, totum opus sustinebant, quarum altitudo praeter fundamenta erat centum et quinquaginta pedum, latitudo pedes sexaginta patebat; distabant inter se centum et septuaginta pedes eratque longitudo pontis pedum tria millia et pedes quadringenti. rex Dacorum Decebalus, dux autem Susagus in Moesia Callidromum, servum Laberii Maximi, coeperant munerique Parthorum regi Pacoro miserant. primum ad foedus a Traiano cum caeteris Germanis Daci inlecti fuerant, verum deinde viribus Parthorum freti, pacem exuunt, foedus rumpunt. Traianus cum copiis Danubium transsit; ubi dum incautius agit, pene confossus est abs sicariis a Decebalo inmissis. Buri, gentes Boiorum, fungum Romanis literis inscriptum misere Traiano hortatique sunt et monuere, ut domum ipse reverteretur. Traianus intrepidus bellum continuavit, cum Dacis conflixit, hostem fudit; totam Daciam trans Danubium in barbarico solo (quae in circuitu habuit decies centena millia passuum) subegit atque in provinciae formam redegit, colonias deduxit. Segethusa regia (quae nunc Corona nuncupatur) vi capta est. Decebalus rex sibi mortem conscivit. ea nunc regio Teutonas habet, Sivenburgenses nominamus. ibi apud Albam Iuliam hic nummus inventus est hoc anno mihique donatus a Ioanne Vangione Franco, viro admodum erudito et medico earum gentium, cum ad me Abusinam, natale solum, petens, diverteret:

IMP M IVL PHILIPPVS PROVINCIA DACIA.

8 quod *B*

2 *Plin. Pan. 12* 3 *Claud. de l. Stil. I, 192 flgd.* 11 *Cass. Dion. 68* 17 *eb. 13* 19 *Plin. ep. X, 16* 21 *Zum flgd. vergl. Dion. 68* 30 *Dion. a. a. O Eutr. VIII, 2. Ptol. 207.*

Porro Traianus Romam reversus de Dacis triumphavit. inde arma ad orientem trans Euphratem vertit. in Armenia cepit Satalam Elegiamque urbes. deinde Babyloniam, Nisibim, Ecbatana, Seleuciam, Arbelam occupat ubi Alexander Magnus cum Dareo rege Persarum pugnam conseruit. inde in mari Rubro Traianus navigavit, usque ad Indiae fines ditionem romanam propagavit. inter haec senatus ille romanus, cuius authoritas plurimum sub Traiano valuit, leges, quas ante adversus nos ut contumelia deorum insignes tulerat, exerceri senatusconsulto iussit. christiani idcirco vulgi et iudicum impietate captati quasi deorum inmortalium, reipublicae hostes, lesae religionis romanae crimine condemnati sunt, conplures occisi, omnis ordo, aetas, sexus per vicos, agros vario suppliciorum genere adflicti. inter quos Simeon pontifex Hierosolymorum, filius Cleopae (qui frater fuerat Iosephi mariti deiparae virginis) natus annos centum et viginti cruci adfixus est. itidem Ignatius Antiochiae episcopus Romam missus ad bestias condemnatur. Caecilius Plinius Novocomensis, qui tum proconsul Bithyniae erat, conmotus multitudine pereuntium, ultro certatimque ad mortem procurrentium, sollicitius mysteria religionis nostrae admotis etiam quaestionibus inquisivit, deinde Traianum consuluit, eidem aperit, nihil aliud se de christianis invenisse, quam solitos stato die ante lucem convenire, carmen Christo sicuti deo dicere invicem ipsosque sacramento non in scelus aliquod obstringi, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria conmittant aut ne fidem fallant neve depositum adpellati denegent; quibus peractis morem discedendi esse rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen atque innoxium. rescripsit Traianus, conquirendos non esse christianos. ita quadam ex parte frustratus est leges superiores contra nos latas.

Sub idem tempus terra tremuit, multae urbes eversae sunt. Antiochia pene deleta est hoc malo. Iudaei tum quoque (gens olim dei domestica, nunc opinione sua calamitosior) arma corripiunt per orbem romanum (obierat enim Agrippa ultimus rex eorum), Romanis rebellant, Messiam suum (quem aduc populus infelicissimus expectat) adfore credebant. nonnihil et spei in christianis conlocabant, qui ut cultores

B mg. A

ch. dam! f. 101/2 B

1 Porro *fehlt in A* / 2 coepit *A*

1 *Eus. II, 162. 163* 6 *Dion. 68. 26. 29. Eutr. VIII, 3* 9 *Tert. Ap. 32* 16 *Ekkeh. 104* 26 *Plin. ep. X, 96, 97. Tertull. Ap. 11. Eus. Chr. 162. H. E. III, 33. Ekkeh. 103* 27 *Tert. Ap. 32* 29 *Eus. Chr. II, 164. 165. Dion 68* 29 *Die folgende Schilderung des Judenaufstandes beruht hauptsächlich auf Cassius Dion 68. Zur Ergänzung dienen Eus. H. E. IV, 2. Chr. II, 164. 165. Oros. VII, 12.*

unius dei tum a Romanis variis adficiebantur poenis. in Libya circa Cyrenen ducibus Andrea et Luca cultores deorum romanos graecosque sine discrimine subito invadunt, statim trucidant nec caede contenti, humanis carnibus vesci coeperunt. horum intestinis stillante aduc sanguine cincti pellibusque velati, multos per medium usque ad verticem dissecant, plures bestiis dilaniandos obiiciunt, alios inter se digladiari cogunt. ducenta et amplius ibi hominum millia eo furore armis Iudaeorum perempta sunt. ingens item ab eis caedes in Aegypto patrata; in Alexandria ipsi cultores numinum Iudaeos superarunt. nec minore clade Cyprii adflicti sunt; cultoribus enim deorum occisis, Salaminam urbem Iudaei solo aequarunt; duce Arthemione conspirarant. circiter ducenta et quadraginta millia hominum ibi a Iudaeis trucidata sunt. quamobrem lex lata est, qua insulam vel vi tempestatis vel errore contingere posthac Iudaeo capitale foret. sed non inulta tanta strages mansit. Traianus Lucium Quietum cum exercitu aliisque ducibus contra Iudaeos mittit. ipsos Mesopotamia exturbavit Quietus, deinde per universum orbem terrarum eos, qui conscii caedis fuerant, profligavit. infinita tum Iudaeorum millia occisa deletaque esse referunt et Eusebius et Hieronymus; idem scribunt divum Ioannem evangelistam sub Traiano decessisse. ut Dorotheus tamen martyr et pontifex Tyri narrat, divus Ioannes sub Traiano exulavit in Pathmo insula ibique evangelium scripsit et Ephesi edidit per Gaium hospitem et ministrum suum, cuius et divus Paulus meminit in epistola, quam ad Romanos scripsit. post mortem Traiani divus Ioannes ex Pathmo insula rediit Ephesum ibique se iussu dei sepelivit. vixit annos centum et viginti. sunt tamen, qui dicunt ipsum non sub Traiano, sed Domitiano exulasse in Pathmo. quod adolescens et inberbis pingitur, pictorum sunt solita mendacia, quibus licet, quicquid velint, cum non minor Christo aetate fuerit. Tertullianus refert, quod Ioannes missus a Nerone in ferventis olei dolium purior et vegetior exiverit.

Traianus apud Selinuntem Ciliciae urbem, quae deinde Traianapolis dicta est, obiit mortem, cum imperasset annos undeviginti, menses sex, dies quindecim. vixit annos 62, menses 9, dies 4. quaecun-

2 Cyrenem *B* 10 *Am Rande in A:* Lupum romanum ducem primum vicere in Aegypto 28 imberbis *A*

19 *Eus. Chr. II, 164. 165. 162. 163* 24 *Röm. 16, 23* 26 *Eus. H. E. III, 1. 31 u. ö. Eus. (Hier.) II, 160. 161. Ekkeh. Iord. brev. temp. 47* 30 *Tert. de praescr. haer. 36* 34 *Cass. Dion. 68. Eutr. VIII, 5. Hier. Chr. II, 165. Cass. Chr. 440.*

que ab egregiis expectantur principibus, sanctitas domi, in armis fortitudo, in Traiano fuere. optimi cognomen ob virtutes ei inditum fuit eiusque bonitas deinde caeteris imperatoribus solemnibus adclamationibus optata est. senatus populusque romanus ita designato caesari Romae adpraecabantur: sis felicior Augusto, melior Traiano. primus externorum romanarum rerum potitus est, nec enim ex Italia, sed Hispania oriundus fuit. cuius etiam regem Carolum, nepotem imperatoris Maximiliani caesarem, Germania hisce diebus designavit, quem Christus, terrarum dominus deusque rerum, amet et meliorem Traiano reddat, ut labantem rempublicam christianam tandem fulciat. Traiani tempore procuravit provincias, quas tenemus, C. L. Restitutus; Restitutorum monumentum aduc apud nos extat; supra in Augusto, si libet, leges.

Inscriptiones numismaton, quas in Boiaria inveni: IMP CAES NERVA TRAIAN AVG GERM PONT MAX TR P COS II. | IMP CAES NERVA TRAIAN AVG GERM P M TR P COSIIII PP S C. | IMP TRAIANO AVG GER DAC PMTRP COS V P P S P Q R OPTIMO | PRINCIPI. IMP CAES NERVAE TRAIANO AVG GER DAC P M TR P COS VI P P S P Q R OPTIMO PRINCIPI S C. | IMP CAES NERVA TPAIAN AVG GERM P M TR POTSC. | IMP CAES TRAIANVS PM TRP COS III.

HADRIANUS. 15.

Cap. 19. Aelius Hadrianus adoptatus a Traiano, versu, oratione, prosa, utraque lingua doctissimus, Graecorum studiis nimis deditus, adeo ut Graeculus cognominatus sit et a Plinio dictum de eo extet, hominemne romanum tam graece loqui; in omnibus artibus peritissimus, nihil eorum ignoravit, quae et in pace et in bello sive ad principem sive ad privatum spectent. incredibilis memoriae, nominatim quosque salutavit, adeo ut nomenclatores corrigeret. officia militaria, munia aulica et palatina munera post Augustum ad certam formam redegit, quae ad Constantinum et Theodosium imperatores et declinationem romani imperii paucissimis mutatis observata est. libera-

3 solennibus *A* 21 COS IIII *B* — *In A am Rande ferner:* IMP CAES NERVA TRAIAN AVG GERM PM TR POT COS III PP SCSPQR 31 et *vor* Theodos. *fehlt in B*

2 *Ekkeh. 103* 3 *Plin. Pan. 2. 88. Dion. 68* 5 *Vergl. S. 163, Z. 31* 7 *Dion. 68* 8 *Karls V. Kaiserwahl erfolgte am 28. Juni 1519* 11 *Plin. III, 9* 13 *s. oben S. 162, Z. 6* 24 *H. A. 15* 25 *H. A. 1. Vict. ep. Plin. ep. IV, 3* 28 *Cass. Dion. 69* 29 *H. A. 20. Vict. ep.* 32 *Vict. ep.*

lissimus in omnes fuit; non passus est quicquam a se peti, pro necessitate cuiusque ultro omnia fecit. aequo animo ferebat etiam ab humillimo quoque se admoneri et corrigi. talis sit imperator (dicere solebat) erga quemque, qualem, si ipse privatus esset, erga se imperatorem esse vellet. transeuntem mulier quaedam orabat, ut se audiret, et cum ille respondisset: ocium mihi non est, illa deinde clamans ait: noli ergo imperare; tum conversus eam audivit. saepe iactavit, se ita rempublicam gesturum, ut sciret rem populi, non suam propriam esse. vulgus imperitum, abusi simplicitate et clementia novi principis (absque praecepto, teste etiam divo Hieronymo et Eusebio) imperatoris sanguinariis adclamationibus nostros ad poenam deposcere semper consueverunt, ut scilicet a pietate princeps auspicaretur imperium propiciosque deos haberet, qui placati christianorum, hostium suorum, sanguine successus prosperos caesari darent et adversa a republica in caput impiorum averterent. plurimi tum, qui christianos oderant, in nos saevire coeperunt. Quadratus pontifex Atheniensium, legatorum Christi auditor, et Aristides, Atheniensis philosophus eloquentissimus, libros, in quibus tutati sunt religionem nostram, praesenti Hadriano legendos exhibuerunt et tantae admirationi omnibus fuerunt, ut persecutionem gravissimam illorum excellentia sedarent ingenia. Serenus quoque Granius, legatus Galliae belgicae, vir adprime nobilis, ad Hadrianum literas mittit, iniquissimum esse, dictitans, clamoribus insanis vilis plebeculae hominum innocentium sanguinem concedi et sine ullo crimine nominis tantum et sectae reos fieri. his omnibus commotus Hadrianus Minutio Fundano, proconsuli Asiae, rescripsit, sine obiectu criminum christianos condemnandos non esse.

Cogitavit et Christum inter deos recipere et templa sine simulacris in omnibus civitatibus, quae Christo dicarentur, exstrui iussit; quae idcirco, quod numina non habebant, Hadriani longo tempore usque ad Constantinum dicta sunt. sed Hadrianus a proposito deterritus est per sacrificulos et philosophos, qui in fatis esse dicebant: si hoc faceret, deorum religionem cum romani imperii maiestate interituram et omnes christianos futuros, caetera templa deserenda.

Hierosolyma pridem eversa rursus habitari iussit atque urbem

28 extrui *A* 30 ad *fehlt in B*

2 *Dion. 69* 5 *Ekkeh. 103 (von Traian)* 7 *Dion. 6* 9 *H. A. 8* 11 *Eus. Chr. II, 166. 167* 26 *Eus. Chr. II, 166; 167. H. E. IV, 3. 8. 9. Hier. Cat. (I, 125). Ep. 70. Oros. VII, 13. Prosp. Tir. Chr. in Graev. Thes. XI, 291. Ekkeh. Das Schreiben Hadrians bei Iustin. Apol. I, 68* 33 *H. A. Alex. Sev. 43.*

Aeliam Capitolinam sive, uti apud Ptolomaeum lego, Capitoliam adpellavit. Iovi item ex adverso templi aedem excitavit. in aditu quondam templi statuam suam equestrem dedicavit. in loco resurrectionis Christi, servatoris nostri, simulacrum Iovis, in crucis vivificae rupe statua Veneris marmorea a cultoribus deorum posita; et ubi Christus terrarum deus natus est, cultus Adonidis, amasii Veneris, institutus est. arbitrabantur authores persecutionis ita tolli posse fidem resurrectionis et inmortalitatis, si loca sacrosancta christianis numinum cultu polluissent. hoc ita mansit per annos circiter centum et octoginta usque ad imperium Constantini. porro bellum hinc grave et diutinum natum est. magno enim dolore adficiebantur Iudaei atque indignabantur, peregrinos secum in civitate habitare, et illud quoque gravius ferebant, externa sacra fieri. quievere tamen ab armis et caedibus, Hadrianum veriti, qui per ea tempora in vicinis locis constiterat. nihilo tamen secius clamculum conventus agebant, conmeatus, arma praeparabant, quibus uti possent, quoties belli necessitas posceret. posteaquam vero longius aberat Hadrianus, in arma vertuntur; quamquam aperta acie cum Romanis congredi ausi non fuerint, tamen de cavernis et cuniculis moenibusque quasi latrocinia agitabant; quoties violabantur, per occultos meatus subterraneos, quos ante ad hunc casum fecerant, elabebantur. impetus eorum primo Romani contempserunt. defuerat hactenus Iudaeis dux. deinde quidam nomine Barcozabas, id est, filius mendacii, Messiam se divinitus missum mentitur. stipulam succensam in ore anhelitu ventilabat, ut flammas evomere putaretur. huic Haquiva, Hebraeorum vates, adhaesit eumque inmutato nomine nuncupavit Barcocaban, hoc est filium stellae, de qua Bileam apud Mosen Balaco regi praedixit. darah, inquit, cocabmi Iaacob; id valet: orietur stella ex Iacob. universa tum provincia tumultuari coepit et qui ubique gentium erant, conspiravere Iudaei. universus orbis terrarum ex motu Iudaeorum concussus est. multa mala partim clam, partim aperte in Romanos edebant Iudaei. animos quoque christianorum Cocabas ille tentavit hortatusque est ad societatem belli, ut consilio armisque communibus parique studio cognatam religionem et unius veri summique dei cultum adversus Romanos,

2 *Dion. 69* 3 *Hier. in Matth. 24; in Es. 2* 10 *Hier. ep. 58, 3* 17 *Der folgenden Darstellung des Judenaufstandes liegt hauptsächlich Cassius Dion. 69 zu Grunde. Daneben sind benützt Eus. H. E. IV, 2. 6. 8. Chr. 166. 168. Hier. Chr. 167. 169. Catal. (I, 125). Or. VII, 13* 23 *Beros. 239* 25 *Hier. adv. Ruffin. (III, 111 A)* 27 *Num. 24, 17.*

falsorum numinum cultores, adsererent. quod cum christiani recusarent, variis ipsos cruciatibus enecant.

Hadrianus ubi intellexit, quam grave et periculosum bellum exortum foret, praecipuos Romanorum duces adversum Iudaeos misit, Attinium Ruffum, Martium Turbonem et alios. quorum primus Iulius Severus in Iudaeam ex Britania vocatus. hic minime ausus est praelium committere; multitudine impar erat et hi de salute desperaverant. divisis igitur copiis carptimque adortus est, ut, quosque poterat, compraehendens pro multitudine militum atque tribunorum. tum ab alimentis et conmeatu interclusos tardius quidem, sed minore cum periculo penitus oppressit. decem enim annos cum ipsis bellatum est; pauci admodum evasere atque a caede superstites fuerunt. arces eorum quinquaginta celeberrimae dirutae sunt. vici ad nongentos et octoginta quinque (qui sane frequentes et nominatissimi erant) direpti et mox igne consumpti sunt. viri in praeliis bellicosissimi ad quinquaginta millia et tercenta caesi sunt, fame, igni, morbis ingens multitudo absumpta; fere omnis Iudaea desolata est. Barcocabas ab Hadriano occisus est. ultima haec Iudaeorum strages atque ruina. huc usque, sicuti est apud Philonem, reges habuerant post excidium Hierosolymorum Agrippam atque Agrippinum. omnis tum dignitas penitus ablata, per orbem terrarum reliquiae divenditae sunt. lege cautum est, ne posthac perpetuo vel advenarum iure terram patriam (ne vestigio quidem) salutare Iudaeo liceret, nedum Aeliam intrandi ius esset. quanta deliquerint fiducia legis mortuae et patrum inflati, probat exitus hodiernus ipsorum; dispersi, palabundi, et caeli et soli sui extorres vagantur per orbem, sine lare, sine homine, sine deo, rege. Reginoburgium, caput Boiorum, se ante natum Christum habitasse credi postulant, tamen hoc anno expulsi exactique. aedes eorum dirutae soloque aequatae sunt; ibi deiparae virgini victrici templum construitur frequensque coit sturnatim populus.

Fuit Hadrianus omnium curiositatum explorator; quaecunque legit aut audivit, experiri conatus est. omnis provincias adivit, per omnes urbes imperii peregrinatus est; amator pacis, nullum movit

num. 1 B, cont corr. Ao. : B

2 enecavit *A* 13 *Am Rande in A*: Barchobas Betherae vicino oppidi Hierosolym. obsessi *(sic)* 23 *Am Rande in A*: vel ab edito loco respiciat 30 *Am Rande in A*: Irenaeus — Simon Menander Saturninus Basilides Carpocrates *[Eus. H. E. IV, 7]*.

2 *Iust. Ap. I, 31. Prosp. Tir. a. a. O.* 19 *Beros. 238* 27 *Tertull. Ap. 118* 30 *eb. p. 32* 32 *H. A. 17* 33 *eb. 23. Dion. 69.*

bellum. omnis nervos intendit ad pacem per orbem terrarum retinendam. in Germaniam transsiit, pacis magis quam belli cupidus. in Danubio Rhenoque navivagit. adeo tamen militiae diligens fuit, adeo milites exercuit, ut equites eius armati Danubium transnataverint et hostes obstupefecerint. querentibus Germanis de inminutis stipendiis cognita causa foedus conposuit ab ipsisque pacem redemit; munera haud mediocria ipsis distribuit. Germani receptis pecuniis nihil novarum rerum moliti sunt. Vindelicorum tum duces fuerunt Aelius Verus, L. Aurelius Annius, Tiberius et Italicus vir consularis. vixit Hadrianus annos 72, menses 5, dies 17; imperavit annos 21, menses 11.

HEL HADRIANVS S C.
HADRIANVS AVG COS III PP SALVS AVG.
HADRIANVS AVG COS III PP RESTITVTORI GALLIAE.
HADRIANVS AVG COS III PP ROMA FELIX.
HADRIANVS AVG COS III PP MONETA AVG.
HADRIANVS PF AVG COS III PROVIDENTIA AVG SC.
IMP TRAIANUS HADRIANVS AVG PM TR P COS AETERNITAS AVGVSTI SC.
DIVA SABINA AVGVSTA HADRIANI AVG CONIVX.

ANTONINUS PIVS. 16.

Cap. 20. Titus Aelius Arrianus Antoninus Pius, quem Hadrianus adoptavit, natura omnium principum clementissimus fuit et placidissimi ingenii, unde merito cognomen Pii a virtutibus sortitus est, pacis amator nec gloriae cupidus. dicere solebat, malle se unum civem servare quam mille hostes occidere. eloquentiae singularis, rhetoribus, philosophis per omnes provincias salaria et honores decrevit; formaque conspicuus fuit; largus sui, alieni abstinens. nullam provinciam adiit, quod gravis esset principis etiam parci comitatus provincialibus; in

19 *Am Rande in A ferner*: HADRIANVS AVGVSTVS COS III PP IVSTITIA AVG SC — IMP CAESAR TRAIANVS HADRIANVS AVG PONT MAXIMVS TR POT COS III — IMP CAESAR TRAIAN HADRIANVS AVG TR P COS III VIRT AVG SC — SABINA AVGVSTA HADRIANI AVG VENERI GENETRICI SC — IMP CAESAR TRAIANVS HADRIANVS AVG PONT MAX TR POT COS DES III SC ANNONA AVG — IMP CAESAR TRAIANVS HADRIANVS AVG PONT MAX TR POT COS II SC ANNONA AVG — HADRIANVS AVGVSTVS HILARITAS PR SC COS III — IMP CAESAR TRAIANVS HADRIANVS AVG: TR POT COS S C 20 Antonius *B*

1 *Zum flgd. vgl. Dion. 69 u. H. A. 5. 10. 6. 25* 22 *Zum flgd. vgl. H. A. Hadr. u. Ant. P.*

urbe resedit, ut medius undique nuncios citius acciperet. nulli eorum, quos Hadrianus provexit, successorem dedit. nihil sordidius, imo crudelius esse dictitabat, quam si hi republicam arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent. quanta in eo aequitas fuerit, nationes exterae declarant; quae (ut etiam nostrates referunt) positis armis ipsum ut patrem, ut numen aliquod terris de caelo demissum venerati sunt causasque suas et controversias eius arbitrio permiserunt. Numae Pompilio in omnibus comparatus fuit. tantae authoritatis apud omnes gentes, ut per tres et viginti annos prorsus sine sanguine civili et hostili (quod nemini principum contigit) imperaverit. Dacos et caeteros Germanos in inicio post Hadriani mortem invadere romanos fines meditantes facile virtutibus ad pacem et foedus inlexit. erat hisce temporibus Avidius Cassius legatus provinciarum, quas nos iam tenemus. tria milla Transdanubianorum Danubii ripis hostili animo consederant, quos negligentius agentes auxiliaria manus authoribus centurionibus circumvenit atque trucidavit et ingenti praeda ad Cassium rediit. sperabant centuriones praemium, quod perparva manu tantum hostium segnius agentibus tribunis et ignorantibus delevissent. Cassius rapi illos ac in crucem iussit tolli servilique supplicio adfici, causans, evenire potuisse, ut insidiae essent et ita reverentia maiestasque imperii periisset. cum ingens in exercitu seditio orta esset, prosiluit nudus, solo campestri tectus, et ait: percutite me, si audetis, et corruptae disciplinae facinus addite. tunc conquiescentibus seditiosis meruit metui, quia non timuit. terroreque huius facti perculsi Transrhenani centum annorum foedus ab Antonino absente petierunt.

Iustinus philosophus, christianae pietatis mystes, Antonino, filiis eius senatuique romano librum scriptum contra deos pro religione nostra obtulit Romae atque insidiis Crescentis, cynici philosophi, accusatus pro Christo sanguinem suum fudit. caeterum Antoninus ubi M. Antoninum generum suum adoptavit, febre decessit, aetatis anno altero et septuagesimo. in numerum deorum, ut omnes imperatores, qui bene gubernarunt, relatus est a senatu romano. Roma enim alios deos recepit, caesares dedit. fuit eidem ara in provincia, quam habitamus, dicata; extat inscriptio, quam supra in Augusto offendes. ritum huiusmodi consecrandi imperatores explicare necessest. vita

35 necessest *sic A u. B*

7 *Eutr. VIII, 8. Dion. 70, Vict. ep.* 25 *H. A. Avid. Cass. 4* 29 *Ekkeh. 105. Eus. H. E. IV, 11, 16. Chr. II, 170. Cass. 441* 34 *s. oben S. 149, Z. 6* 35 *Die folgende Schilderung der Feierlichkeiten bei Bestattung eines röm. Kaisers* (— colebatur) *ist wörtlich aus Herodian (IV, 2) entnommen.*

defuncto imperatore erat tota urbe Romana quasi luctus quidam festae celebritati promiscuus. corpus quidem sumptuoso funere more caeterorum hominum sepeliebatur. ceream deinde imaginem mortuo quam simillimam fingendam curabant eamque in regiae vestibulo proponebant supra eburneum lectum maximum atque sublimem, vestibus instratum aureis, et imago illa ad aegroti speciem pallida recumbebat. circum lectum utrimque magnam partem diei sedebant, a leva quidem senatus omnis atratus, a dextra vero matronae, quas virorum aut parentum dignitas honestabat, quae sine omni mundo muliebri lugentium speciem prae se ferebant; nulla aurum gestabat, nulla monilibus ornata conspiciebatur, omnes vestibus albis exilibus indutae erant. haec ita per septem dies continuos fiebant. medici quotidie ad lectum accedebant inspectumque velut aegrum deterius se habere subinde pronunciabant. deinde ubi iam visus obiisse mortem, lectum humeris adtollebant equestris senatoriique ordinis nobilissimi ac lectissimi iuvenes perque viam sacram in vetus forum deferebant, ubi magistratus Romanorum deponere imperium solebant. utrimque autem gradus quidam erant ad scalarum similitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus erat e nobilissimis atque patriciis, altera faeminarum inlustrium hymnos in defunctum carminaque canentium numeris lamentabilibus. quibus peractis tollebant iterum lectum atque extra urbem in campum Martium deferebant. ubi, qua latissime campus patet, suggestus quidam ex ingentibus lignis specie quadrata extructus erat in formam tabernaculi; quod interius totum aridis fomentis oppletum, extra intextis auro stragulis atque eboreis signis variisque picturis exornatum erat. ~~infra~~ vero alterum minus positum, forma et ornatu persimile erat, tercium item et quartum semper superiore contractius ac deinceps alia donec ad extremum, quod est omnium brevissimum, perveniatur. lecto igitur in secundum tabernaculum sublato, aromata atque suffimenta omnis generis, fructus, herbas, succos omnis odoratos conquirebant atque omnis acervatim effundebant; certatim quisque hoc munere perfungebatur. ubi ingens acervus aromatum adgestus erat ac locus omnis expletus, tum circa aedificium illud equitabant universi equestris ordinis certa quadam lege recursu et motu in orbem decurrentibus. currus item circum agebantur insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferrent ducum omnium romanorum principumque inlustrium. quae ubi celebrata erant, facem capiebat imperii successor eamque tabernaculo admovebat. tum caeteri omnis undique ignem

3 morti *B* 24 *Am Rande in A*: ut numismata ostendunt 27 superiore *u. d. flgd.* ac — perveniatur *in A durchstrichen.*

subiiciebant cunctaque illico fomitibus illis aridis odoramentisque referta igni valido corripiebantur. mox ab extremo minimoque tabernaculo tanquam e fastigio quodam simul cum subiecto igni aquila dimittebatur, quae in caelum credebatur ipsam principis animam deferre, ac iam ex illo una cum caeteris numinibus imperator colebatur. patres ne consultos tam dementes fuisse, ut divinitatem, quam mortales stultissimi non possidebant, sese tribuere alii posse opinarentur, et tam stolidos extitisse, qui istis ineptissimis ludibriis caelum aperiri crederent, satis mirari non vacat.

Nummi apud nos passim ab agricolis, ubi vestigia antiquorum oppidorum visuntur, effodi solent, in quibus huiusmodi aedificium et inde aquila volans conspicitur cum hac inscriptione: DIVVS AVG.

Item: DIVVS M ANTONINVS PIVS CONSECRATIO.

ANTONINVS AVG PIVS P P TR P II MVNIFICENTIA AVG COS IIII S C.

IMP ANTONINVS PIVS AVG FIDES MILITVM.

ANTONINVS PIVS FEL AVG CONCORDIA MILITVM.

ANTONINVS AVG P P TRIBVNICIVS H.

ANTONINVS AVG PIVS F TR P COS S C.

IMP ANTONINVS PIVS AVG TR POT XVI.

ANTONINVS PIVS TR P P M COS XIX S C.

ANTONINVS AVG PIVS TR P COS III.

AVRELIVS CAESAR TR P COS S C.

AVRELIVS CAESAR ANTONINI AVG PII FIL TR PO COS II S C.

M. ANTONINUS. 17.

Cap. 21. M. Aurelius Antoninus Pius, ante Annius Verus dictus, sapientissimus gravissimusque principum, omni virtutum genere se exercuit, literarum studio nemini Graecorum Romanorumque secundus,

8 aperire *B* 13 Item *fehlt in B* 25 *Am Rande in A ferner*: ANTONINVS AVG PIVS TR P COS III FELICI VENERI SC — ANTONINVS PIVS AVG GERM PMTRPXX COS IIII P P — DIVVS ANTONINVS CONSERRATIO SC — ANTONINVS AVG PIVS PP TR P COS III IMPERATOR SC — ANTONINVS AVG PIVS TR POT SC — ANTONINVS AVGVSTVS PP TR P COS III GENIVS POP ROMANI SC — IMP CAES ANTON AVG PIVS SC — M AVRELIVS CAES PRINCIPI IVVENTVTIS — Imp Caes M Aurelius Antoninus Aug Armenicus P M trib pot XV cos III, Universis simul plaebibus Asiae 27 antea A. D

27 *Zum flgd. vergl. H. A. M. Ant u Ver* 28 *Hier. Chr. 173* 29 *Herod. I, 2, 3.*

quamobrem philosophus et cognominatus est et fuit. praeceptor eius in grammaticis, Eutychius Proculus Siccensis, extat in bibliothecis Boiariae, (non longe a patria mea.) admodum clemens atque civilis erga omnes fuit. adeuntium cuivis dextram placide dabat. tranquillitati summae successerat (quo manifesta fiunt rerum humanarum volumina) saevissima tempestas, cui divinitus Marci prudentia constantiaque obiecta est. nisi hisce virtutibus (praeditus) rector contigisset, de romano imperio actum fuisset; adeo terrae motus, inundationes aquarum, lues gravissima genus humanum orbemque romanum adflixerunt. locustae infestae agris depastae sunt prata et arva; fame inde laboratum est; crebra quoque bella, ferocissimi hostes emicuere.

Vologesus rex Parthorum fugato Atidio Corneliano, qui Syriam tum administrabat, romanas invasit provincias, interfecto legato, caesis legionibus, Syris defectionem meditantibus, orientem vastavit. imperator L. Aurelius Antoninus Verus (ante L. Commodus dictus), frater et filius adoptivus Marci, contra Parthos arma movit; ipse Antiochiae voluptati deditus erat. duces eius Statius Priscus, Avidius Cassius, Martius Verus confecerunt bellum Parthicum, provinciis romanis non solum Parthos expulerunt, sed et Babylonem in Mediamque penetrarunt. in Babylonia de templo Apollinis ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, spiritus pestilens evasit. inde pestilentia subsecuta totum orbem adflixit; nec minus fames inundatioque saevit.

Tum quidam ex his calamitatibus et solitudine hominum diripiendae Romae occasionem quaerens, cum quibusdam consciis concionabundus de caprifico arbore in campo Martio asseveravit, ignem de caelo lapsurum finemque mundi adfore, si ipse lapsus in ciconiam verteretur. decidens deinde ex sinu ciconiam emisit; sed proditus Marco est ad ipsumque deductus. imperator confesso veniam dedit. Chatti quoque ac Chauci, transrhenani Germaniae Magnae populi, Gallias inrumpunt, vastant, item Rhetos, Vindelicos, Noricum pari saevitia pervagantur. Britani quoque rebellant; contra hos Calpurnius Agricola missus est. in Gallias et Germaniam cisrhenanam proficiscitur Didius Iulianus, qui post imperavit. Noricorum Vindelicorumque duces Aufidius Victorinus et P. Aelius Pertinax post Commodum

9 *Am Rande in A:* Motus terrae, communes casus transferebant ethnici in invidiam christianorum. is, qui crimen obtendit, reus poenae ipsius, quam obiecit, existat 15 Comodus *A* 26 coelo *B*

3 *Handschriften des Grammatikers Eutychius besassen mehrere baierische Klöster und Stifter, u. a. St. Emmeram, Tegernsee, Freising; vergl. Catal. cod. lat. bibl. reg. Monac.* 4 *Herod. I, 2.*

rerum potitus, patrio etiam carmine apud nos celebratus; ab hostili Germanorum incursatione Rhetias, Vindeliciam Noricumque vindicarunt. Marcomani quoque (Suevorum natio est, quae tum in Boiemia sedebat, usque ad Danubium protensa) Romanis inminebant, Pannonias, Moesias, Illyricum vastabant, dum geritur Parthicum bellum. tantusque timor belli Marcomanici fuit, ut undique sacerdotes acciti fuerint, peregrini ritus impleti. Roma omni genere religionum lustrata, celebrata romano ritu lectisternia per septem dies scriptum ducibus, ut quavis arte bellum traherent ac suspenderent, donec orientale finiretur; ambos imperatores necessarios esse bello Germanico.

Reverso igitur L. Antonino ambo imperatores M. et L. (ea enim tempestate primum respublica a duobus augustis aequo iure administrata est) paludati urbe profecti sunt. Marcomani omnia conturbarant, aliae quoque gentes pulsae a Marcomanis bellum Romanis minabantur, nisi reciperentur in romanoque solo sedes concederentur. amissus est Furius Victorinus, praefectus praetorio, eiusque exercitus interemptus. imperatores iam Aquileiam venerant, quo Germani (qui iam ab armis Pannonia relicta discesserant domum) legatos mittunt, pacem postulant, authores tumultus interemptos esse referunt veniamque praeteritorum orant, se posthac neminem regum, qui non sit a romanis principibus datus, passuros pollicentur. Lucius cum nihil periclı amplius esset, Romam redeundum censebat. Marcus vero existimabat Germanos fugam simulare et caetera, quae pacem ostenderent; ideo ne tanti conatus adparatusque frustra forent, instandum esse dicebat. urgente tamen Lucio, conpositis prius omnibus, quae ad munimen Italiae atque Illyrici pertinebant, Romam revertuntur. Lucius subito morbo, quem apoplexiam medici nostri vocant, interiit.

Inter haec omnes gentes ab Illyrici limite usque in Galliam conspirant, Marcomani, Varistae, Eumunduri, Boiemiae tum incolae, quibus coniuncti ab orientis ora Quadi, Danubii ripam in Germania insidentes atque hi omnes Suevi fuerunt. quibus auxiliares fuerunt Boiorum nationes et Venedorum atque Sclavorum trans Vistulam et citra eo tempore habitantium. quorum haec nomina: Buri, Hirri, Halii, Salii, Iaziges, Guthones, Vandali, Sarmatae, Roxolani, Basternae, Alani, Peucini, Sicobotes, Saboci, Cystoboci sive Costoboci. horum Ptolomaeus fere, qui sub idem tempus quam clarissime mathematica conmentatus est, mentionem facit. hoc bellum gravissimum fuisse,

21 pericli *sic A u. B* 34 Roxalani *B* 35 Costobaci *B*

1 *Kaiserchronik, ed. Massmann, Vers 7155 flgd.* 36 *Ptol. p. 200. 201*

quantum nulla unquam memoria extiterit, tradunt romani scriptores; Marcomanicum vocari solet. gravis pestilentia multa millia paganorum et militum absumpserat; pene ad internecionem romanus deletus est exercitus. Marcus omni cura hanc expeditionem paravit. servos (quemadmodum bello Punico factum erat) in militiam ascivit, quos voluntarios exemplo Volonum adpellavit. armavit etiam gladiatores, hos obsequentes latrones nuncupavit. Dardaniae quoque ac Dalmatiae milites legit; emit et auxilia Germanorum contra Germanos. quosdam in deditionem accepit, infinitos in romano solo conlocavit, plurimos in Italiam transduxit. cum autem hoc bello aerarium exhausisset stipendiaque (quae militibus largiretur) deficerent neque in animum induceret, ut provincialibus senatuique molestus esset, extra ordinem aliquid tributorum imperando, auctionem sectionemque fecit, instrumenta imperatoriae supellectilis caesareique cultus, ornamenta et res aulicas in foro Traiano distraxit; aurea, chrystallina, myrrhina, argentea vasa et pocula, gemmas, mundum muliebrem uxoris (Faustinae) vestem suam et coniugis auratam, sericam vendidit, signa quoque cum tabulis magnorum artificum. per duos continuos menses istaec venditio celebrata est tantumque auri redactum, ut reliquias Marcomanici (belli) ex animi sententia persequeretur.

Nam et Pannonias, Germanis pulsis, servitio liberavit. Marcomanos in transsitu Danubii delevit, praedam excussit, provincialibus reddidit. multi tamen nobiles romani plurimarumque gentium proceres bello hoc Germanico atque Suevico interierunt, quibus omnibus statuas in foro Ulpiano posuit. suadebant saepius amici, ut a bello discederet Romamque veniret; monitus ipsorum contempsit, in proposito perstitit; Danubio traiecto Quadorum regionem Danubio continuam (quam Marcoveltas nominamus) occupat. ibi fugam simulantibus Germanis ad insidias locaque iniqua cum omni exercitu tractus, a subito erumpentibus Germanis circumventus est. romanus miles non solum de labore, via defatigatus erat, verum aestu et siti quoque laborabat nec spes ulla erat salutis, quin uti pecudes (et oves) deprensi in cavea multi a multitudine hostium trucidarentur (atque mactarentur.) legio tum christiana compraecationibus pluviam exercitui romano, quo sitim sedaret, et adversum Germanos fulmina divinitus impetravit. manus Germanorum de caelo tacta (ad internecionem deletur absque ope humana); extant imperatoris literae, quae testantur christianorum

36 coelo *B*

37 *Iustini op. ed. Otto. I, 1. App. p. 209.*

(militum) precibus (se et) romanas vires servatas esse. legio inde christianorum Fulminatrix cognominata est et augustus nostratis non tantum crimine et legibus adversus nos latis solvit, sed et poenam accusatoribus christianorum edicto publico conminatus est et statuit. dedicarant et ipsi (Marco) religionis nostrae apologiam (legendamque exhibuerant Iustinus philosophus, Melito) Asianus, Sardensis episcopus, Apollinarius Asiae Hieropolitanus) pontifex, (et Bardesanes ex Mesopotamia oriundus.) (ingratissimi hominum Romani ex inveterato in nomen christianum odio magicis artibus moribusve Marci caeleste beneficium divinamque opem adtribuunt, quod et Claudianus docet, ita scribens:

Nec tantis patriae studiis ad templa vocatus, | Clemens Marce, redis, quin gentibus undique cinctam | Exuit Hesperiam paribus fortuna periclis; | Laus ibi nulla ducum, nam flammeus imber in hostem | Decidit; hunc dorso trepidum flammante ferebat | Ambustus sonipes, hic tabescente solutus | Subsedit galea liquefactaque fulgure cuspis | Canduit et subitis fluxere vaporibus enses. | Tum contenta polo mortalis nescia teli | Pugna fuit, Chaldaea mago seu carmina ritu | Armavere deos, seu quod reor, omne tonantis | Obsequium Marci mores potuere mereri.

Voluit deinde Marcomaniam, hoc est Boiemiam, adgredi armis eamque in formam provinciae redigere. verum in oriente Avidius Cassius rebellavit, (coactus Marcus orientem petiit. Cassius occisus est, caput eius abscissum ad Marcumque delatum. (qui) reversus Romam, ornamenta imperialia, que ante vendiderat, redemit ab emptoribus; nulli quidem, qui ea servare voluit ac revendere noluit, molestus fuit. deinde rursus ad conficiendum bellum Marcomanicum conversus, triennio cum Quadis, Marcomanis, Sarmatis bellavit. (con)nitebatur Marcomaniam et Sarmatiam, (hoc est Boiemiae et Poloniae regnum,) provincias facere. in administratione huius belli apud Carnuntum morbo subito corripitur. ubi salutem desperavit, advocavit amicos et filium et hortatus est, ne reliquias belli contemneret atque ita maiestatem romani imperii proderet. terrebant Marcum Germani, gens vicina, quam nondum plane subiecerat, sed partim in societatem munificencia adsciverat, alios bello, armis domuerat. nonnulli effugerant, qui metu Marci in praesens se continebant. timebat, ne despecta filii aetate laeta bello gens

36 *In A folgt nach* timebat: Marcus.

2 *Dion. 71, Eus. H. E. V, 5. Chr. 172. Hier. Chr. 173* 5 *Tertull. Ap. 31. Eus. Hier. a. a. O.* 8 *Eus. H. E. IV, 26; 30. Hier. Cat. (1, 125 fg.) Chr. 173* 10 *Dion. 71 Claud. VI. cons. Hon. 339 fg.*

arma resumeret. haec secum volvens defecit Bendobonae, aetatis anno sexagesimo primo, imperii undevicesimo super mensem; imperavit cum fratre novem, solus decem. decessit filio Conmodo haerede, cum maximo reipublicae inconmodo.

Per hosce octoginta annos (tot enim ab exitu Domitiani ad Conmodum numerantur) divino favore contigere romanae aulae procerum mitissimi, qui egregie, persancte nec minus fortiter domi forisque rempublicam administrarunt. non necessitate adulationeque (uti fit), verum verissime et meritissimi cognominati sunt patres patriae, sanctissimi, sapientissimi, principes optimi, prudentissimi, clementissimi, imperatores. centum deinceps anni subsequuntur pestilentes, calamitosi, infames, perniciosi reipublicae, bonis malisque omnibus. (quidam nostratium ultima fata impendere orbi terrarum rebusque et Christum regem caeli in maiestate adventurum eo saeculo opinati sunt scriptisque prodiderunt. fuit tempestas sane concitatissima crebris bellorum tumultibus, turbulentissima civilium armorum procellis, continua principum mutatione insignis, quorum maxima pars saevi, truculenti, avari, caedis sanguinisque avidissimi, stupris, ganeis dediti, flagitiis supra captum humanum (quae mihi aperte nominare religio est) polluti, virtutum literarumque hostes, optimi cuiusque capitales inimici. quos etsi suprema illa maiestas salutaribus patronis, sed admodum paucis interpolarit, ne omnino periret romanum imperium, parum tamen hi proficere potuerunt; brevi rerum potiti perempti trucidatique sunt posthabita tum senatus populique romani authoritate. turba militaris enim cauponari solebant; ita omnes caesares vi fraudeque perierunt sine discrimine iuxta boni malique. praetereo latronum bella, triginta tyrannos, qui per diversas orbis partes rempublicam rapuerunt, dilacerarunt, vexarunt. inlustrissimus quisque atque ditissimus civium interemptus est in Italia et provinciis, quae praeter saevissimorum dominorum compilationes a Germanis in occidente, a Parthis Persisque in oriente crebris excursationibus vastatae, direptae exhaustaeque sunt. (pestilentia, fame crebro laboratum. Roma incendio vastata ibique templum pacis incensum.) nequaquam loqui, quae sentiebas, at sentire, quae loquebare, licebat. ea infelicitas temporum erat; tot calamitatibus durasse rempublicam aut omnino romanum nomen mirari soleo. quid miseris tum illis, qui haec (omnia) perpessi sunt, animi fuisse

19 nominare aperte mihi *A* 24 Romanique *A u. B*

1 *Herod. I, 3, 5* 34 *Herod. I, 14. Dion. 72.*

credis, cum legenti dumtaxat ac obiter revolventi memoria horrorem (et) dolorem incutiant! o miseranda, o lugenda respublica romana, (quam) iure pilam fortunae dixeris! huccine venere imbecillitatis Romani, rerum domini, ut per mulierculas, Victorinam in occiduo sole, Zenobiam vero ad eurum, servati armisque defensi sint. sub Diocletiano caput sustulit romana maiestas, quem parentem conditoremque aurei saeculi rerum authores vocare solent. iam (inscriptiones nomismatum, quae in Boiaria reperi et inveni,) Commodum (que) paucis subtexam.

L AVREL VERUS AUG ARMENIACUS TR POT P M COS II S C.

MARC ANTONINUS AVREL VERVS AVG IMP II COS TR P IIII S C.

IMP M AVREL ANTONINUS AVG CONCORD AVG TR P XVI COS III.

FAVSTINA DIVA AVG FECVNDITAS.
FAVSTINA AVG CONCORDIAE.
DIVA FAVSTINA AETERNITAS.
P FAVSTINA AVGVSTA DIA VENVS VICTRIX.

COMMODUS. 18.

Cap. 22 (M.) Aurelius Commodus Antoninus imperavit annos tredecim; saevior Domitiano, impurior Nerone fuit. ab aulico famulicio (quos mures et tineas imperator Licinius vocare solebat) corruptus est. hi cum voluptates urbis crebro adolescenti conmemorarent, perpulere eundem, ut contra monita parentis, contra consilia amicorum paternorum bellum a patre contra Germanos coeptum et pene confectum desereret. (nam) Germanos magnis praemiis in amicitiam sibi adiunxit, qui (ut ait Herodianus) periculorum despicientes aut populationibus incursibusque victum parant aut proposita mercede pacem venalem habent. Commodus igitur, ut pecunia, qua maxime abundabat, securitatem redimeret, nihil Germanis, videlicet petentibus, denegavit. regibus Germanorum addictus arma deposuit Romamque profectus est, ubi omni flagitiorum scelere se contaminavit; crudelissimus in omnes, etiam suos fuit. Britania, (cuius duces Clodius Albinus et Iunius

18 *Am Rande in A ferner*: IMPP INVICTI PII AVGG VICTORIA PARTHICA MAXIMA — DIVA FAVSTINA PIA VSRECRITAS *[sic; sollte wohl heissen:* consecratio; *s. Cohen II, 580 flgd.]* — DIVA FAVSTINA AVGVSTA — DIVA AVGVSTA FAVSTINA AETERNITAS SC.

3 *Vict. ep. 18* 7 *H. A. Heliog. 35* 20 *Vict. ep. Cass. Chr. 442. Zum flgd. vergl. H. A. Comm.* 22 *Vict. ep. 41* 23 *Herod. I. 6* 27 *Herod. I, 6* 31 *H. A. 3 (legibus).*

Severus) Dacia, Germaniae in Gallia eius imperium detrectarunt; omnia sedata per duces sunt. Maternus quidam conquisita ingenti latronum manu graviter Hispanias, Gallias, Italiam adtrivit; Romam quoque tentavit, ubi proditus a suis occubuit. Romam incendium, fames, pestilentia adflixit. templum pacis conbustum est. tandem electus cubicularius Q. Aelius Laetus, praefectus praetorio, Martia concubina adversus Commodum conspirant; veneno primo (hominem) adgrediuntur. quod cum parum proficeret, per Narcissum athletam, cum quo exerceri solebat, Commodus strangulatus est anno aetatis tricesimo secundo. sic fecit, sic passus est. nomen eius ex omnibus monumentis erasum. est.

Legatus in provincia (Vindelicorum,) quam Boii tenent, fuit Septimius Severus, postea Roma potitus; canitur aduc apud nos. Apollonius senator romanus, (accusatus a servo, quod christianus esset, iussus religionis rationem reddere,) insigne volumen primus Latinorum romana lingua de religione nostra scripsit et in senatu recitavit securique percussus est sententia senatus ob pietatem in Christum. (vetus enim lex erat, christianum delatum, nisi negaret Christum, non dimittendum, sed capite plectendum esse.)

COMMODVS ANTON AVG TR P IMP S C COS IIII.

M COMMODVS AVG COS V PP.

M COMMODVS ANTONINVS AVG PIVS BRIT P M TR P X IMP VII COS II P P.

PERTINAX. 19.

Cap. 23. Publius Aelius Pertinax, obscuris crepundiis apud Ligures natus, eruditissimum grammaticum Sulpicium Apollinarem audivit, post quem grammaticen professus, ludum aperuit literarium. ubi cum minus lucri esse videret, ad militiam se contulit; egregie operam rebus bellicis navavit, a Marco amatus in senatumque lectus. a Commodo legatus in Britaniam missus est, eam et exercitus in ea alium imperatorem flagitantes pacavit. deinde a Commodo praefectus

9 trecesimo *B* 14 *Am Rande in A:* Miltiades apologeticon imperatori dedit *[Hier. Cat. I, 128]* — De christianis Irenaeus *[darüber* Fridrich*]*, tum episcopus Lugdunensis, vir doctissimus, primus latinus hoc anno editus *[Contra haereses, Froben. Basil. 1526?]* 22 *Am Rande in A ferner:* M COMMODVS ANTONINVS AVG BRIT P M TR P III COS VII FEL EXERCIT — M COMMODVS ANTONINVS AVG PIVS TR P VIII IMP VI COS IIII P P S C 29 Conmodo *A*

4 *Her. I, 10* 5 *Her. I, 12. 14* 10 *H. A. 15. 17. 19. 20. Her. I, 17. Dion. 72* 12 *Kaiserchronik, ed. Massmann, Vers 6641 flgd.* 18 *Hier. Catal. (I, 128). Eus. H. E. V, 21* 24 *Vergl. H. A. Pertin.*

urbis creatus est. interfecto Commodo percussores Commodi ei imperium obtulerunt, quod senatusconsulto accepit. spes erat omnibus, per eius virtutes restitui posse omnia. verum urbanae cohortes praetorianique milites, imperatorum custodiae adhibiti, rapinae, stupris, ganeae sub Commodo adsueti, sanctitatem Pertinacis ferre non potuerunt impetuque in Palatinas aedes de improviso facto quinto calendas Apriles imperatorem trucidarunt. vixit annos 60, menses 7, dies 26, imperavit menses duos, dies quinque et viginti. sub idem tempus Victor primus pontifex romanus de religione nostra latine conmentatus est; secundus post Apollonium theologus latinus.

IULIANUS. 20.

Cap. 24. Didius Iulianus Severus Mediolanensis, iureperitus, ingenti pecunia emit a militibus praetorianis imperium. nam cum hi Pertinacem occidissent, venale romanum imperium proscripsere. Flavius Sulpicianus consul, praefectus urbis, socer Pertinacis, et Iulianus licitati sunt. cumque ille suspectus ob adfinitatem occisi imperatoris militibus esset et hic plura promitteret, admissus in castra imperator salutatur. hinc primum corrupti militum mores; avaricia latius serpente usque ad contemptum et sanguinem imperatorum inicium causaque militibus fuit imposterum, ut quam turpissimi contumacissimique evaderent. Iulianus stipatus militari turba in senatum vespera venit factoque senatusconsulto imperator adpellatus est. verum exercitus caeteri, qui limites imperii custodiebant, Iuliani scelus detestabantur; in eius verba iurare detrectabant, quod imperium redemisset et eius fraude imperator Pertinax caesar augustus (cuius virtutibus maiestatem romanam instauratum iri sperarant) periisset. a germanis exercitibus apud Rhenum in Gallia Clodius Albinus, legatus Britaniae, iuxta Danubium in Norico Septimius Severus caesares declarantur. Severus Romam infesto agmine petit, Ravennatem classem occupat. inde recto itinere ad urbem armatus cum Germanorum auxiliis tendit. quod ubi Iulianus accepit, rogavit senatum, ut virgines Vestales, caeteri sacerdotes cum senatu obviam exercitui Severi prodeant, praetentis infulis sacrisque pro Iuliano orent vitamque impetrent precariam. Faustus Quintillus consularis augur contradixit, asserens, non debere imperare eum, qui adversario non posset resistere. sententiam huius senatus secutus est. iam Severus Romae adpropin-

12 *Am Rande in A*: Salvii Iuliani filius 20 imposterum *sic A u. B*

2 *Eutr. VIII, 16* 10 *Hier. Chr. II, 175* 12 *Vergl. H. A. Herod. II, 6. Dion. 73.*

BSB

quabat et praemiserat literas, quibus imperatoris Pertinacis percussores servari iubebat senatusque authoritate Iuliano imperium abdicatum. statim Severus imperator adpellatus est missique a senatu, quorum cura per gregarium militem in palatio occisus est Iulianus, ab omnibus desertus, aetatis anno sexto et quinquagesimo super menses quatuor. imperavit menses duos, dies quinque. corpus a Severo redditum est Manliae Scantiliae, uxori eius.

SEVERUS. 21.

Cap. 25. Septimius Severus Pertinax, a legionibus germanicis apud Carnuntum, Pannoniae oppidum, sive (uti alii scribunt) Sabariae imperator salutatus est idibus Augusti, anno orbis servati centesimo super quartum et nonagesimum statimque Pertinax cognominatus, quasi ultor Pertinacis augusti ab omnibus receptus est. Germanos muneribus et donis pacavit ac sibi coniunxit. extant de eo carmina vernacula lingua scripta in bibliothecis. praetorianas cohortes exauthoravit, armis, vestibus, militaribus ornamentis exuit; intra centesimum ab urbe lapidem apparere vetuit. imperatorem Pertinacem contra voluntatem militum in numerum deorum retulit. arma contra Nigrum (qui in oriente se imperatorem vocarat) moturus, ne duplici bello implicaretur, Clodium Albinum, Britaniae legatum, caesarem a militibus iam adpellatum, ipse quoque caesarem designat atque declarat. victo Nigro (quippe invida est societas regni) omnem Martis impetum in Albinum (quem ante consortem imperii fecerat) convertit, ipsum apud Lugdunum devicit (Galliae oppidum est). ambobus capita abscissa piloque circumlata; amborum liberi occisi, uxores necatae, amici interempti, bona fisco addicta sunt. rebus bellicis omnium principum clarissimus fuit Severus; Persas, Parthos, Arabas, Britanos superavit. in Britania vallum murumque per transversam insulam utrimque ad oceanum duxit; ab hostium incursatione romanos munivit fines. graecis literis latinisque eruditissimus, vitam suam privatam et publicam ad fidem scripsit, solum crudelitatis vicium excusans. in-

9 *Am Rande in A u. a.*: De christianis Theodotus, oriarius, Artemon, sophistici theologi corrupere scripturas dialectica, Euclide, Aristotele, Theophrasto, Galeno. *[Eus. H. E. V, 28]*. — Iudas tum scriptor christianus Antichristum regnare dixit ob persecutiones. — Basilides carnifex ait, sibi omnino nou licere iurare, quod christianus esset; capite truncatur, martyr efficitur. *[Eus. H. E. VI, 5]* 10 ut *A* 27 *Am Rande in A:* Assyriam.

9 *H. A. Sev.* 15 *Wohl Kaiserchronik, Vers 6641 flgd.; vergl. oben S. 217* 18 *Her. II, 13* 22 *Her. II, 15* 24 *Vict. Eutr. VIII, 18. Her. III, 7* 25 *Vgl. H. A. Pesc. 6. (Sev. 11. 12)* 31 *H. A. 1; 18. Vict. ep. Her. III, 15.*

gentia animi bona perfidia, fraude punica (nam solus Africanorum humili loco natus imperavit), avaricia et crudelitate contaminavit. plus quam quadraginta urbis Romae summos viros, consulares et praetorios indicta causa occidit. Hispanorum et Gallorum proceres innumeri perempti, multae etiam mulieres inlustres interfectae, omnium patrimonia publicata sunt. sub gravi admodum poena vetuit Iudaeos fieri. itidem de christianis sanxit, quamobrem in nos saevitum est. Leonides, pater Origenis, devotus Christo maluit occidi quam fidem datam deo, authori vitae, frangere. sub idem tempus Q. Septimius Florens Tertullianus Africanus et Carthaginensis sacerdos, praeceptor divi Cypriani, primus post Victorem et Apollonium latinis

3 *Am Rande in A u. a.:* Victor p(ontifex)m(aximus)movit litem de celebrandis paschalibus; ipse voluit die solis celebrari. hactenus celebratum iuxta legem Mosi[s] luna mensis Martii. Irenaeus episcopus Lugduni schrib obgenantem pabst, er solt kein uneinikeit unter den christen von des ostertags wögen nit machen *[Hier. Catal. I, 127]* . . . . . *[Wiederholung]*. Polycrates episcopus Ephesiorum cum caeteris Asiae episcopis adversatus est scripsitque ex concilio ad Victorem inter caetera haec: docet, se Ioannis apostoli et veterum maiorumque autoritatem sectari. nos, inquit, inviolabile celebramus festum neque addimus quicquam neque deminuimus, quippequidem apud nos in Asia requiescunt maxima elementa, quae resurgent in die domini, ~~qui~~ venturus est in ~~plena~~ sua maiestate de caelo et suscitabit omnis sanctos: Philippum (dico), qui unus ex duodecim fuit, qui in Hierapoli quiescit et dormivit, ubi et eius duae filiae virgines consenuere; et tercia item eius filia spiritu sancto plena in Epheso cubat. sed et Ioannes, qui supra pectus domini recubuit, eius pontifex maximus fuit, aurea lamina ~~luminar~~ in fronte portavit, martyr et doctor, in Epheso dormivit. Polycarpus martyr et episcopus in Smyrna ~~cubat~~ (?) . . . . (?). Thraseas episcopus et martyr ab Eumeneiâ in eadem Smyrna requiescit. non est opus mentionem facere Sogaris episcopi et martyris, qui Laodicêa cubat, et beatissimi Papyrii et Melitonis, qui semper serviens domino in Sardis cubat et expectat resurrectionem in adventu domini *[Eusebius V, 24]*. hi omnis observarunt festum paschale 14 luna, ab evangelica traditione nihil omnino declinantes et ecclesiasticum sequentes canonem. ego quoque, minimus omnium vestrum, Polycrates, secundum doctrinam propinquorum meorum, quos et secutus sum (siquidem septem fuerunt cognati mei episcopi et ego octavus) semper pascha celebravi, quum Iudaeorum populus azyma faciebat. itaque, fratres, sexaginta quinque annos natus in domino et a multis ex toto orbe terrarum fratribus eruditus, peragrata universa scriptura non formidabo eos, qui nobis minantur. Dixerant enim maiores mei oboedire deo magis oportere quam hominibus *[Hier. a. a. O. I, 128]*. ex hac contentione orta persecutio maxima. — Iudas scripsit chronica; usque ad Severi decimum annum, qui est Christi 206, perduxit; ob magnitudinem persecutionum Antichristi adventum circa sua tempora dixit futurum. *[Hier. a. a. O. I, 129]*. Tertullianus *[Eus. H. E. VI, 7; Tertull. ad uxorem I, 5]* quoque adfore diem ultimum suspicatus, quem expeditionem vocat.

2 *Eutr. VIII, 18. Hier. Chr. II, 175. Cass. 443* 9 *Eus. H. E. VI, 1; Chr. 176. Hier. Chr. 177.*

BSB

literis veritatem philosophiae christianae inlustravit. omni genere literarum peritus, acumine ingenii et rerum eruditione facile caeteris praestat. causam religionis nostrae adserendae plene peroravit in eo libro, cui Apologetico nomen est, primus Latinorum, qui quidem extet, theologus.

Vixit Severus annos undenonaginta, imperavit annos duodeviginti. morbo gravatus orationem Salustii, qua Micipsa filios ad concordiam hortatur, Antonino maiori filio misit. ultima eius fuere verba: turbatam rempublicam accepi, pacatam, etiam Britanis domitis, relinquo, senex et aeger pedibus, firmum imperium Antoninis meis relinquo, si boni fuerint, inbecillum, si mali. obiit in Britania. de eo ita senatus iudicavit: aut nasci non debuisse aut mori; quod et nimis crudelis et nimis utilis reipublicae videretur.

IVLIA MAESA AVG SAECVLI FELICITAS.
HEL SEP SEV PER AVG COS II BONAE SPEI.
SEVERVS AVG PAR MAX RESTITVTOR VRBIS.
SEP SEV PERT AVG COS II INVICTO IMP.
SEP SEV PERT AVG COS II P P P M TR P III.

CARACALLA. 22.

Cap. 26. M. Aurelius Antoninus Bassianus Caracalla, ita a vestimento demisso usque ad talos, quod populo dederat, cognominatus, filius Severi imperatoris, fratrem suum Getam Antoninum interemit, ut solus rerum potiretur; eundem in numerum deorum retulit. sit divus inquit, dum non sit vivus. inter caenandum interfecit Serenum Sammonicum, virum ea tempestate doctissimum, cuius medicinalia versibus conscripta extant. Aemilium Paulum Papinianum, praefectum praetorio, asylum iuris et doctrinae legalis thesaurum, securi percuti in conspectu iussit, quod paricidium diluere oratione recusaret, adfirmans, non tam facile paricidium excusari posse quam fieri. Iuliam novercam uxorem duxit, quae pulcherrima fuit. ea cum per negligentiam forte fortuna maxima corporis parte se nudasset, conspecta est a privigno; qui libidinis inpatiens dixit ad eam: si liceret, liberet; ipsa respondit; si libet, licet; imperator es, leges dare soles, non accipere. ita paricidio incestum iunxit et uxorem duxit, cuius filium interemerat.

Germani tum Danubio superato Rhetias, Vindeliciam, provincias,

14 *Am Rande in A*: S C 19 christiano lacte enutritus, ait Tertullianus *[ad Scap. 4] am Rande in A*

1 *Hier. Chr. 177. Catal. (I, 129)* 2 *Lact. I. V, 1* 3 *Hier. Ep. 70* 19 *H. A. Carac.*

quas incolimus, vastant, diripiunt. Caracalla ad Danubium proficiscitur, Germanos omnes sibi adiungit atque in amicitiam conciliat, amplissimis prosequitur largitionibus. ex illis bellorum socios et custodes corporis validissimum quemque et pulcherrimum adsciscit. saepe etiam romano cultu deposito germanicam vestem induit, flavam caesariem (sicut Germanorum capilli sunt) capiti inponens. Germani eum mirifice dilexerunt. pergens inde a Danubiano limite per Thraciam et Macedoniam in orientem tendit et Aegyptum. unde ad Euphratem contra Parthos movit, quos fraude vicit. in Mesopotamia, medio itinere inter Edessam et Charras, dum levandae vesicae gratia ex equo descendisset, a Martiale stratore suo, cuius fratrem indicta causa occiderat, per latus confossus interiit. conscius caedis et author fuit Macrinus, praefectus praetorio, qui post imperavit. Germani, quibus delectabatur Caracalla et custodibus corporis utebatur, propiores caeteris primique facinus conspicati, fugientem Martialem consecuti missilibus confodiunt. occisus est Caracalla octavo idus Aprilis, natali suo, imperii anno sexto, vitae tercio et quadragesimo.

SEPT GETA CAES PONT M PRINC IVVENTVTIS.

SEPT GETA CAES.

Columna lapidea Oenobrigae (urbs est Noricorum), cuius is titulus:

IMP CAES M AVRELIVS ANTONINVS.

MACRINUS. 23.

Cap. 27. Opilius Macrinus, homo novus, obscurissime natus, occiso imperatore Antonino Caracalla (cuius praefectus praetorio fuerat) cum filio Diadumeno, quem Antoninum nuncuparunt, rebus romanis imponitur. aliquot praeliis Parthos fudit, deinde cum Artabane rege eorum pacem fecit. Antiochiae substitit, Romam cum suo periculo venire tardavit. imperavit annum unum, menses duos; a militibus, cum luxuriam eorum atque aviditatem conprimere conatur, cum filio occiditur in suburbano Chalcedonis, urbis Bithyniae. iam milites caedibus et sanguine caesarum inbuti, simul luxuria perditi, avaricia et pecuniae studio depravati, omnia venalia habere coeperunt. ubi nummorum maior aurique fulgor adfulsit, continuo consilium iniere principis mutandi in eumque summam rerum transferendi, qui plura largiturus sperabatur. verissime de romano milite Lucanus scribit:

6 imponens *A* 21 CAESAR *B* 23 *Am Rande in A*: Abgarus (vir est) regnat Edessae, Africanus *[Eus. Chr. II, 178. 179].*

7 *Herod. IV, 7* 9 *eb. 8—12* 17 *H. A. u. Her. IV, 13* 23 *H. A. Macr.* 27 *H. A. S. Her. V, 2; 4* 30 *Eutr. VIII, 21. Vict. H. A. 10* 35 *X, 407.*

BSB

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur,
Venalesque manus; ibi fas, ubi maxima merces.

HELIOGABALUS. 24.

Cap. 28. **M. Aurelius Antoninus Bassianus Varius Heliogabalus, monstrum potius quam homo, romanam maiestatem biennio et mensibus octo polluit, cui Nero conparatus bonus est. quomodo venerit ad imperium, aperire necesse est, ut videamus, quibusnam dominis italica virtus Romaque, caput mundi, servierit. Moesa Varia ab Emesa civitate Phoeniciae, soror fuit Iuliae Augustae, uxoris Septimii Severi augusti. quamobrem apud sororem in aula sub duobus caesaribus versata est. habuit duas filias, Semiamiram et Mammaeam; haec ex Vario marito peperit Alexianum Arcenae, quae urbs est Syriae; illa constuprata in palatinis aedibus a Caracalla genuit Heliogabalum, Varium cognomine, quod vulgo conceptus credebatur. Macrinus imperio potius mulierem aula exegit domumque relegavit. milites pecunia, quam solam spectabant, a Moesa, quae ditissima erat, inescati, eius nepotem Heliogabalum ut filium Antonini Caracallae augusti, annum agentem quartum decimum, imperatorem et augustum salutant, M. Aurelium Antoninum nuncupant, declarato consobrino huius Alexiano caesare, quem Alexandrum nominarunt, interfectoque imperatore Macrino cum filio Romam contenderunt. ubi quae scelera, quae flagitia Heliogabalus conmiserit, fas non est et pudet dicere; ne nomina quidem Germanis cognita sunt. sed similem exitum vitae invenit; ut vixit, ita interiit. milites sui facto impetu in latrina, ad quam confugerat, eum occiderunt; cum ipso matrem, aviam, servos pariter et ministros scelerum trucidant. corpus eius per publicum, per vias, per spacia circi tractum et in cloacam abiectum, novissime, cum angustior esset cloaca, quam ut cadaver reciperet, inde ad Tiberim pertractum in flumen praecipitatur, annexo pondere, ne fluitaret aut emergeret neve unquam sepeliri posset. unde nec post mortem contumelia caruit, vulgo Tracticius Tiberinusque cognominatus. nomen eius ex monumentis senatus consulto erasum est. vixit annos 16. nescio quo fato Germani sub eo quieverunt, forsan nemo literarum**

2 *Am Rande in A*: IMP C M OPER SEV MACRINVS AVG TEMPORVM SECVRITAS 4 *ebendort:* IMP M AVR ANTONINVS AVG SALVS ANTONINI AVG.

6 *Vict. ep. Eutr. VIII, 22* 15 *H. A. Macrin. 9. Heliog. 2. Al. Sev. 1. Herod. V, 3* 18 *Her. V, 3. 8* 21 *Hel. 1. 5; 10. Macr. 9. Her. V, 7.* 32 *H. A. Macr. 15. Heliog. 17. 18. Vict. ep. Her. V, 8, Eutr. VIII, 22.*

memoriae conmendavit, aut si quidem scriptum fuerit, periit incuria (ut plaeraque) temporum. nam bellum Heliogabalum optasse authores habeo. nam cum Marcomanis bellum inferre cuperet, dictum est a quibusdam, carminibus et consecratione, iussu Marci Antonini, Marcomanos populo romano devotos esse nec unquam fore hostes. quae cum inquireret, suppressa sunt. constabat enim ob hoc consecrationem quaerere, ut eam recantaret spe belli concitandi, et idcirco maxime, quod audierat responsum fuisse, ab Antonino bellum Marcomanicum finiendum esse. praeterire non debeo (nempe res admonuit), alium caesarem, alium augustum fuisse apud veteres. augustus princeps erat, quem senatus conprobarat, et rerum habenas moderabatur; quem nunc a romano pontifice inunctum voce latina imperatorem, patrio sermone caesarem nuncupamus. caesares dicti sunt, quasi quidam principum et augustorum filii et designati augustae maiestati haeredes atque successores; nunc reges Romanorum vocare solemus; maiores Francorum nominabant, quales Franci occidentales delphinos nuncupant.

ALEXANDER 25.

Cap. 29. M. Aurelius Septimius Alexander Severus, ante caesar designatus, imperium cum augusti nomine a senatu accepit. pesti generis humani adolescens sane optimus, domi forisque iuxta clarissimus successit, qualem post Augustum respublica non facile habuit; vivum virtutum exemplar, quibus enarrandis libet inmorari. primum adulatores, parasitos, exoletos, acroamata, eunuchos et huiusmodi pestes principum aula amovit vendiditque. dominum se adpellari vetuit. amavit literatos omnis vehementer, eos formidans, ne de se asperius quid in literas mitterent. literas graecas et latinas impense coluit; graeca tamen facundia plus valuit; versu non invenustus, vitas bonorum principum carmine complexus est. ex Graecis legit Platonem, ex Latinis Ciceronem saepius in libris officialibus et maxime de republica. legit item Horatium et Vergilium, quem Platonem poetarum vocare solebat. doctis salaria instituit, grammaticis, rhetoribus auditoria quoque decrevit, quibus pauperum filios, ingenuos modo, cum annonis dari iussit, quemadmodum et apud nos in plaerisque academiis nostro aevo imperator Maximilianus factitavit. constituit et annonas oratoribus in provinciis, quos venales linguae non esse, sed gratis agere constitit. in convivio privato legebatur ei ad mensam. conviviis semper adhi-

5 est *st.* esse *B* 19 antea *A* 36 venalis *A*

9 *H. A. Heliog. 9* 19 *Zum flgd. vergl. H. A. Heliog. u. Al. Sev.*

buit doctos, ut haberet confabulationes literatas, quibus se recreari ac pasci dicebat. ad Atheneum Romae frequens itavit, ut audiret poetas, oratores graece, latine recitantes. fesso rebus publicis et sollicitudine summa illa oblectatio fuit, catulorum cum porcellis lusio aut perdicum pugna, avicularum sursum deorsumque volitatio.

Bene meritos de republica scriptos habuit; et cui et quaecunque largitus est, adnotavit, adiecto nomine eius, in quem munificus fuerat. et si quem scivit, qui aut nihil petierat aut non multum acceperat, eundem ultro vocavit hisceque verbis conpellávit: quid est, cur nihil petis? an me vis tibi fore debitorem? pete, ne privatus de me queraris. anaematon eius imperium fuit, hoc est, citra sanguinem imperavit. amicos optimos habuit, quorum consilio et opera in bello, in ocio, in negotio usus est. Domitius Ulpianus, Tyrius, magister epistolarum et scrinii fuit, iureperitissimus. itidem Iulius Paulus, legum consultissimus, et caeteri Papiniani discipuli, iuris professores, arcta familiaritate et consuetudine Alexandro coniuncti fuerunt, quorum nomina haec sunt: Pomponius, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Alphenus, Africanus, Florentinus, Venúleius, Tryphonius, Metianus, Celsus, Proculus, Modestinus; hi aduc nominantur. nemini malo ad salutandum principem aditus in aulam patuit; per praeconem in vestibulo praetorii dicebatur: nemo ingrediatur, qui se non innocentem novit; nemo salutet principem, qui se scit esse furem. in animo habuit omnibus officiis et magistratibus propriam vestem dare, ut ex vestitu dinoscerentur. invitos non ambientes reipublicae admovit. sapientibus, quos consulere solitus fuit, spatium dedit ad cogitandum, ne non meditati dicere de reipublicae ingentibus rebus cogerentur.

Quando de iure et negotio civili ambigebatur, solos iuris prudentes et disertos adhibuit; si vero de re militari agebatur, milites veteres, senes, benemeritos, locorum, bellorum et castrorum peritos et maxime eos, qui historias norant, rogavit, inquirens ab his, quidnam in huiusmodi re, de qua disceptabatur, veteres imperatores vel romani vel exterarum gentium fecissent. unumquemque agere, quod nosset, iussit; habere militares suas administrationes, habere literatos, dicebat. diligentissimus fuit, cui nemo posset imponere, et si quis urbane tentabat, intellectus mox dedit poenas. daturus rectores, praepositos, procuratores, nomina eorum proponebat publice hortaturque populum, ut, si quid criminis quispiam eorum, quorum nomina edita erant, haberet, manifestis probaret accusator rebus; quod si non argueret, capite lueret poenam. grave enim esse dictitabat, id

13 Domitianus *B* 22 principem *fehlt in B* scit se *B* 24 admonuit *B*

non fieri in provinciarum rectoribus, quibus et fortunae et hominum salus conmitterentur, quod christiani factitarent in praedicandis sacerdotibus, quum hi initiandi forent. nos ne umbram quidem huiusce rei tenemus, infames adolescentuli, imperitissimi quique, caeteris rebus inepti, ultro se non vocati contra religionis maiorumque instituta sturnatim graculatimque ingerunt. quod si quis repulsam patitur, continuo Romam properat, ubi muliones, cocos et ineptissimos quosque (quos Germania ut vulgus prophanum sacris arcet) aris dei optimi maximi admovent sanctissimi patres, non sine magna bonorum ignominia, adeo ut iam sacerdos contumeliae sit vocabulum. illos profecto aut de se ipsis et religione male sentire et opinari aut illudere populo christiano necesse est; opera ostendunt artificem, ex fructu arbor cognoscitur. Christus nos servet; Petrus dormitat, Simon, ne dicam, Antichristus, rerum potitur.

Sed ad Alexandrum redeo. qui in templo ne guttulam quidem aut bracteolam auri posuit, susurrans illud Persianum: in sanctis quid facit aurum? idem Christum ut deum coluit eique templum aedificare ac eundem inter deos publice recipi voluit. verum legum vetus erat decretum, ne quis deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probaretur. christianos fieri passus est. qui cum publicum locum occupassent, quem popinarii sibi deberi dicebant, rescripsit, melius esse illic quocummodo deum coli, quam popinariis dedi. clamabat saepius: vis ab alio pati, quod alteri facis. audierat enim a christianis et memoria retinebat idque per praeconem, cum aliquem emendabat, dici iubebat: quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. quam sententiam adeo probavit, ut et in palatio et in publicis operibus praescribendam curaret. haec nimirum lex dei est, quae omnes iusticiae numeros conplectitur, cui ut divinae omni devotione parendum est; si quidem dei discipuli templaque et inmortalitatis candidati sumus, nos ipsos in altero cogitemus. nam in hoc religionis et sacrae philosophiae summa consistit, ut non facias alteri, quicquid ipse ab altero pati nolis. qui hanc legem sequitur, supra omnes leges est, quae nihil sine moribus (ut ait Flaccus) vanae proficiunt. et tam multae, tam obscurae sunt, ut neque legi neque intelligi queant nisi a paucissimis, qui, cum aequissimas habeant leges, iniquissimis tamen

3 *Das flgd. von* nos — potitur *in B eingeklammert* 21 rescripsit caesar *A* 22 quem *B* 28 complectitur B

8 *Hor. C. III, 1* 20 *Tertull. Apol. p. 28* 32 *Vgl. Lact. de ir. 17, 5. Inst. VII, 27. VI, 18. 23* 33 *Hor. C. III, 24.*

vivunt moribus, id quod et in protritum proverbium vel vulgo imperito cesserit.

Tabellarium Alexander, ut ad rem redeam, qui falsum causae brevem retulerat, incisis digitorum nervis, ne unquam tam scriberet, deportavit. Vetronium Thurinum familiarem (quod solitus hic erat suffragationem vendere, dictitans in sua potestate esse imperatorem, quum nihil ad ipsum referret) ad stipitem in foro ligatum fumo necari iussit cum hoc elogio: fumo pereat, qui fumum vendit. militarem quoque disciplinam diligentissime tenuit (nos penitus nullam habemus); quasdam legiones, quod lascivirent licentius, integras exauthoravit. item cum quandam aniculam adfectam iniuriis a milite audisset, exauthoratum eum militia servum anui dedit, ut ipsam pasceret, quod carpentarius esset. et cum doleret hoc conmilitonibus, terruit eos persuasitque omnibus, ut modeste ferrent. caeterum milites et eorum annonam diligenter curavit. tribunos, qui per stellaturas milites defraudassent, capitali supplicio affecit. (invaluit et apud nos stellaturae crimen in aulis principum). milites ditavit, quod egestas ad omne facinus armatum impelleret.

Artaxerxem, potentissimum Persarum regem (qui interfecto Artabano cum omni familia, regum maximo, regnum a Parthis ad Persas transtulit) devicit, centum et viginti millia Persarum occidit, de Persis spectabili pompa triumphavit. trecenti elephanti turriti cum sagittariis et sagittarum onere capti, ducenti interfecti; falcati currus mille ablati Persis; inter amnes Tigrim et Euphratem provinciae receptae, quas Artaxerxes vastarat. dum haec in oriente geruntur, Germani Rhenum Danubiumque transgrediuntur, in fines romanos hostiliter intrant oppugnantque exercitus ripis insidentes atque caedunt, deinde per vicos et urbes discurrunt, Gallias vastationibus diripiunt, Italiae cervicibus inminent. haec ubi Alexandro Antiochiae tum agenti literis nunciata sunt, continuo profectionem edicit et compositis rebus in oriente praesidioque firmatis limitibus imperii et ripis Euphratis atque Tigris ipse cum reliqua omni multitudine, apparatu quam maximo adversus Germanos properat barbarasque orientis nationes, quae sagittis plurimum valent, Armenios, Osdroaenos, Osrhooenos, Parthos, item Mauros, iaculatores optimos, secum ducit. confecto celeriter itinere Romae cum maximo omnium

31 que *fehlt in B* 35 *sic A u. B*

14 *Eutr. VIII, 23* 29 *Her. VI, 7. H. A. 59* 36 *Her. VI, 6 u. 7; H. A. 61. Max. 11.*

gaudio excipitur triumphoque pulcherrime acto septimo calendas Octobris apud senatum de rebus gestis verba fecit. post hoc cum ingenti gloria, comitante senatu, equestri ordine, omni denique populo, circumfusis undique mulieribus et infantibus, pedes palatinas aedes conscendit. retro currus triumphalis a quatuor elephantis trahebatur; portabatur manibus hominum Alexander vixque illi per quatuor horas ambulare permissum est, undique omnibus adclamantibus: salva est Roma, quia salvus est Alexander.

Post haec ad ripam Rheni arma movet, deducentibus eum cunctis per centum et quinquaginta millia passuum. erat autem gravissimum bellum reipublicae. Alexander Mogonciacum iam venerat; ibi res ad bellum huiusmodi necessarias comparat. pontem ibi primo iunctis inter se navigiis in Rheno fecit, ut per eum exercitus transgrederetur in Germaniam Magnam, quo iam Germani depraedatis Galliis conces-serant. huic bello intentum, milites fraude Maximini, tyronum praefecti, qui eos grandibus pollicitationibus inescarat, Alexandrum cum paucis agentem in vico Sicilia in agro Mogontino interficiunt Mammaeamque matrem eius contrucidant. matrem avariciae, filium, quod ut pupillus mulieri nimis imperiosae obsequeretur, accusabant. imperavit Alexander tredecim annos, dies novem, vixit annos undetriginta, menses tres, dies septem.

Hisce temporibus Origenes ille maximus omnium secundum legatos Christi (testibus Hieronymo et Augustino) veritatis divinae assertor, magna fama, maiori gloria, caelestes literas interpraetatus est et philosophiam christianam magna auditorum frequentia publice docuit, cultoribus quoque deorum venerabilis. ad imperatores romanos, caesares augustos matresque eorum in aulam vocatus, accessit; ad eosdem literas dedit. omnibus eius vita, mores, studium, doctrina admirationi fuerunt.

Vindelicis tum praesedisse M. Iulium Philippum, Noricum Arrabone natum, qui postea imperavit, in annalibus Boiorum reperio. Boiodurum Vindelicorum Bathaviam cognominavit sive a confluentibus trium maximorum fluminum, qui ibi miscentur, sive a statione militari, quam ibi Bathavi, populi Germaniae, habuerunt, empti a Romanis

7 est *nach* permissum *fehlt in B* 29 *Am Rande in A:* de christianis: Gemianus, Antiochenus presbyter, Hippolytus, Beryllus, episcopus Bostienus in Arabia, Origenes, clari scriptores; Heracleas, Alexandriae episcopus *[Hier. Cat. I, 130—32]*.

11 *Her. VI, 7* 18 *Her. VI, 7—9. Max. 5. Vict. Caes.* 19 *Her. VI, 9* 28 *Hier. Cat. (I, 129 fg.) Eus. H. E. VI, 21 u. 36.*

contra Germanos. itidem Sycambros in Pannonia conlocatos esse, a quibus Sycambria dicta sit, quae nunc Buda et Opha est, caput Ugrorum, habeo, quos sequar.

IMP SEV ALEXAND AVG || VICTORIA AVG.
IMP ALEXANDER PIVS AVG || MARS VLTOR.
IMP C M AVR SEV ALEXAND || AVG TR P VI COS II P P.
IMP M AVR SEV ALEXANDER || S C.
IMP SEV ALEXAND AVG || COS III P P P M TR P VIII.
IMP ALEXANDER AVG || MARS VLTOR.

MAXIMINVS. 26.

Cap. 30. Iulius Maximinus in Thracia natus est, patre Gotho nomine Micca, matre vero Ababa, Alana genere. primo pastor opilioque fuit. cum esset inmani corpore et robusto, supra quam credi potest (adeo ut caliga Maximini in proverbium in homines prodigiosae magnitudinis et staturae cesserit) in militiam adscitus, iussus est ob vastitatem et fortitudinem corporis inter stipatores a Severo imperatore in aula semper consistere. sub Severi filio Caracalla tribunus militum fuit. Alexander eum quartae legioni tyronum et deinde in perniciem suam toti exercitui praefecit. fuit Maximinus saevus, truculentus, ad artes pacis civilesque res penitus rudis ac barbarus, facie rusticana plane et deformi et quae (sicut in nomismatibus apparet) prae se ferret saevitiam et barbariem hominis, bello tamen praeclarus. militibus nemo principum plura largitus est; quorum fidem ut sibi muneribus oppigneraret devotamque redderet, nihil pensi habuit; avarus, rapax, alieni adpetens, locupletissimo cuique per delatores insidias tetendit. conscius humilitatis suae ab omnibus se contemni suspicabatur, ita degeneres animos timor in praeceps agitat. persuasum habuit, non posse imperium nisi crudelitate retineri; omnem nobilitatem amovit, neminem clarum circa se passus est. patrio instituto caedis avidissimus, plus quam quatuor millia hominum inmissis delatoribus indicta causa occidit. saevos, rapaces et sui quam simillimos

10 *Am Rande in A ferner*: IMP SEV ALEXANDER AVG || PM TR P VII COS VII P P — IMP ALEXANDER PIVS AVG || P M TR P XI COS III — IMP SEV ALEXANDER AVG || MON(?)RESTITVTA S C — IMP ALEXANDER PIVS AVG || SPES PVBLICA SC 13 *Am Rande in A*: Sibenpyrgen 22 numismatibus *B*

12 *Zum flgd. vergl. H. A. Max.* 14 *Iord. Get. 15. Her. VI, 8* 21 *H. A. Gord. 7* 25 *Her. VI, 8* 32 *Her. VII, 1.*

provinciis procuratores fisci dedit, qui per fas nefasque pecunias extorquebant, opulentissimos quosque ad summam redigebant egestatem. nec mitiores in templa deorum et publicam pauperis vulgi annonam fuerunt.

Priores principes continuo, posteaquam imperatores salutati erant, ad senatum romanum rem deferebant petebantque, ut patres consulti authores fierent. senatusconsulto tum electus imperator declarabatur. primus Maximinus, contentus consensū militari, citra authoritatem senatus imperavit; ab exercitu electus, ubi eius fraudè et crimine Alexander interemptus est. iam enim milites insueverant tumultuario iudicio imperatores creare, eadem temeritate tollere romanum imperium velut ludibrium pilaque fortunae obscurissimo et humillimo cuique, praecipue per officia militaria, quasi per gradus ascendenti in propatulo expositum direptui patuit. nemini non ad tantum fastigium aspirare licuit: opiliones, bubulci, suarii, fabri ferrarii ad hoc culmen rerum evecti sunt. ne mulierculis quidem interclusa via fuit, quominus arriperent et longius opinione omnium mordicus tenerent. tantae praedae (ut sunt animi mortalium avidi et omnes sibi esse melius malunt quam alteri) plaerique omnes inhiabant. inde pertinax genitūrae studium; somnia qualiacunque etiam nemo neglexit. nullus omina supra modum frivola contempsit; instigabant insaniam hominum haruspices, augures, vates, astrologi, consulti. prout aquila temere conspecta addixit, vestis donata, salutatio, pecus recens natum, sedes locata et huiusmodi nugamenta arrisere dictum factumve ullum et ventulus levissime adflavit, spem sibi orbis potiundi stultissimi mortalium fecere, quae res pluribus supremi periculi causa extitit.

Pauci admodum, nec citra periculum tamen, voti compotes facti; inter quos et Maximinus rerum potitus, cum Germanis varia pugna dimicavit. nonnunquam acie res gerebatur, ex qua Germani persaepe haud impares Romanis abibant; pulsi tamen numero militum Galliis excesserunt. libertatis Galliis Maximinus conlecto exercitu omni bellum Germaniae Magnae transrhenanae intulit, pontem transsit; secuta ingens vis mortalium, praeter romanas vires Mauri, Osrhoeni, Parthi, Armenii, Arabes. Germani omnia in sylvas paludesque transtulerant; ibi in insidiis delitebant, erupturi, ubi res postularet, atque hostes circumventuri. ad paludem quandam atrox praelium fuit. Maximinus temere ingressus stagnum, a Germanis circumventus, et nisi eum equo inhaerentem sui liberassent, occidisset. quadringenta millia passuum

4 *Her. VII, 3* 30 *Herod. VI, 7.*

(ut ipse apud senatum gloriatur) longe lateque incendit vicos Germanorum et se altitudine paludum ulterius tendere prohibitum iactitat.

Dum haec ad Rhenum geruntur, Germani Danubium accolentes, cum Sarmatis Illyricum, Pannonias, Moesias, traiecto Histro depopulantur, incendunt, diripiunt legionesque oppugnant. certior factus Maximinus, ad Istevones, Rheni adcolas, oratores de pace mittit, qui pollicerentur romanum illis principem ex Germania quoque oriundum, quorum opus foret praebiturum pecuniamque daturum magna copia. Germani consueti auro pacem Romanis cauponari, facile consenserunt. Maximinus pacem et foedus ab illis emercatus pacataque Germania, qua Rheno alluitur, in Pannoniam pergit cum omnibus copiis, accito etiam et empto auxilio Germanorum contra Germanos (uti nostro aevo rex Celtarum factitare consuevit) Sirmium, maximam in iisdem regionibus, in ripa Savi urbem pervenit. ubi quod hiems instabat, expeditionem vernam in Germanos Sarmatasque meditabatur; identidem minitans, excisurum se ac subacturum oceanotenus omnes Sarmatiae Germaniaeque gentes. religionis quoque nostrae sacerdotes, mystas et doctores vario cruciamentorum genere adflixit necique dedidit. inter haec exercitus in Africa defecit; fisci procurator, qui studio Maximini omnes spoliarat, a plaebe rustica et militibus occisus est. authores caedis, conscii crudelitatis Maximini, quem lacesserant, extrema tentare coeperunt. Gordianum proconsulem Africae, senem, prudentem et nobilissimum, octogenarium, invitum imperium sumere vi cogunt; ipseque adpellatur ab omnibus Afris, cum filio itidem Gordiano nomine, apud oppidum Tisdrum augustus. inde Carthaginem Gordiani pater et filius proficiscuntur, unde legatos Romam cum literis ad senatum populumque romanum mittunt; rem omnem, ut acta est, aperiunt; se aduc incertos fluctuantesque senatus iudicium expectare declarant. legati ubique benigne auditi sunt; literae in senatu per Iulium Syllanum consulem recitatae, adpellati a senatu Gordianus senex et iuvenis augusti, in odium Maximini. interfecti deinde omnes delatores, omnes calumniatores, omnes amici Maximini occisi sunt. caesus a populo est Sabinus praefectus urbis et Vitalianus, dux militum praetorianorum; omnis fex Maximinianae crudelitatis deleta, capti, occisi, tracti in cloacamque abiecti, tantum odium apud omnes tyranni erat.

IMP MAXIMINVS PIVS AVG ‖ PAX AVGVSTI.

36 *Am Rande in A:* bis. *Ferner:* IMP MAXIMINVS PIVS AVG ‖ SALVS AVGVSTI SC.

2 *Herod. VII, 2* 17 *Her. VI, 7; VII, 2* 35 *H. A. 14—16. Gord. 7—10; 13. Herod. VII, 4—7.*

GORDIANI. 27.

Cap. 31. Aelii Antonii Gordiani augusti imperarunt annum unum, menses sex. senatus ubi eos augustos adpellavit, hostem Maximinum libere aperteque iudicavit. viginti elegit duces, viros consulares, qui regiones Italicas contra Maximinum, quisque sibi sorte adtributam, pro Gordianis tutarentur. literae deinde missae ad omnes provincias, ut communi saluti libertatique consulerent. quae auditae sunt ab omnibus; ubique amici, administratores, duces, tribuni, milites partium Maximini interfecti sunt, statuae Maximini deiectae, nomen erasum est. civitates perpaucae hosti publico fidem servarunt proditisque iis, qui missi fuerant, ad Maximinum per indices detulerunt. literarum senatus exemplum hoc fuit: S P Q R per Gordianos principes ab illa tristissima bellua liberari coeptus proconsulibus, praesidibus, legatis, ducibus, tribunis, magistratibus ac singulis civitatibus et municipiis et oppidis et vicis et castellis salutem (quam nunc primum recipere coepit) dicit. diis faventibus Gordianum proconsulem, virum sanctissimum et gravissimum senatorem, principem meruimus. non solum illum augustum adpellavimus, sed etiam in subsidium reipublicae obtinendae et ad scelera defendenda et ad illam belluam atque illius amicos, ubicunque fuerint, persequendos. a nobis etiam Maximinus cum filio suo hostis est iudicatus.

Ubi haec nunciata sunt Maximino, diviso ingenti stipendio militibus, accitis Germanis in societatem, quorum haud contemnendus numerus erat et quos semper ante primam aciem conlocare solebat, ad Italiam Romam versus infesto hostilique animo contendit. dum in itinere est, Capellianus, partium Maximini Mauros regens, quod Gordianus successorem ei dederat, comparato exercitu cum Gordianis congressus est. victi Gordiani, filius in bello periit, pater laqueo vitam finivit. tunc Capellianus victor, ut prae se ferebat, pro Maximino omnis adversae partis interemit, proscripsit, urbes subvertit, fana diripuit, donaria militibus divisit animosque militum sibi conciliavit, clamculum adfectans imperium. interemptis igitur in Africa Gordianis patre et filio augustis, cum Maximinus furens ad urbem properaret, senatus trepidus septimo calendas Iunias coit, consulturus reipublicae. ibi ex Vectii Sabini concione duo principes delecti sunt, Maximus, Pupienus et Clodius Balbinus, quorum unus res domesticas curaret in urbeque resideret, alter obviam cum exercitu Maximino pergeret. communi deinde senatus populique romani consensu illi duo augusti adpellantur. Gordianus adolescentulus, quartum decimum

2 — *cap. 33 incl. vergl. H. A. Max., Gord., Max. Balb.; Herod. VII. VIII.*

agens annum, filius Gordiani iunioris occisi a Capelliano, caesar designatur declaraturque. ita tres principes contra Maximinum electos ad palatinas aedes stipatos armis deduxerunt. deinde Gordiani ambo in divos relati sunt.

GORDIANUS CAESAR. 28.

Cap. 32. Maximus Pupienus, Clodius Balbinus augusti, Gordianus adolescens caesar, imperarunt simul anno uno. continuo ubi electi sunt, omnibus viribus ad resistendum Maximino nervos intenderunt. nihil praetermissum, quod ad profligandum hostem publicum, ad tutandam Italiam pertinere videbatur. tracta sunt et Germanorum (quibus maxime fidebant Romani) robora in partes imperatorum et urbis custodiendae causa. Balbinus cum Gordiano Romae substitit. Maximus, vir bellicis rebus praeclarus et qui Germanias, quae sunt in Gallia, rexerat, cum exercitu et copiis militaribus Germanorum profectus est Ravennam. ibi quae ad bellum spectabant, comparavit, ut paratus Maximino occurreret, qui iam fines Italiae adtigerat et Hemonam, coloniam Pannoniae extremam, Italiae primam, vacuam cultoribus, patentibus portis intrarat; ubi aedificiis incensis Aquileiam, quae inde sex et septuaginta millibus passuum aberat, quadrato agmine progreditur. advenienti Aquileienses portas clausere. coepta est urbs obsideri, cum iam orbis terrarum in odium Maximini conspirasset. milites eius quiescentem meridie tercio potestatis anno in papilione cum filio obtruncant. cadavera in profluentem proiecta, capita contis praefixa Aquileiam, deinde Romam missa, insultante populo in campo Martio exusta sunt.

Ita rebus prospere gestis pacatisque omnibus Romam cum exercitu Maximini Maximus venit. gratiae diis actae, omnium rerum oblivio decreta, militibus stipendia data, ab omnibus in verba trium principum iuratum. ubi cum adclamatum esset (ut mos est gentis): sapienter electi principes sic agunt; per imperitos electi principes sic pereunt, milites se denotari iniquo tulere animo, alioquin iam ipsis displicere imperatores a senatu cervicibus impositi coeperunt; indolebant et casum eius, quem ipsi delegerant. haec interim mussitabant expectabantque occasionem. non animus tollendi invisos principes, sed locus deerat, quem fortuna tandem subministravit. nam Germanos, qui stipabant latera principum, metuebant. fama erat, Parthos orientem vastare, Germanos, Danubii adcolas, et Sarmatas et Scythas (quos proprio vocabulo Latini Dacos, Graeci Getas vocant; germana lingua

17 *Plin. n. h. III, 147* 19 *Itin. Ant. p. 61.*

Gothi sunt) Moesias, Histriam, Illyricum excindere. iamque decretum erat, ut Maximus Persas, Balbinus Germanos peteret, Gordianus Romae remaneret. cum igitur ludis scenicis aulici omnes intenti essent et soli imperatores in regia mansissent, milites praetoriani facto impetu in regiam ambos senes corripiunt, veste imperatoria exuunt, in castra raptare nituntur. sed ubi Germanos re cognita correptis armis in auxilium imperatorum concurrere acceperunt, occisos relinquunt, Gordianum caesarem manibus sublatum in castra deducunt, augustum consalutant. Germani ubi oppressos audierunt, quorum causa properabant, cum nollent irritum bellum pro viris vitâ defunctis subire, extra moenia urbis ad suos revertuntur. Gordianus deinde princeps ab universis declarâtus, solus Romanum suscepit imperium.

MAXIMVS CAES GERM PRINCIPI IVVENTVTIS S. C.
IMP GORDIANVS PIVS FEL AVG AETERNITATI AVG.
IMP GORDIANVS PIVS FEL AVG CONCORDIA MILIT.
IMP GORDIANVS PIVS FEL AVG P M T R P III COS P P.
IMP GORDIANVS PIVS FEL AVG LAETICIA AVG N S S.

GORDIANUS. 29.

Cap. 33. Aelius Antonius Gordianus, filius Gordiani augusti, qui in Africa in bello periit, imperavit annos sex, militum, senatus, populi, omnium denique maximo favore. deliciae generis humani cognominatus est, tanta indoles in adolescente erat. duxit filiam Misithei, viri tum doctissimi ac sanctissimi, cuius prudentia (praefectus enim praetorio fuit) romana respublica bene sapienterque administrabatur. scribit ad hunc Gordianus augustus, miserum esse imperatorem, apud quem vera reticentur; qui cum ipse publice ambulare non possit, necesse est, ut audiat et vel audita vel a plurimis roborata confirmet.

Dum Romani cum Maximino decertant, Daci (qui et Getae sunt, quos germano sermone Gothos, communi vocabulo Scythas adpellare solent) a Traiano perdomiti fractique, hactenus quietem agitarant, hac tempestate vires recuperant, regem Argunthem (quem nostri Austrogotham vocant) creant, deinde coniunctis sibi finitimis Vandalis, Gepidis, Suevis, Marcomanis, Quadis, Peucinis, Basternis Carpis, Boiis transsito Danubio Moesias, Thracias depopulantur. Martianopolim, caput Moesiarum, obsident; obsessi pacem auro emunt. Gothi ingenti praeda potiti cum suis incolomes domum redeunt. Misitheus, prae-

19 *In A übergeschrieben:* Augustus 20 Antonius *sic A u. B*

BSB

fectus praetorio et socer Gordiani augusti, solita stipendia, quae sibi deminuta conquerebantur, pollicitus, cum eis pacem foedusque icit. eius nutu quievit Germania. tum inicium fuit belli Scythici sive Gothici, quod continenter per multos annos gestum est cum omnibus fere romanis imperatoribus, donec Italia, Roma, postremo Hispaniis potiti sunt Gothi. romani imperatores (quemadmodum nostro aevo reges Celtarum quibusdam Germaniae principibus et nationibus, maxime Suitonibus) quotannis maioribus nostris donativa stipendiaque elargiri solebant, praecipue oram Rheni Danubiique adcolentibus. a popularibus nostris praemiis muneribusque ingentibus pacem mercabantur; foedus et fidem Germanorum auro pignerabantur, uti se intra Rhenum Danubiumque continerent atque ipsorum opera (armis et) manibus, ubi usus foret, respublica romana uteretur.

Cum vero tocies romani principes mutarentur, rempublicam tot tyranni per diversas orbis partes raperent, dilaniarent, quibus ut fidem et animos militum romanorum sibi conciliarent, plurima elargiri necesse erat. fiscus attenuabatur, aerarium exhauriebatur, quo minus Germanis promissa constitutaque et integra congiaria solvi possent. Germani, tum laeta bello gens, alioqui et praedae aviditate facile inlicibiles, ob diminuta stipendia et quod apud Romanos omnia discordia civilibusque armis conflagrarent, pacem foederaque rumpebant, romanas provincias superatis Rheno et Histro invadebant. milites romani ab ipsis oppugnabantur, castra diripiebantur, omnia ferro, praeda, flamma, caede vastabantur. ausi sunt etiam in romano solo conlocare sedes. est hoc modo per trecentos annos continenter tumultuatum; respirandi ab armis dumtaxat aliquando spacium dabatur. interim Danubius et Rhenus simul eodem tempore se romanis provinciis superfundebant; interim per vices hoc saeviente alter quiescebat. ita paulatim carptimque adtritis romanis viribus tandem Germani invalescunt; in occidente romanum imperium solvunt; Pannonias, Moesias, Illyricum, Noricum, Rhetias, Vindeliciam, Gallias, Hispanias, Britanias, Italiam ipsamque Romam intercipiunt romanisque praeripiunt imperatoribus et ingentia regna condunt, quae aduc manent.

Nec aliter Persae in oriente ad Tigrim et Euphratem insurrexere. adversus quos Gordianus arma movit fecitque iter per Moesias atque in ipsa expeditione, quicquid hostium in Thracia fuit, delevit, fugavit, expulit, submovit, Saporem regem Persarum, filium Artaxerxis, superavit. moritur tum Misitheus, socer Gordiani; praeficitur praetorio Philippus. dumque Gordianus victor Romam revertitur, fraude Philippi,

2 *Vgl. Iord. Get. 13.*

quem praetorio praefecerat, per milites, quos in seditionem Philippus concitarat, interimitur, aetatis anno altero et vicesimo; sepelitur apud Zaitam (qui locus oleam arborem significat) iuxta Euphratem. sub idem tempus praeses et dux regionum, quas Boii tenent, fuit Cornelius Licinius Valerianus, qui post imperavit. ignari linguae romanae ipsum Boium fuisse autumant, quod dux fuisse provinciae, quam Boii nunc tenent, literis proditum sit, cum dux eo tempore aliud significarit atque nostro aevo usurpetur.

PHILIPPUS. 30.

Cap. 34. M. Iulius Philippus, obscurissimis natus crepundiis, patre latronum nobilissimo ductore (quidam Arabem, nostri Pannonium faciunt), occiso eius fraude Gordiano, literas ad senatum romanum dat, quibus aperit, Gordianum morbo periisse seque imperatorem ab exercitu delectum, orat, ut patres authores fiant. senatus ignarus omnium rerum Philippum augustum adpellat, Gordianum in numerum deorum refert. Philippus ubi Romam venit, filium suum C. Iulium Philippum participem imperii facit, anno imperii eius secundo, christianae vero salutis super octavum et quadragesimum ducentesimo. millesimus annus ab urbe condita agebatur, quamobrem undecimo calendas Aprilis natali Romae ludi omnis generis celeberrimi magno sumptu et apparatu per continuos tres dies et noctes acti, Apollini, Dianae, hoc est, soli et lunae sacri, quae sydera res humanas regere videntur; saeculares vocant, quod singulis saeculis, hoc est centum annis semel fiant. nos annum iubileum vocamus. de his Horatius vates iucundissimus:

Phoebe sylvarumque potens Diana, | Lucidum caeli decus, o colendi | Semper et culti, date, quae precamur | Tempore sacro, | Quod Sibyllini monuere versus | Virgines lectas puerosque castos, | Diis (quibus septem placuere colles) | Dicere carmen | Certus ut denos decies per annos | Orbis et cantus referatque ludos | Ter die claro tociesque grata | Nocte frequentes.

Interea Daci, Getae et caeteri adcolae, cum quibus Gordianus foedus fecerat, ob deminuta stipendia et praedae dulcedine Danubium traiiciunt. Pannonias, Moesias invadunt, oppida, vicos, urbes diripiunt, aedificia incendunt, pecora, homines captivos abigunt, resistentes

24 de his — frequentes *in B eingeklammert* 32 accolae *A*

3 *Eutr. IX, 2. Ruf. Brev. 22. Vict. Ep. Hier. chr. II, 181. Amm. XXIII, 5* 11 *Vict. ep.* 16 *H. A. Gord. 31* 21 *Hier. chr. II, 181. H. A. Gord. 33. Vict. Caes. Eutr. IX, 3. Cass. 445. Ekkeh. 108* 24 *Hor. C. S.*

BSB

obtruncant. Philippus imperator contra hostes Decium cum supplemento copiarum mittit, ad tutandum limitem romani imperii. Decius ubi ad exercitus Danubianam ripam et Illyricum custodientes venit, concordi omnium suffragio, renitens repugnansque augustus adpellatur. Philippus cum hoc accepit, arma corripit, milites exercitumque comparat, armata manu contra Decium proficiscitur, filium vero Romae relinquit. dumque iam Veronam venisset, ibi ab exercitu interficitur, medio capite supra ordines dentium praeciso; Romae quoque filius eius duodenarius a praetorianis ferro necatur. ferro adeptus imperium, ferro vitam pariter cum imperio finivit. imperavit annos quinque. plures ei adsignantur liberi; nam et divum Quirinum et Gallum Iulium Saturninum filios eius fuisse, authores sunt. quidam christianum fuisse, quidam cultum christianum simulasse, alii matrem eius ab Origene audiisse mysteria religionis nostrae tradunt, quod verosimilius facit hominis perfidia, maxime quando Lactantius et Ambrosius testentur, Constantinum primum imperatorum romanorum fuisse, qui maiestatem unius veri dei agnoverit et coluerit. eadem tempestate Eucherius, Laureacensis archimystes, Italos, Romanos, christianos et provinciales in Norico, Vindelicia, caelesti pabulo pavisse refertur.

IMP M IVL PHILIPPVS AVG ‖ SALVS AVG.
M IVL PHILIPPVS CAES ‖ PRINCIPI IVVENTVTIS.
IMP C PHILIPPVS AVG ‖ ADVENTVS AVG.
MARCIA OTACILLA SEVERA AVG ‖ SAECVLARES AVG G S C.
IMP PHILIPPVS AVG ‖ VIRTVS AVG.
IMP M IVL PHILIPPVS ‖ PROVINCIA DACIA.
IMP M IVL PHILIPPVS AVG ‖ FELICITAS TEMP S C.
SEVERINA AVG ‖ VENVS FELIX.

DECIVS. 31.

Cap. 35. M. Q. Traianus Decius, Bibali, inferioris Pannoniae urbe, cuius et Ptolomaeus meminit, natus est, claris admodum parentibus. vir domi forisque praeclarus, Romanis amatus, a senatu

13 atque uxorem *am Rande in A* 23 *Am Rande in A*: Severa uxor Philippi, ad quam scripsit Origenes; ita Eusebius tradit. *[Eus. H. E. VI, 36]* 28 *Hiebei am Rande in A*: ad Aurelianum. 30 *A*: Apolloniae — — Nouatus.

2 *Iord. Get. 16. Zonar. XII, 19* 4 *Zon. a. a. O. Zosim. I, 22* 12 *Vict. Caes. ep. Eutr. IX, 3. Hier. chr. II, 181. Cass. 445. Ekkeh.* 14 *Eus. H. E. VI, 34. Iord. a. a. O. Ekkeh. H. M. X, 28. Oros. VII, 20* 15 *Lact. Inst. VII, 26. Ambros. or. fun. de obitu Theodos. 40* 18 *Vergl. Schreitwein, Catalogus bei Rauch, Rer. Austr. Script. II, 440* 31 *Ptol. 163.*

augustus adpellatur. ipse filium Decium caesarem declarat. oppugnavit templum dei; ad pernegandam veritatem christianos variis excruciamentis adflixit, perseverantes neci dedidit. inter quos fuere Fabianus pontifex romanus et divus Laurentius, igne excoctus. Romae tum Secundianus togatus, Verianus pictor, et Marcellianus orator eloquentissimus, conmoti constantia christianorum, cum aduc cultores numinum essent, de religione nostra, ut fit, disserere et confabulari coeperunt. forte fortuna in manus atque mentem venere versus illi Vergiliani ex sententia Sibyllae descripti:

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas; | Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo, | Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna, | Iam nova progenies caelo demittitur alto.

Accuratius huiuscemodi versibus lectis, adflati divino spiritu, religionem Christi professi sunt; iussu deinde Decii securi percutiuntur. coepit haec persecutio saeviente vulgo ante imperatoris decretum; nec nocte nec die nostri ausi in publicum prodire; ut quisquam apparuit, statim insani vulgi clamore correptus, in ignem coniectus est.

Sub idem tempus Chiniva rex Gotorum, cum caeteris Danubium adcolentibus Germanis Moesiam inrumpit, Neostadium, hoc est novam civitatem Moesiae, (quam apud Eugypium lego fuisse sedem Theoderici regis Gotorum, qui a Zenone augusto in Italiam missus fuit) frustra obsidet; acriter enim a Gallo Treboniano, duce Sarmatici limitis, defendebatur. inde Gotus Nicopolim petit et invadit (nostri Schilthunum nominant, ubi Segimundus imperator proavorum memoria a Turcis victus, castris exutus est, nobilitas nostra trucidata, principes capti sunt). Decius cum filio Nicopoli auxilium laturus, arma in Gotos movet, eos obsidionem solvere cogit. inde Philippopolim hostes petunt, diripiunt. Decius hostium vestigia insequitur, liberaturus urbem; verum a Gotis fusus, in Moesiam ad Gallum Trebonianum fuga elabitur; ibi reparatis viribus coniunctisque omnibus copiis, cum Germanis rursus pugnam conserit apud Abryttum urbem. atrox ibi praelium fuit, ambo Decii, pater et filius, ambo imperatores, cum exercitu caesi sunt. inde locus Ara Deciorum nominata. imperarunt annum unum menses tres.

166·D

01 B A mehr noten Novatus

4 *Am Rande in A*: multum passus Origenes — Alexander Hierosolym., Babylus Antiochiae episcopi occisi. *[Eus. H. E. VI, 39]* 7 uti *A* 13 huiusmodi *B*

1 *Vict. Ep.* 9 *S. 164, Z. 23* 20 *V. Sev. 44* 23 *Schiltaw in Schiltbergers Reisebericht (ed. Neumann 52), Schiltorn [Editionsfehler?] in dem chron. breve bei Oefele, Scr. I, 611* 33 *Iord. Get. 18. Eus. Hier. chr. II, 180. 181. Cass. chr. 445. H. M. X, 29.*

GALLUS ET VOLUSIANUS. 32.

Cap. 36. C. Vibius Trebonianus Gallus urgente hoste instanteque a legione, quae integra stragi supererat, imperator salutatur. ad eum reliquiae caesarum legionum velut conservatorem confugiunt; senatus imperium eius confirmat augustumque adpellat. ipse cum popularibus nostris iniit foedus, tributa quotannis pependit ducenta millia drachmarum auri. icto foedere Romam venit, C. Vibium Volusianum filium participem imperii facit. et hi hostes christiani dogmatis extiterunt; Cornelius, Lucius, Stephanus, pontifices romani, interempti, pietatem christianam sanguine consecrarunt.

Pestilentia tum perniciosa orbem romanum adflixit; plaeraque oppida vacua cultoribus relicta sunt. Aemilianus, dux Sarmatici limitis, in Moesia res novas molitur; ab exercitu imperator creatur. contra eum C. Vibius Gallus et Volusianus Roma armati movent, sed a militibus deserti caeduntur, posteaquam rerum potiti sunt annos duos, menses quatuor. exercitus Rhetici et Vindelici limitis Bathaviae in confinio Rhetiarum, Vindeliciae et Noricorum P. Cornelium Valerianum, virum censorium cum nobilissimum tum optimum, rebus romanis imponunt. Aemilianus a militibus suis interfectus est tercio potestatis mense. Valerianus ob claritudinem generis et laudatos mores tocius orbis consensu ab omnibus recipitur.

VALERIANVS. 33.

Cap. 37. P. Cornelius Licinius Valerianus, omnibus melior, amicus bonis, hostis criminum, hostis viciorum, primus genere, nobilis sanguine, doctrina clarus, exemplum antiquitatis senatusconsulto declaratus est sub Deciis imperatoribus, quamobrem facile orbis consensu rerum habenas consecutus est. verum (ut sunt stultissimi vanissimique mortalium animi, veritate divina non subnixi) in pietatem christianam (cui primum favit) ceu impietatem depravatus a malis consultoribus saevit. tarda ad mortem supplicia conquirebantur; volentibus mori

10 *In A ist* Lucius, Stephanus *ausgestrichen und über* Cornelius *geschrieben:* inter alios innumeres 19 *Am Rande in A nach* suis: desertus est 21 *Am Rande in A, wie in der Folge häufig kirchengeschichtliche Nachrichten, die nichts Eigenthümliches bieten.*

5 *Vict. Caes.* 6 *Zos. I, 24. Iord. 19. Zon. XII, 21* 8 *Zos. I, 25. Zon. a. a. O.* 10 *Eus. H. E. VI, 39. Hier. chr. 181. 183. Ekkeh. 109* 12 *Vict. Caes. Eutr. IX, 5. Iord. 19. Hier. chr. 181. Zon. XII, 21* 13 *Eutr. Zon. a. a. O. Vict. ep.* 16 *Vict. Cass. chr. 445* 20 *Vict. Caes. 32. Eutr. IX, 5. 6. Eus. Hier. chr.* 21 *H. A. Valer. 5* 26 *l. c.* 29 *Eus. H. E. VII, 10* 30 *Cyprianus Hier. Vit. Pauli er. (I, 108).*

non permittebatur occidi; torti quidam, melle peruncti sub ardentissimo sole ligatis manibus muscarum aculeis expositi sunt. succi plenus adolescens in amaenissimis hortulis inter lilia candentia rubentesque rosas, cum leni iuxta murmure serperet rivus et molli sibilo arborum folia ventus perstringeret super lectum extructum plumis, resupinatus est, et ne se inde excuteret, blandis serico nexibus irretitus, relinquitur. amotis omnibus arbitris speciosum scortum iussu praetoris advenit, delicatis stringit colla conplexibus et quod dictu scelus est, mulier impudica manibus in libidinem concitat iuvenem Christi. miles dei praecisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit ac sic victor extitit.

Occiduntur Xistus pontifex romanus et divus Cyprianus Carthaginiensis episcopus. hic (sicuti refert Lactantius) unus christianorum apud Latinos praecipuus et clarus extitit, qui magnam sibi gloriam ex artis oratoriae professione quaesierat et admodum multa conscripsit in suo genere miranda. erat enim ingenio facili, copioso, suavi, et quae sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere nequeas, utrumne ornatior in loquendo an facilior in explicando an potentior in persuadendo quispiam fuerit. nunquam diem absque lectione Tertulliani praeceptoris sui praeterivit, crebro sic dicere solitus: da magistrum, Tertullianum nimirum significans. de quo plura in Severo narravi. istoc etiam tempore Eucherium archiflaminem Laureacensem terras reliquisse, divum Quirinum successisse reperio. duces Vindelicorum fuerunt (quam provinciam possidemus) Fulvius Boius et Aurelianus, qui post imperavit, si patriis credimus annalibus. imperator Valerianus profectus contra Persas, imperitia cuiusdam ducis sui, cui summam belli conmiserat, et fraude hostium ad iniqua loca deductus, circumventus, captus est ab hostibus. Sapor rex Persarum eo ut vilissimo mancipio et abiectissimo usus est; regi Persarum equum ascendenti imperator romanus caesar augustus quadrupes pro suppedaneo fuit, senex infelicissimus. imperavit cum filio Gallieno sex annos. eius dictum fertur, cum censuram sub Deciis recusaret: tempora sic repugnant, ut censuram hominum natura non ferat. Rhenus quoque ac Danubius efferatissimas gentes in romanum effudere solum, quemadmodum mox narrabimus.

35 *Am Rande in A:* DIVO CAESARI VALERIANO || CONSECRATIO.

12 *Eus. Hier. chr. 182. 183. Cass. 445* 13 *Lact. I. V, 1* 21 *Hier. Catal. (I, 129)* 21 *s. oben S. 220 flgd.* 22 *Hist. Pataviens. et Cremifan., M. G. Scr. XXV, 619, 652* 28 *Zonar. XII, 23* 31 *Ekkeh. 109* 32 *H. A. Gall. 21* 33 *H. A. Val. 6.*

GALLIENVS 34.

Cap. 38. P. Licinius Gallienus cum filiis Cornelio Valeriano et Salonino Gallieno post patrem imperavit annos novem. capto patre pacem nostratibus publico edicto reddidit sanxitque, ut unusquisque suo more id, quod divinum est, colat atque adoret. uxor eius Cornelia Salonina, Bibêra germano nomine dicta, quod muliebre decus significat, filia regis Marcomanorum (hoc est Suevorum, qui tum Boiemiam usque ad Danubium incolebant). deperit eam Gallienus; quamobrem, ut eam a patre impetraret, dono dedit socero partem superioris Pannoniae Noricique; ipse Romae amori, libidini, deliciis, rebus ineptissimis vacavit, rempublicam neglexit. idcirco conspiratione tocius mundi romanus orbis concussus est.

Persae imperatore capto orientem vastarunt, Mesopotamiam invaserunt, in Syriam incursarunt. Germani, qui tum se Alemanos cognominarunt, quatuor agminibus in romanum erupere solum, pars Gallias omnes, rege Chroco, ferro, flamma pervagati, Mogonciaci pontem transsierant, aedes, templa diripiunt, incendunt. Cabillo urbs expugnata; Privatus episcopus igne conbustus; Arelas, Treverorum Augusta, Mediomatricum urbs vastatae sunt. Hispanias deinde obtinuerunt. Tarraconem caput Hispaniarum expugnarunt. alia manus Germanorum Rhetias, Vindeliciam, Italiam depopulati sunt, Ravennam usque omnia protriverunt. Goti Asiam, Pontum, Cappadociam pervadunt, templum Dianae Ephesi ditissimum diripiunt, incendunt. Bithyniae urbes Astacum, quae et Nicomedia, Chalcedona simili clade proterunt; haec a Cornelio Avito reparata est. Heracleam usque arma Gotorum intonuere. Ilium, quae et Troia, a Gotis eversum est. ingenti itaque praeda potiti, domum redire Getae parant navibusque comparatis per Pontum Euxinum Danubium intrant, Moesias, inde Thraciam, Graeciam, Achaiam, Macedoniam, Epirum, Illyricum non minore maleficio adficiunt. Athenas cum coepissent, ingentem librorum acervum in foro cumulant, quem cum comburere vellent, quidam prohibuit; dimittamus, inquit, illos Graecis, quibus dum incum-

6 *Am Rande in A*: CORNELIAE SALONINAE AVG CQNIVGI IMP CAES P LICINI GALLIENI P F INVICTI AVG ORDO SPLENDIDISS SECVSANORVM Beipera *(Weiberehr) am Rande in A* 12 *Ebendort:* sive ob libidinem eius vel theomachiam patravit.

2 *Vergl. bes. H. A. Gall.; Eus. H. E. VII, 13; Hier. chr. 183; Ekkeh. 109* 22 *Eutr. IX, 7; 8. Vict. Caes. H. A. Proc. 13. Greg. Tur. I, 32. 34. (Oros. VII, 22)* 30 *Iord. Get. 20. Cass. 445. Eutr. Vict. a. a. O.*

bunt, imbelles fiunt. Suevorum gentes Pannonias, Noricum, a quibus tum Danubio separabantur, occupant.

Ingens ubique luctus, ubique moeror. indignabantur exercitus, quod imperator romanus, pater principis, serviliter apud Persas captivus teneretur et filius Romae captivitate patris gauderet, lasciviis defflueret. in diversis igitur romani imperii provinciis seu caesares seu tyranni, hostibus ita cogentibus, triginta numero, fasces imperatorios arripuerunt (ut corruentem romanam rempublicam humeris sustinerent), qui se invicem tamen mutuis quoque vulneribus armisque civilibus confecerunt. inter quos duae mulieres audacius et felicius sese hostibus opposuerunt diutiusque cum suis usque ad Aurelianum imperatorem rerum potitae sunt: Zenobia cum marito Odenato, filiis Herode, Timolao, Herenniano orientem adseruit pulsisque Persis, trucidatis, captis, oriente ab sole romanam maiestatem armis foemina restituit; in occidente apud Rhenum Victorina, mater castrorum cognominata, Aggrippinae augustalem induit purpuram, cum filiis et adfine Tetrico Gallias et Hispanias a Germanorum direptionibus liberavit posseditque. sepulchra Victorinae et filiorum in Colonia Agrippinensi extare tradit Trevellius Pollio. nec Aegyptus ac Africa quievere; suos habuere hostes atque tyrannos aut, si mavis dicere, augustos. fuit etiam in Galliis faber ferrarius Vecturinus nomine, imperator a militibus salutatus. ita omnia sursum deorsumque ferebantur, ima summis miscebantur.

Tandem Gallienus, dum contra Aureolum tyrannum arma movet Mediolanumque obsidet, fraude Martiani, praesidis Moesiae, et Cecropii, Dalmatarum legati, cum filio interficitur moriensque Claudium, qui tum Ticini agebat, successorem declarat, ipsi vestem, insignia imperatoria per Gallonium Basilium mittit. hac tempestate vetera cognomina (uti fit, dum rebus bellicis novi homines emergunt) Germania mutavit. fecerant et Romani duas in Gallia Belgica et Celtica Germanias. maiores nostri transrhenani, ne Romanis et ipsi sicut cisrhenani ob commune idemque cognomen subesse viderentur, vetus Germaniae vocabulum exibilarunt, nova sibi fecerunt cognomina, Chauci, Cherusci, Saxones, Cimbri, Dani, Daci et Getae antea, Goti posthac dicti sunt. Franci, antiquissima gens Germaniae Magnae, non tam lata quam valida, (testes sunt Cicero, divus Hieronymus et vulgo

18 sepulcra *A* Victoriae *A u. B*

1 *Zonar. XII, 26* 2 *Hier. Eutr. Or. a. a. O.* 16 *H. A. Tyr. 5. 6. 25. 31* 19 *eb. 7* 22 *eb. 8* 28 *Vict. Caes. 33. ep. 34* 36 *Cic. ep. ad Att. XIV, 10? Hier. vit. Hilar. (I, 113 A).*

protritum apud nos proverbium) obscuriores hactenus, sub nomine partim Chattorum et Helvetiorum, partim Turogorum atque Boiorum delituerant, (quemadmodum apud divum Gregorium Turonensem Theodoricus, primus rex Francorum, in Turogos perorat) iam inde clariores fieri, pedetentim increscere coeperunt, eo magnitudinis tandem devenere, ut et Gallias omnes et romanum imperium in Germaniam transtulerint. a quibus et Germania Francia dicta est. et apud Celtas aduc Francorum rex nominatur. aliae Germaniae nationes Alemanos, quasi tu dicas: omnes viri sumus, se cognominarunt, unde Alemania aduc Germania vocatur.

GALLIENVS AVG ‖ PIETAS CONSERVAT.
IMP C P LIC GALLIENVS AVG ‖ CONCORDIA AVG.

CLAUDIUS. 35.

Cap. 39. Fl. Claudius, principum omnium decus, author generis Constantiorum, maxima omnium gratulatione romanas suscepit habenas. Aureolus tyrannus continuo Mediolani occiditur a militibus. dum deinde consultatur, Germanine et Goti an tyranni forent oppugnandi, primum Claudius sibi illos deposcit, quod reipublicae hostes essent, hi vero dumtaxat principum. inde arma in Gotos sociasque gentes movet, quae longe lateque in romanis provinciis vagabantur. trecenta viginti millia barbarorum (ut ipse ad senatum scribit) in romanum solum armati venerant. cum quibus navali, terrestri praelio pugnavit felicissime variis in locis. apud lacum Benacum Germanos fudit. victi sunt Goti in Moesia, Martianopoli et Nicopoli in Thracia, Bizantii et Thessalonicae in Macedonia, in Cypro quoque insula et ubique gentium adtritus est Geta. tecta sunt flumina scutis, spatis, lanceolis; omnia litora operta, campi ossibus contecti, Graeciae, Moesiae, Thracia, Illyricum liberatae, Aegyptus recepta est. quamobrem clypeus aureus et statua aurea in capitolio ponenda decreta est Claudio. qui cum victor Pannoniam revertitur, Sirmii mortuus est, posteaquam imperavit annum unum, menses novem. Claudii tempestate scurra dixit: in uno annulo bonos principes posse scalpi.

CLAVDIVS CAESAR AVG ‖ P M TR P IMP S C.
IMP C CLAVDIVS AVG ‖ ANNONA AVG.

QVINTILIUS. 36.

Fl. Quintilius, frater Claudii, Italici praesidii dux, ubi nuncius in urbem de Claudii morte venit, augustus a senatu adpellatus est.

3 *Greg. Tur. hist. Franc. III, 7* 14 *Vergl. H. A. Heliog. u. Gall.* 19 *Zon. XII, 26* 24 *Vict. ep. 34* 32 *H. A. Aurel. 42* 37 *H. A. Aur. 37.*

exercitus interim Aurelianum imperatorem legit. Quintilius septima decima imperii die Aquileiae a militibus occiditur.

AURELIANUS. 37.

Cap. 40. Valerius Aurelianus, princeps magis necessarius quam bonus (quod clementia, praecipua imperatorum dote, caruerit, teste etiam Diocletiano imperatore) potitus est rerum annos quinque, menses sex. Goti, Alani, Roxolani, Vandali, Sarmatae, Danubii orientalis adcolae, Illyricum vastant, diripiunt. Marcomani, Suevi Vindelicium occupant, in servitutem redigunt et Rhetias depopulantur. inde in Italiam iter faciunt, circum Mediolanum omnia terrore complent. cuius belli metu ingens seditio Romae orta est, paventibus cunctis, ne eadem, quae sub Gallieno, evenirent. iussu imperatoris libri sibyllini consulti et inspecti, proditi versus, lustrata urbs, cantata carmina, amburbium celebratum, Ambarvalia vota sunt. dii falsi propiciati, verus deus neglectus est.

Aurelianus contra Gotos crebris praeliis dimicavit victorque provincias liberavit. Canabaudes dux Gotorum periit; captae sunt et decem mulieres, virili habitu inter Gotos pugnantes; aliae quoque multae praelio fortiter resistentes ceciderunt, quas triumphatas de Amazonum esse genere titulus praedicabat. Cum autem Aurelianus Illyricum vastatum ac Moesiam exhaustam cultoribus esse videret, provinciam transdanubianam, quam Daciam veterem nominabant, a Traiano constitutam (Sivenburgenses Germani, literatores Septemcastrenses vocant) sublato exercitu et provincialibus translatis reliquit; desperabat eam posse retineri; abductos ex ea populos in Moesia conlocavit adpellavitque suam Daciam, quae Moesias divisit. restitutoque Illyrico pacatoque Danubii limite inde Italiam liberaturus omnibus copiis petit. Placentiae clade exiciosa exceptus est a Marcomanis. Germani enim, quod aperto Marte congredi non possent, in sylvas se densissimas contulerunt atque in Romanos vespere incumbente inrumpunt; exercitus constipatos multitudine turbant ingentique strage adficiunt. et nisi (ut scribunt romani authores) divina ope post inspectionem sibyllinorum codicum sacrificiorum ceremonias solemnes monstris quibusdam ac visis a speciebus divinis impliciti fuissent Germani, romanum solutum fuisset imperium. devicto ita caelestibus armis Marcomano Vindelici quoque servitute liberati sunt.

4 *Am Rande in A*: ex Sirmio. Severina uxor eius.

2 *Ekkeh. 109* 4 *Vergl. H. A. Aur., Tyr. u. Prob.; Eutr. IX, 13—15; Ekkeh. 109.*

Oriens posthac, devicta Zenobia, quae ibi hactenus imperarat, receptus est. Gallias aduc Tetricus (qui post victoriam ibi imperator salutatus) tenebat. ipse, quod invitus regnaret, apud Catelaunos exercitum suum deseruit ac prodidit, ad Aurelianum confugit. misera tum erat conditio ducum, eorum praecipue, qui bellica gloria praeter caeteros eminebant. imperium offerentibus militibus atque mortem recusanti intentantibus resistere non licebat. agenda erat persona, quam miles imponebat. recepto ita imperio princeps iam lupum auribus tenebat, quem nec dimittere nec retinere tutum erat.

Franci quoque transsito Rheno sub idem tempus Gallias vastant, in Mogontino agro tamen oppressi sunt in Germaniamque transrhenanam conpulsi. idcirco hoc carmen passim vulgo decantari coeptum:

Mille Francos, mille Sarmatas semel occidimus, | Mille mille, mille mille, mille Persas quaerimus.

Contra hos, dum post indictum bellum Aurelianus expeditionem parat et contra nos ut hostes deorum suorum et reipublicae morem senatui populoque romano gerens pessimisque consultoribus et avaris obsequens saevit, fulmen iuxta eum eiusque comites de caelo ruit. ipse inter Heracleam et Constantinopolim occisus est errore militum, apud quos conmenta plurimum valent, dum irati, plaerumque temulenti audiunt et credunt quaelibet, consiliorum prope semper expertes.

Eadem tempestate provinciarum, quas maiores nostri pulsis Romanis occuparunt, dux fuit et legatus Bonosus Hispaniensis, origine Britanus. bibit quantum hominum nemo. de hoc Aurelianus imperator saepe dixit: non ut vivat, natus est, sed ut bibat. eum in honore habuit Aurelianus causa militiae. nam si quando legati Germanorum venissent, ipsis propinabat, ut hosce inebriaret atque ab his per vinum cuncta secreta cognosceret. ipse quantumlibet bibisset, semper securus et sobrius et aduc in vino prudentior. quantum bibit, tantum minxit nec unquam aut pectore aut vesica aut ventre gravatus est. cum Germani romanas luxurias incendissent, timore, ne poenas daret, sumpsit imperium diutiusque tenuit, quam rebatur. longo namque gravique certamine a Probo superatus laqueo vitam finivit. tunc quidem iocus extitit: amphoram pendere, non hominem. uxor eius Goticae gentis nobilissima, regio genere orta, Chunila nomine,

1 posthaec *A* 22 *Am Rande in A*: Eusebius Laodicenus episcopus, vir doctissimus. *[Eus., Hier. chr., Ekkeh.]*

9 *Hier. ep. ad. Pamm. adv. err. Io. Hieros. (III, 74 D). Ter. Phorm. III, 2 Suet. Tib. 25* 14 *H. A. 7* 18 *Ekkeh. 109.* 22 *flgd. H. A. Bonos. 14.*

BSB

quam ei nuptum tradiderat imperator Aurelianus, ut per eam a Gotis cuncta cognosceret.

238 IMP AVRELIANVS AVG || FORTVNA VELOX.
IMP C AVRELIANVS AVG || ORIENS AVG.
IMP C AVRELIANVS AVG || IOVI CONSERVATORI.
IMP C AVRELIANVS AVG || CONCORDIA MILITVM.

TACITUS. 38.

Cap. 41. P. Annius Tacitus a senatu lectus est. occiso Aureliano exercitus ad senatum scripsit ex senatorioque ordine principem petiit. rursus rem senatus ad exercitum retulit idque saepius factum. ita per sex totos menses orbis romanus sine imperatore fuit. Tacitus sexto mense imperii Tharsi a militibus occisus est. Cornelium Tacitum augustae historiae scriptorem, quod authorem generis sui diceret, in omnibus bibliothecis conlocari iussit singulisque annis describi aliquoties, ne incuria deperiret. verum nihil haec diligentia profuit scriptori praestantissimo; semilacerus est, sine capite, sine pede. quinque primi libri et hi non integri, superioribus annis in Germania inventi, a Leone pontifice maximo editi leguntur. M. Annius Florianus, frater Taciti, imperium citra authoritatem senatus quasi haereditarium arripuit; sexagesimo imperii die Tharsi interimitur a militibus, qui iam Probum imperare audierant, quem omnes delegerant exercitus, senatus optavit, populus romanus adclamationibus petivit. dum ita imperatores scelere militari pereunt, Germani rupto Rhenano limite, occiso Posthumo legato, Gallias, nemine resistente, securi invadunt, diripiunt, omnes Gallias occupant, septuaginta nobilissimas urbes capiunt. Danubii quoque adcola in Rhetias Vindeliciamque inrumpit, Illyrici provincias depopulatur. Caspar Vinozero ex Strubiis attulit:

IMP C CL TACITVS AVG || PROVID DEOR.
IMP C M CL TACITVS AVG || PROVIDENTIA AVG.

PROBUS. 39.

Cap. 42. Aurelius Valerius Probus, omnium bonorum iudicio imperator factus, Sirmio oriundus fuit. Germanos Galliis exturbavit, captas urbes recepit. in Germaniam trans Rhenum ad Nigrum flumen, trans Danubium vero ad Albim, quem intercidisse quidam dicunt et

6 *In A ferner*: SEVERINA AVG || VENVS FELIX — IMP C AVRELIANVS || ORIENS AVG —, AVRELIANVS AVG || ORIENS AVG 29 PROVIDENCIA *B*

8 *Vergl. H. A. bes. Tac., Flor., Prob.* 17 *Nach der in Corvei gefundenen Handschrift ed. Romae 1515* 27 *Winzer aus Straubing* 31 *H. A. Prob.; Flor.*

nos Alemanum nuncupamus, devenit ibique castra locavit. alius est Albis, fluminum Germaniae maximus, Germaniam Magnam in duas secat partes, per Boiemos et Saxonas fertur, apud cervicem Cimbricae peninsulae sinui Codano miscetur. Probus Germanos Rhenum contingentes ad pacem coegit et amicitiam. sexdecim millia tyronum ab illis oblata limitaneis distribuit. inde pacavit Rhetias Vindeliciamque et Illyricum factoque foedere cum Germanis Danubium adcolentibus centum millia Bastarnorum in romano solo conlocavit. item et alias nationes, Gepidas, Guthungos, Vandalos per romanas divisit provincias. hi (occupato Probo bellis civilibus adversus tyrannos) per totum orbem romanum vagati, multum cladis maiestati romanae intulerant.

Bonosus quoque ac deinde Proculus apud Agrippinam imperium arripiunt, Gallias, Hispanias, Britanias occupant. Germani transrhenani, Franci ad societatem belli invitati sunt; sed Probus peculiari caelestis numinis favore victor ubique, quietam pacatamque rempublicam reddidit, oppressis ubique gentium hostibus adeo, ut dicere solitus sit, amplius non opus fore militibus. qui hoc dicto exulcerati, Sirmii in natali solo principem non solum nomine, verum etiam re probum fugientem in turrim ferratam (quam speculae causa altissimam et latissimam aedificarat) interimunt. imperavit annos sex, menses quatuor. Gallis, Hispanis, Pannoniis provincialibus per Europam vites colere contra maiorum instituta permisit et vinum conficere. saevit vitibus militari manu montes, Almum prope Sirmium et Aureum in superiore Moesia. idem Caspar Vinozero nobis dedit, harum rerum cultor et antiquitatis admirator:

IMP C PROBVS P F AVG || CONCORDIA MILIT XXIII.
IMP C M AVR PROBVS P F AVG || SOLI INVICTO.
IMP PROBVS P F AVG || PAX AVGVSTI XXI.
IMP C PROBVS P F AVG || CONCORDIA MILIT XXI S.

9 *In A u. B corrigirt aus* Gruthunnos 29 *Am Rande in A ferner:* IMP CN (?) AVR PROBVS P F AVG VIRTVS PROBI AVG E XXI M C S — IMP PROBVS AVG VICTORIA GERM R A — IMP C M AVR PROBVS AVG P M TR P COS PP XXI B — VIRTVS PROBI AVG PACI FIDENS — IMP C PROBVS P F AVG VIRTVS AVG P XX T — IMP C M AVR PROBVS P F AVG VIRTVS PROBI AVG XXIII — IMP C PROBVS AVG ADVENTVS AVG VOT — VIRTVS PROBI AVG SALVS PVBLICA. (?) XXI — IMP C M AVR PROBVS PF AVG RESTITVT ORBIS XXI T — IMP PROBVS AVG ADVENTVS AVG R X Z.

20 *Ekkeh. 109* 24 *Winzer.*

CHARUS. 40.

M. Aurelius Charus interfecto Probo imperator declaratur statimque liberos suos caesares designat, Charinum ad Gallias contra Germanos tutandas cum lectissimis viris dimittit, secum Numerianum adolescentem tum lectissimum, tum disertissimum oratorem et poetam sui temporis potentissimum retinuit. Danubii adcolae audita morte Probi ferociter Danubium transseunt, Pannonias invadunt, minantur se non solum Illyricum, sed etiam Thraciam Italiamque pervasuros. Charus fortiter occurrit, in Germaniam pellit, provincias romanas liberat. inde contra Persas arma vertuntur: ubi imperator victor tocius gentis, castra super Tigride habens, fulmine ictus de caelo interiit. Numerianus aeger oculis vehebatur lectica; ipsum Arrius Aper praefectus praetorio, socer eius, imperium ambiens, dolo interfecit; cadaver aliquot dies occultatum foetor prodidit. Diocletianus, domesticos regens, vir insignis et callidus amansque reipublicae Aprum sua manu confodit. imperarunt annos duos. Eiulasius hoc tempore praesedit Vindelicis et Noricis.

IMP M AVR NUMERIANVS || AVG MARS VICTOR S. C.

DIOCLETIANUS. 41.

Cap. 43. C. Aurelius Valerius Diocletianus Iovius, Dalmata, imperator ab exercitu Persico creatur, a senatu conprobatur, post M. Antoninum philosophum principum optimus, adeo ut ne adulatio quidem meliorem confingere queat. adoptavit M. Aurelium Valerium Maximianum Herculium Pannonem imperiique participem fecit, quo conscio iam pridem Diocletianus imperium animo invaserat. Charino inde caesare, filio Chari imperatoris, interempto, factionem rusticorum (quae sibi Bagaudarum nomen indiderat et ducibus Seliando et Amando per Gallias grassabatur) delevere imperatores. Carausius, tanti tumultus concitator et caput eius mali, in Britaniam aufugit eamque intercepit exercitumque ad inferiorem Germaniam per Rhenum mittit. praefecti erant superiores Amandus et Eliandus. contra hos profecti principes sunt, accitis etiam longinquis auxiliis.

Et dum haec geruntur, ecce tibi, omnes Germaniae gentes bellorum avidae, Burgundiones, Alemani, Heruli, viribus primi, locis ultimi, et plaerique alii excidium Galliae provinciisque caeteris Romanorum

14 fetor *A* 15 *Am Rande in A u. B* hofmeister 23 *In A über durchstrichenem* adoptavit — filium ascivit Maximinianum *B* 27 Seliando *sic A u. B.* et *vor Amando fehlt B* 31 Eliandus *sic A u. B*

16 *H. A. Num. 12. 13* 20 *Vict. Caes. 39. Hier. chr. 187. 189* 23 *H. A. Ver. 11* 25 *H. A. Num. 15* 30 *Eutr. IX, 20.*

conminati, in Gallias, Rhetias, Vindeliciam, Noricum inrumpunt, irruunt. in Moesiis quoque et Pannoniis adventu hostium trepidatum; nec Persae quievere. intonuere etiam civilium armorum fulmina; Achilleus totam Aegyptum occupavit; Carausius Britanias tenebat; Quingentiani (tot erant milites tumultus authores) Africam invasere; omnia ubique ferro, flamma vastabantur, provinciae ad solitudines redigebantur. undique ita saevis bellorum turbinibus maiestatem romanam conquassantibus, quo facilius citiusque tranquillitas redderetur orbi terrarum, duo caesares ab augustis declarantur. Fl. Constantius Chlorus, praeses tum Dalmatiae, quem Charus quoque imperator caesarem designare (quod nemo tunc melior vir videbatur) decreverat, ex Moesia et Histro oriundus fuit; alter caesar Galerius Maximianus, Armentarius (quod armentorum pastor fuerat) cognominatus, Daciae Ripensis civis fuit. et ut hi adfinitate coniungerentur, Galerius Valeriam, Diocletiani filiam, duxit uxorem, Constantius repudiata uxore sua Helena, matre Constantini (quam divus Ambrosius stabulariam Treveris fuisse, abs Constantio ob eximiam pulcritudinem adamatam tradit) in matrimonium accepit Theodoram, privignam Maximiani Herculii, ex qua sex liberos, fratres Constantini, sustulit.

Constantius Galliis, Hispaniis, Britaniis praeficitur, ipse Germanis bellum indicit. Germani fortiter eum circa Lingonum urbem armis excipiunt, fundunt, in fugam vertunt. Constantius vix fuga elapsus ad proximam urbem aufugit, cuius portae metu hostili clausae erant, ac, nisi fune demisso per moenia sublatus fuisset, in Germanorum manus vivus devenisset. reparatis deinde viribus cum Germanis congressus, victor Gallias liberavit, Romanis legibus reddidit; cum Germanis foedus icit. Britanias per Asclepiodotum praefectum praetorio recepit. Maximianus Herculius in Aphricam transsit. Diocletianus Aegyptum sibi deposcit.

Galerius Maximianus Rhetias, Vindeliciam, limitem Danubianum et Histro contiguas provincias sibi tutandas desumit. pacatis Histri adcolis, stipendio et militiae adscitis ac quibusdam in romanum solum translatis, Burgundionum parte intra Rhenum et Nigrum flumina distributa, Persas adgreditur. primo victus a Persis ad Diocle-

1 Vindelicium *B* 16 Treviris *B* 33 fluminibus *A u. B*

1 *Mamert. Paneg. Max. 5* 5 *Eutr. IX, 22. Iord. Get. 21. Brev. 52* 11 *H. A. Car. 17* 13 *Vict. ep. 40* 16 *Ambros. or. fun. Theod. 42* 19 *Eutr. IX, 22. Exc. Vales. 1* 26 *Eutr. IX, 23. Zonar. XII, 31. H. A. Car. 18* 27 *Eutr. IX, 22. Zon. a. a. O.* 33 *Eutr. IX, 25.*

tianum fuga elapsus venit; ante carpentum indignabundi Diocletiani non admissus, purpuratus pedes cucurrit aliquot millibus. reparatis tamen ex Germanis et limitaneis Histri exercitibus copiis, rursus Persas adoritur. ipse in Armenia maiore cum duobus equitibus exploravit hostes et cum viginti millibus militum supervenit castris hostium; subito innumera Persarum agmina adgressus Narseum regem turpi fuga salutem quaerere cogit; uxore eius ac filiabus potitur, summa eas pudiciciae custodia reservat. quamobrem Persa ad pacem illectus cum Romanis foedus icit. Mesopotamiam cum quinque populis trans Tigrim romano imperio reddit. haec pacis condicio usque ad divi Constantini mortem duravit. ita terra marique parta victoria restitutaque felicitate reipublicae et orbi romano pace augusti triumpharunt.

Quatuor tum principes mundi, fortes, sapientes, benigni et admodum liberales, idem in republica sentientes, graves, religiosi, amatores senatus populique romani, quales optari solent, romanum imperium orbemque terrarum administrarunt. Diocletianus tanquam communis et supremus parens arcem tenebat, caeteri ut apparitores ultro citro discurrebant, Diocletiano obtemperabant. erat Diocletianus callidus, amans reipublicae, ad omnia paratus, alti consilii et prudens et qui operam navaret, ut vita et clementia quam simillimus M. Antonino esset. veterum imperatorum res gestas studiosissime inquisivit, literis quoque mandari iussit. eius verba haec, quae subscribam, fuisse scribit Vopiscus: nihil difficilius est quam bene imperare. colligunt se quatuor vel quinque atque unum consilium ad decipiendum; imperatorem capiunt; dicunt ex composito, quicquid libet. imperator, qui domi clausus intra cubiculum est, vera non novit, facit iudices, quos fieri non oportet, amovet a republica, quos debebat obtinere; bonus, cautus, optimus venditur imperator. eidem displicebat Maximiani sui asperitas, quam cum depraehendisset, dixisse fertur, primam dotem imperatorum clementiam esse, quamobrem Aurelianum ob nimiam saeviciam magis ducem esse debuisse quam imperatorem.

Omen imperii Diocletiano in Germania inferiore apud Tungros contigit. in caupona quadam cum rationem quotidiani convictus faceret,

4 *In A ferner:* fundit, superat, ad internecionem delet 25 collegunt *A* 32 *Am Rande in A:* Claudius Euthenius *(sic)* ab epistolis Diocletiano vitam principum scripsit. *[Vopiscus, Car. 18, 5].*

11 *Ruf. Brev. 25. Eutr. IX, 24 fg. Amm. XIV, 11. XXV, 7* 13 *Cass. Chr. 447. Hier. 189. Eutr. IX, 27* 17 *H. A. Car. 18* 19 *Amm. a. a. O.* 22 *H. A. Num. 13. Marc. 19* 23 *Vgl. H. A. Macrin. 15* 24 *Aur. 43* 32 *eb. 44.*

anicula quaedam ipsum increpans dixit: nimium avarus, nimium parcus es, Diocletiane; qui ioco respondit: largus ero, cum imperator fuero. subiunxisse anus fertur: imperator eris, cum aprum occideris. tum, ubi fuit occasio, semper apros in venatu manu occidit Diocletianus. et cum Aurelianus, Probus, Tacitus, Charus imperatores salutarentur, dixit: ego semper apros occido, sed alius vescitur semper pulpamento. idcirco Arrium Aprum praefectum praetorio sua manu occidit ac: gloriare, Aper, inquit, Magni Aeneae dextra cadis. et cum interfecisset, ait, aprum fatalem occidi, ut impleret aniculae dictum et suum firmaret imperium, alioquin haud tali crudelitate princeps clementissimus auspicaturus imperium. quando autem (quemadmodum explicavimus) levi admodum momento milites impulsi, ab imperatoribus manum et ferrum non abstinebant, ut posthac imperatoria maiestas sacrosancta foret, adorari se Diocletianus ab adeuntibus non aliter quam ut deum more regum Persarum iussit edictoque sanxit, uti omnes adituri principem eius pedibus acciderent ipsosque oscularentur. antea imperator in modum iudicum salutabatur et chlamyde purpurea dumtaxat a privato habitu discernebatur; Diocletianus gemmas vestibus et calceamentis inseruit, id quod et C. Caligulam fecisse memorant. morem istum adorandi romani pontifices pertinacissime aemulantur, qui, si Christum ament, oves pascant. salva est respublica christiana, quae adtrita est sub Diocletiano. nam anno imperii Diocletiani quarto decimo, a Christo nato servatore nostro ducentesimo super primum, Titus Veturius magister militiae christianos milites quasi hostes deorum et principum, quos adorare nollent, exauthoravit, neci dedidit, eorum bona usurpavit. paulatim deinde eadem crudelitas gliscens, authore Galerio Maximiano, caeteros nostrae religionis consecraneos adtigit et involvit. atque hunc ignem excitarunt superbia et vicia episcoporum nostrorum, qui tyranni potius (ait Eusebius) quam sacerdotes modestia christiana reiecta spiritus tyrannorum sibi sumpserant. quanto igni nunc opus est, ut excoquantur crimina nostra! coelum ipsum petimus stulticia neque per nostrum patimur scelus, iracunda deum ponere fulmina.

Anno priore, quam Diocletianus se imperio abdicaret, conventicula nostra ipsis paschalibus subversa sunt. multitudo in navicula imposita in mare praecipitata est, civitas in Phrygia cum populo,

20 morem — pascant *in B eingeklammert.*

11 *H. A. Car. 13—15* 19 *Amm. XV, 5. Cass. 446. Prosp. Tir. bei Graev. Thes. XI, 301. Eutr. IX, 26. Zon. XII, 31* *Suet. Cal. 52* 29 *Chr. II, 192?* 33 *Horat. C. I, 3, 38* 36 *Eus. H. E. VIII, 2; 6.*

quod cives omnes christiani essent, a militibus conbusta, bona nostra a praetoribus occupata, populus dei trucidatus, literae sacrae exustae sunt. atque is furor saevissime per continuos quatuordecim annos sub decem principibus in nos debachatus est. altero huiusce impietatis anno Diocletianus, posteaquam viginti imperavit annos, imperium Nicomediae exuit, in privatum ordinem se redegit. non longe a Salonis, urbe Dalmatiae (Spalatum vulgus nominat), in villae suae palatio consenuit, agriculturae, maxime hortorum voluptati operam dedit. vixit ibi annos decem; mortuus est anno vitae duodeoctogesimo et solus omnium privatus inter deos refertur.

Maximianus Herculius idem facere a Diocletiano coactus, purpuram, principum insigne, invitus Mediolani deposuit. postea imperium arripere tentans, iussu Constantini generi sui, cui insidiatus fuerat, Massiliae strangulatus est, homo saevus, truculentus, sanguinis caedisque avidus, fortis et rei bellicae peritus. genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium et Faustam, coniugem Constantini, cuius patri Constantio Theodoram privignam nuptum conlocarat. Caius Aquilinus, vir consularis, hisce temporibus Vindelici limitis dux fuit romanus. sub idem tempus anni domini 289 divus Maximilianus, Vindelicorum atque Noricorum archimystes Laureacensis, Celeiae pro republica christiana se devovit. succedit Eleutherius, a Xisto pontifice maximo datus; huic divus Quirinus, filius Philippi praesidis Pannoniae.

IMP DIOCLETIANVS ‖ AVGV.
GENIO POPVLI ROMANI ‖ S F.
PRIMI DECENNALES COS III S C.
M VAL MAXIMIANVS AVG NOB C VOT X X Z.
IMP C MAXIMIANVS ‖ P F AVG.
SACRA MONETA AVGG ‖ ET CAESS NOSTR.
MAXIMIANUS NOS CAES GENIO POPVLI ROMANI.
IMP DIOCLETIANVS AVG GENIO POPVLI ROMANI RT TR.

Columnam marmoream supra in Augusto reperies, quae hisce imperatoribus posita est.

6 Nicodemiae *B* 23 DIOCLETIANVS P *A* 31 *Am Rande in A ferner:* IMP C M A MAXIMIANVS AVG ‖ CONCORDIA MILITVM S. (?) XXI. — IMP C MAXIMIANVS P F AVG ‖ GENIO POPVLI ROMANI — MAXIMIANVS NOB CAES ‖ SACRA MONET AVGG. ET CAESS NOSTR.

3 *Eus. H. E. VIII, 11. Zon. XIII, 32* 10 *Eutr. IX, 27 fg. Cass. 447. Zon. XII, 32* 15 *Eutr. X, 3. Vict. ep.* 17 *Vict. ep. 40* 19—22 *vgl. Bernard. Cremifan. M. G. Scr. XXV, 653; Schreitwein l. c. 440* 32 *s. oben S. 158, Z. 32.*

CONSTANTIUS. 42.

Cap. 44. Fl. Claudius Constantius Chlorus et Galerius Maximianus Armentarius augusti a senatu adpellantur, ubi Diocletianus et Aurelius Maximianus repudiatis rerum gubernaculis privatam degere vitam decreverunt. Constantius natus patre Eutropio, Dardanae gentis nobilissimo viro, et matre Claudia, filia Fl. Claudii caesaris augusti, Aphricae et Italiae administrationem recusavit, Gallias, Hispanias, Britanias retinuit et quiete possedit; caetera conlegae permisit. fuit natura clementissimus, divitiarum contemptor. in conviviis aurea pocula ab amicis commodo accipiebat, ut abacum exornaret; paucissimis contentus, a fictilibus non abhorrebat. eius liberalitate devincti Germani ab armis cessarunt. Galerius Maximianus, cum Constantius Aphricam et Italiam reliquisset, duos caesares creavit, Severum et Galerium Maximinum, sororis suae filium; hunc orienti et Aegypto, illum Italiae et Aphricae praefecit; ipse in Illyrico medius versabatur. hic cum Constantinum obsidem a patre datum Romae teneret eiusque saluti insidias tenderet, Constantinus sibi fuga consulnit; quaqua iter fecit, publica iumenta ad frustrandos vestigia insequentes occidit. ad patrem Constantium incolomis in Britaniam pervenit, quem morbo letali adfectum offendit. Constantinus Germanos stipendiis sibi conciliat, regem Germaniae Chrocum nomine auxilii gratia cum copiis ad se trahit. eius ope imperii habenas mortuo patre occupat. imperavit Constantius ut augustus annos duos; inter deos relatus est.

IMP CAES GALERIVS MAXIMIANVS INVICTVS AVG P M GERM ÆGYP THEBAICVS SAR QVINQVIES PERSICVS BIS CARPICVS SEXIES ARMENICVS MEDORVM ET ADIABENORVM VICT TRIBVNICIAE POT VICIES IMP DECEMNOVIES CONSVL OCTIES P P PROC

IMP CAES FL VAL CONSTANTIVS PIVS FELIX INVICTVS AVG P M TR POT IMP V COS IIII P P PROC.

IMP CAES GALERIVS MAXIMINVS GERM SAR P F INVICTVS AVG.

FL IVL CONTSANTIVS PROVIDENTIAE CAESSEANO.

DN CONSTANTIVS P F AVG FEL TEMP REPARATIO A Q S.

CONSTANTIVS NOB C GENIO POPVLI ROMANI.

CONSTANTIVS AVG DALMATIA DEVICTA.

1 Constancius *B* 19 Constantinum *B* 20 sibi stipendiis *B* 29 u. 30 *fehlt in A* 31 SARM *B* 33 *sic A u. B*

3 *Eutr. X, 1. 2. Vict. ep. 40. 41* 6 *H. A. Claud. 13.*

CONSTANTINUS. 43.

Cap. 45. M. Fl. Valerius Constantinus Maximus, pius, felix, semper augustus, Constantii Pii filius, anno ab restituta salute trecentesimo super decimum, persecutionis vero anno quarto, a patre gubernacula per manus accepit tenuitque cum Galerio Maximiano Armentario augusto annos quatuor, cum M. Valerio Licinio Liciniano participe imperii sexdecim, cui accito Mediolanum sororem suam Constantiam in matrimonium dedit; ipsum Galerius Maximianus Carnunti augustum adpellarat. eadem tempestate, posteaquam Constantius naturae concessit, Maxentius, filius Maximiani Herculii, Romae a senatu et praetorianis augustus nuncupatur. apud Africam Alexander imperium arripit. orientem tum atque Aegyptum gubernabat Galerius Maximinus. Severus Italiam tenebat, cui adtribuebantur Rhetiae et Vindelicia, quam Boii nunc tenent. Galerius Maximianus Illyricum, cuius pars est Noricum, possidebat. Valens quidam, haud scio ubi, res novas eo quoque tempore molitus est.

Romanus tum orbis tot principibus regebatur, sub quibus persecutio, quae sub Diocletiani ultimis annis coepit, sub Constantio progressa, per diversas orbis romani partes, omnium gravissima in nos crudelissime grassata est. nam Galerius Maximianus author fuit huius crudelitatis; Maximiani ab Hieronymo vocatur. senatusconsulto conciliabula nostra destructa sunt, divini libri ignibus traditi, omnes insulae, metalla, carceres confessorum et martyrum gregibus catenatis impleti. christianum nomen conati sunt principes quasi ex senatusconsulto extinguere. christiani urbibus edicto perpetuo in aes inciso eliminati sunt. nulla acceptabilior hostia diis inmortalibus quam invisum genus christianum credita. de crudelitate in foeminas perpetrata pudet referre. mortium et poenarum genera enarrare maius est viribus nostris; cruciamenta ingenium superant meum. citra rationem aetatis, ordinis, sexus in omnis saevitum, tum templum dei eversum, iustus populus laceratus, veritas abiecta iacere videbatur. senatus, philosophi, milites, iudices, principes nos lacerarunt, vexarunt. infinita hominum millia per provincias cunctas et urbes pro Christo quotidie occisa sunt; alii in flumen praecipitati, alii secti, alii exusti sunt. tum apud nos et in provinciis, quas Boii incolunt, interempti sunt divus Maximilianus archimystes Laureacensis, Florianus tribunus cum quadraginta militibus, Quirinus, Victorinus Petavionensis episcopus, quo-

2 foelix *B*

2 *Vict. C. 40. Ep. 41. H. M. XI, 10. Eutr. X, 2—4. Eus. Hier. 188—192.*

rum divus Hieronymus meminit, Mauritius cum legione et Aphra et plaerique alii.

Iudices inhiantes possessiunculis nostris plus audebant, quam iubebantur. ex quorum numero quidam in Bithynia author in primis faciundae persecutionis fuerat; quo scelere non contentus, etiam scriptis, quos adflixit, persecutus est. extiterunt quoque, qui se antistites philosophiae profitebantur, sub pallio et barba ac capillis vicia sua tegendo; authoritate falsi nominis ad amicicias iudicum miro modo penetrabant. ipsi tempori servientes contra nostram religionem nomenque christianum libros evomuerunt, in quibus professi sunt, ante omnia officium esse philosophi, erroribus hominum subvenire atque illos ad veram viam revocare, id est ad inmortalium cultus deorum, quorum numine et maiestate (ut illi dicebant) mundus gubernaretur, nec pati homines imperitos quorundam fraudibus inlici, ne simplicitas eorum praedae ac pabulo sit hominibus astutis. itaque se suscepisse hoc munus philosophia dignum, ut praeferrent lumen sapientiae non videntibus, non tantum, ut susceptis deorum inmortalium cultibus resanescant, sed etiam ut pertinaci obstinatione deposita corporis cruciamenta devitent nec saevas membrorum lacerationes frustra perpeti velint. deinde effusi in principum laudes, quorum pietas et providentia in defendendis religionibus claruisset, consultum esse tandem (aiebant illi philosophi) rebus humanis, ut cohibita nova, impia et anili superstitione universi homines legitimis et avitis sacris vacarent et propicios deos sibi experirentur.

Verum nostri, freti divinis muneribus caelestibusque beneficiis, irrisere huiusmodi nebulones, ut de quorum mentibus adversum nos maligni genii depugnarent et qui profiterentur se inluminaturos alios, cum caeci essent, reducturos ab errore, cum ipsi ignorarent, ubi pedes suos ponerent, erudituros ad veritatem, cuius illi ne scintillam unam quidem vidissent aliquando, quippe cum sapientiae professores profligare sapientiam niterentur. quamvis tot malis peteretur veritas, emicuit tamen ac vicit clarissimumque de hostibus egit triumphum, adeo ut claritas eius etiam imperatoribus apparuerit manifeste. Galerius Maximianus saevitia in christianos insignis usque ad infamiam; frustra poenituit, quod innocente christianorum sanguine se maculasset; pro eius salute et vita frustra praeces Christo decretae. simili fato et sera

6 *Am Rande in A:* Hierocles. 7 *A:* sub pallio et capillis; *am Rande:* barba.

1 *Chr. 189. Cat. (I, 132)* 4 *Lact. V, 2* 31 *Lact. V, 2* 36 *Lact. de m. p. 34. Eus. H. E. VIII, 17.*

poenitentia defunctus Galerius Maximinus, saevissimus omnium, non mitior in nos in oriente et Aegypto fuit. Tharsi vitam amissis luminibus inedia simul et laqueo finivit; violatae pietatis poenas dedit. Maxentius Severum occidit, ignem persecutionis in nos Romae edicto extinxit. Constantinus, vocatus a senatoribus, Maxentium et Alexandrum interemit, Licinius Valentem. Constantinus tandem decimo imperii sui anno pacem nostris reddidit. Licinium, quod christianos e palatio exegisset in nosque saeviret, armis superavit, purpura exuit, privatum Thessalonicae occidit, sexagesimum tum agentem annum. literarum hic hostis fuit, quas reipublicae perniciem vocabat. aulica famulicia mures et tineas verissime adpellabat, rebus bellicis clarus extitit, oriundus ex Dacia Ripensi.

Romani rerum domini, dum cultum dei optimi maximi expugnare ac radicitus excindere conantur, deos suos prodidere, superstitionem suam funditus everterunt, religionem nostram stabilierunt. ex sanguine christianorum guttatim soboles nova renata est. edicto publice iussu Constantini arae deorum eversae, templa deorum clausa sunt. totius orbis consensu veritas invicta tot adversitatibus recepta est Christusque depulsis divinitate diis falsis triumphavit. dii in aedes paucorum divitum conpulsi, in culminibus velut bubones delituerunt. demones perdita divinitate domesticos templo dei excitarunt inimicos. vix cultores deorum viceramus, Arrhius sacerdos, Constantiae, viduae Licinii, sorori principis insinuatus (divum Hieronymum sequor), virus in philosophiam christianam effudit. conventus christianorum pontificum Niceam, Bithyniae urbem, a Constantino indictus; pestiferi hominis errorem impientissimum redarguit et explosit.

Constantinus laudis avidus fuit, bellis fortunatus, eloquentiae et literarum amator. romanorum principum historias memoriae literarum conmendandas curavit, per Tatium Cyrillum e graecis in latinam linguam verti iussit. habitum imperatorum gemmis et diademate perpetuo auxit. cum Germanis Rhenum contingentibus, quorum auxilio imperium nactus fuerat, pacem habuit, eos muneribus placavit. Goti et orientales Germani Thracias vastarunt, cum praeda domum reversi sunt. Constantinus Danubium ponte iunxit, in Germaniam transsit, hostes contudit. Gebericum regem, filium Hylderici, in foedus donis traxit; cum Gotis pacem firmavit; Germanis gratissimus fuit, quorum opera

22 Arrius *B*

20 *Hier. ep. 107* 26 *Hier. ep. 133* 31 *Vict. ep. 41. Eutr. X, 7. H. Aug. Heliog. 35.*

in bellis usus est. praefecit limiti Danubiano Fl. Iul. Crispum filium suum; caesarem eum adpellavit. is Suevos devicit, transtulit trans Histrum in Pannonias. Vandalos et partem horum, Burgundionas, ad Rheni Danubiique ripas deinde distribuit; germanae hae nationes sunt; rex earum Visomarus erat. paulo ante Constantini imperium a Vistula et sinu Venedico Codanoque per integrum annum profecti, ad ripas Histri Marisiaeque consederant, ubi ab oriente Getas contingebant, a meridie Danubium, ab occidente vero Quadis, Marcomanis, hoc est Suevis, a septentrione Hermondulis contermini erant. Burgundiones partem Sueviae iuxta Danubium occuparant. Franci etiam vastatis Galliis Hispanias invaserant.

Constantinopolim ipse Constantinus nuditate omnium urbium (ait divus Hieronymus) dedicavit. de eo vulgo iactatum est: decem annis praestantissimus, duodecim latro, decem pupillus ob inmodicas largitiones. Crispum filium (quem ex Minervina concubina sustulerat) Fausta noverca de stupro interpellat, renuentem adolescentem ad patrem defert; vim eundem sibi inferre voluisse mentitur. Constantinus credulus verbis uxoris filium Polae in Histria interfecit. erudierat hunc literis Lactantius, vir omni suo tempore eloquentissimus, sed adeo pauper in hac vita, ut plaerumque necessariis indiguerit, nedum deliciis diffluerit. occisus est et Licinius iunior, filius Licinii augusti et Constantiae, sororis Constantini, fraude Faustae, ne filiis eius officere posset. tandem et ipsa Fausta a Constantino marito in ardentes balneas proiecta, extincta est. Helena filium ob nepotem interemptum increparat et Fausta Constantinum saepius ad sacrificandum diis impulerat. consul Ablavius disticho clam palatinis foribus adfixo domum Constantini notavit:

Saturni aurea saecla quis requirat?
Sunt haec gemmea, sed Neroniana.

quia scilicet praedictus augustus (recitat Sidonius Arvernorum episcopus) iisdem temporibus coniugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni extinxerat.

Qui dum senex expeditionem in Persas meditatur, morbo correptus, in extrema aetate lavacro coelesti more christiano tinctus est ab Eusebio, Nicomediae pontifice, in villa eiusdem urbis; ita divus Hieronymus, divus Ambrosius et alii celebrati authores adseverant. decre-

9 Hermondulis *sic A u. B*

1 *cb. Iord. Get. 21. 22* 9 *Iord. Get. 22* 13 *Hier. Chr. 192* 14 *Vict. ep. 41* 30 *Apoll. Sid. ep. V, 8* 36 *Hier. 192. Ambros. or. fun. Theod. 40.*

verat in Iordane aquis lustrari Constantinus, verum ultimo fato urgente mortuus est in Bithynia, anno imperii tricesimo secundo minus duobus mensibus, aetatis sexto et sexagesimo. reliquit ex Fausta tres filios, Constantinum, Constantem, Constantium, filias Helenam, Eutropiam, Constantiam, Constantinam, uxorem Galli cãesaris. quae de Sylvestro et donatione Constantini praedicantur, ficta, falsa, inepta pugnantiaque sunt; miror extare tam stolidos, qui credant, et tam impudentes, qui defendere audeant, praecipue, cum etiam Pius secundus pontifex maximus, vir harum rerum peritus, nugas huiusmodi ut commenta anilia fabulamque inanem irrideat.

CONSTANTINVS IVN NOB C GLORIA EXERCITVS VOT X.

CONSTANTINVS IVN NOB C CAESARVM NOSTRORVM VOTA X X S T R.

MAXENTIVS P F AVG DN VAL LICIN LICINIANVS NOB C IOVI CONSERVATORI.

CONSTANTINVS AVG PROVIDENTIAE AVG.

IMP CAES FL VALERIVS CONSTANTINVS P F AVG P M TR POT IMP V CONSVL P P PROCONSVL.

CONSTANTINVS AVG N C DEA TERRA.

CONSTANTINVS P F AVG SOLI INVICTO COMITI A Q T.

CONSTANTINVS AVG VIRTVS AVG CONST.

IMP MAXENTIVS P F AVG.

In patria Eining: CONSTANTINVS ITA NOB C CAESARVM NOSTRORVM VOT X PL SC S C.

IMP CONSTANTINVS AVG SOLI INVICTO COMITI T F.

IMP CONTSANTINVS P F AVG SOLI INVICTO COMITI T F.

CONSTANTIUS. 44.

Cap. 46. Constans, Constantius, Constantinus, fratres germani augusti, et Dalmatius, Hanniballiani fratris Constantini Maximi filius, caesar orbem romanum sortito ex testamento diviserunt. Constans Illyricum, Noricum, Pannonias, Moesos, Liburnos, Dalmatas, Thraciam, Graecos, Macedoniam, Achaiam, Africam, Italiam sortitus est. Con-

16 PROVIDENCIAE *B* 26 *sic A u. B* 27 *In A ferner*: IMP LIC LICINIVS P F AVG IOVI CONSERVATORI.

9 *Ausser diesem (Aeneas Sylvius) hat der Sylvesterlegende von den Humanisten des 15. Jahrh. zuerst Nicolaus von Cusa, der Fabel von der Schenkung Constantins haben Nicolaus Cusa, Bischof Pecock, Lor. Valla widersprochen. Vergl. v. Döllinger, Papstfabeln, S. 60, 104* 29 *Vergl. bes. Vict. Caes. 41. ep. 41. 42; Eutr. X, 9—12; Hier. chron. 193—195.*

stantius totum orientem a freto Propontidis, ubi Constantinopolis sita est, Dalmatius caesar Armenias et conterminas regiones accepit, qui factione Constantii patruelis a militibus interfectus est. eius portionem occupavit Constantius; contra Saporem regem Persarum crudelissimum (qui in christianam pietatem quoque ferrum strinxit) continuo bellum gerens. Constantino cuncta trans Alpes data sunt, Britaniae, Galliae, Hispaniae. verum, ut est infida societas regni et aviditas animi insatiabilis, discordia inter fratres de administratione Italiae Africaeque oritur. Constantinus, non contentus sorte sua, novam postulat divisionem; quam cum non impetraret, accitis Francis et aliis Germaniae populis, Rhetias, Vindeliciam, Noricum latrocinantium more pervagatur atque occupat. Italiam invasurus, non longe ab Aquileia a militibus Constantis fratris sui (qui tum ad Danubium in Moesia adversus Gotos versabatur) praelio excipitur. ubi dum incautius temulentusque manus conserit, non agnitus obtruncatur, caput amputatum in Alsam amnem abiicitur, imperii anno tercio, vitae quinto et vicesimo.

Constans, ubi de caede fratris accepit, regiones eius recipit. in Galliis obtinendis maximus illi labor fuit. Franci inter civilia bella rege Theodomaro, filio Richomari, Gallias devastarant et invaserant sedesque ibidem iam coeperant. vario eventu belli utrimque pugnatum est integro biennio. Theodomarus, filius Richomari, rex cum matre Hastila Saxona gladio perit. pax inde convenit, empta ab augusto, foedusque ictum est cum Francis; Galliae liberatae sunt. Constans Galliis receptis studio venandi per saltus et sylvas errabat. Magnentius, dux Rhetici ac Vindelici limitis, pecunia sibi animos militum conciliat; authoribus Crestio et Marcellino tribunis augustus adpellatur. Constans ubi certior factus est de hac conspiratione, Hispaniam versus fugere coepit. missi sunt, qui eum insequerentur et occiderent. ab his haud procul Hispania conpraehensus interficitur. nemo morienti imperatori adstitit praeter Lavium Gaisonem tribunum, genere Francum. imperavit Constans annos tresdecim, vixit annos septem et viginti.

Tum Romae quoque Nepotianus, filius Eutropiae, sororis augustorum, rerum habenas arripit, verum a Magnentianis duodetricesimo imperii die opprimitur. iam enim et Italia cum Roma Magnentio cesserat. in Illyrico etiam novus emersit tyrannus apud Mursam,

31 astitit *B*

23 *Greg. Tur. II, 9* 33 *Amm. XV, 5* (Laniogaiso tribuno).

Pannoniae urbem, quae aberat sexdecim millia passuum occidentem versus a Teutoburgio, ubi Dravus amnis Danubio miscetur; Quinque Ecclesias nunc vulgus adpellat. Vetranio magister militum imperator ab exercitu creatur totumque Illyricum occupat. Constantius, ubi accepit de nece fratris et Europam a tyrannis invasam audivit, pacem cum Persis et inducias fecit. Gallum patruelem suum caesarem declaravit; ipse ad Europam liberandam arma convertit.

Inter haec Iudaei interfectis per noctem militibus arma corripiunt Romanisque aperte rebellant. Gallus, qui in oriente Antiochiae relictus erat, contra Iudaeos cum copiis hostili animo pergit, citra omnem sexus, aetatis rationem Iudaeos sternit, fundit, trucidat. civitates Iudaeorum Diocaesarea, Tiberias, Diospolis et alia conplura oppida ab irato milite diripiuntur, evertuntur ac incenduntur. Constantio vero iam Thraciam tenenti Vetranio, clam se ab exercitu subducens, deposita purpura obviam fit, pedibus Constantii accidit, veniam praecatur et impetrat. imperator senem ducem amplexus, patrem vocat, coenae adhibet. Prusiada (urbs est et caput Bithyniae) abire iubet, oppida tribuere victum mandato imperatoris. consenuit ibi Vetranio ocio et summa tranquillitate. at Magnentius declarato in Galliis et trans Alpes caesare fratre suo Decentio, Illyricum Mursamque intercipit; ibi Constantium prohibiturus, milites legit, copias instaurat.

Interim Germaniae nationes, Alemani, Franci, Chamani, vivere rapto assueti, Nodomaro rege Gallias invadunt, Decentium caesarem aperto Marte profligant. primo latrocinando Gallias devastabant, inde funestis cladibus provincias adfecerunt ditatique rapinis Romanorum sunt. iam Constantius superiorem Mursam Dravumque flumen adtigerat. oritur paricidiale bellum. magna vi utrimque decertatur; fit praelium atrox; intercidere eo certamine vires romanae; caesa sunt tria et quinquaginta millia hominum; optimus quisque militum interiit.

Hactenus Roma dumtaxat oriundi provinciis, magistratibus et rebus bellicis praeficiebantur. posthac barbari etiam, hoc est Germani et alienigenae in romano solo non orti, magistratibus, provinciis, rei bellicae coepere praefici, non sine romani imperii exitio, sicut rerum authores prodiint. victor Constantius Illyricum, Noricum, Rhetias, Vindelicum, Italiam recuperat: Magnentius in Gallias, unde oriundus fuit, Lugdunum aufugit; ibi reparare vires contendit. at Constantianis urgentibus sibi mortem ferro consciscit. Decentius

2 *Anton. Itin. p. 113* 20 *Zonar. XIII, 7. H. M. XI, 21. Zosim. II, 44 fg.* 24 *Amm. XVI, 12. XVII, 10* 30 *Zon. XIII, 8.*

frater eius laqueo vitam finivit. Sylvanus, dux Germaniae inferioris, in Gallia Belgica, qui pro Constantio contra Magnentianos Alemanosque acerrime Gallias tutatus fuerat, apud Augustum (cuius aures patulae erant susurronibus) graviter ab invidis aulicis, falso tamen, quod res novas moliretur, accusatur, quamobrem ei ab augusto insidiae tenduntur. quod ibi comperit Sylvanus, conqueritur apud exercitum in Colonia Agrippinensi. nec mora, a fremente milite imperator creatur. mittitur ad ipsum Agrippinam a Constantio Ursicinus dux, rei militaris peritissimus, cum eo Ammianus Marcellinus, scriptor historiarum. tribuni Sylvani, pecunia corrupti, impetum in regiam de improviso faciunt, fugientem Sylvanum in conventiculo christianorum trucidant, undetricesimo imperii die. Gallum deinde Constantius caesarem, quod crudelissime saeviret in quosque omnibusque probris se contaminaret, blandiciis et fraude ad se vocatum, mortua sorore Constantina, apud Petanionem urbem Noricorum detecto dolo capi iubet. inde ductus Polam, Histriae urbem, crudeliter necatur capite abscisso, potestatis anno quarto, vitae undetricesimo. natus fuit apud Tuscos in arce Therbensi, patre Constantio, fratre Constantini Maximi, matre Galla, sorore Ruffini et Cerealis, qui consules, duces et provinciarum rectores fuerant.

Dum itaque civilibus bellis Romani sese invicem adterunt, Germani, adsueti ditescere praedis Romanorum, in Galliis florentissimas urbes et antiquissimas capiunt, diripiunt, excindunt, castra hiberna, aestiva expugnant, legiones cum auxiliis delent. nobilitas omnis Gallorum aut ferro in acie cecidit aut capta Germanis servivit. undecim millia nobilium capta esse tradunt romani scriptores. iuxta Rheni fluenta castra Herculis, Ulsiburgium, Undevicesimanorum aestiva, Novesium, Agrippina, Bonna, Antoniacum, Bingium, Mogontiacum, Vangiones, Nemetes, Bortomagus, Argentoratum excisae direptaeque sunt. agros illorum contra consuetudinem occuparunt Germani ibique sedes quasi perpetuo mansuri fixere. Franci cum Chamanis ad Toxandros iuxta Scaldim flumen, in confinio Hannoniae, Brabantiae, Flandriae, in romano tum solo cum liberis et coniugibus consedere, intima Galliarum usque Hispanias soliti depopulari. nam et Tarbellos in Aquitania, Sebusianos in Gallia Lugdunensi vastarunt et occuparunt. alia manus Germanorum in Rhetias, Vindelicum erumpit

15 Petanionem *sic A u. B*

12 *Amm. XV, 5. Zon. XIII, 9* 20 *Amm. XIV, 11* 25 *Mam. Paneg. 4. (Tac. H. III, 46)* 26 *Zon. XIII, 10* 30 *Amm. XVIII, 2. XVI, 2* 34 *Amm. XVII, 8* 35 *Plin. n. h. IV, 107 fg.*

Italiaeque inminet; Vadomarus rex et Gondoundus frater eius, qui inter Danubii caput, Nigram Sylvam et Rhenum oppositi Rauracis et Basileae regnabant (quae regio nunc Priscia vulgo literionum nominatur) transgressi Rhenum crebro et limites romanos, confines provincias vexabant. ingentes opes ex spoliis romanis compararant.

A 219b Contra hos Constantius Arelate egressus, Valentiam petit verno tempore. ibi conmeatus, qui ex Aquitania devehebantur, operitur. crebris imbribus aucti torrentes prohibuere rem maturari. apud Cabillonem, urbem nunc Burgundiae, delectus agebantur. huc profectus imperator exercitum lustrat; inde ad Rauracos Rhenumque castra movet, in Germaniam ibi traiecturus adversus superiores fratres. Alemani pontem navibus conpactum solvunt, transsitum amnis Romanis intercludunt. imperatori, quidnam agat anxio, adest quidam gnarus locorum, vadum mercede accepta monstraturus noctuque Germanis aliorsum intentis copias romanas traducturus. verum ex magno Germanorum numero, quibus militiae cura apud Constantium augustum conmissa erat et qui multum apud eum pollebant, nonnullos germanicis rebus favere natura cogebat iique populares suos certiores faciunt. Alemani igitur, qua transsituri erant Romani, omnibus copiis ingruunt imperatoremque vado arcent. actum est deinde de pace; legatis ultro citroque missis consensu totius exercitus foedus solenni ritu ictum est. auxilia Germanorum Romanis necessaria esse Constantius augustus dictitabat. imperator inde ad hiberna Mediolanum discedit. posthaec Alemanis Rhetias vastantibus bellum indicit. progressus Mediolano in Rhetiam usque ad Caninos campos Athesi contiguos devenit. ibi consultatum est de belli ratione. placuit ad oram Brigantini lacus (quem nos Bodmicum et Constantiensem, accola tum Rhetius Murgantium vocabat) castra romanasque vires ad custodiendas Rhetias conlocare, in confinio Rhetiae et Germaniae, quod ibi triginta dumtaxat millia interessent, inter fontes Danubii et alveum Rheni, qui Rhetias separabant; hic a Gallis, ille a Germanis nullius amnis obiectu ibidem Rhetia munitur; idcirco facile Alemanis ex Germania patebat transsitus.

178B Arbetio igitur magister equitum cum validissimo mittitur exercitu; illuc cum Germanis congressurus pergit, sed non expectatis exploratoribus in insidias delatus est. Alemani ex latebris de improviso undique prosiliunt, de improviso Romanos iniquitate locorum circumventos invadunt, fundunt, sternunt. Romanis nulla spes salutis nisi in fuga

3 *Breisgau* 13 *Amm. XIV, 10* 18 *Caes. b. G. VI, 7* 23 *Amm. XIV, 10.*

erat; placuit retro pedem referre atque caedere. terga inde vertunt incomposito agmine, huc atque illuc palantes; plaerique per angustas semitas sparsi, tenebrosae noctis beneficio servati sunt, qui reddita luce quisque suo agmini se coniunxere. multi tamen Romanorum periere; decem tribuni desiderati sunt. ob quae Germani elati animis quotidie prope romana castra munimentaque Romanos lacessentes strictis gladiis discurrebant. adimente nebuloso die lucem, scutarii de improviso erumpunt, ab Alemanis obiectu corporum repelluntur in vallum. ibi suos ad pugnam cient, sed plaerique territi recentis cladis periculo haesere castris. tres tandem tribuni simul erumpunt et Eutropius praefectus equitum et auxiliares copiae missae ab imperatore Constantio in praelium ruunt. omnibus deinde fit portis eruptio. Germani multitudini hostium impares in fugam vertuntur, provincia exturbantur in Germaniasque extruduntur Rhetiis. ita Rhetiae liberatae sunt, quas non iusto praelio, sed praedatoriis excursationibus infestarant Alemani. imperator ovans in hiberna Mediolanum revertit.

Germani, qui trans Rhenum in Galliis sedes fixerant, vias ingentibus truncis arborum claudunt, ne transsitus hosti pateat, insulas quoque Rheni muniunt, unde ex insidiis latentes contra Romanos, si ingruerent, pugnare possent. Galliae incuria neglectae nullo omnino renitente, nemine penitus adiuvante, caedes acerbas, rapinas, incendia perferebant; metu hostili clausae civitatium portae; nemini tuto iter facere licebat. ita Germani longe lateque licenter crudeliterque ruptis limitibus grassabantur. opulentissimae urbes excisae, Galli ad internecionem vastati sunt. nihil supererat hominibus praeter lachrymas et terrorem. Germani per romanas provincias diffusi, Italiae iam inminebant.

Quocirca imperator Constantius, periclitanti Galliae consulturus, Iulianum patruelem suum, superioris Galli fratrem, (qui tum Athenis literis operam dabat) Mediolanum accersit ibique octavo idus Novembris caesarem declarat, Arbitione et Lolliano consulibus, anno salutis christianae trecentesimo et sexagesimo, imperii Constantii vicesimo. Helenam inde sororem suam augustus Iuliano connubio iungit, qui quatuor annos continenter cum Germanis decertavit. calendis Decembribus Iulianus ab augusto Ticinum usque deductus, per Taurinos Gallias petiit. Viennam ingresso anus praedicit, deorum templa eun-

31 Arbitione *A*. *Bei Amm. XV, 8 heisst er Arbetio.*

16 *Amm. XV, 4* 19 *eb. XVI, 11* 22 *eb. XV, 5. 8* 25 *eb.* 27 *eb. XXV, 4.*

dem reparaturum. dum Viennae hiemem exigit, audit Augustodunum, Burgundionum nunc urbem, repentino impetu a Germanis invasam esse obsiderique. urbi auxilio venit, Germani repulsi sunt. dehinc Trecasses adit caesar, portas hi metu Germanorum incursantium clauserant. apud Vesontionem Romani copias cogunt, delectus agunt; placuit per decem pagos Alemanos adgredi. primam omnium urbem Brotomagum caesar occupat atque munit; ita eam Marcellinus et Antoninus vocant, quam Ptolomaeus Borbetomagum adpellat. Alemani Iuliano adventanti obviam armati venerant, sed fusi fugatique ab eodem sunt. caesar postea Rigodolum ad confluentem Mosellae et Rheni situm proficiscitur; hinc Agrippinam recuperat. huc Francorum reguli oratores mittunt, pacem et foedus impetrant. inde Iulianus per Treveros Senonas petit. / vix oppidum ingressus fuerat, Alemani adsunt, oppidum arctissima obsidione cingunt; periclitanti caesari nullus ducum, qui in stationibus proximis agitabant, opem tulit. summa vi urbs oppugnata est, summa vi defensa. Germani tricesimo obsidionis die, rati auxilia Iuliano adventura, discedunt. augustus eadem tempestate Romam adit cum Hormisda, filio regis Persarum perfuga; is interrogatus, quidnam de Roma sentiret: perplacet, inquit, quod hic quoque homines moriuntur.

Sub idem tempus Suevi superato Danubio Rhetias, Vindeliciam, Noricum usque Valeriam ferro, flamma, praeda depopulantur. Sarmatae sive Goti superiorem Moesiam et secundam Pannoniam incursant. imperator, ubi hoc accepit, quarto calendas Iulias per Tridentum in Illyricum, provinciis auxilia laturus, festinat, ne latius malum serperet Germanive vagarentur. at Iulianus hieme apud Senonas exacta, Germanis undique circumfrementibus, cum Marcello Severo duce copiarum Rhemos proficiscitur. Barbatio dux alia parte iussu augusti cum quinque et viginti millibus (ut hostes quasi forcipe in angustiis inter utrumque exercitum inclusi ad internecionem caederentur) Rauracos Basileamque pervenit. Germani inter utriusque exercitus castra clausi, ea praetergrediuntur. Lugdunum urbem incautam invadunt, diripiunt ac devastant. quicquid extra moenia fuit, flamma vorax consumpsit. caesar insecutus Alemanos, palantes quosdam occidit. Arnobandes et Valentinianus, qui post imperavit, praefecti equitum missi, redeuntes Germanos non sunt ausi adgredi. Iulianus Tres Trabernas (ab Ar-

18 profuga *B*

1 *Amm. XV, 8* 10 *Amm. XVI, 2. Anton. Itin. 117. Ptol. 142, 143* 17 *Amm. XVI, 3—4* 25 *cb. 10.*

gentorato viginti millia passuum munimentum vallumque ita vocatum, quo arcerentur Germani ab interiore Gallia) recuperat atque munit. Barbationis interea castra Germani oppugnant, magno impetu exercitum in fugam vertunt, fugientes Rauracos usque persequuntur, impedimenta diripiunt. Barbatio cum reliquiis ad Constantium imperatorem in Illyricum ex Galliis discedit.

Nodomarus, rex Germaniae, Agenarichus, Serapio, nepos eius ex fratre Mederico, regulique Alemanorum, Vestrovaldus, Urius, Ursicinus, Suomarus et Hortarius, ad Argentoratum copias cogunt coniunguntque hi inter Moenum Rhenumque amnes et Hercyniae particulam, quam Nigram Sylvam nunc adcola nuncupat, Helvetii quondam dicti habitabant. ad Iulianum caesarem legatos mittunt iubentque eundem Galliis excedere suis, quas virtute et ferro iure belli vicissent, in suam potestatem et ditionem redegissent. quod si mandatis non pareret caesar, congrederetur, sensurus haud dubie, quid Alemani exercitatissimi in armis virtute possent. Iulianus audita legatione Nodomari regis Alemanorum, e vestigio cum omnibus reipublicae romanae copiis ad hostes arma movet. ubi adpropinquavit, Nodomarus rex dimisso equo inter pedites certamen concitavit fortiter; utrimque acriter pugnatum est; equites Romani vulnerato rectore in fugam versi sunt. iam omnium animi ad caedendum Alemanorum impetui inclinati erant. caesar caedentibus obiecit se raptumque signum in medios hostes proiecit; deinde milites hortatus ad pugnam, aciem restituit. redintegrato itaque praelio, fortuna Romanos adiuvit. Alemanorum sex millia eo certamine in campo strata numerata sunt; complures natando Rhenum superarunt, alii naviculis tranarunt, pars pondere mersi fluctibus Rheni perierunt. Nodomarus rex ad naves in Rheno ad huiusmodi casum paratas fugiens agnitusque interceptus est et captivus Romam missus; morbo ibi periit.

Iulianus victor post Argentoratense praelium Mogontiacum proficiscitur; Rhenum ponte iungit. huc legati Germanorum veniunt, pars pacem postulat, pars bellum minatur. caesar aliquot milites clamculum in Germaniam transportat navibus; (Alemani pontem observabant, ut prohiberent Romanos). illi ad decimum usque lapidem ferro, flamma, praeda longe late omnia vastant. monumentum, quod Traianus erexerat in solo Alemanorum, ab ipsis destructum reficiunt. Germani oratores mittunt, pacem petunt, foedus impetrant. huic bello interfuisse divum Martinum reperio.

1 *Ant. Itin. 168. (Amm. XVI, 12)* 6 *Amm. XVI, 11* 7 *Chnodomar* 13 *Vgl. Caes. b. G. I, 34* 16 *a. a. O. 36* 29 *Amm. XVI, 12* 37 *eb. XVII, 1. (XVIII, 2).*

Eodem tempore Severus magister equitum, ex Agrippinensi Colonia per Iuliacum Rhemos petiturus, offendit, Francos loca vacua praesidiis vastare duoque munimenta occupasse, ubi se tutarentur. huc caesar properat, Castellum oppidum, quod Mosa ambit, obsidione clausit, quatuor et quinquaginta dies mense Decembri et Ianuario. qui obsidebantur Franci, fame coacti se dedunt; multitudo caetera, quae auxilio venerat clausis, ad sua castra repulsi sunt. caesar ad Parisios ibi hiematurus revertit. inter haec Alemanorum alia manus Rhetias, Vindeliciam vastat Italiaeque inminet, oppidorum praeter solitum obsidiones tentat. Barbatio peditum praefectus valido cum exercitu provincias ingressus, Germanos in Germaniam trans Danubium pellit. instabant et Persae orienti, sed Persicum bellum arte et astu dilatum est, donec Germania pacaretur. provinciae enim romanae Rheno Danubioque conterminae crebris tributis, vectigalibus adtritae, excursationibus continuis Germanorum vastatis possessionibus ad egestatem redactae erant.

Caesare apud Parisios hiemante Franci, qui aduc Belgicam inferiorem et secundam possidebant, caeteros Germaniae populos ad irruptiones solitas in Gallias concitant. Iulianus, ut horum conatus praeveniret, antequam in unum cogerentur, transvecta annona ex Aquitania petit primum Francos, Salios cognominatos, et Chamanos, ausos in romano solo apud Toxandros trans Scaldim amnem, in confinio Hannoniae, Brabantiae, Flandriae, Picardiae sedes quondam conlocare. cum Tungros venisset caesar, legatio horum Francorum praesto est. pacem ea lege postulant, ut se tanquam suis sedibus quietos Romani dimitterent nec lacesserent, caeterum manibus et armis eorum bello uterentur. Iulianus oratores muneribus donat, responso ambiguo suspensos dimittit; eorum vestigia insequitur. subito et de improviso Francos in Scaldis ripa adgreditur; inopinato metu perculit. Chamanos idem ausos acriter repugnantes caedit, vivos captos in vincula coniicit; deinde pacem his Francis tribuit ea conditione, ut incolomes in Germaniam ad suos lares redeant, foedus cum Romanis servent.

Posthaec Iulianus munimenta et castra iuxta Mosam, quae Germani exciderant, reparat ad tutelam Galliarum. miles ibi fame laborans in Iulianum convicia iactat, Asianum mollem, Graeculum fallacem, studio sapientiae stolidum adpellabant. aegre seditionem militum caesar blandimentis repressit. cognominabatur ab aulicis Constantii augusti Iulianus capella, loquax, talpa, purpurata simia, literio grae-

8 *Amm. XVII, 2* 13 *eb. 6. 5* 27 *Flor. p. 60* 32 *Amm. XVII, 8. Zum flgd. eb. 9—11.*

cus umbratilisque. verum haec dissimulabat prudenter caesar, qui Francis Gallia depulsis Rhenum transsire Severum magistrum equitum, virum bellicosum iubet. is veritus insidias Alemanorum, Romanos longius progredi vetuit. rex Alemanorum Suomarus pacem ac foedus cum Romanis init, captivos omnes reddit. Hortarius, alius Alemanorum rex, ad Iulianum venit, captivos paucos restituit, complures retinuit. comites eius detenti, ipse domum dimissus, omnes captivos reddere coactus est. caesar deinde ad consueta hiberna Luthetiam Parisiorum concedit.

Dum haec apud Rhenum geruntur et augustus Sirmii hiemat, Suevi, Quadi, Sarmatae, Scythae communi vocabulo dicti, qui sunt proprio Daci, Goti, Getae, similes moribus et armis, Pannonias, Moesias latrocinantium modo incursant. arma his omnibus erant hastae longiores, lorica ex cornibus rasis et levigatis, plumarum in speciem linteis innexis. equi castrati singulis bini, ne aut foeminarum visu exagitarentur aut in subsidiis ferocitantes hinnitu proderent vectores. per amplissima hi spacia discurrebant, aut instantes aut caedentes. permutatio etiam vires equorum recreabat, qui mos aduc Turcarum esse solet. Constantius verno tempore in Danubio pontem navibus sternit, cum exercitu in eam Germaniae Sarmatiaeque partem transsit, quae spectat Pannoniam secundam et Valeriam. incolae per colles evasere. exercitus romanus vastatis cunctis ad Quadorum confinem regionem arma movet, quicquid obvium, sternit, fundit. reges et reguli Quadorum et Sarmatarum, Ziza, Fraegilaedus, Rumarus, Batherus, ad Constantium supplices veniunt, captivos reddunt, veniam praeteritorum orant et impetrant obsidesque dant. moti hac clementia augusti Arabarius et Usapher reguli, quorum alter Quadis, qui aufugerant, alter Sarmatis quibusdam praeerat, locorum confinio et morum feritate coniunctissimi, imperatorem et ipsi adeunt romanum in societatemque recipiuntur. / ibi Sarmatae conqueruntur de servis suis, auxilium abs Romanis petunt, ne tantum scelus inultum sit. invaluerant servi armaque in dominos suos Sarmatas sive Gepidas converterant, anno Christi, divo Hieronymo, trecentesimo tricesimo septimo. liberi Sarmatae cum coniugibus et liberis ad Victobalos longius discretos confugiunt malueruntque obsequi defensoribus quam servis; petebant hi opem a Constantio. promissum est auxilium et rex Ziza eis praefectus.

224.

Mota sunt inde castra Bregetionem oppidum (cuius et Antoninus et plaerique alii mentionem faciunt; Bregetium est Ptolomaeo Danubianum superioris Pannoniae oppidum extremum, ab Arrabone triginta

33 *Hier. chr. II, 192.*

millia passuum); sunt, qui Strigonium esse tradant. in animo erat augusto reliquias belli Quadorum persequi. Vitrodorus rex, filius Viduarii regis, et Agilimundus regulus pacem rogant impetrantque; et more gentis, eductis mucronibus (quos pro numine colebant) iurare se in amicicia romana permansuros. dein adversus confines Sarmatas servos imperator pergit. nam et ipsi, ac si liberi essent, romanum limitem irruperant, in hoc solo concordes cum hostibus et dominis suis. placuit ad longinqua hanc gentem propelli, non crimen ulcisci, ne scilicet Romanis nocere possent. suspicati, conscientia scelerum se peti, ad dolos versi sunt, ferrum et praeces pararunt. verum romani exercitus aspectu exterriti, vitam praecati sunt; annuum tributum et delectum validae iuventutis et servicium spoponderunt, migraturi, quocunque iuberentur.

Tamdiu tuti fuerant, locorum freti praesidiis, ubi lares post exactos inde dominos elegerant. Parthiscus amnis, (quem Plinius Pathisum nominat) obliquo admodum meatu Histro miscetur, spacia longa lataque sensim praeterlabitur, ea cogit in arctum prope hostia; adcolas ab impetu Romanorum Danubio defendit; ab aliis vero tutos suo praestat alveo. loca ibi plaeraque humida soli natura et incrementis fluminum redundantia, stagnosa et referta salicibus sunt ideoque invia, nisi perquam gnaris angusto quoque aditu patent. ea amnis Pathiscus ambiens quasi peninsulam reddit a terrisque separat. Constantius convocatos ad ulteriorem ripam Histri transferre voluit repugnantes idque metuens clausit undique exercitu omnisque obtruncari iussit. casas post eorum miles incendit; latitantes in palustribus locis occidit. post hos domitos ad internecionemque caesos supererat aduc pars servorum, Picenses a loco dicti. ad hos domandos, quod imperitus locorum romanus miles erat, acciti sunt in auxilium Sarmatae liberi et Thaiphali. Romani loca contigua Moesiae invaserunt; Thaiphali proxima suis sedibus adgrediuntur; Sarmatae liberi terras e regione sibi oppositas occupant. undique ita hostibus servi circumdati, pavore perculsi sunt; diu consultatum est, oppeterentne an supplices pacem et veniam commissorum orarent. vicit tandem sententia seniorum, legatos ad romana castra mittunt, qui deditionem faciant. accepta

2 Litodorus *A* 15 *Am Rande in A:* forte nunc Vagus *[die Waag]* est; videtur enim hic describere Ammianus insulam, quam nunc Germani Scythiam, die Schyth, *[Schütt]* vocant, quae in longitudine complectitur sexaginta millia passuum; amnicarum maxima est.

1 *Ant. Itin. 114; 122. 123. Ptol. 161. Not. Dign. III, 709 Böck* 5 *Amm. XVII, 12* 15 *Plin. n. h. IV, 80.*

BSB

publica fide cum coniugibus, liberis, opibus translati sunt in Pannoniam, ut ibi tranquille viverent; nominatur aduc ibi Servia, quam etiam Sextus Ruffus inter partes Pannoniae enumerat. Marcellinus Servorum nomen latinum et commune esse credidit. alios video ut barbarum et proprium Gotorum accipere; ego amplius quaerendum censeo.

Constantius liberato Illyrico Sarmatis liberis Zizam regem dedit, loca servorum adtribuit; victor Sirmium rediit Sarmaticusque cognominatus est. pars Sarmatarum, qui se non dedidere, ad loca longinqua migrare conpulsi sunt, ne possent pacem interturbare romanam. Iulianus inter haec apud Rhenum suspectos habens animos Alemanorum, Hariobaudem tribunum, peritum linguae germanicae, nullo conscio, legationis specie ad Hortarium regem mittit, ut specularetur, quidnam confines Germani molirentur, qui Romanis foedere iuncti non erant. ipse caesar interim civitates excisas a Germanis occupat, reparat et munit; horrea instaurat, ubi conderetur annona a Britanis transferri sueta. recuperavit tum septem urbes ab Alemanis destructas: Castra Herculis, Undevicesimanorum aestiva, Ulsiburgium, Novesium, Bonnam, Antoniacum, Bingium, quo Florentius praefectus conmeatum posuit.

Hariobaudes revertitur, hostilia agi aperit. Iulianus Mogonciaci copias cogit. Florentius et Lupicinus rei militari praeficiuntur; pontem ibi constitutum caesar nitebatur transsire. Alemani Suomarum regem amicum Romanis monent minaciter, ut transsitu arceat Romanos; eius pagi ripis ulterioribus Rheni adhaerebant. respondit Suomarus, se solum non posse resistere romano militi. coeunt igitur Alemani prope Mogonciacum, prohibituri transsitu caesarem et, ne pons strueretur, observabant. Iulianus, ut pugnacissimam gentem pacaret, quadraginta navibus milites impositos in ripam adversam a castris Germanorum longius noctu et summo silentio clamculum exponi iubet, nihilominus crebros ignes ad pontem, ubi Germani excubabant, praecepit incendi. Hortarius rex Romanis foederatus reges finitimos et regulos ad convivium tum forte convocarat; epulae more gentis ad terciam vigiliam noctis extractae fuerant. discedentes e convivio germani principes in romanos milites navibus in Germaniam iussu caesaris transvectos incidunt, sed tenebrarum equorumque beneficio evasere. lixae servique,

3 *Am Rande in A*: Savia; Suavia 12 u. 21 Hariobandem, Hariobandes *A*

3 *Ruf. brev. 8* 4 *Ptol. 349* 10 *Amm. XVII, 13. (XVIII, 2).*

qui pedibus dominos secuti fuerant, partim occisi, partim fuga elapsi sunt per noctem. Germani, qui, ne pons strueretur, observabant, ubi in Alemania militem romanum conspexere, fuga dilapsi sunt. pons postea perfectus Mogonciaci; Iulianus cum omnibus copiis transsit in Germaniam, intacto regno Hortarii, qui amicus erat, rebellium domos, messes exurit, resistentes trucidat. ita ad regionem, cui Capellatii vel Palas nomen est, ubi terminales lapides Romanorum et Burgundionum confinia distinguebant, veniens castra locat. huc supplices venerunt Macrianus et Hariobaudus reguli fratres. subsequitur Vadomarus rex, cuius regia contra Basileam erat, deferens secum scripta Constantii augusti, quibus et amicus et familiaris augusti adpellabatur. Theodomarus quoque a puero apud Romanos educatus ipsisque amicus, precator pro Urio, Ursicino et Vestrovaldo regulis praesto fuit. cum omnibus foedus ictum est amiciciaque firmata receptique in societatem romanam; omnes captivos reddiderunt, quorum undecim millia fuisse authores habeo.

Sub idem tempus rex Persarum urbes aliquas expugnavit in romano solo. servi quoque, quos in Pannoniam Constantius transtulerat, rebellare nituntur. imperator e Sirmio in Valeriam proficiscitur, undique cinctos exercitu servos e suggestu concionabundus ad pacem hortatur. quidam Sarmatarum calceum impletum stercore humano in faciem concionantis imperatoris proiicit. inde populares in romanum principum impetum faciunt; sella regia cum aureo pulvinari direpta est. verum omnes a milite irato trucidati, ne uno quidem superstite. Constantius inde pacato Illyrico Sirmium, deinde Constantinopolim petit, occursurus Persarum furoribus.

Ad septentrionis plagam Scoti et Picti, Saxonum populi, Britanias vastant. Lupicinus dux cum auxiliaribus copiis Herulos, Bathavos, a Moesia missos, Bononiae Flandrorum navibus imponit, in Britaniam navigat. Iulianus caesar ob Alemanorum metum non ausus fuit excedere Galliis. recepta itaque omni Gallia liberataque e direptionibus Germanorum, Luthetiae Parisiorum a militibus et Celtis faustis adclamationibus Iulianus caesar adpellatur augustus. inde in limitem secundae Germaniae proficiscitur, Toxandro oppido adpropinquat (Toxandriam in vita divi Landoberti episcopi Traiecti Mosae vocari legi), unde ad Rhenum arma movet; subito invadit Francos, Ansuarios

andus B 187 b Aut corr.

8 *Am Rande in A:* Vargionum 9 Hariobandus *A* 27 septentrionalis *B*

16 *Amm. XVIII, 2* 26 *eb. XIX, 11* 31 *eb. XX, 1* 33 *eb. 4* 35 *Vita prima st. Lamberti; Acta Sanctor. Boll., Sept. V, 577.*

dictos, licentius intima Galliarum perscrutari solitos. hos nihil hostile metuentes nimiumque securos occuparat; pace cum ipsis facta, per Rhenum reversus, praesidia, limites inspicit, diligenter munit; ad Rauracos pergit. omnia recuperávit, quae Germani interceperant et ut propria possederant; reddidit limitem romanae possessionis.

Omnibus ita ex sententia animi conpositis, per Vesontionem Viennam, ibi hiematurus, discedit. ut autem omnium animos sibi conciliaret, christianismum propalam simulavit, a quo tamen iam pridem occulte desciverat. feriarum celebri die, quae mense Ianuario celebrantur (epiphania vocamus) in templum christianorum progressus est, solenni ritu sacris perpetratis discessit. certiorem deinde facit Constantium, se augustum a Gallis et militibus adpellatum; orat, ut author fiat; se non aliter, quam si aduc caesar esset, obtemperaturum. posthaec vere iam adpropinquante Alemani a pago Vadomari regis, a quo post foedus ictum nihil hostile timebatur, incursant confines Rheni tractus et vastant. mittitur contra eos Libino praefectus; ipse a Germanis apud Sanctionem occiditur; caeteri in fugam versi sunt. Vadomarus postea rex in convivium trans Rhenum a Romanis invitatus dolo capitur in Hispaniamque a Iuliano relegatur. qui cum Constantium flectere non posset, timens, eundem nunquam in gratiam rediturum, crudelitatemque eius in cognatos animo versans, aperte se Constantio hostem ostendit maluitque occupare hominem. firmata igitur pace cum Germaniae gentibus accitisque his in partes, Vadomaro rege cum copiis secum abducto in Illyricum, a Rauracis per Martianas sylvas ad Histri fluenta contendit; ipse cum paucis flumen navigat. copias per mediterranea Rhetiae, Vindelicorum, Norici proficisci iubet. iam Italiam, Rhetias, Noricum, Pannonias tenebat Iulianus, sola Aquileia Iuliano militi portas clausit obsiderique caepta est. ipse Iulianus iam Sirmium etiam acceperat, unde Constantinopolim pari velocitate contendit.

Constantius contra Persas tum bellum gerens ubi de Iuliani defectione certior factus est, inducias cum Persarum rege init; obviam Iuliani conatibus ire parat. verum in itinere in Cilicia Tharsi febri acutissima correptus, paulo post extinguitur, Iuliano successore declarato. imperavit Constantius annos quatuor et viginti, menses quinque, dies duodecim; vixit annos quatuor et quadraginta. ubi haec palam facta, Iulianus ab omnibus totius orbis consensu recipitur. Aquileienses portis praefractis Iulianos admittunt, authores rebellionis

7 *Amm. XX, 10* 11 *eb. XXI, 2* 13 *eb. XX, 8* 19 *eb. XXI, 3—4* 22 *eb. XXI, 1. 5. 10* 28 *eb. 8. 11* 36 *eb. 15. Eutr. X, 15. Hier. chr. 196.*

vivos exurunt. Constantius in religione semper Arrhianis favit; idcirco Athanasius Alexandria pulsus apud Treveros receptus a Maximino pontifice, delituit usque ad mortem Constantii. Hilarius Pictonum episcopus Gallia pulsus Constantio Constantinopoli librum pro se obtulit domumque redire permissus est. eo quoque tempore obiit divus Antonius aetatis anno centesimo supra quintum. Aelius Donatus, praeceptor divi Hieronymi, insignis grammaticus tum Romae docuit. Victorinus rhetor et martyr statuam in foro Traiani meruit.

Narratur Constantius nunquam spuisse in publico nec unquam poma gustasse. fuit cupidus eloquentiae patiensque laboris. reliquit Faustinam uxorem secundam gravidam, unde nata est posthuma, quae Gratiano imperatori nupsit. prior Constantii uxor fuit Eusebia, faeminarum pulcherrima, soror Hipatii et Eusebii consulum. quemadmodum etiam cultores deorum referunt, Constantius religionem christianam simplicem et absolutam magis polluit dissidiis et concertationibus verborum umbraticis, quam reverenter composuit; aluit in ea lites, omnia ad suum ritum trahere conatus, fautor, ut dixi, Arrianae haereseos. sicut tamen divus Hieronymus (qui se sub Constantio infantem fuisse ait) refert, Constantio et bonis omnibus curae fuit, ut oriens atque occidens pacis vinculo sibi necteretur. at egregii quidam videlicet Christi sacerdotes frustrarunt tantos conatus imperatoris et bonorum; decepit hos bona de malis existimatio. non arbitrabantur sacerdotes Christi adversus Christum pugnare, qui argumentationum rivos de Aristotelis fontibus mutuati sunt et simplicitatem christianae pietatis philosophorum deliramentis spinetisque dialecticorum contaminarunt.

CONSTANS P F AVG VICTORIAE DD AVG C Q N A Q T.
DN CONSTANTIVS AVG IVN NOB C.
DN CONSTANTIVS NOB C CONCORD EXERCITVVM.
FL IVL CRISPVS NOB CAES ALAMANNIA DEVICTA SIRMI.

22 non — contaminarunt *in B eingeklammert* 31 *Am Rande in A ferner*: IVL CRISPVS NOB C CAESARVM NOSTRORVM VOT — DN CONSTANS P F AVG FEL TEMP REPARATIO A AQP — CONSTANTINVS IVN NOB [?] C GLORIA EXERCITVS G [?] SIS — CONSTANTINOPOLIS Angelus clypeum tenet S MT [?] SA — DN CONSTANTIVS P F AVG FEL TEMP REPARTIO A SIS.

1 *Amm. XXI, 12. XXII, 8* 3 *Hier. ep. 60* 13 *Amm. XXI, 15. 6* 14 *eb. XXI, 16* 18 *Hier. vit. Hilar. (I, 114 B); ep. 60* 24 *Hier. adv. Lucif. (III, 64 A; 65 A).*

BSB

IULIANUS. 45.

Cap. 47. Cl. Iulianus, natus Constantinopoli patre Constantio, fratre Constantini Maximi, matre Basilina (ut etiam nostri fatentur) optimae indolis fuit. in christiana religione institutus educatusque ab Eusebio Nicomedensi episcopo, nactus Libanium sophistam (cuius epistolae extant, a bibliopolis et chalcographis divenduntur) magistrum improbum, Christum authorem suum deseruit clamque ad deos defecit. acerrimi ingenii fuit, omnium disciplinarum genere eruditissimus virtutibusque civilibus domi forisque iuxta laudatissimus. accusatori non re, sed verbis urgenti reum negantem et vociferanti: quis accusabitur, si negare sufficiet, respondit: et quis innocens erit, si accusare sufficiet? scenitis Arabibus (quos Saracenos posteri vocant) salaria plus solito diminuta conquerentibus inquit, imperatorem ferrum, non aurum habere. inanis gloriae laudisque nimis avidus fuit audaciorque, quam imperatorem decet; cuius salus ad securitatem omnium cum semper tum maxime in bello conservanda est. curiosior Adriano in perscrutandis arcanis, praesagiis futurorum, haruspicinae, magiae artium fallacissimae, evocandis manibus, augurio et huiusmodi nugacissimis deliramentis nimium deditus fuit et in venerandis numinibus (quod ne amici quidem negant) magis superstitiosus, quam iustae religionis cultor extitit. tot pecudes mactavit, ut boves defuturos, si e Perside reverteretur, timerent. Mercurium omnibus praetulit et maxime coluit, quasi mundi velociorem sensum motumque mentium excitantem. primo haec occulte ob metum patruelis operatus, specie et habitu philosophi, vitae pericula declinavit; nam eius cognati omnes a patruele necati sunt ob regum infidam societatem.

Sublato Constantio, cum quatuor annos caesar fuisset, potitus rerum, neminem iam metuens, aperte edicto templa deorum aperire iussit, aras deorum instaurari victimasque admoveri legeque civit, ne christiani artes liberales profiterentur atque discerent. eos magis munerum honorumque blandimentis atque inlecebris quam vi a veritate deflexit. multi eius blandimentis capti sponte in praeceps abierunt. christianorum antistites dissidentes cum plaebe discissa in palatium

22 reverterentur *B*

4 *Amm. XXV, 3. Aug. C. D. V, 21* 6 *1517 Ioannes Macciochius Bondenus imprimebat Ferrariae* 7 *Amm. XXII, 9* 8 *Eutr. X, 16* 9 *Amm. XVI, 1* 11 *eb. XVIII,* 1 13 *eb. XXV, 6* 16 *Vict. ep. 43. Amm. XXV, 4. XXII, 7. Eutr. X, 16* 22 *Amm. XXV, 4. XXII, 12. Vict. a. a. O.* 23 *Amm. XVI, 5* 30 *eb. XXII, 5, 10. XXV, 4. Hier. chr. 196. Aug. C. D. XVIII, 52* 32 *Hier. a. a. O.*

vocatos admonuit, ut consopita civili discordia quisque nullo vetante suae religioni serviret. audite, inquit, me, quem Alemani et Franci audierunt. expeditionem meditans Persicam libros sibyllinos Romae inspici more maiorum iussit. venit deinde Antiochiam, ubi fanum Apollinis cum simulacro conflagravit. suspicatus id fraude christianorum factum esse, sacram christianorum aedem claudi et quaestiones solito acrius exigi mandavit. templum Hierosolymis restaurare orsus est; verum fundamenta de caelo tacta, operarii fulmine adflati, extincti sunt. conflagrarunt et Romae quarto decimo calendas Aprilis carmina Sibyllae cum Apollinis templo.

Syri, ut genus est hominum in convicia promptissimum, Antiochiae praecipue, ipsum augustum sacricolam victimarium hircinamque barbam cognominabant. quibus subiratior Iulianus contra Persas arma movet; ut propicios deos haberet, ipsis (si victoria potiretur), sanguinem nostrum devovit. contra Christum etiam in ipso Persici belli ardore septem libros evomuit. dum exercitum fame et via fessum incautius multitudini hostium exponit et dum incautius suis laborantibus subvenit, hasta equestri, incertum unde petitus est; ea per brachium costas penetravit fibrisque iecinoris haesit. post haec in castra Iulianus defertur, ne animam quidem agens, a contumelia terrarum domini deique rerum abstinuit. vicisti, inquit, Galilaee, vicisti. ita enim Christum servatorem nostrum cognominabat, quem primum in Gallia, sicut ait divus Hieronymus, denegaverat. imperavit post Constantium annum unum, menses septem, periit sexto calendas Iulias. cadaver eius Tharsum delatum est ibique sepultum. divus Hieronymus tum (ut ipse ait) aduc puer in grammaticae ludo exercebatur et omnes urbes victimarum sanguine polluebantur; ac cum subito in ipso persecutionis ardore Iuliani nunciatus esset interitus, eleganter quidam de ethnicis: quomodo, inquit, christiani dicunt, deum suum esse patientem et ἀνεξίκακον? nihil iracundius, nihil hoc furore praesentius; ne modico quidem spacio indignationem suam differre potuit.

DN FL CL IVLIANVS P F AVG SECVRITATI ET SP AVG T CONSTANTIA.

19 iocinoris *A u. B*

3 *Amm. XXII, 5* 4 *eb. XXIII, 1* 7 *eb. XXII, 13. Hier. a. a. O.* 9 *eb. XXIII, 1* 10 *Amm. XXIII, 2* 13 *Herod. II, 10. Amm. XXII, 14* 15 *Hier. a. a. O.* 16 *Hier. ep. 70* 21 *Amm. XXV, 3. Ekkeh. 114* 23 *Hier. ep. 60* 24 *Amm. XXV, 5. Eutr. X, 16* 25 *Amm. XXIII, 2* 31 *Hier. Comm. in Hab. II, 3 (VI, 90 D).*

IUVIANUS. 46.

Cap. 48. Iuvianus fuit Varromani notissimi praefecti filius, qui veteranus iam et emeritus muneribusque militaribus defunctus, in Pannonia Singoduni patrios agros exercebat. die sequenti mortem Iuliani, qui erat quintus ante calendas Iulias, hostibus undique urgentibus collecti duces de imperatore creando consultant. omnium suffragio Sallustius praefectus Galliarum petebatur. quo senectutem et morbum excusante, Iuvianus domesticorum primus delectus est, vir insignis corpore, laeto ingenio, literarum et philosophiae christianae studiosus.

Germanorum signifer, qui diu Rhenanos rexerat limites, cum novo principe dissidens, cum quo etiam privato dissenserat, ad Saporem regem Persarum discessit aperuitque Persis Iulianum obiisse electumque esse inertem et imbellem. quo audito Persa continuo cum Romanis dimicare properat, terga Romanorum invadit. acies ad quartum lapidem porrigebatur; fortiter se tutati sunt Romani. verum cum postea inedia et fame laborarent, pax cum Persarum rege convenit. foedus annorum triginta factum est iureque iurando firmatum, obsides insuper dati. traditae quoque sunt Persis quinque transtigritanae provinciae quindecimque castella; praeterea Susa et Nisibis cum finibus suis, Singara castra Maurorum, munimentum optimum, dedita sunt, incolae et cives in romanum solum translati. Nisibi sepultus erat Iacobus vir sanctissimus, Constantino quoque Maximo admodum acceptus, cuius praecibus saepius (ut ait Hieronymus) urbs servata est ab impetu Persarum. fama constans erat, eam non posse superari, dum ibi Iacobus servaretur. quamobrem eum Constantinus ibidem humari iussit. Iulianus pietati Constantinorum invidens, corpus ex urbe auffert. Nisibis deinde sub Persarum imperium coacta mansit. ita diminutus est limes romani soli, quod antea ab urbe condita nunquam factum est. Arsaci quoque, regi Armeniae, amico et semper fido Romanis, vetitus est imperator auxilium ferre, non sine maxima romanae maiestatis ignominia.

Iuvianus infantem filium Varronianum secum consulem designat, dum ad Europam properat. Dadastanae exanimatus in cubiculo, incertum quo fato, invenitur, octavo imperii mense, aetatis tercio et tricesimo. divus Hieronymus refert fetore prunarum suffocatum esse. huc usque sub Constantiis et Constantinis proximisque imperatoribus limitis Danubiani, quem Boii pulsis Romanis possident, hos duces,

2 *Vergl. Amm. XXV. Vict. ep. 44* 24 *Chr. 193* 36 *ep. 60.*

praesides, et legatos fuisse invenio: Avum, virum bellicosum, Magnentium, qui imperium arripuit, Nevittam virum consularem.

VALENTINIANVS. 47.

Cap. 49. Fl. Valerius Valentinianus Cibali (urbs est Pannoniae, a Sirmio occidentem versus quinquaginta millia passuum distans) patre Gratiano natus est. sub Iuliano (uti divus Ambrosius et Augustinus referunt) militares honores amore religionis nostrae deseruit. mortuo Iuviano ab exercitu communi omnium suffragio Niceae (caput est Bithyniae) absens imperator delectus est. dum accitur Anchialo, urbe Thraciae, ubi tum erat, decem dies sine capite fuit romanum imperium, quod quinto calendas Martii recepit. deinde Constantinopoli calendis Aprilibus Valentem fratrem suum participem imperii facit eoque in oriente relicto ipse Mediolanum proficiscitur. Germani ex veteri more institutoque legatos ad novum principem mittunt pacemque venalem offerunt. qui cum minora, quam sperarant, munera accepissent, abiectis donis in Germanias revertuntur. ubi graviter in avariciam perfidiamque Romanorum perorantes, saevissimas concitarunt nationes. omnis Germania transrhenana in armis fuit; limites proximos sibi quaeque gens persultat. Gallias simul et Rhetias Vindeliciamque Alemani depopulantur; Suevi, Quadi Noricum, Pannonias, Sarmatae Moesias vexant; Gothi Thracias depraedantur; Scoti, Picti, Saxonum nationes, Britanias oramque Gallicam aerumnis adterunt continuis captivorumque nates, faeminarum papillas abscindunt et pro deliciis summis comedunt.

In oriente quoque Constantinopoli Procopius purpuram induit. Valentinianum obviam tyranni conatibus iturum frequentes Galliarum, provinciarum et urbium legationes adeunt, obsecrant, supplices orant, amicos ambiunt imperatoris, ne deserantur et crudelissimis Germanorum vastationibus relinquantur. flexus legatorum lachrymis praecibusque amicorum Valentinianus mansit dicens, Procopium hostem esse suum, Germanos reipublicae. Gallias primo adseruit, deinde Britanias, Saxonas per Theodosium ducem, patrem Theodosii imperatoris contudit et Mauros. quam rem et Claudianus hisce carminibus docet, scribens ad Honorium imperatorem de avo ipsius Theodosio:

Hinc processit avus, | Ille leves Mauros nec falso nomine Pictos | Edomuit Scotumque vago mucrone secutus | Fregit Hyperboreas remis

4 Vergl. Amm. XXVI—XXX. Vict. ep. 45 5 Itin. Ant. 127 6 Ambros. Or. fun. Val. 55. Aug. C. D. XVIII, 52 33 III. Cons. Hon. 54—57; IV. Cons. Hon. 30—33.

audacibus undas. | Quid rigor aeternus, caeli quid frigora prosunt | Ignotumque fretum? Maduerunt Saxone fuso | Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule, | Scotorum tumulos flevit glacialis Hiberne.

Alemanos auxilio Francorum, quorum auxilia contra populares emerat, cecidit Valentinianus victorque ad oceanum pervenit usque. deinde ad Danubii contiguas provincias conversus, Rhetias, Vindelicos, Noricum pulsis Suevis, Pannonias, Moesias depulsis hostibus recepit. Thraciis Gotos exegit, Athalaricum Guthungorum regem (natio est bellicosa) in fugam vertit, ei postea pacem dedit. dum Bregetioni (cuius supra situm descripsimus; quidam Strigonium, alii Pisonium esse autumant) Quadorum et Suevorum legationi latrocinia excusantium respondet et propter Illyrici devastationem totius gentis excidium minatur, subito corruit èxtinctusque est quinto decimo calendas Decembris, anno aetatis quinto et quinquagesimo, imperii duodecimo, minus diebus centum. Gratianum filium iam ante octo annos augustum adpellarat.

In oriente a Valente auxilio Vadomari regis Germaniae Procopius victus et interemptus est. Vadomarus ob hoc Phoeniciae ducatu donatur. sub idem tempus divus Nicetius genere Gotus apud Gotos et confines nationes in Germania Histro conterminas religionis nostrae mysteria aperit. verum Hartanaricus rex Gotorum in christianos saevit, eos Germania in romanum solum exturbat. divus Nicetius captus a Gotis iuxta Danubium, cum nollet deos adorare, vivus igni exustus est.

Fuit Valentinianus solerti admodum ingenio, eloquens et facundus, rei militaris civiliumque morum perquam prudens, severus, gravis, omnibus viciis, maxime avariciae infestus. si fidelioribus ei per fata licuisset uti amicis, ne historiae quidem meliorem haberent principem. Ausonius poeta iussu eius centonem nuptialem concinnavit ex Marone; ita ipse Valentinianus ante luserat. eadem quoque tempestate Treviris (quae domicilium tum augustorum erat) et in Germania cisrhenana aliquamdiu literarum studiis operam dedit cum Ruffino et Florentio et Bonoso condiscipulis et conphilosophis suis divus Hieronymus ibique coepit primum velle deum colere liberius patriamque, sororem, divitias, villas, censum et patrimonium deserere.

DN VALENTINIANVS PIVS PERPETVVS IMP SEMPER AVG.

22 *Hier. chr. 197* 30 *Auson. p. 161* 31 *Amm. XV, 11. Greg. Tur. I, 43* 35 *Hier. ep. 3—5; 22.*

DN VALENS P F AVG.
DN VALENS GOTICVS MAXIMVS PERPETVVS AVG.

GRATIANUS. 48.

Cap. 50. Gratianus natus est Sirmii anno ab orbe servato tre-centesimo sexagesimo tercio. mortuo parente continuo fratrem suum Valentinianum aduc impuberem augustum nuncupat. Alemanorum gentem, quae Gallias more solito invaserat, iuxta Argentuariam (nunc Colomaria Elisatii oppidum) magna clade adtrivit. gens tum Hunnorum (cuius originem, situm supra in primo libro explanavimus) rege Valomaro in Gotos erumpit eosque avitis sedibus eliminat. legatos Goti ad Valentem imperatorem mittunt supplicesque orant, ut in romano conlocentur solo, in limite Danubiano et quasi murus opponantur ferocissimis Scythiae et Germaniae gentibus; se fore custodes termini romani et philosophiam christianorum recepturos pollicentur. grata legatio Valenti fuit. suscepti Goti a Romanis sine armorum depositione, distribuuntur per oram Norici, Pannoniae, Moesiae, Daciae Ripensis, Valeriae, Illyrici, Danubio tenus sacerdotesque Arrhiani, qui illos instituant in religione, a Valente mittuntur, qui et ipse egregias suas virtutes impietate, ne dicam crudelitate Arrhiana polluit et contaminavit. Goti deinde mystae suae linguae nationibus Burgundis, Vandalis et huiusmodi gentibus Christum praedicant, eos errore Arrhiano imbuunt. porro Goti per avariciam Maximi et Lupicini ducum romanorum fame ad rebellandum coacti, per totam Thraciam, Illyricum, occisis Maximo et Lupicino, diffunduntur, legiones romanas ad internecionem caedunt, alios occidunt, alios in exilium trudunt, omnia ferro, praeda, flamma demetuntur. meminit Claudianus in Theodosii laudibus:

Nam quum barbaries penitus conmota gementem | Irrueret Rhodopen et mixto turbine gentes, | Iam deserta suas in nos transfunderet arctos, | Danubii totae vomerent quum praelia ripae, | Quum Geticis ingens premeretur Moesia plaustris | Flavaque Bistonios operirent agmina campos, | Omnibus adflictis et vel labentibus ictu | Vel prope casuris unus tot funera contra | Restitit extinxitque faces agrisque colonos | Reddidit et leti rapuit de faucibus urbes.

2 *Am Rande in A ferner:* DN VALENTINIANVS P F AVG GLORIA ROMANORVM M ASISC P — DN VALENS P F AVG ASISC — DN VALENTINIANVS P F AVG VIRTVS EXERCITI *(sic)* ANTA 26 demetunt *B*

4 *Vict. ep. 47. Amm. XXX—XXXI* 9 *s. oben S. 63, Z. 18* 22 *Iord. Get. 24. 25; Brev. p. 54. Hier. chr. 198* 24 *Iord. G. 26; Brev. p. 54* 26 *IV. Cons. Hon. 49—58.*

Valens ex Antiochia in Europam veloci cursu contendit, a Gotis atrocissima pugna excipitur et in fugam saucius sagitta vertitur. cum ob dolorem nimium vulneris saepius equo laberetur, in casulam vilissimam septem millia passuum ab Hadrianopoli delatus est. Goti vestigiis inhaerentes, villae ignem subiiciunt, imperatorem conburunt, anno tercio post mortem fratris, Christi trecentesimo octogesimo primo. a quo anno occasum romani imperii enumerant et Ruffinus et divus Hieronymus. nam posthac in mediis romani imperii regionibus barbari considentes exterminari non potuere nihilque imbecillius fuit romanis viribus, quando et in bellis civilibus et adversus diversas nationes aliarum gentium barbararum indiguere auxilio. in mediis imperii deinceps provinciis continenter pugnatum est; praeter paucos senes (ait Hieronymus) omnes in captivitate et obsidione generati sunt Romaque in gremio suo non pro gloria, sed pro salute pugnabat; imo ne pugnabat quidem, sed auro et argento et cuncta suppellectile vitam redimebat. ne gemitus quidem liberi erant; nemo audebat flere, quae patiebatur; periculosa tum haec dicentibus quam audientibus erant. sed ad Valentem redeo.

Goti extincto imperatore, Graeciam totam devastant, urbes diripiunt, incendunt, victricibus signis Constantinopolim obsident. Dominica augusta, uxor Valentis, ingenti pecunia data obsidionem solvere persuasit. Gratianus ubi de nece patrui certior factus est, cum omnibus reipublicae legionibus et robore auxiliorum Gotos ad internecionem deleturus (etiam divo Ambrosio hortante, qui fatum eis ultimum impendere ex vatibus divinis interpraetabatur) Sirmium castra movet. cum autem videret Daciam, Thracias, Pannonias, genitales terras, a Gotis, Triballis, Hunnis, Alanis teneri extremumque periculum romano orbi inminere, Theodosium ex Hispania Betica (unde oriundus erat) accitum, cunctis faventibus Sirmii augustum, Ausonio et Olibrio consulibus adpellat ipsumque orienti praeficit. de hoc Claudianus ad Honorium imperatorem:

Nulla relicta foret romani nominis umbra, | Ni pater ille tuus iamiam ruitura subisset | Pondera turbatamque ratem certaque levasset | Naufragium commune manu.

6 tricentesimo *B.* *Am Rande in A*: nono die Augusti, vitae 50. *[Amm. a. a. O. 12, 10, 14, 1]* 20 victribus *A u. B*

5 *Vict. ep. 46. Hier. chr. 199. Ekkeh. 119* 13 *Hier. ep. 123* 22 *Iord. Brev. p. 54 Ekkeh.* 24 *Ambros. de fide II, 16* 30 *Vict. ep. 47; 48. H. M. XII, 18; 20. Iord. Brev. 55. Ekkeh. IV, cons. Hon. 59—62.*

Theodosius igitur augustus declaratus Gotos sibi deposcit. Gratianus in Gallias contra Germanorum incursationes revertit. interea dum Theodosius Gotos adgressus fuisset magnumque terrorem ipsis incussisset, letali corripitur morbo desperataque eius salute adest Gratianus, cum Gotis pacem firmat foedusque icit, in societatem eos romanam recipit et militiae adsignatis stipendiis adsciscit. Theodosius inter haec convalescit. ubi comperit pacem cum Gotis convenisse, fit et ipse author. Goti provinciatim separantur: pars in Thracia et Illyrico conlocantur, hi dicti sunt Vessogoti; alii in Phrygiam, Asiae minoris particulam, transferuntur, quos vulgus Ostrogotos, Claudianus poeta, proximus harum rerum scriptor, Ostrogetas vocat; quasi tu dicas occidentales et orientales Gotos; id enim Germana lingua ea nomina valent. libet subscribere carmina Claudiani, qui depravatissime excusus est:

Non tibi Ryphaeis hostis quaerendus ab oris, | Non per Caucasias accito turbine valles | Est opus. Ostrogetis colitur mixtisque Guthungis | Phryx ager, hos parvae poterunt impellere causae.

Item de Halarico Vessogeta:

Vastator Achivae | Gentis et Epirum nuper populatus inultam | Praesidet Illyrico; iam, quos obsedit amicus, | Ingreditur muros, illis responsa daturus, | Quorum coniugibus potitur natosque peremit.

Athanaricus rex Gotorum Constantinopolim cum imperatore profectus est. ubi cum maiestatem urbis et magnificentiam augusti contemplatus fuisset, dixisse fertur: deus profecto terrenus est imperator et, qui imperatori repugnat, parricida est. periit Constantinopoli Athanaricus. Alarico, Getarum nobilissimo iuveni, ducatus limitis Danubiani tutelaque conmissa est. vectigalia provinciarum Illyricarum ipsi adtributa sunt. porro Gratianus conciliavit sibi magna summa auri Alanos, Hunnos, Francos, Saxones et caeteros Germanos, adeo ut eorum more aliquando vestitus prodiret. aegre id tulit romanus miles. quamobrem Maximus tyrannus in Britania imperium arripit, inde Gallias petit. Gratianus desertus et proditus a romano exercitu, ab obviis urbibus non receptus, dum in Italiam fugere tendit, apud Lugdunum fraude occiditur, anno post patris mortem nono, aetatis quarto et vicesimo. fuit Gratianus literis haud mediocriter eruditus, carmine et oratione insignis, sagittarum iaculandi peritus aliisque virtutibus praeditus. eius praeceptor fuit Ausonius poeta, quem et consulem cum Olibrio creavit. multum eundem divus Ambrosius laudat;

8 *Iord. Get. 27* 13 *Claud. in Eutr. II, 150—53* 18 *eb. 213—17* 26 *Iord. Get. 28. Amm. XXVII, 5. (H. M. XII, 21)* 35 *Hier. ep. 60 (Greg. Tur. I, 43).*

ad eum contra Arrhianos de catholica fide scripsit; eius ope Arrhianorum secta deminuta est. idem victor libidinis et voluptatum praeter uxorem suam cum nulla alia mulierum rem habuit. ita de eo refert Ambrosius. aram victoriae, quam aduc romanus senatus in curia colebat, everti iussit, maximo patrum conscriptorum dolore, uti posthaec indicabo. sub Gratiano et patre eius Vindeliciae praeses Maiorianus, avus Maioriani imperatoris.

THEODOSIUS MAGNUS. 49.

Cap. 51. Theodosius patre Theodosio, qui genus suum ad Traianum referebat, matre Thermantia natus est.

Dedit hunc Hispania (sicut ait Claudianus) principibus foecunda piis.

Gotos, Hunnos contudit, qui sub Valente grassabantur; cum ipsis foedus fecit. cum Gratiano, a quo ad imperium evectus est, sex imperavit annos. Maximus occiso Gratiano fraude Andragatii romanum militem,[9] totam Galliam occupat. ⌈Guthungi interim populantur Rhetias ob fertilitatem loci et impulsore Maximo, qui⌋ domicilium augustorum, Treverorum Augustam constituit, quae secundum Romam caput mundi, maxima urbs in Europa fuit, ante conditam Neorhomam a Constantino. extendebatur ea tempestate ad utramque Mosellae ripam; authores sunt Tacitus et Marcellinus. inter clarissimas maximasque et celebratissimas totius mundi urbes secundum Romam et Constantinopolim ⌈in Europa⌋ in Africa Carthaginem, in Aegypto Alexandriam, in Asia Antiochiam, sexta ab Ausonio poeta censetur. ad quam missus est legatus divus Ambrosius a Valentiniano (qui tum Mediolani cum matre degebat), ut repeteret corpus Gratiani, fratris Valentiniani. poscebat Maximus sibi hunc ut puerum tradi, eius se fore tutorem pollicebatur. Ambrosius id fieri posse negabat, ob hiemis asperitatem et tenellam Valentiniani aetatem, quae aduc materna egeret educatione. iterum ob eandem causam Ambrosius ad Maximum Mogonciacum orator Valentiniani proficiscitur, verum exclusus a tyranno, re infecta Mediolanum revertitur; Valentinianum admonet, ut saluti consulat. Valentinianus ad Theodosium Constantinopolim fuga elabitur, a quo haud aliter quam augustus (licet exul et omnium rerum egenus) honorifice exceptus est.

7 *Am Rande in A*: DN GRATIANVS P F AVG VIRTVT REPARATIO PL ESISE PLS SC.

2 *eb.* 4 *Or. fun. Val.* 74 9 *Vict. ep.* 48 11 *Pacat. Paneg.* 4? *Claud. L. Ser.* 55 14 *Cass. chr.* 449 16 *Ambros. ep.* 24 20 *Tac. Hist. IV, 77. Amm. XV, 11* 23 *Aus. Cl. Urb. III* 24 *Ambr. a. a. O.*

Ambo deinde imperatores expeditionem in tyrannum parant, ad ulciscendam mortem imperatoris Gratiani. Maximus Victorem filium suum impuberem caesarem designat ac nuncupat Treverisque relinquit, eundem cum Gallis Nanneno et Quintino magistris equitum conmendat; ipse edicta Romam mittit, Rhetias, Vindeliciam, Noricum invadit, Aquileiam occupat. Germaniae nationes ultro partium Valentiniani et Theodosii (ut etiam divus Ambrosius conmemorat) erant, adeo ut plaerique cum tyranno sentientes, illarum manus evaserint, cum se Valentinianos simularent. iusserat Maximus aliquot millia virginum, quae in Galliis distribueret, Treveros ex Britania transvehi. Hunni et Saxones atque Picti ducibus Vannio et Melga eas vento in oram Germaniae abreptas adorti, cum omnibus, qui easdem deducebant, trucidant circum Coloniam Agrippinensem. undecim millia ab vulgo creduntur, ab aliis septuaginta unum millia fuisse narrantur.

Franci quoque Genovalda, Sonnone, Marcomaro ducibus Rhenum circa Mogonciacum transgrediuntur. haud inde procul, in vico Sicilia nomine, copias Maximi profligant; in totam Germaniam cisrhenanam, quae est in Gallia Belgica, erumpunt. limite rupto, pluribus mortalibus caesis, fertilibus maxime oris devastatis Agrippinensi Coloniae metum iniiciunt. quod ubi Treviros nunciatum est, Nannenus et Quintinus conlecto exercitu apud Agrippinam conveniunt. sed iam Franci optima quaeque depopulati, onusti praeda Rhenum in Germaniam transsierant. aliquot tamen reliquerant in romano solo ad iterandam depraedationem, quos Romani adgressi apud Carbonariam Sylvam fundunt, caedunt; pauci fuga elabuntur. consultant post haec duces ipsius Maximi in Franciam, ne trans Rhenum infesto exercitu iniurias ultum castra moveant. Nannenus ire recusat, causatus Francos haud imparatos et domi procul dubio fortiores fore. quod cum Quintino reliquisque formidinem ac ignaviam interpraetantibus displiceret, Nannenus Mogonciacum revertitur. Quintinus armis infestis circa Nussium castellum, quod et Novesium, Rhenum transgreditur. secundis a Rheno castris casas ingentesque vicos vacuos habitatoribus offendit.

Franci enim simulato metu sese in saltus secretiores abdiderant, truncis arborum maximis per extrema sylvarum passim conlocatis. romanus miles exustis domibus noctem insomnem in armis ducit.

6 ultro *fehlt in B*

4 *Greg. Tur. II, 9* 5 *Ambr. ep. 40* 15 — sylvarum praestiterunt *nach Gregor. Turon. II, 9, der dies aus dem verlorenen Werke des Sulpicius Alexander entnimmt* 17 *Ambros. a. a. O.*

primo mane Quintino duce saltus ignotos nec ante exploratos temere ingreditur; ad meridiem usque aberrat, ambagibus viarum peragratis, omnia clausa septaque offendit. et cum tandem in campos palustres, qui sylvis iungebantur, erumpere conatur, Francorum pauci apparent, in codices arborum passim compositos consistunt et velut e fastigiis turrium sagittas veneno illitas spargunt, uti solo contactu summae cutis, si ferrum in corpus altius non descendisset, mortem inferret taelum. deinde maiore Francorum numero circumventus romanus exercitus in apertos campos, quos Franci reliquerant, avidius effunditur, ubi primum equites voraginibus mersi mixtis hominum equorumque ruinis opprimuntur, pedites vero, qui onere equorum compressi non erant, humo haerent, aegre gressum explicant, rursus se sylvis, unde paulo ante emerserant, trepidi condunt. turbata igitur acie romana caesoque Heraclio legionis tribuno ac pene omnibus, qui militibus praeerant, extinctis, paucis effugium tutum nox et latibula sylvarum praestiterunt.

Saxonum quoque auxiliares copiae, ad Illyrici tutelam ab augustis accitae, vires Maximi fundunt, caedunt circa Sisciam, superioris Pannoniae urbem, et circa Petanionem, quam Marcellinus, Ambrosius et Antoninus Petavionem vocant et Hieronymus Sophronius Petabionem nuncupat; quemadmodum et in vetustis menbranis, in actis pontificum Iuvavensium scriptum reperi, Noricorum id oppidum nomen servat, a quo Siscia centum millia passuum, sicut ab Aquileia ducenta abfuit.

Maximus itaque ubique gentium victus Aquileiam intruditur ibique ab imperatoribus obsidione clauditur. proditus a militibus suis, Theodosio et Valentiniano traditur; ad tercium ab Aquileia lapidem securi percutitur. Andragatius dux eius in mare Hadriaticum, ubi classi praeerat, se praecipitem dedit atque submersus est. Arbogastus Germanus, ex

23 *Am Rande in A*: Sisciae..... ad Savum, Theodosiani Savum tranant; Magni *[sic]* miles terga vertit, caeditur; ad muros properat urbis, fossis absorbetur, in flumen praecipitatur; portae metu illis occlusae. signifer ibi absorptus. deinde Marcellinus, frater Maximi, delectas cohortes trahebat, aperto Marte pugnat; fusus, in fugam versus; nox prohibuit fugientes occidi. tercia manus submissis precabunda vexillis, petit veniam, osculis terram premens, calcanda corpora et arma Theodosii pedibus praebuit. gratia facta iunguntur socio agmini *[Pacat. Pan. 34—36]* 27 *In A übergeschrieben:* 27 Augusti *Ebendort*: in flumen praecipitatus.

20 *Ambros. a. a. O. Amm. XIV, 11. Ant. Itin. p. 122. 123. 126. Hier. Cat. (I, 132)* 22 *Bettobia, Bethowe (Pettau) in den Gesta archiepiscopor. Salisburg., Mon. Germ. Script. XI, 12, 75* 23 *Ant. Itin. 126; 130* 27 *Prosp. Tir. in Graev. Th. XI, 312. Idat. Fast. eb. 266* 28 *Oros. VII, 35. H. M. XIII, 1.*

Francia oriundus, germanae cohortis praefectus (verum genitali solo pulsus a Sonnone et Marcomaro fratribus regulis Francorum) in Galliis Victorem, filium Maximi, interimit. victores augusti domos redeunt, Theodosius Byzantium, Valentinianus Mediolanum. celebris ibi tum legatio senatus romani adest, cuius princeps Symmachus, vir inlustris et consularis atque eloquentissimus. petebant patres consulti et ordo ille amplissimus, aram victoriae, veteres et avitas ceremonias restitui, quibus colendis Roma crevisset et ad id fastigii, nempe totius orbis imperium, conscendisset; veritatem non una adiri via; ob hasce neglectas rempublicam tot calamitatibus undique opprimi atque tandem perituram esse. extat huiusmodi oratio satis luculenta. sed acriter divus Ambrosius iussu Valentiniani respondit, deinde et Prudentius poeta carmine. rem hancce nefandam postulandi animos dabant vires eloquentiae praestigiaeque humanae sapientiae, quod Valentinianus puer imperitus rerum erat et quod quidam christiani, qui in aula versabantur, imperatori suadebant, tot sanctissimis et prudentissimis romanae curiae patribus indulgendum esse; ipsos suo periculo errare; neminem invitum servandum esse. illud quoque adolescenti inculcabant imperatori, Valentinianum genitorem ipsius, licet novae religioni addictum, veterem non prohibuisse, servatum idcirco ipsi et proli suae orbem terrarum esse; fratrem vero Gratianum vetuisse et ob id ita periisse eundem intelligi volebant. Valentinianus satis astute et admodum prudenti responso has pestes abs se abegit. et ego sicut pater, inquit, non prohibeo; at ne ingratus et plane impius esse videar, acta pientissimi fratris (cuius pietas me ad imperii culmen evexit) rescindere non possum; utriusque acta tueri fas est, aequitas postulat.

Valentinianus deinde in Gallias proficiscitur, Arbogastum rei militaris magistrum legit. iam enim virtus romana italicaque degenerarat adeo, ut Germanorum fortitudini et fidei res bellica rerumque summa committenda foret. nam et Stilicho, itidem ex Germania oriundus, Vandalus genere, in oriente secundum Theodosium plurimum pollebat. eidem Theodosius neptem suam ex fratre Honorio, Serenam feminam doctissimam, matrimonio coniunxit, ex qua Mariam et Thermantiam, uxores Honorii imperatoris, et Eucherium progenuit Stilicho. pater eius Stilicho sub Valente imperatore Germanorum cohortis praefectus fuit, rei militaris scientissimus. Theodosius cum Persis ultro petentibus foedus fecit. ob hanc rem Stilicho missus est Babyloniam.

3 *Idat., Bouquet I, 614. Prosp. Aq. eb. 625* 11 *Symm. Rel. 3* 12 *Ambros. ep. 18* 13 *Prud. c. Symm. I u. II* 26 *Ambr. or. fun. Valent. 19 fg.* 37 *Vict. ep. 48. Iord. Brev. p. 54. Pac. 22.*

at Arbogastus in Galliis Valentinianum adhortari non desinit, ut in Francos arma moveat, qui de Germania, quae est in Gallia Belgica, praedas egerant. Cariertus et Syrus Nanneno et Quintino in Germania cisrhenana ac romana sufficiuntur, Germanis transrhenanis cum exercitu opponuntur. Arbogastus gentili odio prosequebatur Sonnonem et Marcomarum, regulos Francorum. vindictae avidus imperatorem adversus ipsos incitabat Francos postulabatque universa, quae superiore anno caesis legionibus diripuerant, restitui et authores belli, (Sonnonem et Marcomarum nimirum petens) dedi, in quos ut perfidos pacis violatae crimine reos more maiorum animadverteretur.

Post paucos deinde dies Valentinianus imperator ad Rhenum proficiscitur; invitatos ad colloquium Sonnonem et Marcomarum impetratis ex more obsidibus in Germaniam dimittit. ipse Treveros ad hiberna concedit. id displicuit Arbogasto. ideo non ita longo post tempore, conscio Eugenio scriba et a secretis augusti, Arbogastus in Valentinianum conspirat. principem ipsum Viennae intra praetorium aedesque palatinas includit, in ordinem ad privati modum redigit militaris rei curam Francis satellitibus suis committit; civilium quoque munerum praefectos in suas trahit partes. nemo omnium, ne miles quidem, licet sacramento adactus, familiari principis conloquio uti aut iussis obsequi audebat. imperator his necessitatibus adactus, cum nulla salutis spes esset, divum Ambrosium Mediolano clamculum accivit, ab eo lavacro caelesti initiari lustrarique postulabat. verum quam Ambrosius adventaret, ante a coniuratoribus strangulatur necaturque anno octavo post fratris necem. cadaver exanime (ait divus Hieronymus) suspendio (quasi sibi ipse mortem consciverit) laqueoque infamatum.

Dum haec aguntur, interea Arbogastus ob veterem simultatem in Sonnonem et Marcomarum Franciae regulos, hieme maxime rigente, Agrippinensem Coloniam cum omnibus copiis petit; ratus omnes Franconiae recessus tuto penetrari ubique posse, cum decussis foliis nudae atque aridae sylvae insidiantes occultare non possent et paludes congelatae perviae militi romano forent conlecto ergo exercitu transgreditur Rhenum, Bructeros ripae proximos Chamanorumque pagum depopulatur, nullo usquam hostium occurrente apparenteque praeter admodum paucos ex Ansuariis et Chattis, qui Marcomaro duce in

6 Franconum *A* sic

1 *Für das flgd. s. Gregor Turon. II, 9* 24 *Ambros. a. a. O. 23; ep. 53* 26 *Hier. ep. 60.*

ulterioribus collium iugis se ostendebant. itaque Arbogastus non ausus se credere sylvis, territus periculo Quintini, nulla re memorabili gesta trans Rhenum Agrippinam revertitur Eugeniumque (qui antequam in aulam delatus fuit, ludi literarii magister fuerat) imperatorem Gallis creat. Eugenius continuo ad Rheni limitem castra movet et cum regibus Alemanorum et Francorum ex veteri novorum principum instituto foedus init, munera et donativa stipendiaque distribuit, ut inmensum ferarum gentium exercitum Theodosio necem Valentiniani ulcisci paranti ostentaret et obiiceret. Alani, Getae, Germani Danubii adcolae Theodosio, Rhenani Eugenio fuere auxilio. Eugenius Flaviano praefecto urbis petente aram Victoriae sumptus ceremoniarum senatui romano restituit, quod Valentinianus negarat.

Theodosius caelo superisque faventibus tyrannos in Alpibus superavit, decem millia hominum delevit. apud Theodosianos ventorum turbo et procella exorta in hostes saeviit, eosdem sternit, tela hostium manibus excussa in dominos retorquet. Eugenius captus poenas capite luit. Arbogastus sibi gladio mortem conscivit. Claudianus eleganter de hoc bello ad Honorium imperatorem ita scribit:

Barbarus Hesperias exul possederat urbes | Sceptraque deiecto dederat romana clienti, | Te propter gelidis aquilo de monte procellis | Obruit adversas acies revolutaque tela | Vertit in authores et turbine reppulit hastas. | O nimium dilecte deo, cui fundit ab antris | Aeolus armatas hiemes, cui militat aether | Et coniurati veniunt ad classica venti. | Alpinae rubuere nives et frigidus amnis | Mutatis fumavit aquis turbaque cadentum | Staret, ni rapidus iuvisset flumina sanguis.

Victor Theodosius Iovis aurea simulacra cum fulminibus trisulcis itidem aureis minitantibus diripi a suis permisit, non sine ioco: a Iove, inquibant, fulminari volumus. illa adversus Theodosium, nescio quibus ritibus consecrata, in Alpibus posita erant. inde ubique gentium edicto signa deorum sustulit Theodosius evertique iussit.

Germani quoque, qui Gallias inundarant, pacati sunt. divus Ambrosius per epistolam Fritegilem, uxorem Rosemundi regis Marcomanorum (Suevorum natio est) Boiemiam tum Danubium usque tenebant) in religione christiana instituit; eius ope vir cum Romanis pacis foedera (hortante Ambrosio mulierem) servavit. divus quoque

31 invaderant *B*

5 *Prosp. Aq. a. a. O.* 12 *Paulin. vit. Ambr. 26.* 14 *Vict. ep. Iord. Brev. 55* 16 *cb. Aug. C. D. V, 26* 17 *Ekkeh. 134* 19 *III. cons. Hon. 66 fg. 93—101* 30 *Aug. a. a. O.* 35 *Paul. a. a. O. 36.*

Hieronymus ad Sunniam et Fretellam, Germaniae mystas Nitravensem et Auguturensem, ⌈per Firmum presbyterum⌉ scribit. Davidis divinos hymnos ad Graecorum fidem ⌈et hebraicam veritatem⌉ emendat. ⌈docet Germanos, quemadmodum literis petierant, quo pacto depravata in psalmis restitui debeant, iuxta hebr⌈eorum fontem et septuaginta editionem, ab ipso Hieronymo sub asteriscis et obelis prius traditam. operae precium est verba Hieronymi subnectere, ut plane liqueat, maiores nostros non adeo barbaros fuisse atque ignobiles, quales imperiti quidam et, qui sua dumtaxat admirantur, faciunt. vere in vobis (inquit) apostolicus et propheticus sermo conpletus est, in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum. quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua hebraicam quaereret veritatem et dormitantibus, immo contendentibus Graecis, ipsa Germania spiritus sancti eloquia scrutaretur! in veritate cognovi, quoniam non est personarum acceptor deus, sed in omni gente, qui timet deum et operatur iusticiam, acceptus est illi. dudum callescentes tenendo capulum manus et digiti ⌈tractandis sagittis aptiores ad stilum calamumque mollescunt et bellicosa pectora revertuntur in mansuetudinem christianam. nunc et Esaiae vaticinium cernimus opere conpletum: concident gladios suos in aratra et lanceas suas in falces; et non adsumet gens contra gentem gladium et non discent ultra pugnare. rursumque in eodem: pascetur lupus cum agno et pardus requiescet cum hoedo et vitulus et leo et taurus pascentur simul et puer parvulus ducet eos et bos et ursus in commune pascentur parvulique eorum erunt pariter et leo et bos comedent paleas, non ut simplicitas in feritatem transseat, sed feritas discat simplicitatem.⌉

Theodosius deo et hominibus acceptus, extinctis tyrannis, parta terra marique pace, victricia signa Mediolanum intulit imperiumque filiis suis Arcadio et Honorio divisit. hunc accitum Mediolanum occidenti, Romae, Europae (praeter Thracias et Græcias) et Aphricae praefecit, illum orienti et Constantinopoli et Graecis rectorem dat. eos ex Flaccilla, ⌈filia Anthemii, patris Maioriani augusti⌉ genuit; Placidiam ex Galla, filia Valentiniani primi, sorore Valentiniani secundi, suscepit. ex qua et Constantio natus est Valentinianus tercius, qui post Honorium avunculum suum Roma potitus est. expressit Theodosius animo et filo corporis Traianum principem. simplicia in-

24 que *fehlt in B*

1 *Hier. ep. 106* 9 *Tac. A. II, 88* 29 *Zos. IV, 59; V, 46. 48. Zonar. XIII, 19. Ekkeh.*

genia amavit, erudita admiratus est, adeo ut ad quosdam doctos contra morem principum, familiares et autographos (ita ipse adpellat) sermones transmiserit, postulans scripta eorum, fassusque sit se amplius, quam Octavianus solitus sit, diligere literatos quosque. singularis clementia in hoc imperatore fuit; sola purpura se a caeteris mortalibus differre dictitabat. nullos avidius traxit (ait Symmachus) quam nil desiderantes; morum egit delectum et in suos censuram. beneficus in omnes homines, bonos effusius divitiis tollebat. victor libidinis, inanis gloriae; voluptatum et gulae lege prohibuit lasciva ministeria; spaltrias comessationibus adhiberi vetuit. consobrinorum nuptias ut incestum detestatus est. bella non movit, sed invenit. mediocriter literarum peritus, si perfectos nimium contempleris, sagax diligensque ad noscendas res gestas hisque legendis plurimum operae impendit. ex quibus non desinebat execrari veterum principum crudelitatem superbiamque. irascebatur sane facile rebus indignis, sed cito flectebatur. in summa, ut omnia cónplectar uno verbo, vivum christiani principis exemplar fuit. qui plura de tanto imperatore cognoscere velit, praeter annalium scriptores divum Ambrosium et Augustinum Claudianumque poetam legat.

Vixit annos sexaginta, obiit post Valentiniani necem anno tercio, sexto decimo calendas Februarii, christianae salutis trecentesimo et septimo super nonagesimum, imperii septimo decimo. imperavit cum Gratiano et Valentiniáno, fratribus uxoris suae Gallae, annos quatuordecim. contigere huic saeculo praeclarissima ingenia, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nysenus et frater eius Basilius Magnus, Ioannes Chrysostomus, ob dicendi facultatem ita cognominatus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Claudianus poeta, Prudentius poeta, Ausonius poeta, Pontius Paulinus, Symmachus vir consularis et inlustris, pontifex maximus, acerrimus cultus deorum defensor, et plaerique alii, quos recensere ab incepti operis proposito longius abest. post hos bonae literae simul cum sacrosancta hactenus imperii maiestate gravi admodum casu interiere, plus quam per mille annos sepultae nostro demum saeculo reviviscunt, invitis hostibus suis, qui calvicie et habitu dumtaxat religionem prae se ferentes, ingenia in servitutem crudelissimis tyrannis insolentiores redegerant.

DN THEODOSIVS P F AVG CONCORDIA AVG C G A Q P S.

9 spaltrias *sic A u. B* D 32 qui — redegerant *in B eingeklammert* 36 *In A ferner*: DN THODOSIVS *[sic]* P F AVG REIPVB REPARATIO SNAQF.

6 *Symmach. ep. III, 81* 15 *Vict. ep. 48* 22 *Vict. a. a. O. H. M. XIII, 16. Cass. 449. Ekkeh.*

HONORIUS. 50.

Cap. 52. Honorius et Arcadius fratres germani, filii Theodosii Magni, optimo parenti impuberes succedunt. eorum aetas nondum matura imperio, tutoribus praedae exposita fuit direptuique patuit. respublica orba et in medio posita, dilacerata est; in dies magis atque magis sensim decrescere coepit; sibi quisque ducere, trahere, rapere; ita omnia in plures partis distracta sunt. simplicia iuvenum principum ingenia omnes moribus suis metientium divendita sunt. a proceribus, qui et discordias inter fratres serere coeperunt; pecuniae, opum, dominandi libido furiosa invaluit. rabiosa et furens avaricia omnia sibi vendicans, omnes hostium numero ducens, corripuit gradum; omnes provinciae venales fuerunt. privatis creverunt aeraria damnis; provincialium divitiis insidiati sunt rectores. dona plus aequo valuerunt. praesides legum, praemiis muneribusque corrupti, vel in remunerationem malorum vel perniciem iustorum sententias venditabant. sibi quisque consulere, ius in viribus conputare, nocere invicem, fraudare, dolis circumscribere, augeri patrimonia locupletum per damna miserorum coeperunt. provinciae plus a magistratibus quam hostibus vastatae sunt; novis vectigalibus adtriti populi.

Divisae provinciae sunt, portio tantundem pendere iussa est, quantum tota solebat tribuere. ducum numerus pereuntibus terris auctus est; milites neglecti; militaris disciplina spreta est; peditibus arma gravia esse coeperunt, milites romanos desidia et negligentia invasit. primo cataphractas, deinde cassides abiecere; sic nudati detectis pectoribus ac capitibus congressi cum Gotis, Hunnis, Alanis, Germanis, multitudine sagittariorum sepe deleti sunt. castrorum quoque muniendorum scientia intercidit. nemo iam deductis fossis, praefixis sudibus castra constituebat; sic noctu dieque superveniente equitatu hostium romani exercitus frequenter adfligebantur. caedentes munimentum castrorum, quo se reciperent, non habebant; more animalium inulti caedebantur, nec prius moriendi finis quam hostibus voluntas fuit persequendi. exercitus luxu Asiatico perditi a signis aberant, potabant, scortabantur, olebant ungenta; fortior conputabatur qui plus biberat. accusationis occasio erat adiuratum per caesarem frequentius non bibisse; vomebant, ut biberent, bibebant, ut vomerent; tribuni militem suum stipendiis defraudabant.

Inter haec ducibus ita instituentibus, quo ex sua libidine omnia gubernarent, imperatores neglecta Roma locis obscurioribus voluptati operam dabant, ocio torpescebant, negocia in alios relegabant. rectores externi, quibus rerum summa conmissa erat, plus auxiliis quam legio-

nibus romanis tribuere consueverunt. romanorum militum numerum deminuere, inde mortuorum locum non sufficere; cum hostibus pacisci, quibus tamen promissa praemia negabant, ut romanas provincias illi incursarent, et hac via duces imperium adfectabant. quisque primus omnium esse contendebat, alios criminabatur, flocci faciebat; neminem emergere aut ad honores pervenire, nisi suarum partium patiebatur; ita ima summis miscebantur, ad pugnas inde cum pernicie reipublicae deveniebatur. civilis quoque discordia et tyrannorum rabies plus quam hostium arma debilitarunt vires romanas. domestica bella barbarorum pugnam superarunt. romani senatus insuper superbia atque impietas non minima causa fuere omnium calamitatum, si divo Hieronymo et Augustino credimus, qui ea tempestate istaec pericula senserunt et pars huiusmodi incommodorum fuerunt.

Germania ob negata solita donativa ab omni parte ruptis limitibus saevire coepit in romanumque solum irrupit. Theodosius moriens tribus ducibus imperii gubernacula divisis terminis conmendarat. Ruffinus, oriundus ex Elisa oppido Britaniae, Asiam, Aegyptum, orientem procurabat. Stilicho occidentem et urbem Romam in potestate habebat. Gildo Africam nomine Honorii tenebat. primus Ruffinus, insatiabile avariciae barathrum, ius divinum humanumque violavit. continuo, posteaquam Theodosium decessisse audivit, dum aduc abest romanus exercitus orientalis, in Italia munera Germaniae, Sarmatiae gentibus hactenus tributa intercepit, foedera fregit extorquereque hac perfidia imperium Arcadio pupillo conabatur. Massagetae et Hunnorum examina Asiam invadunt; insperato ubique pernicibus equis adsunt, huc illucque volantes cuncta terrore pariter ac caede replent, famam celeritate vincunt, non aetati, non religioni, non sexui, non vagienti infantiae parcunt. muri neglecti pacis incuria sarciuntur. Antiochia obsessa est; urbes reliquae, quas Orontes, Halis, Euphrates, Cidnus praeterfluunt, vastatae sunt; tracti greges captivorum. Arabia, Phoenix, Palaestina timore captivae, matronae et virgines dei stupratae sunt, monasteria capta, ingenui et nobiles ludibrio fuerunt. capti pontifices, sacerdotes interfecti, subversa templa, ad aras stabulati equi. christianorum, qui pro fide occisi erant, ossa effossa sunt, ubique luctus, ubique gemitus, ubique plurima mortis imago. rumor erat eos Hierosolyma ob cupiditatem auri petere. divus Hieronymus conpulsus (est) parare navis, esse in litore, hostium adventum prae-

17 *Am Rande in A*: Bosporanus.

10 *Hier. ep. 77* 16 *H. M. XIII, 19; 22. Iord. Get. 29* 19 *Zos. V, 1* 28 *Hier. ep. 77* 35 *eb. 60* 37 *eb. 77.*

cavere, virginum castitati consulere. Alani, Basternae, Moschi, Geloni, Getae transsito Danubio, occiso Promoto duce Graecias, Thessa~~loniam~~, Macedoniam, Pannonias, Moesias, Scythiam, Dardaniam, Thraciam, Illyricum, Noricos, sociis Getis, caede, praeda, flamma vastant. coloni agris captivi abducti sunt, moenia urbium metu hostium clausa fuerunt. Constantinopolis obsessa est. hanc cladem eleganter et copiose describit Claudianus in libro secundo contra Ruffinum statim in principio eiusdem voluminis; quem si lubet, lege; nos brevitati studemus.

Dum haec in oriente geruntur, Stilicho (quemadmodum Theodosius mandarat) ad Rhenum profectus est, cum Germanis veteri ex more amiciciam iungit, fidem eorum Honorio novo imperatori muneribus oppignerat; authores seditionum et latrociniorum superat. Marcomarum regulum Franconum coepit in Tusciamque relegavit. fratrem huius Sonnonem praelio occidit. Claudiani, qui tum sub Stilichone militavit, de hac re istaec sunt carmina:

Regia romanus disquirit crimina carcer, | Marcomarus Sonnoque docent, quorum alter Etruscum | Pertulit exilium; quum se promitteret alter | Exulis ultorem, iacuit mucrone suorum. | Res avidi conscire novas odioque furentes | Pacis et ingenio scelerumque cupidine fratres.

Compositis rebus in occidente, Stilicho cum exercitu orientali (ob tutelam romani imperii) Constantinopolim versus tendit. Illyricum, Danubii oram Graeciamque domitis partim vi partim donis hostibus pacat. Ruffinus timens Stilichonem ab Arcadio literas ad Honorium impetrat, in quibus ab Honorio postulabatur, ut Stilichonem revocaret, cui occidens, non oriens commissus esset. Stilicho, epistola Honorii admonitus, contra voluntatem exercitus orientalis ad Italiam redit. milites orientales in necem Ruffini coniurant, qui res novas moliri dicebatur; eius consilio Massagetae et Hunni, Getae foedera rupisse ferebantur. dumque cum cadavere Theodosii extra moenia Byzantinae urbis exercitus ab Arcadio excipitur, quinto decimo calendas Decembris Ruffinum lateri principis haerentem trucidat. Ruffini caput pilo Constantinopoli circumlatum et abscissa dextra ad dedecus insatiabilis avariciae hostiatim stipes emendicavit. hoc Claudianus ita describit:

Nec minus assiduis flagrant elidere saxis | Prodigiale caput, quod iam de cuspide summa | Nutabat, digna rediens ad moenia pompa. | Dextera quin etiam ludo concessa vagatur, | Aera petens, fraudes animi persolvit avari | Terribili lucro vivosque imitata retentus | Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

14 *L. Stil. I, 239—44* 33 *Hier. ep. 60. H. M. XIII, 18* *In Ruf. II, 433 fg.*

Gildo quoque Africae legatus ab Honorio ad Arcadium deficit; hoc perfidiae praetextu sibi Africam vendicare coepit. Aegyptus et Africa Cereris horreum fuere Romanis, ubi Neorhoma condita est; huic Aegyptus addicta fuit; Africa veteri Romae mansit. Gildo victus est poenasque capite luit. Eutropius inde eunuchus ab Arcadio uxoris praecibus victo consul romanus cum Mallio Theodoro declaratur. eunuchus vestigia Ruffini secutus, Ostrogetis et Guthungis debita praemia praeripit. ipsi Tarbigilo duce foedera solvunt. Asiae minoris uberrima quaeque depopulantur. Osium, cocum quondam, et Leonem Lanarium obviam cum exercitu missos, caedunt, fundunt.

Eunuchus ab fascibus deturbatur in Cyprumque deportatur; annusque velut infausto omine consule Eunucho pollutus lustratur. Stilicho consul designatur. qui occultiore via imperium filio suo Eucherio parans, duas filias suas Honorio imperatori despondet (extat ephitalamion Claudiani); utraque morte sine prole sublata est. Stilicho Germanis promissa denegat, eos in Romanos concitat; suspicabatur hostibus undique urgentibus sibi filioque suo ut rei bellicae peritissimis romana gubernacula committenda, praesertim cum Honorius, gener ipsius, iuvenis et imperitus huic tempestati et procellae impar foret. Vessogetae primi foedus exuunt, relicta Thracia triplici agmine rectam in Italiam tendunt, spe potiundae Romae. Rhadagaesus cultores deorum ducebat; qui christiani erant, sub Alarico militabant. Honorius tum Ravennae versabatur fugamque ornabat in Gallias. Alaricus in subsidiis intra Padum et Athesim amnes sese continuit. tertiam manum Hunnorum et Getarum Uldinus et Sarus ducebant. Rhadagaesus in Tusciam penetravit.

Iam Danubii quoque foedera gentes | Exuerant Latii audita clade feroces, | Vindelicos saltus et Norica rura tenebant.

Stilicho, inter quem et generum medii Vessogetae erant, per Alpium iuga in Rhetias ad Danubium pergit, improviso adest. Germanos ingentibus pollicitationibus et muneribus in suas partes trahit. auxilia contra Getas emit, contra Rhadagaesum arma movet. omnes legiones, quae Rhetias ad Rhenum custodiebant, abductae in Italiam. Goarus rex Alanorum partes romanas secutus est; itidem Uldinus

10 *Von hier an bis* Alaricus arcta *ist das obere Drittel der Handschrift A (fol. 240—242) durch Feuchtigkeit und Mäusefrass zum grösseren Theile zerstört.*

5 Iord. Brev. 55 6 Prosp. Aq. Chr., Bouq. I, 626 8 Zos. V, 13. Claud. in Eutr. II, 175 10 Claud. a. a. O. 345 11 Zos. V, 18 18 Iord. Brev. 56; Get. 30 25 Zos. V, 22. 30. Jord. Brev. 56. Ekkeh. Prosp. Tir. a. a. O. 637 28 Claud. Get. 363—5.

et Sarus ingenti mercede redempti. Rhadagaesus haud procul Roma, certus potiundae urbis, castra locarat; quotidianis sacrificiis diis, ut eos propicios haberet, sacrificabat. tum cultores deorum provolant, coeunt, in religionem Christi convicia iactant, eam omnium calamitatum, omnis stragis et cladis causam esse vociferantur; iratis diis Italiam opprimi; orbem romanum ruere ob veteres ceremonias neglectas; contra Vessogetas, id est amicos deorum inmortalium avitaeque religionis consectaneos, secundis ubique frui successibus nec superari posse. extremum imperio haud dubie fatum inminere, nisi superos placarent, vetera et avita sacra, quibus Roma crevisset, reciperent. philosophi prophani a sacramento Christi tum religionem nostram interituram praedixerant. eo anno, quo id fore ementiti sunt, iussu imperatorum religiosissimorum per Gaudentium et Iovium praefectos et comites quarto decimo calendas Apriles templa deorum excisa, solo aequata sunt, simulacra in cineres conminuta.

Stilicho autem conlectis viribus romanis et accitis undique auxiliis in Rhadagaesum bellum convertit et citra periculum fere suorum omnes Rhadagaesi copias ad internecionem delet. cumque imperium filio suo Eucherio denegaretur, Alarico pacem dedit, alias clam Germaniae gentes in Romanos concitavit, quarum saeviciam misera Gallia sensit. Saxones Britanias depopulantur; Alani, Gepidae, quorum rex Rosopendial, Vandali rege Modegisilo, cuius filii Gundericus et Gensericus, Marcomanorum, Quadorum, Salingorum (Suevi sunt) rex Hermanericus, Burgundionum Gandericus, Franci quoque pridie calendas Ianuarias hieme rigente Rhenum transseunt, in Gallias inrumpunt, universas Gallias occupant, quicquid inter Alpes Pyreneumque, quod oceano et Rheno includitur. Mogonciacum (ut scribit divus Hieronymus), nobilis quondam civitas, capta atque subversa est et in aede sacra multa hominum millia trucidata cum divo Albano pontifice. Vangiones longa obsidione deleti, Remorum urbs praepotens capta, direpta, Nicasius pontifex cum sorore Eutropia interemptus. Ambiani, Attrebates extremique hominum, Morini, Tornacum, Argentoratum, Nemetes, Augusta Treverorum et plaeraeque Galliarum urbes translatae in Germaniam. Lingonum urbs capta, cives Christo canentes occisi. Desiderius pontifex cum Vincentio a sacris in templo periit. Antidius Vesontiorum episcopus cum suis trucidatur, item Florentius et Hilarius

1 *H. M. XIII, 25* 12 *Aug. C. D. V, 23* 15 *eb. XVIII, 54* 18 *Prosp. Aq. I, 626. Prosp. Tir. I, 637* 20 *(Zos. V, 30.) Prosp. Tir. a. a. O.* 25 *Greg. Tur. II, 9. H. M. XIV, 8—10. XIII, 29. Prosp. Aq. I, 626 fg. Cass. chr. 450* 27 *Hier. ep. 123.*

Sedunenses. Aquitaniae Novemque populorum, Lugdunensis et Narbonensis provinciae praeter paucas urbes devastatae sunt cunctae, quas et ipsas foris gladius, intus fames depopulabatur. Tholossam praecibus divus Exuperius episcopus servavit, qui aurum templi pauperibus distribuit, avariciam de sacrario eiecit. quod reliquum fuit Galliarum, tyranni Constantinus et Constans, Iovius et Sebastianus (tyranni) adterunt.

Burgundiones continuo loca proxima Rheno, ubi quondam Helvetii habitarunt, (nam horum regionem minorem Burgundiam olim dictam fuisse invenio) ad Ararim quoque et Rhodanum flumina confines regiones occupant sedesque locant, sicut aduc ibi Burgundia nominatur. oritur inde inter Vandalos et Franconas certamen ob praedam invalueruntque Francorum vires Vandalosque fundebant, caedebant, sternebant. venit in tempore auxilio Vandalis Rosopendial rex Alanorum. Franci fessi superati facile ab integris, amissa praeda in Franciam antiquam pelluntur. Alani, Suevi et Vandali postea devastatis Galliis praeda, ferro, flamma, in Hispanias inrumpunt easque inter se dividunt. Alani Lusitaniam et Carthaginensem provinciam sortiuntur, Suevi et Vandali Bethicam, Calleces, Callaicos sive Galliciam, Cantabros et Astures, quos modo Vasconas, Navarros Castiliosque vocamus, occupant. Tarraconensis provinciae populi a Romanis non defecere seque fortiter tutati sunt. Franci quoque creato rege Variomundo partem Galliarum Rheno propinquam rursus amne transsito occupant.

Porro in Italia Stilicho Alarico pacem dat; ei Rhetias et Galliam adtribuit. quo dum pergit Alaricus, Stilicho pacem violat, fidem frangit, Getas inopinatos paschalibus nec quicquam mali metuentes nec repugnantes adgreditur, caedit, fundit. tandem Getae arma corripiunt, aciem instruunt, hosti fortiter resistunt copiasque a Stilichone missas delent; deinde recta Romam tendunt. interim exercitus romanus perfidiam Stilichonis rescivit, perniciosum igitur tutorem cum filio Eucherio opprimit; morte horum reipublicae consulit; plaerique etiam conscii fraudis cecidere. nam haec (ut ait divus Hieronymus) non vicio principum, qui vel religiosissimi sunt, accidere, sed scelere semibarbari proditoris, qui nostris contra nos opibus armavit inimicos; nimirum Stilichonem hisce notat verbis Hieronymus. sed ad Vesso-

2 devastata sunt cuncta *B* 3 Tholassam *B*

4 *Hier. ep. 123* 5 *eb. 125* 7 *Iord. Get. 32* 11 *Prosp. Aq. I, 627. Cass. 450* 14 *Greg. Tur. II, 9* 21 *Idat. (B. I, 615). Isid. Chr. Era 449; 446* 29 *Iord. Get. 30. H. M. XIII, 26* 32 *H. M. a. a. O. Zos. V, 34 fg. Hier. ep. 123.*

getas et Alaricum et historiam redeundum est. (moritur inter haec Arcadius imperator orientis, frater Honorii, relicto successore filio Theodosio, haerede imperii orientalis; decedit ab orbe servato anno 411 Basso et Philippo consulibus.) //

Alaricus arcta Romam obsidione claudit fameque ad dedicionem cogit, qua gravissima in urbe laboratum est. quidam auro redimentes vitam spoliati rursus Romam traduntur. ad nefandos cibos erupit esurientium rabies et sua invicem membra laniarunt. mater non lactanti infantiae pepercit, recepit utero, quem paulo ante effuderat. vix pauci, qui caperentur, inventi sunt. fessis omnibus inedia, cum nullum ab imperatoribus speraretur auxilium, noctu urbs, caput mundi, capta est. capitur urbs, quae totum coepit orbem. antequam tamen Alaricus Romam cum exercitu introiret, edicto (quod nunquam factum alias leges) aedes sacras christianorum inviolatas fore scivit eoque confugientibus impunitatem et salutem condonavit. multi tum falsorum numinum cultores, se christianos (quos ante acriter conviciis oppugnarant verbis et insanis vociferationibus) esse simulantes, evasere manus hostium.

Quis cladem illius noctis (inquit Hieronymus), quis funera fando | (Explicet aut possit lachrymis aequare dolorem?) | Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos, | Plurima perque vias sparguntur inertia passim | Corpora perque domos, et plurima mortis imago.

Tota orientis, Aegypti, Africae litora, olim dominatricis urbis servorum et ancillarum numero conpleta sunt et nobiles quondam utriusque sexus atque omnibus divitiis adfluentes susceperunt mendicantes. ab iniuria aedificiorum temperatum est; aurum, defossae opes, urbs direpta est. capta est Roma anno a nato Christo praeside et domino mundi quadringentesimo super duodecimum, calendis Aprilibus.

Ex hoc tempore provinciae paulatim defecerunt, gentes deletae, regna excisa sunt; retro omnia fluere, omnia misceri. Germani invalescere coeperunt. et cum orbis terrarum (teste divo Hieronymo) rueret, in hominibus peccata non ruebant. /ubique ossa regum, principum, sacerdotum, populorum eiecta fuere de sepulcris et universa

5 *Hier beginnt der 2. Bd. der Handschrift A, der den Schluss das 2., des 3. und den Anfang des 4. Buchs enthält. Dabei die Bemerkung:* Abusinae absoluti hi libri sunt 8 menbra *A* 12 *Am Rande in A:* 9 kalendas Septembris (Segibertus et Beda) ab urbe condita 1166.

4 *Prosp. Aq. I, 627. Cass. chr. 450. H. M. XIII, 24* 13 *Hier. ep. 127. Zos. V, 37—43* 16 *Iord. Get. 30* 18 *Oros. VII, 39* 19 *Hier. ep. 127* 25 *Hier. in Ez. comm. l. III prooem. (V, 187 E)* 26 *eb. ep. 127* 28 *Oros. VII, 40* 31 *Hier. ep. 128.*

completa sunt ossibus mortuorum, ita ut lachrymae aruerint. in Illyrico, Thracia, Macedonia, Pannoniis omnique terra, quae a Propontide et Bosphoro usque ad Alpes Iulias tenditur, cum hominibus et animantia cuncta, quae in usus hominum a creatore prius alebantur, defecere. (subdit alio loco vir doctissimus: »vastatis urbibus hominibusque interfectis, solitudinem et raritatem bestiarum quoque fieri et volatilium pisciumque, testis Illyricus est, testis Thracia, testis, in quo ortus sum, solum, ubi praeter coelum et terram et crescentes vepres et condensa sylvarum cuncta perierunt. iram quippe dei optimi maximi etiam bruta sentiunt animalia.« quid multis opus verbis? romanus corruit orbis; occidens in Germaniam translatus est.

Victor Alaricus sexto die egressus Romam, abducit captivam Placidiam, filiam Theodosii magni, sororem imperatorum; eam in Foro Cornelii Hatulpho cognato suo connubio iungit. Lucaniam, Campaniam simili clade pervagatur. in Siciliam, inde in Africam navigare conatur, naufragio prohibetur; dum Consentiae hiemat, subito perit. Getae ludibria effossi cadaveris metuentes, Bussentum amnem, qui urbem Consentiam praeterlabitur, alio derivant; cadaver in alveo cum ingentibus opibus condunt; rursus flumen veteri meatui reddunt. hinc Hatulphum regem creant, quo duce rursus Romam invadunt. quicquid reliquum, quicquid supererat superiori cladi, adtritum est. Italia devastata Hatulphus in Gallias transsit. uxoris moribus mitior effectus, foedus init cum Romanis, quamobrem a suis interficitur. Sigericus huic non ita longo tempore succedit. deinde Vallia, vir admodum prudens severusque a Vessogetis regia potestate evehitur. is Vandalos, eorum consanguineos Alanos stravit ad Calpen Arganthonini.

Honorius occidentis imperator Constantium, rei bellicae disciplinaeque militaris exercitatissimum ingentisque animi ducem, ad Gallias vindicandas mittit. nam et tyranni frustra freti auxilio Germanorum Britanias, Gallias, Hispanias (praeterquam id, quod a Germanis tenebatur) rapuerant. Constantius pacem cum Vessogetis componit danturque ipsis quaedam urbes Aquitaniae secundae aliaque oppida confinium regionum. pars Galliarum est proxima Hispaniae. redditur Honorio Placidia soror; eam ducit Constantius. proinde caesar ab Honorio augusto adpellatur. Constantinus deinde tyrannus Arelati obsidetur ac capitur quarto obsidionis mense; missusque in Italiam Honorio, ad

1 *cb. 60* *cb. 123* 4 *Comm. in Os. I, 4 (VI, 7 F)* 5 *Comm. in Sophon. 1 (VI, 92 H)* 19 *Iord. Get. 30. 31. H. M. XIII, 27. 28* 24 *Iord. 31. H. M. XIII, 28* 26 *Iord. 32. H. M. 29* 29 *Iord. 32. H. M. XIV, 1* 35 *H. M. XIV, 3. Iord. 32.*

Mintium flumen tyrannidis poenas capite pendit. Constans filius eius a Gerontio praefecto Viennae simili fato perimitur. eadem strages Iovium, Salustium et Sebastianum, imperii occupatores, a Gotis desertos involvit; a ducibus Honorianis crudeliter interempti sunt Valentiae; urbs est Galliarum nobilissima. Maximus Hispaniae tyrannus captus Ravennam ductus, Honorio tricennalibus (quae pro liberando imperio voverat) spectaculo fuit. Alani a Gotis (et Vallia rege) domiti sunt adeo, ut omisso regio nomine Getis se permitterent. unde ab ipsis Tarraconensis Hispaniae pars et Carthaginensis Gotolania nomen retinet. Britaniae quoque a Scotorum, Pictorum, Saxonum incursatione liberatae sunt.

Fato posthaec Constantius caesar, relicto filio Valentiniano trimulo, concedit. Honorius sororem paulo post sibi insidias tendentem in orientem cum filio ad Theodosium nepotem pellit. ipse imperavit annos duos cum patre, cum fratre Arcadio tredecim, cum Theodosio fratris filio quindecim. obiit febricula, imperii anno tricesimo, aetatis quadragesimo. hisce temporibus Marcum Aurelium Vindelicis praesedisse et Constantium archiflaminem Laureacensem in provinciis, quas Boii tenent, oves Christi annis quadraginta amplius pavisse invenio.

(DN ARCADIVS AVG VICTORIA AVGG G M D COM O B.)

VALENTINIANUS TERCIUS. 51.

Cap. 53. Post mortem Honorii Ioannes scribarum magister factione Castini Scythae ducis copiarum imperium Romae arripit legatosque ad Theodosium augustum Neorhomam, ut author fieret, frustra mittit; quin cum mandatis atrocioribus oratores nusquam benigne auditi redeunt. tyrannus Aetium tum praefectum praetorio ad Hunnos auxiliares copias petitum proficisci iubet. erant Hunni amici Aetio; apud eos enim obses fuerat. Hunni inescati muneribus cum Aetio ad Italiam pergunt. at Theodosius augustus, ubi de morte patrui certior factus est, Valentinianum octo dumtaxat annos natum, amitinum suum, caesarem declarat et matrem eius Placidiam Augustam cum exercitu et filio in Italiam et Romam ad accipiendum occidentis imperium di-

2 *Am Rande in A*: Chronicon Severi Sulpitii, qui vitam divi Martini scripsit
4 *Ebendorf*: Apollinari et Rusticio tribunis 17 *Am Rande in A:* Maximus Taurinensis episcopus scripsit ὁμιλιας.

2 *Greg. Tur. II, 9. Iord. 32. H. M. XIV, 1* 7 *Prosp. Tir. I, 638. Iord. H. M. a. a. O.* 8 *Idat. I, 616. Isid. 454* 11 *H. M. XIV, 4* 13 *Prosp. Aq. I, 629. Tir. 638. Cass. 450. H. M. XIV, 3* 16 *H. M. XIV, 5* 18 *Constantium:* s. *Schreitwein, Catalogus bei Rauch II, 453* 22 *Vergl. H. M. XIV; Prosp. Aq. 629. Tir. 638. Cass. 450. Ekkeh. 136* 28 *Greg. Tur. II, 8.*

mittit. Ioannes ab orientali exercitu victus interemptus est. Ravenna ab irato milite diripitur; Castinus dux in exilium agitur. Aetius, qui iam cum Hunnis Italiam adtigerat, veniam impetrat. nam eius ope Hunni domum absque maleficio revertuntur. spes erat, sub Mo[illegible] imperatore disciplinam militarem caeteraque restitutum iri.

Fuerunt ea tempestate in occidentali aula tres duces celebratissimi, Castinus Scytha et Bonifacius Thrax, legatus Africae, familiaris divo Aurelio Augustino; hos anteibat Aetius, patre Gaudentio, magistro militum, occiso a militibus in Galliis, et matre Itala progenitus Dorostori; urbs est primaria Moesiae inferioris, quam et Scythiam minorem a rerum scriptoribus vocari reperio. illi (ut sunt mores procerum) invicem invidere, mordere clamculum solebant; quisque primus esse contendebat nec ferre parem volebat. Aetius apud Placidiam Augustam nactus occasionem, Bonifacium criminari non desinit. Castinus tandem ab exilio revocatur, successor Bonifacio datur. Vandali tum morte Gunderici regis, filii Modegisili, turbati a Suevis sociis suis ob dulcedinem praedae premebantur utque paucorum clade bellum finiretur, placuit partibus, singulari duorum certamini fortunam aleamque committi, ut gens, cuius miles superatus foret, Hispania ultro caederet, eam victori popularibusque eius quiete relinqueret. vicit Suevus; Hermanericus igitur rex Suevorum postulabat, ut Vandali ex pacto Hispaniis abirent. Vandali Gaensericum fratrem Gunderici regem sciunt seque expeditioni accingunt. adest in tempore Bonifacius, Vandalos invitat in Africam atque traiicere permittit. Castinus a Vandalis fusus est. Vandalus victor longe lateque Africam depopulatur, urbes obsidet, expugnat, diripit. Aurelius inter haec Augustinus mortem obiit, decimo post divum Hieronymum anno, anno christianae salutis quadringentesimo altero et tricesimo.

Bonifacii deinde innocentiam ubi Placidia Augusta comperit, eundem ad se Romam vocat. Bonifacius omnium favore et gaudio Italiam petit. Aetium sibi resistentem ex aula proturbat. Aetius se in romano solo tutum fore desperans, ad Rugilam Hunnorum regem, cuius obses fuerat, aufugit. Bonifacius interim vita defungitur. Aetius amissum honorem recuperat, in aulam redit, rei militari praeficitur et magister equitum adpellatur. rex Suevorum Hermanericus, ubi Vandali Hispaniis excessere, terram eorum, quam reliquere, invadit, magnam partem Hispaniae Romanis pulsis armis sibi parere cogit;

10 *Iord. Get. 34* 13 *Procop. H. V. I, 3* 16 — abirent *s. Gregor. Turon. II, 2* 23 *H. M. XIV, 10* 25 *Iord. Get. 33* 35 *Das flgd. nach Isid. chron. Vgl. Iord. Get. 44.*

et post multa praeclara facinora decessit, filio Richila declarato rege, qui regnum per manus itidem filio suo Richario tradit; hic Lusitaniam quoque regno suo adiecit. Navarri et Heruli Astures invaserunt. Maldra inde tenet gubernacula; Richomundus ipsi succedit. post hunc Suevorum in Galicia regem fuisse Mironem reperio. ad quem divus Martinus Galiciae episcopus, Pannonia oriundus, vir eruditus, de quatuor virtutibus (ut adpellant) cardinalibus scripsit, qui libellus falso Senecae adtribuitur. Miro defunctus Eurico filio Galiciae Suevorumque regnum per manus tradit. postea Suevi coniuncti sunt Vessogetis; paulatim ex tota Hispania eiecere romanos fasces. horum progenies adhuc Hispaniis dominatur, quae in Carolo, nepote divi Maximiliani, denuo nostro aevo, velut nova stirpe, de integro instauratur.

Aetius (ut redeam, unde digressus sum) Galliis adserendis animum intendit. primo cum Maioriano, qui post imperavit, in Francos, qui Galliam proximam Rheno occupare ausi fuerant, expeditionem parat. rex tum Francorum Variomundus decesserat. quamobrem Francones haud difficulter (ut qui praesidio rectoris orbati erant) trans Rhenum in Germaniam Magnam a Romanis pulsi sunt. eadem quoque tempestate in Gallia ulteriore rustici servitiaque Battone duce conspirant, a Romanis desciscunt, gravissimum excitant motum; Bagaudarum sibi nomen indunt. factionis plebeiae id genus est, adversus nobilitatis superbiam et luxum/sacerdotum saevientis; nos a calceamento rustico Bundoschucham vocitamus. Aetius capto Battone caeteris veniam dedit; in authores seditionis animadversum est; ipsi partim necati partim in vincula coniecti sunt. Eudoxius medicus, callidi ingenii vir, Bagaudae author primarius, aufugit ad Hunnos. ita Galliae Lugdunensis Belgicaque pacatae sunt romanoque iuri redditae. Aetius inde Aquitaniam a Vessogetis, Hispanias ab Alanis, Suevis liberaturus, iussu Valentiniani, ne a tergo premeretur, et simul pluribus bellis impeditus, impar multitudini hostium foret, cum Burgundionibus et Vandalis pacem firmat foedusque init; illis Allobrogum regio, quam Sabaudiam dicimus, his portio Africae addicitur. hos veluti minus validos facile, ubi velit, pelli posse confidebat, si valentissimas nationes, Vessogetas, Suevos, Alanos superasset. indicitur igitur bellum Vessogetis; Hunnus in auxilium accitur. nam Vallia rex, cum quo foedus convenerat, iam mortem obierat successeratque Theodericus Magnus. is ubi se peti sensit, filiam suam in matrimonium dat Richario Suevorum regi, Vandalos et alias Germaniae gentes ad societatem belli

6 *Greg. Tur. V, 37. vgl. Isid. 402* 11 *König Karl I. von Spanien* 18 *Cass. Chr. 450* 36 *Iord. Get. 34.*

conmuneque periculum propulsandum hortatur et contra Romanos, veteres hostes, concitat, qui nunquam maioribus fidem servaverint, semper fraudi aliquam speciem iuris imposuerint et qui quiescere non valeant, si caput sustulerint, nisi omnes Germanos deleverint. laetis bello populis facile persuadet Theodericus arma resumere, praecipue adversus romanum imperium, cui ex professo Germani hostes perpetui erant.

Gaensericus cum Vandalis Carthaginem invadit capitque. Franci traiecto (Clodone regulo) Rheno Belgicam secundam vastant, (patentes Atrebatum terras quoque pervadunt) Tornacum et Cameracum urbes diripiunt; Saxones Britanias incursant. Bleda et Attila reges Hunnorum, filii Mundozuchi, nepotes Valomari, qui patruis Hectori et Rugilae successerant, Thracias, Illyricum, Pannonias, Moesias vastant. Arnegistus magister militum a Martianopoli Moesiae egressus, fortiter cum Hunnis dimicans, equo amisso occisus est. Hunni inde Graeciae inminent. Theodosius augustus septem millibus librarum auri pacem mercatur, mille libras annuatim promittit. Theodericus rex Vesso getarum Septimaniam suam fastidit, Arvernorum municipio potiri, producere fines in Rhodanum contendit. Litorium ducem romanum cum copiis adversum se (missum) capit. (veterum finium limitibus effractis, omni virtute atque mole possessionis metas in Rhodanum Ligerimque ab oceano proterminat. Arvernos (qui ab Iliaco sanguine creti, soli restitere Gotis), fratres Romanorum, obsidet. sed ab Avito praefecto Galliarum, qui post imperavit, mitigatur; foedus cum Romanis renovat Avitus. ille praecibus Sidonii poetae et episcopi, generi sui, medius inter Gotos et rempublicam intercessit; nam ob virtutes civiles et bellicas et nobilitatem generis Gotis amicissimus erat. Leo a consiliis regis rogat Sidonium, ut scribat historiam, itidem Sidonius Leonem. Aetius quoque Ligeris liberator affatu, prandio removet ferocissimum regem Gotiae ab Arelato, quem non potuit praelio. de Lithorio Sidonius ita scribit:

Lithorius Scythicos equites tum forte subacto | Celsus Aremorico Geticum rapiebat in agmen | Per terras, Arverne, tuas, qui proxima quaeque | Discursu, flammis, ferro, feritate, rapinis | Delebant, pacis fallentes nomen inane.)

9 Clodone duce A patentes — pervadunt *fehlt in A*, 30 Arleato *A*,

8 *Greg. Tur. II, 9* 13 *Iord. 35. Greg. Tur. II, 9* 15 *Iord. Brev. p. 57* 19 *Sidon. ep. III, 1; VII, 1* 26 *eb. III, 1. VII, 7. C. VII, 306* 29 *eb. ep. IV, 22* 30 *eb. VII, 12* 31 *Carm. VII, 246.*

Bella haec apud nos poetice celebrata leguntur et cantantur a popularibus nostris.

Moritur paulo post Theodosius Neorhomae imperator aetatis anno quinquagesimo, ab orbe restituto quadringentesimo quinquagesimo tercio. uxor eius Eudocià, Leontis Atheniensis philosophi filia, Homerocentonas de Christo composuit. soror Theodosii, Pulcheria augusta, princeps eligendi augusti, Fl. Valerium Martianum, senem pacis studiosissimum, diademate caesareo donat. hic dicere solitus fuit, quoad in pace esse licet, non sumamus arma. imperavit in oriente annos sex, menses totidem. quietissimum habuit orientem ab armis, nisi quod superbia atque ambitio episcoporum, impietas monachorum orientem vexavit. Anatholius episcopus Constantinopolitanus usurpabat primas; alios sibi subesse episcopos volebat; subscripsere Anatholio Illyriciani episcopi. Leo primus pontifex maximus scribit Martiano augusto, vere christiano, vere religioso principi; itidem Pulcheriae augustae, ambitionem Anatholii damnat. ille vero, inquit, erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus. (11 kalendas Iun. Herculano consule; is est annus Christi 455). item Anatholium admonet, ut resipiscat; principes laudat Valentinianum atque Martianum et ait: clementissimorum principum tam sancta est fides, tam religiosa devotio, ut in eis non solum christianum, sed etiam sacerdotalem experiamur affectum (5 idus Iulii, Adelphio consule; est Christi 454). ad Eudociam quoque augustam, quae post mortem mariti in Palestina habitavit, Pulcheriamque augustam extant epistolae Leonis primi pontificis maximi. contra Dioscori Eutichetis, patris monachorum, heresiarchae atque Nestorii factionem Pulcheriam augustam orat, ut concilium convocetur ab imperatore, Eudociam, ne faveat illis erroribus. Nestorius Christum de matre virgine hominem solum adserit natum eamque hominis tantum fuisse genitricem, qui postmodum sit a verbi deitate susceptus, duabus scilicet distinctis personis. Eutyches de eadem virgine natum, non nostrae credidit esse naturae. Dioscorus eius socius; attamen in unitatem personae deitas atque humanitas et conceptu virginis convenit et partu.

Tum quoque ob ferias paschales contentio discordiaque inter orientem ac occidentem oritur, anno a Christi nativitate 459. in fastis, quos Theophilus episcopus Alexandrinus (cuius et Hieronymus meminit) ad Theodosium Magnum scripsit, in octavum diem ante calendas Maias signata erant paschalia. annales vero pontificii Romanorum

9 *Zonar. XIII, 25* 15 *Leon. ep. 54; cum flgd. eb. 55. 53. 46. 35. 66* 33 *eb. 13. 18. 52. 97. Prosp. Aq. I, 633.*

transferebant ea in duodecimum diem ante calendas Maias. Martianus augustus consulit Aegyptios, quod ea regio antiquitus syderum studiosa fuerit, ut occidentales cum orientalibus concordes forent. sententia Theophili recepta est octavoque calendas Maii eius anni celebratae sunt vernae feriae. cumque Martianus augustus numerum divorum auxisset, Constantino et Ruffo consulibus, anno Christi 460, Eutychianistae excitant tumultum, saeviunt in adversarios, Proterium Alexandriae episcopum interficiunt. Leo pontifex romanus Leoni augusto scribit, petit, obsecrat, ut Eutychianorum furorem conprimat. gratulatur primum quidem, quod omnium electione ad imperium cooptatus fuerit, in cuius virtutibus et romana respublica et religio christiana gaudet, Leone et Maioriano AA consulibus, anno Christi 461.

Contra in occidentem saevissimae armorum procellae ingruérunt; provinciae vastabantur. nam Attila rex Germaniae, Scythiae, Sarmatiae potentissimus, orbis imperium animo agitans, cum Gaenserico rege Vandalorum Africam tenente foedus icit; Grimyldam, Guntheri regis Turogorum filiam, uxorem ducit; omnes principes Germaniae Magnae receptos ad se in aulam, in conmilitium accivit sociosque sibi adsciscit. ut autem Vessogetarum, Burgundionum, Francorum vires sibi coniungeret, in Galliam ad Rhenum expeditionem edicit. aliud tamen (uti erat consilio quam manu promptior) apud imperatorem Valentinianum simulat. et Vessogetas hostes reipublicae romanae sibi deposcit, quos Gallia depulsurus sit. Theodericus Veronensis, Triarii filius, et Matrinus, Anthemius consul, gener Valentiniani imperatoris, praeses Danubii et Vindeliciae, qui post imperavit, Danubiani limitis duces provinciarumque, quas possidemus, legati, annuente augusto cum Attila pacem his conditionibus ineunt: oppidis quidem clausis, itineris faciundi facultatem exercitui copiisque Attilae concedunt, rati eum reipublicae romanae ergo hanc subiisse expeditionem.

Fuit sane Attila, supra quam cuiquam credibile est, supplicibus mitis et perquam benignus erga eos, quos semel in fidem accepit. conplura éxtant apud nos de eius virtutibus carmina, patrio sermone more maiorum perscripta. nam et aduc vulgo cantatur et est popularibus nostris, etiam literarum rudibus, notissimus. augusto fuisse corpore fertur, at lato et ingenti pectore et qui animi magnitudinem

6 u. 12 anno Christi *fehlt A* 24 *Am Rande in A:* casu equi examinatus est.

5 *Leon. ep. 64. 65. 68. 95. Prosp. Aq. I, 635. Hier. ep. 96—98* 7 *Leon. ep. 69. 75* 12 *eb. 59. 68. 65. 73. 75. 78* 16 *Iord. Get. 36* 23 *Iord. a. a. O. (H. M. XV, 3)* 33 *Als König Etzel u. a. im Nibelungenliede. Vergl. W. Grimm, Die Deutsche Heldensage, S. 409.*

incessu prae se ferret. reperi Reginoburgii in bibliotheca divi Haemerani de rebus ab Attila gestis opus heroico versu et latina lingua non ineleganter factum. unde istaec de Hunnis et Attila carmina excepi:

Foedera supplicibus donat sternitque rebelles; | ultra millenos fertur dominarier annos.

Porro Valentinianus interim astutia Attilae intellecta, Aetium praefectum militiae in Gallias mittit, qui per Avitum, postea imperatorem, Vessogetas, Burgundionas et Francos foedere Romanis coniungit et adversus Attilam, humanae gentis et orbis latronem, concitat. conveniunt copiae ducum in Galliis. Attila ubi hoc accepit, nihilominus, quod constituerat, facere conatur. ubi iam se ad eam rem paratum esse arbitratus est, Danubium cum Hunnis, Turogis, Boiis, Suevis, Alemanis, quorum rex Gibuldus erat, traiicit. una cum Attila proficiscuntur Hardaricus, rex Gepidarum, et Ostrogetarum reges, tres fratres, Theodomarus, Vidomarus et Valomarus. Attila cum omnibus copiis per Noricum, Vindeliciam, per Rhetiarum fines ad lacum Brigantinum et Rauracorum Basileaeque fines pervenit. ibi Gundaricus et Segimundus reges Burgundionum armati occurrunt, Attilam transsitu Rheni amnis prohibituri; sed facile ab exercitu Attilae caeduntur, funduntur, ad internecionem cum copiis delentur.

Inde Galliam Belgicam invadit Attila; urbium portae clauduntur; agricolae relictis casis in sylvas, montes tutaque loca se recipiunt. cives, qui oppida non ita munita incolebant, ad firmiora moenium praesidia confugiunt atque cum uxoribus et liberis conmigrant. Octavia Tungrorum urbs, tum maxima inferioris Germaniae, quae est in Gallia, expugnatur, diripitur, incenditur. Azanarius urbis episcopus, vir perquam sanctus, praecibus eam seque servare non potuit. ipse Traiecti Mosae periit; diu praedixit cladem hanc, nemo credidit; ruina ostendit, quid fuerit illa. Mediomatricum postea civitas simili clade pridie paschalibus devastatur; urbis episcopus Auctor captus; in aedificia flamma saevit, cives passim, sacerdotes ante aras trucidantur. clementiorem Attilam sensere Trecasses ob pontificis Lupi facetiam, qui ante moenia urbis Attilam excipiens: salvum advenisse, inquit, gaudeo, flabrum et iram domini deique mei. pro cognomine et elogio posthac Attilam usum esse, fama est. Parisii Luthetiam

8 imperium *st.* imperatorem *B* 27 Azanarius *in A durchstrichen; daneben:* Servatius.

1 *Iord. Get. 35* 5 *Waltharius, v. 9, 10. Jac. Grimm u. Schmeller, Lat. Gedichte d. 10. u. 11. Jahrh., S. 3* 14 *Eugipp. Vit. Sev. 19* 16 *Iord. G. 38* 32 *Greg. Tur. II, 6.*

suam cum coniugibus et pignoribus relinquere, ad eas urbes confugere, quas intactas hoc bello fore sperabant, decreverant. verum remansere monente et praedicente diva Genovepha, sancta virgine, omnes urbes, ad quas migrare constituerant, iamiam interituras, Luthetiam quidem nunc securam tutamque ab omni periculo esse, paucos post annos tamen obsidentibus Francis fame expugnandam, sicuti postea narrabimus.

Depopulatis item reliquis Galliae urbibus Aureliam Attila obsidet. Anianus episcopus, vir maximus, servavit urbem caelitus. cives bono animo esse iubet; ad Aetium legatus proficiscitur Arelatem, ubi legiones et auxilia coibant delectusque agitabant; rem in diem consultationibus contrahebant. nam Getae auxilio Romanis gravabantur venire, domi Hunnos expectaturi. de hac re ita Sidonius ad Avitum imperatorem socerum suum scribit:

Mox subito cum rupta tumultu | Barbaries totas in te transfunderet arctos | Gallia, pugnacem Rugum comitante Gelono | Gepida trux sequitur, Scotum Burgundio cogit | Chunnus, Bellonothus, Neurus, Basterna, Toringus, | Bructerus, ulvosa quem Volicer abluit unda, | Prorumpit Francus, cecidit cito secta bipenni | Hercynia in lintres et Rhenum texuit alvo. | Et iam terrificis diffuderat Attila turmis | In campos se, Belga, tuos vix liquerat Alpes, | Aethius tenue et rarum sine milite ducens | Robur, in auxiliis Geticum male credulus agmen, | In cassum propriis praesumens adfore castris.

5A

Aetius supplex Avitum rogat, ad Getas mittit, per deum eum, hos exorat. deinde cum legionibus romanis et Theodericus Magnus, rex Vessogetarum cum filio Thurisomundo, Franci cum regibus Meroveo ac Hilderico urbi auxilium laturi manusque cum Attila conserturi, Aureliam armati castra movent, Attilam obsidionem solvere cogunt. ipse ab obsidione repulsus, campum Mauriacum (quem Catalaunicum etiam vocant) petit. ibi cum copiis suis considet. Romani quoque vires suas explicant. erat in medio castrorum collis, quem utraque pars armis occupare conabatur; dum certatim quisque superare contendit et alter alterum lacessit, a tumultuaria pugna in apertum legitimumque Martem res exarsit; totis pugnatur undique viribus. fit praelium atrox et diu anceps; utrimque maxima vi decertatur, nemine

17 Chunus *A* 21 tuis *A* Bm.1? 24 deum *fehlt B*

5 *Brev. Rom. d. 3. Ian. l. V. (Comm. S)* 8 *Das flgd. nach Gregor. Turon. II, 7. Vit. Aniani, Bouq. I, 645* 13 *Carm. VII, 319* 30 *Greg. Tur. a. a. O. Vit. An. 646. Iord. Get. 36.*

caedente aut pedem referente. rivulus ibi humano cruore auctus in modum rapidissimi torrentis inundavit. Theodericus Magnus ab Andagiso Ostrogeta telo confossus equoque delapsus oppetiit. Gundaricus Burgundionum, Meroveus rex Francorum quoque interiere. caesa utrimque fuisse referuntur centum octoginta millia hominum. nox praelium diremit. Attila receptui canit et in castra, quae more Germanorum carris et rhedis vallaverat, cum superstitibus se recepit. ubi inluxit, in castris suos tota die continuit; tubarum tamen clangore et strepitu armorum vociferationeque militum eruptionem minatur. apud romana castra de reliquiis belli huiusmodi profligandis consultatur. Franci et Vessogetae castra hostium obsidenda, instandum esse censent, tam inconditum vulgus et ex tam variis nationibus confusum conmeatu prohibendum, facillime citra sanguinem et periculum fame edomari posse. praecipue Thurisomundus et Theodericus iunior, ubi de interitu parentis accepere, ferocius castris insultant et haud dubie sanguine Attilae manibus genitoris parentassent. ferunt namque Attilam desperata salute pyram ex impedimentis construxisse, in quam subiecta flamma, si hostis ingruisset, se coniiceret, ne in potestatem hostium perveniret.

At Aetius non minus Getas et Francos, si sublatis et excisis Hunnis invaluissent, pérniciosos reipublicae romanae arbitratus, suadet Thurisomundo, uti ipse domum redeat, ne audita morte patris fratres, quos domi reliquerat, regnum praeripiant. erant Thurisomundo quinque fratres, Fridericus, Euricus, Rotomarus, Himericus et Theodericus. Thurisomundus haec ex animo et syncere sibi dicta credens, Tholossam contendit. ibi rex a Vessogetis adpellatur; regnat tris annos. succedit frater Theodericus iunior, annos tredecim fidus imperatori Avito. hunc excipit frater Euricus, pater Alarici occisi a Francis, quorum regem Aetius simili conmento et vaframento (sicut divus Gregorius Turonensis narrat) fugat domumque properare conpellit. Franci nostri hinc libertatis suae initium auspicantur et in publicis celebribusque conventibus procerum iactant. depugnata est haec pugna (secundum Cassiodori chronicon) anno instauratae salutis quadringentesimo quinquagesimo quarto, Martiano Augusto et Adelphio consulibus.

Attila ubi Vessogetas et Francos discessisse et se metu periculo-

2, 14, 24 u. 27 Theodoricus *B*

2 *Greg. a. a. O. Iord. 38. 40* 3 *Iord. 40* 4 *Cass. Chr. 451. H. M. XV, 4* 5 *H. M. XV, 5. Iord. 41* 23 *Iord. G. 40, 41; cum flgd. 36. 43—45* 30 *Lib. II, cap. 7* 33 *p. 451.*

que liberatum esse videt, omnem impetum belli in Italiam convertit. primo omnium Aquileiam, caput Venetiae (quae decima est regio Italiae) invadit; quam cum vacuam offendisset, solo aequavit, moenia dirui iussit, aedificia incendit. inde oppida Histriae, Venetiae, Galliae Togatae, Insubrium, hoc est Longobardiae, Vicetiam, Veronam, Ticinum, Mediolanum et alia plaeraque oppida simili clade strageque adterit. plaerique in insulas Hadriatici sinus aufugiunt, ibi civitatem in mediis fluctibus condunt, quam conmuni regionis, unde migrarant, vocabulo Venetias adpellant. ea nunc est omnium urbium potentissima in Europa, Asia, Africa, in toto terrarum orbe celebratissima. Attila posthaec deinde ad Mintium amnem castra metatur deliberatque, Romam ne infestis signis petat. verum territus exemplo Alarici, qui post captam urbem subito periit, substitit, et dum variis huc atque illuc curis animus anxius impellitur, adsunt supplices a Valentiniano imperatore missi oratores. Leo primus pontifex maximus, Aurelius Candidus scriba imperatoris, pater Cassidori, amicissimus Aetio, et Carpilio Gaudentius, filius Aetii, pacem et foedus a rege potentissimo depraecationibus et muneribus impetrant. Attila cum omnibus copiis ultra Danubium in Daciam, quae nunc est Ungaria transdanubiana, revertitur. dum cum nova nupta Hyldegunda, filia Herrici reguli Francorum, sese oblectat, subito invitam exhalavit animam. cantatur apud nos antiquis carminibus, Sycambriae, quam nos Ophen, Ugri Budam vocare solent, Attilam habitasse et oppetiisse. Sidonius Apollinaris, qui eo tempore has calamitates sensit, res gestas Attilae scribere coepit, sed victus magnitudine obticuit.

Sub idem tempus crimine Maximi patricii Aetius magister equitum ab augusto occiditur. Boethius praefectus praetorio, amicus Aetii, a stipatoribus principis gladiis confoditur. subsequenti anno Valentinianus eiusdem Maximi fraude Romae in campo Martio concionabundus a militibus Aetii interfectus est, potestatis anno altero et tricesimo, aetatis undequadragesimo. imperavit cum Theodosio, amitino et socero suo, annos septem et viginti, cum Fl. Valerio Martiano quinque. hi enim in oriente et Neorhomae rerum potiebantur.

4 Iord. 42. H. M. XV, 6. Plin. n. h. III, 126 7 H. M. XV, 7. Iord. a. a. O. 15 Iord. a. a. O. H. M. XV, 8 20 Prosp. I, 634. Cass. Var. I, 4. Chr. 451. Iord. a. a. O. 21 *Iord. 49. H. M. XV, 9 22 Die Etzelburg des Nibelungenliedes scheint in der That Ofen zu sein; vergl. hierüber und über die obige Stelle Müllenhoff in Haupts Zeitschr. XII, 432 flgd. 25 Sid. ep. VIII, 15 33 Prosp. I, 635. Cass. 451. H. M. XV, 12.*

MAXIMUS. 52.

Cap. 54. Maximus paricida post necem Valentiniani imperium Romae arripit; nec diu scelere laetatus est. Franci et Saxones Gallias invadunt, Alamani, Suitones Rhenum iuxta caput. Maximus Avitum, qui postea imperavit, peditum equitumque magistrum legit; is liberat Gallias. Alamani missis legatis veniam petunt.

Saxonis incursus cessat Cattusque palustri
Alligat Albis aqua naves.

Avitus legatus ad Vessogetas vadit in Aquitaniam et ad Garumnam flumen. Theodericum iuniorem regem Vestrogotorum cum fratre Eurico in fide continet; Tolossae foedus icitur, ubi Vesorum proceres, hoc est, Vessogotorum convenere, qui et Vestrogoti. inter haec Eudoxia, uxor Valentiniani, in ultionem mariti Gaensericum regem Vandalorum ex Africa accersit. ipse navibus ad Italiam adpulit, Romam invadit, capit, diripit, spoliat. senatus patresque consulti ad Tyrrhenum mare aufugiunt. Maximus tercio tyrannidis mense a militibus interemptus, a populo membratim discerptus, in Tiberim abiicitur.

Gaensericus quarto decimo die urbe egreditur, abducit secum augustam Eudoxiam cum duabus filiis, quarum altera Thrasomundo, Gaeuserici filio, nupsit; ea Hyldericum peperit, qui matri morem gerens, verus Christi cultor extitit. miles Gaenserici avidus praedae in Campaniam incursat; Capuam evertit, Neapolim expugnat, Nolam obsidet, urbes reliquas diripit. Brutios et Siciliam tutatus est Cassiodorus, avus Cassiodori, qui postea scriba Theoderici regis Ostrogetarum fuit et sacrarum literarum interpres censetur. Vandali onusti praeda cum ingenti captivorum numero Africam repetunt. Roma mundi et orbis terrarum caput intra sex et quadraginta annos ter a Germanis omnibus opibus spoliata est. Nolae episcopus divus Paulinus, vir eloquentissimus, senatorius, cum multi ex Campania in Africam captivi transferrentur a Vandalis, ipse sese pro filio viduae ultro obtulit genero regis Vandalorum; filium unicum viduae redemit, sese in servitutem dicavit; coluit hortos domino diligenter; eidem industriam suam admiranti ad colloquiumque saepius admittenti praedixit mortem regis. gener socerum certiorem facit. turbatus rex accersit Paulinum, in

10 Theodoricum *A* 12 Eudoxa *B* 19 Eudoxam *B* 24 Theodorici *B*

3 *Cass. chr. 451. Iord. Brev. 58. H. M. XV, 13* 5 *Sidon. Carm. VII, 369—78* 7 *eb. 389—91* 9 *eb. 394 fg.* 11 *eb. 430—36* *eb. 499* 19 *Prosp. Aq. I, 635. Iord. Brev. 58. H. M. XV, 13. Ekkeh. 136* 21 *H. M. XV, 16. Ekkeh.* 23 *H. M. XV, 14. Ekk. 136* 24 *Cass. Var. I, 4* 28 — periit *Gregor. dial. III, 1.*

somnis sibi visum refert, rogat, quinam siet. episcopum se fatetur Paulinus. libertate donatur et facultas petendi, quicquid velit. omnes suae civitatis captivos impetravit; lateris dolore in terrae motu exanimatus periit.

Possedere Vandali Africam sub sex regibus annos quatuor et nonaginta. Gaensericus primus regnavit annos septem et triginta; rei bellicae peritissimus, medio corporis habitu et casu equi claudus; ingentis animi, callidus et astutus ad serendas discordias gentesque turbandas, voluptatum contemptor. hic tris habuit filios, quorum maximo natu lege gubernacula addixit. is fuit Honoricus, explevit potestatis annos octo. succedit frater alter Gundamundus annos duodecim. post hunc regnat tercius fratrum, Thrasomundus. cum sex et viginti annos regnasset, successorem reliquit filium Hyldericum christianum, quem octavo regni anno Gelomarus interemit. qui tres annos scelere laetatus, a Iustiniano imperatore victus et captus, Byzantium deductus, limitis deinde Persici dux ad hostes arcendos constitutus est. crudelissime hi reges omnes praeter Hyldericum in nomen christianum saevierunt in Africa, unde peculiare cognomen carnificina illa accepit, de qua etiam libros editos legi.

Cum Valentiniano augusto fortitudo italica felicitasque sepulta est. degeneravit romana virtus senectute defessa. Neorhoma et Graeculi iam veteri Romae caesares mittere et dare solebant. accessit ad hoc malum, quod hi, dum intestinis bellis et armis plus quam civilibus se ipsos concidunt, rem romanam alioquin in casum pronam pessumdederunt et Germanis eam invadendi ansam praebuerunt atque fenestram aperuerunt.

AVITUS. 53.

Cap. 55. Avitus magister militiae, civilium morum reique bellicae peritissimus, cum Martiano augusto foedus iniit. fretus auxilio Theoderici regis Vessogetarum, in Galliis apud Treveros purpuram induit; a Gallis, senatu populoque romano augustus adpellatur; cum patribus conscriptis et Gallis deducentibus Romam proficiscitur. Pannonias amissas restituit post multa saecula romano imperio. ipsi eius gener

29 augusto *fehlt B* Theodorici *B*

16 *Iord. Get. 33. Isid. Hist. Wand.* 19 *Victoris Vitensis historia persecutionis Africanae provinciae, herausgegeben zuerst von Jehan Petit in Paris, dann von Beatus Rhenanus, jetzt von Halm in Mon. Germ. Auctor. antiquiss. III, 1 flgd.* 21 *Vgl. H. M. XV, 12* 31 *Idat. I, 620; vgl. Cass. 451. Isid. chr. Era 491* 33 *Sid. VII, 589.*

BSB

Sidonius Apollinaris, poeta et Arvernorum episcopus, Romae panegyricum dixit, vitam describens. fuitque imperator Avitus ex clarissimis natalibus prognatus et de romano imperio bene meritus, amicus Aethio, praeclarus rebus gestis. Aethius nihil sine eo, ipse conplura sine Aethio gessit. praefectus Galliae praetorio, magister militiae, peditum equitumque fuit, amicissimus Vessogetis; ideo adiuvarunt partes eius; unde Sidonius de rege eorum Theoderico iuniore:

Hinc te Martius ille rector atque | Magno patre prior, decus Getarum, | Romanae columen salusque gentis, | Theodoricus amat sibique fidum | Adversos probat ante per tumultus.

Theodericus magnum inde sibi nomen apud Germanos, Romanos, Persas peperit, servator ab omnibus cognominatur; omnes eius amiciciam ambiunt, sicut Sidonius eleganter describit.

Istic Saxona caerulum videmus | Adsuetum ante salo solum timere. | Cuius verticis extimas per oras | Non contenta suos tenere morsus | Altat lamina marginem comarum, | Et sic crinibus ad cutem recisis | Decrescit caput additurque vultus, | Sic tonso occipiti senex Sycamber, | Postquam victus es, elicis retrorsum | Cervicem ad veterem novos capillos. | Hic glaucis Herulus genis vagatur, | Imos Oceani colens recessus | Algoso prope concolor profundo. | Hic Burgundio septipes frequenter | Flexo poplite supplicat quietem; | Istis Ostrogotus viget patronis | Vicinosque premens subinde Chunnos. | Iis quod subditur, hinc superbit illis; | Hinc, Romane, tibi petis salutem. | Et contra Scythicae plagae catervas, | Si quos Parrhasis ursa fert tumultus, | Theodorice, tuae manus rogantur, | Ut Martem validus per inquilinum | Defenset tenuem Garumna Tibrim. | Ipse hic Parthicus Arsaces praecatur, | Aulae Susidis ut tenere culmen | Possit foedere sub stipendiali. | Nam quod partibus arma Bosphoranis | Grandi hinc surgere sentit adparatu, | Mestam Persida iam sonum ad duelli | Ripa Euphratide vix putat tuendam. | Qui cognata licet sibi astra fingens, | Phaebea tumeat propinquitate, | Mortalem hic tamen implet obsecrando.

Sidonii ad fines et maiores functi praefecturis urbanis, praetorianis militaribus; ipse conviva et conlusor regis Theoderici Vessogetae. Galliae Belgicae tum praeficitur Aegidius Romanus magister equitum cum Siagrio consule filio legato. Galliam Lugdunensem regere iubentur Paulus et Servandus praefecti. Narbonensi praesedit Decius, filius

6 amicissimis *B*

5 *Sid. VII, 232* 7 *XXIII, 69 fg.* 13 *ep. VIII, 9* 33 *Sidon. ep. I, 2* 34 *Greg. Tur. II, 11* 36 *eb. 18* *Sid. ep. I, 7* *Iord. Get. 45.*

BSB

Aviti imperatoris, qui habenas iussu senatus tenebat. Domitius Severus praefectus praetorio atque aulae legitur. Consentius in aulam expetitur, solis moribus inter arma tutus. Trigetius tractui Danubiano contra incursantes Massagetas praeficitur. verum Martianus augustus inter haec anno ab orbe servato 460 moritur. Leon Magnus tribunus militum omnium suffragiis eligitur (uti scribit Leo primus pontifex maximus, in cuius virtutibus et romana respublica et religio christiana gaudebat). Maiorianus tum quoque caesar declaratur; is copias legit, cum Avito manus conserit, Avitum vincit, eundem de fastigio imperii Placentiae abdicavit in privatamque redegit vitam. Sidonium poetam, postea episcopum Arvernorum, qui cum socero bello interfuerat et ex clarissimis progenitoribus, bellicis rebus peritis, genus ducebat, ob eruditionem vita et patria Arvernorum urbe donat, convivam adhibuit. ipse poeta panegyricum imperatori dixit Rhomae, Petro sacri scrinii magistro dedicavit hisce versiculis:

Et tibi, Flacce acies Bruti Cassique secute, | Carminis est author, qui fuit et veniae. | Sic mihi diverso nuper sub Marte cadenti | Iussisti, placido victor ut essem animo. | Serviat ergo tibi servati lingua poetae | Atque meae vitae laus tua sit praecium.

MAIORIANUS. 54.

Cap. 56. Iulius Valerius Maiorianus Maioriano avo tractus Histri praeside, patre Anthemio, socero Theodosii Magni natus est. Suitones tum partem Rhetiae ac Galliae iuxta caput Rheni occupant. Maiorianus Burdonem Rhetiae praeficit. is pecunia sibi conciliat animos Germanorum Danubium adcolentium Petroque sacrorum scriniorum magistro interprete cum Suitonibus pacem conponit. de his ita Sidonius ad Avitum:

Conscenderat Alpes | Rhetoramque iugo per longa silentia ductus | Romano exierat populato trux Alamanus, | In praedam centum novies demiserat hosteis. | Obsequium gens una negat, quae nuper ab Histro | Rettulit indomitum solito truculentior agmen, | Quod dominis per bella caret populoque superbo | Turgida plectendas in praelia suggerit iras.

Porro Maiorianum, cum imperasset annos quatuor, menses sex, Richomarus patre Suevus, matre Geta, nepos Valliae regis Getorum ex filia, patricius, fretus auxilio Suevorum, Dertonae interficit.

4 incursitantes *B*

3 *Sid. XXIII, 247* 4 *Sid. ep. VIII, 12* 6 *Iord. Brev. 58. Ekkeh. 137* 11 *Iord. Get. 45. Cass. chr. 451* 15 *Sid. Carm. 3 u. 4* 24 *Sid. Carm. V, 378* 26 *eb. 564—67* 27 *eb. 373 fg. 485 fg.* 35 *Sidon. II, 361. Cass. 452. Iord. Get. 45.*

SEVERUS. 55.

Severus Lucanus a Richomaro Ravennae caesar designatur. hoc quoque potestatis anno quarto Romae in palatinis aedibus veneno sublato, Roma absque caesare biennium fere fuit. tandem Anthemius a Leonte augusto caesar Neorhomae declaratur Romamque ad Italiam mittitur; Marcelliana coniuratio pro diademate turbata republica in Sicilia opprimitur.

ANTHEMIUS. 56.

Cap. 57. Anthemius Perhennus consul, gener Valentiniani augusti; Euphemia uxor, filia Valentiniani; filius Procopii magistri equitum; eius avus Anthemius. ipse Richomaro superiori filiam nuptum conlocat. mortuo autem Severo Ostrogetae in Norico, Franci in Gallia Italiae inminebant. et huic Sidonius vocatus Romam interfuit nuptiis Ricimeris patricii. legatus Arvernorum Romae quoque consulatum imperatoris Anthemii celebravit, Romae praefectus annonae factus. post nuptias patricii Ricimeris, id est utriusque imperii opes ventilatas accusatus, quod satyram scriberet, conviva caesaris fuit. eius haec carmina et verba sunt:

Facta priorum | Exuperas, auguste Leo, nam regna superstat, | Qui regnare iubet. | Auxerat augustus naturae lege Severus | Divorum numerum. | Noricus Ostrogotum, qui continet, ille timetur; | Gallia, quae Rheni Martem ligat, illa pavori est. | Anthemium concede mihi, sit partibus istis | Augustus longumque, Leo, mea iura gubernet, | Quem petii patrio vestiri murice natam | Gaudeat Euphemiam sydus divale parentis. | Sit socer Augustus genero Ricimere beatus, | Invictus Ricimer, quem publica fata | Respiciunt.

Tum Aruandus praefectus Galliae accusatur Rhomae a legatis Galliarum. literae eius interceptae ad regem Gotorum, quibus dissuadebat pacem et foedus cum imperatore graeco; Britanos super Ligeri oppugnandos, cum Burgundionibus Gallias gentium dividundas esse censebat. imperium adfectat; in exilium relegatur. Hedicius Serenatus praefectus Gallis Romanenses opprimit, praecipue Arvernos, exultans Gotis, insultans Romanis, leges Theodosianas calcat, Theodorisianas proponit. si nulla a republica opes, nulla praesidia; si nullae, quantum rumor est, Anthemii principis opes, statuit Sidonius

6 Macelliana *B* 32 Avernos *B*

7 *Iord. Cass. a. a. O. Sidon. ep. I, 11* 11 *Sidon. Carm. II, 68. 83—90. 482. ep. I, 5* 14 *Sidon. ep. I, 5* 16 *eb. I, 9* 17 *eb. I, 11* 20 *eb. Carm. II, 26* 21 *eb. 317* 22 *eb. 377* 25 *eb. 479* *eb. 484* 26 *eb. 352* 31 *eb. ep. I, 7. Cass. chr. 452.*

atque nobilitas seu patriam dimittere seu capillos. Licinianus quaestor Ravenna venit, codicillos portat; Hedicio honor patricius defertur. hic aerarium publicum privatis manubiis locupletavit. post quintum ipse Anthemius annum fraude Richomari generi sui occiditur, gravi civitatis clade. 40. post die Richomarus moritur; imperii habenas Olybrius arripit Romae septemque mensibus potitur. postea Glycerius Ravennae, Iulius Nepos Romae armis pariter ac moribus summus augustus, qui decessores Anthemii fidem obligatam absolvit. caesares adpellantur. utrumque extrudit Augustulus, filius Orestis patricii, sub quo imperium romanum in occidente intercidit a Germanisque solutum est, sicut iam explicabimus.

Dum enim Italia crebra principum successione cum malis suis conflictatur, Scoti, Saxonum pars, Britanias, romanam aduc provinciam incursant, vastant, lacerant. Britani cum a romanis principibus nullum auxilium sperarent, Anglios, itidem Saxonum (aut si Tacito credimus) Suevorum nationem, ex Germania contra Scotos accersunt Viridogero rege. verum Anglii sibi deminuta esse stipendia causantes et munera promissa ex fide non esse soluta vociferantes, cum Scotis pacem firmant. atque hae gentes arma in Britanos vertunt, ipsos et Romanos, veteres colonos, partim occidunt, partim insula exigunt. inter se aequo iure insulam partiuntur ibique duo regna condunt, quae regna Angliae et Scotiae adpellare solemus.

Alia item Saxonum manus, Picti cognominati, Odagrio ductore in oram Galliae Belgicae Lugdunensisque irrumpit; varia fortuna cum Romanis decertat. pars Galliarum aduc ab ipsis nomen retinet. Britani in Galliam navigant, sedes ibi conlocant in romano solo, pecora abigere et ipsi depraedarique Gallias coeperunt. verum de Saxonibus ita Sidonius Nammatio, duci romano contra Saxonas misso, refert: archipyratae Saxones simul omnes imperant parentque, docent, discunt latrocinari; hostis est omni hoste truculentior, improvisus adgreditur, provisus elabitur; spernit obiectos, sternit incautos, si sequatur, intercipit, si fugiat, evadit. ad haec exercent illum naufragia, non terrent. est eis quaedam cum discriminibus pelagi non solum notitia sed et familiaritas; si qua tempestas est, securos efficit incautosque eos, qui petuntur, atque Saxonas hostes nihilominus irruentes prospici vetat; in medio fluctuum, scopulorum confragosorum, spe inminentis lethi periclitantur. praeterea priusquam de continenti vela laxant, hostico vado anchoras vellunt. in patriam redituris at-

1 *Sid. ep. II, 1* 3 *eb. V, 16* 10 *Cass. chr. 452. Sid. a. a. O. Iord. Get. 46.* 15 *Germ. 40* 20 *Bed. H. E. 1, 14, 15* 28 *Sidon. ep. VIII, 6.*

que remeaturis mos est, decimum quemque captivorum sorte legere, superstitioso ritu necare in crucemque agere. talibus votis atque victimis solvunt hocque sacrilego sacrificio; de captivo magis exigunt tormenta quam precia.

Franci quoque homines bellandi cupidi (in quos Graecum extat proverbium crebrum olim Romanis: τὸν Φράγκον φίλον ἔχῃς, γείτονα οὐκ ἔχῃς: hoc est, Francum amicum habeas, vicinum ne habueris) saepius Gallias uberioris soli gratia et praedae dulcedine adfectarant, saepius inde a Romanis pulsi amiserant. hi tum pro multitudine hominum et pro gloria belli atque fortitudine angustos fines se habere arbitrabantur, et iam tempus venisse sibi persuasere, quo facile Galliae totius imperio potiantur, quod hactenus toties per multos annos maiores nequicquam conati fuissent. cognatos suos ex Germania profectos, Burgundiones Narbonensem Galliam, Vessogetas Aquitaniam possidere, Vandalos Africam, Suevos, Alanos Hispanias protritis Romanis tenere, Saxones Britanias occupasse et Galliam infestare. his rebus adducti et authoritate Lucii Treverensis patricii permoti (huius uxorem praeses romanus stuprarat; ipse ad Franconas in Germaniam Magnam profugerat, eos in Romanos concitabat) constituunt ea, quae ad proficiscendum pertinent. quod unum tantae rei imparem fore opinarentur, duodecim proceres deligunt summaeque rerum praeficiunt et reges adpellant, quorum tamen primus sit Hyldericus rex, filius Merovei regis. eo modo putabant se magis formidolosos et firmiores futuros, ut hostes tot regibus se posse resistere desperarent et pro dignitate rerum maiores copias suspicarentur. omnibus itaque comparatis Rhenum traiiciunt, Romanos fundunt, caedunt, superiorem Germaniam in Gallia occupant, templa diripiunt, urbes Mogonciacum, Vangionum Borbetomagum, Nemetum Augustam recipiunt huicque tractui, ne quis a tergo metus inmineat, quinque reges praeficiunt, Arbogastum, Drogum, Gebericum cum filio Gunthario, Garovicum, Haganonem.

Inde castra in Germaniam secundam adversus Agrippinensem Coloniam moventur, quam Aegidius Romanus legatus Galliae Belgicae firmo praesidio firmarat frustra. urbe Franci potiuntur regesque civibus et finitimis dant Segibertum cum filiis Litavico et Herrico. postea Belgicam inferiorem in obsequium redigunt; Morini, Remi,

7 ἔχῃς *A* 35 Haerrico *A*

6 *Einh. Vit. Car. M. 16* 8 *Tac. Germ. 37 (33)* 9 — potiantur *Caes. b. G. I, 2* 20 *eb. 3* 25 *eb. 6* 34 *Gest. Reg. Franc. 8.*

Cameracum, plaeraeque omnes civitates de pace legatos ad Francos mittunt declaranturque his reges tres fratres Litomarus, Raenomarus et Richarius. Aegidius dux romanus cum filio Syagrio intra moenia Augustae Suessonum (Ptolemaeus Vessonum vocat) impellitur. horum agro vastato Franci ad Galliam Belgicam primam pergunt. Lucius superior eis Treviros tradit, quibus Heribertus praeficitur. dedunt se et Mediomatrices Leucorumque urbs Tullum, quibus Melo et Godogisalus Patauridusque, nepos ex sorore superioris Haganonis, imponuntur. dehinc Hyldericus inito foedere et iunctis copiis cum Odagrio Saxone Galliam Lugdunensem adgreditur, cui dux romanus nomine Paulus praesidebat. Luthetiam Parisiorum fame ad deditionem cogit, Aureliam inde capit. circa Andegarios congressus cum Romanis, Paulum praesidem praelio interficit; reliquae tum civitates Galliae oratores ad Francos ire gratulatum iubent. iam enim pertesae ignaviam ac avariciam Romanorum victori sine certamine subiiciuntur. odium Romanorum Gallis incusserat praesidum rapacitas atque libido, exactio publicanorum et calumniae litium.

Quod tam facile romanae provinciae caesaribus, licet ambo christiani essent, eripiebantur, a Germanis etsi alienis a religione nostra obtinebantur, tris potissimum refert causas Caius Sollius Sidonius Apollinaris poeta et Arvernorum episcopus, gener augustorum, qui sensit has calamitates (quippe eo tempore vixit): ignaviam caesarum, magnitudinem tributorum, avariciam ac superbiam praesidum et episcoporum. imperatores avaris et foeneratoribus magistratus et rempublicam non tam conmittebant quam venditabant. nulla virtutis praemia erant, nulla praesidia viro forti, nulla emolumenta fido reipublicae a principe contingebant. praesides avari, quaestores rapaces, populum et provinciales novis vectigalibus et mulctis atterebant; servitute urbes, cives, agricolas ad egestatem redigebant, aerarium publicum privatis manubiis collocupletabant. sed Sidonii verba referam: „romana respublica in extrema haec miseriarum defluxit, quod studiosos sui nunquam remuneretur. natio ac tribus foeneratorum non solum inciviliter romanas vires administrant, verum etiam funditus a fundamento eruunt. nobilium virorumque militariumque praeter spem atque opinionem adversae partes; bellicoso non tam facta quam praemia desunt. parum quoque in commune consulunt episcopi,

Lr 1157,17 Leistner, Rainer, Reicher

16 11, 2 Raenarius *A* 3 Aestagrio *st.* Syagrio *B* Aestagrio, mg syagrio A

3 *Greg. Tur. II, 42?* 13 *G. R. Fr. 8. 9. Greg. Tur. II, 18. 19. 27. Hist. Epitom. 15. 12. Ptol. p. 141* 36 *Sid. ep. III, 8.*

quibus tractanda a principe committuntur. cum in consilium conveniunt, non tam curiae publicae mederi periculis, quam privatis student fortunis. praesides, praefecti provinciarum Romanos opprimunt, fidis reipublicae insultant, cum hostibus paciscuntur. illis tamen codicilli a quaestoribus, ab imperatore patricius honor defertur. nullae reipublicae opes, nulla praesidia, nullae opes romani principis. ego atque caetera nobilitas cogimur aut patriam dimittere aut capillos."

Sed ad historiam redeo. Franci et Saxones oppidatim inde distributi sunt. Gallia Lugdunensis et Belgica praereptae sunt romano imperio, in Germaniam translatae hasque nostrates Franconrich, hoc est, Francorum imperium, regionem vero Germaniae, unde Franci profecti sunt, Franconland, hoc est, Francorum patriam vocare solent, quod hic nati sint, illic imperent Franci. Aegidius dux romanus, dum se cum filio moenibus Suessonum ignavus defendit, mortem obiit. in proverbii ludicrum venit. nam in usu aduc apud nos est, ab ipso natum crebrum in meticulosos ignavosque dictum vel vulgo indocto protritum: Gyli Franzol, hoc est, Aegidius Franzolus; Aegidium namque Germani Gylonem adpellant.

Filius Hylderici, Litavicus Magnus, ferre parem non valens, fraude omnes superiores reges Francorum sustulit, opes eorum occupavit. Suessonum quoque urbem coepit; Oestagrium ducem romanum in Aquitaniam pulsum et redditum occidit; Romanos omnino Galliis exturbavit. Luthetiam Parisiorum regiam constituit, quae conventu celebri Gallorum et Germanorum (sicut scribit Hildovinus praesul divi Dionysii ad imperatorem Litavicum primum) clarissima erat. inter haec ad Rhenum et in Galliis gesta in Germania etiam interiore, intra Albim et Danubium amnes interque sinum Codanum, post mortem Attilae tumultuatum est. mutatis cultoribus nomina quoque regionum et urbium conmutata sunt. filii Attilae, quos plurimos ex diversis uxoribus habuit, dum de dividundo imperio a patre parto discordia contendunt, vitam simul cum regno amisere. ab ipsis enim universae gentes deficiunt Hunnorumque solvunt imperium, ipsos quin avitis sedibus eliminant. primus Hardaricus rex Gepidarum correptis armis invadit filium Attilae maximum natu, Hellacum nomine; pugna superatum interimit; Hunnorum triginta millia occidit. caeteri fratres Hellaci, quos bellum non absumpsit, fugam capessunt. extorres sine certis sedibus, quo tempestas detulit, palantes per Germaniam, per Sarmatiam dispersi vagantur. Gepidae eorum loca occupant,

3 *eb. VII, 7* 5 *eb. II, 1. I, 7. V, 16* 23 *Greg. Tur. II, 27* *eb. 38* 36 *Iord. Get. 50.*

quam Daciam antiquam rerum scriptores, vulgus literatorum partim Ungariam, partim Septem Castrenses Transsylvaniamque nunc vocare solent. cum imperatore romano Martiano foedus ictum est. Ostrogetae trucidatis Hunnis Sirmium Pannoniamque ab imperatore impetrarunt, sicuti Theodericus rex Getarum ad Pannonios scribit. reges Ostrogetarum Theodomarus, Valomarus et Vidomarus, duces limitis Danubiani ab augusto adpellantur et constituuntur daturque obses Leonti primo augusto Theodomari filius Theodericus, octo dumtaxat annos natus.

Ea item tempestate Venedi (ipsi se Sclavos vocant) antiquissima Germaniae natio, qui authore Tacito, quicquid inter Peucinos Fennosque sylvarum et montium erigitur, latrociniis hactenus pererrarant, ob scelera (inquit Iordanus scriba et pontifex) nostra saevire, increscere, convalescere coeperunt, adeo ut quicquid inter Albim et Tanaim amnes, inter Codanum et Hadriaticum sinum longe lateque porrigitur, paulatim inundaverint atque impleverint. (ab his sinus Venedicus Ptolomaeo nomen habet; plura de ipsis in primo libro retulimus). hi igitur primo Vistulam transgressi usque ad Albim adcolas sinus Codani invaserunt. tenebant eo tempore ea loca Suevorum gentes fortissimae et valentissimae, Longobardi, Rugii, Suitones. Longobardi ab occidente Albim contigere cervicemque peninsulae Cimbricae, ad septentrionem spectarunt Scandiam insulam, quam nos Selandiam Danorum dicimus. Suitones ab orientis ora Vistulae, a septentrione Suionibus continuabantur. Rugii medii inter hos fuere, qui aduc ibi nominantur, in sinu Codano, ad hostia Chalusi fluminis, qui nunc Spraeus est, ex adverso Sudae, principum Pomariorum oppidi. eos uterque et regulus Brandeburgensis et rector Pomeranorum sibi vendicat, atque Rugiam ad religionem Christi convertisse reperio Honoricum Leonem regulum Gotorum atque Saxonum potentissimum.

Hi omnes Venedis cessere Danubiumque versus perrexerunt. Longobardi per Marvingos, Usipetes, Usipios (Suevorum nationes sunt) ad Gothinos Gothonasque secesserunt et hi Sueviae populi ferrum effodere solebant. pauca campestrium, caeterum saltus et vertices montium iugum insidebant, quo continuo tum Suevia, nunc Boiemia, Silesia, Moravia scinditur atque dirimitur. Suitones rege Sidone ad Rheni amnis caput fontesque penetrarunt; utranque ripam pulsis

24 continuebantur *B* 25 Spraens *B* 34 Sitones *A*

3 *Iord. Get. 52* 5 *Cass. Var. III, 24* 8 *Iord. a. a. O.* 10 *Germ. 46* 12 *Iord. Get. 23* 16 *Ptol. p. 200* 17 *s. oben S. 57, 65 flgd.* 24 *Tac. Germ. 40. 44. 45. Ptol. p. 148* 34 *Tac. G. 43. 32.*

Romanis Burgundionibusque occuparunt, a quibus aduc ea loca nomina servant. de his omnibus ita Sidonius episcopus, qui eo tempore vixit, ad Avitum imperatorem socerum suum scribit. Aethio mactato, imperatore Valentiniano caeso, vix diadema Maximo impositum erat, illico:

Francus Germanum primum Belgamque secundum | Sternebat Rhenumque ferox, Alamane, tenebas; | Romanis ripis et utroque superbus in agro | Quin et Aremoricus piratam Saxona tractus | Sperabat, cui pelle salum sulcare Britanum | Ludus et adsuto glaucum mare findere lembo. | ....Sic perdita cernens | Terrarum spacia princeps iam Maximus, unum, | Quod fuit in rebus peditumque equitumque magistrum, | Te sibi, Avite, legit.

Cum Rugiis rex Flaccitheus Danubianam ripam insedit, qua Noricum, hoc est Austriam Hister praeterfluit. confoederata tributariaque fuit Rugiis Favianorum urbs, quam Viennam nunc nominant. author est Eugypius, discipulus et comes divi Severini. hic enim Africa oriundus, sub idem tempus in Norico Vindeliciaque celebri fama vixit. ipse pietate inclytus, vitae integritate venerabilis, venerabilior caelestium arcanorum miraculo etiam Germaniae feris nationibus, post mortem Attilae, haud scio, an crudelitatem Vandalorum devitans, ad has Romanorum provincias cum fratre Victorino concessit. frequens et Bathaviae et Quintianae (Quintanorum colonia est) in Vindelicia atque Viennae in Norico habitavit. Bathaviae in ripa Oeni eidem extat dedicatum templum estque, uti adpellatur, parochia. a Vienna vero ad tercium lapidem pagus est Severinus, cognomen aduc ab eo retinens. utroque habitasse divum Severinum fama et literis proditur. divinitus hunc talem virum ab illa summa et providentissima maiestate, domino et parente indulgentissimo tum missum fuisse crediderim, qui Romanos has regiones aduc incolentes,. destitutos a principibus suis et Germanis circumfrementibus expositos, sua devotione, virtute, iusticia servaret pietateque, voto et suppliciis, non iaculo nec arcu tueretur. quippe oppida Noricorum, Vindelicorum certatim eum accersebant; quocunque advenerat, adventus eius saluti esse pro certo habebatur. Romanos nempe, qui aduc hasce provincias possidebant, non aliter quam parens re ipsa consolando erexit. ipsi eius freti pietate tuti fuerunt.

11 tibi *st.* sibi *B*

2 *Sid. C. VII, 359* 11 *Bei Sidonius [VII, 369—78] ist die Reihenfolge der Verse:* Quin — lembo; Francus — bibebas (tenebas); sed *(sic)* perdita cernens — legit 15 *Für das flgd. vgl. Eugippii vita st. Severini, rec. Sauppe in Mon. Germ. Auctor. antiquiss. T. I, pars poster.* 24 *Siefring bei Klosterneuburg.*

Ad reges Germanorum adversam Danubii ripam tenentium, Gibuldum, qui Suevos, Boiemiae incolas et finitima loca regebat, Flaccitheum, Filitheum, Fridericum, Rugiorum principes, legatus non semel profectus est; illos sua authoritate ab incursationibus repressit, societate et foederibus Romanis coniunxit; captivos romanos partim praecibus, partim pecunia redemit et impetravit; Lucillus et divus Valentinus, divus Sylvinus, Vindelicorum mystae, Constantius, Paulinus, Maximus, Noricorum episcopi, sine Severini consilio nihil egerunt, saepius ad ipsum accesserunt, saepius nuncios miserunt. Mamertinus et Pierius, harum regionum praesides, consilia et monitus Severini secuti, Germanorum maximam multitudinem latrocinia agitantium coeperunt, provincias tutas ab huiusmodi procella reddiderunt. divus Severinus in universum omnes ad meliorem frugem ducere conabatur; omnes in commune, in genuinam germanamque christianam aequitatem et aequalitatem hortabatur. exemplis docebat deo inmortali confidere et spem omnem in Christo domino praesideque mundi sitam esse, qui saepe maiores nostros in maximis periculis servaverit. Germanos hostes romanae reipublicae et religionis non armis nec sagittis, sed innocentia et liberalitate in pauperes vinci posse.

Sacerdotibus nihil tum salacius, opulentis nihil parcius ac tenacius erat; pauperum in omnibus oppidis maxima colluvies versabatur. (uti necesse est, ubi metu belli et finitimorum hostium agricolae vulgusque promiscuum et inconditum relicto rure in oppida confugiunt ibique victum duriter quaeritare conpelluntur), divites frumenta coemere atque condere solebant futuraeque fami reservabant, quam in huiusmodi rerum alea crebro accidere certum erat. illa Severinus liberaliter et benigne pauperibus elargiri iubet, alioquin barbaris mox diripienda. sacerdotum quoque luxum carpens, decimas pauperibus distribuere iussit et, ne fabulas neve quaestum suum, sed Christum praedicarent, eundem sectarentur, sedulo admonuit. romanas provincias, Noricum atque Vindeliciam, haud ita longo tempore post mortem suam perituras, in his romanum omnino nomen extinguendum praedixit; nec templa inmunia fore, omnia humano sanguine lustrari expiarique oportere. oppida, inquit, Vindelicorum Noricorumque excindentur, templa evertentur, aedificia cuncta solo aequabuntur, gentes et populi, cives delebuntur, sacerdotes trucidabuntur; in vastissimam redigentur cuncta solitudinem, adeo ut hostes conditoria cadaverum, suspicati ibi latere aurum, diruent. proinde contempta fragilium

3 princeps *st.* principes *B* 33 *nec templa, inquit, inmunia erunt; omnia* ....*oportet A* 34 inquit *fehlt in A* , in B m. m.1 33 inquit et 34, m.2 corr. in B fore, oportere et add. 34 inquit

BSB

rerum sorde, spreto caducorum stercore, quae caelo nos adserant, inmortalitatis candidati cogitate.

Nec ullum (quoad ipse vixit) oppidum neque Noricorum nec Vindelicorum, quod quidem eius mandatis paruit, aliquid maleficii aut incommodi accepit. solum quatuor civitates, quae dicto esse obedientes dedignabantur ac ipsum ut insanum vatem irridebant, a Germanis excisae sunt: duae Vindeliciae et totidem Noricorum. tres ab hostibus, quarta a civibus alio migrantibus, dedita opera exusta. Asturum oppidum in confinio Norici Ripensis et Pannoniae periit. aperuerat Severinus civibus calamitatem, in templo horam quoque indicans; uti resipiscerent, obsecrabat. verum surdis cantat. Astures ipsum irridٍent, eo magis voluptati operam dant, ne, ut iamiam morituri, genium suum defraudarent. effugit inde Severinus, Germani inruunt, capiunt, vastant, delent, omnes trucidant; senex unus, qui nuncius cladis foret, evasit ad Severinum Comagenas. oppidum id Noricum erat triginta millia passuum a Caeciis, itidem urbe Noricorum. Bathaviam deinde Severinus vocatus a civibus ob crebras incursationes Alemanorum migrat; habitavit in ripa Oeni, ubi iam templum eius colitur. dum ibidem vitam agitat, Gibuldus rex Alemanorum, visurus (ut simulabat) Severinum, Bathaviam cum exercitu properat. ne urbs adventu tanti regis adtereretur, Severinus it obviam Gibuldo; ipsum tanta constantia allocutus est, ut rex eius authoritate permotus iter inceptum reliquerit abiensque optionem postulandi Severino, quicquid velit, ultro obtulerit. Severinus nihil aliud ab opulentissimo rege petiit, quam uti gentem suam abs Romanorum infestatione cohibeat, pacem cum Romanis servet, captivos ipsi condonet. promisit rex se omnia facturum domumque rediit.

Viḍomarus sub idem tempus, patruus Theoderici regis Ostrogetarum, cum Gotis, Herulis, Turogis, Alemanis, Nariscis, et aliae Germanorum nationes Noricorum incursant provincias. hoc facturos praedixit ante Severinus Paulino pontifici Tiburniae; haec tum erat caput Norici, quod Charini, Chariones et Carni nunc possident. Paulinus per suam provinciam, dioecesim et parochiam triduano ieiunio deum placat. cuncta foris in agris vastantur; nullum castellum, quod monitis paruit, captum est. Iuvavensibus quoque per Moderatum psalten Bathavensem nunciat, mandat, ut saluti suae consulant. omnes sine mora, si salvi esse velint, oppido excedant; inexorabile exitium fatum-

21 adteretur *A u. B* 33 diocesim *B*

16 *Anton. Itin. p. 115* 35 *Als Cantor ecclesiae bezeichnet in Vita Severini 24, 1.*

que impendere urbi renunciat. illi parere recusant. rursus Quintasium quendam mittit, qui aperiat subsequenti nocte interituros, nisi e vestigio aufugiant. sed Iuvavenses, Maximum quoque pontificem frustra admonet Severinus; ipsi, velut hoc fieri non posset, confisi viribus, et quod hostes longius abessent, pro vano imperiti terriculamento ducebant. Quintasius, ubi obstinata mente in fata praecipites agitari videt, ipse urbem devotam relinquit, fugam ad Severinum Bathaviam capessit. eadem nocte inopinato adsunt Germani, urbem invadunt, capiunt, diripiunt, incendunt, populum captivum abducunt. Maximum in crucem agunt, amplius quinquaginta quinque cum ipso symmystas contrucidant e rupiumque cavernis, quo fugerant, sicut aduc monstratur, praecipites agunt. humati esse referuntur in aede divi Amandi, quae nunc est divae Margaritae. id factum esse ab orbe liberato anno quadringentesimo septuagesimo sexto reperio. quo etiam anno imperator Fl. Valerius Leon primus decessit Neoromae, Fl. Val. Leonte secundo, suo nepote ex filia Ariadna, augusto designato. qui paucos post dies eodem fato avum comitatus, capiti Zenonis patris sui diadema caesareum prius imposuit ipsumque successorem reliquit. imperarunt ambo Leontes annos sexdecim, menses sex.

Posteaquam imperatores romani Constantinopoli considere, ocio et ignavia corporisque gaudiis vitam transsigere coeperunt; luxu asiatico perditi graecisque mundiciis enervati torpuerunt, occidentales provincias neglexerunt. paucorum arbitrio belli domique respublica agitata est, qui abusi ocio principum aerarium expilarunt; penes eosdem magistratus, provinciae, honores, munera, pecuniae erant. milites riparii et limitum custodes ad inopiam urgebantur, stipendiis defraudabantur nec in demortuorum locum alii sufficiebantur; ita paulatim deminuto limitaneorum ripariolorumque militum numero, Germani crebro flumina indiligenter custodita transsibant, igne, ferro, praeda omnia devastabant, Romanos captivos quasi pecora in Germaniam trans Danubium abducebant, id, quod hac tempestate Turcas factitare sentimus. Quintanorum urbis incolae, huiuscemodi calamitatibus conmoti, ex urbe sua communi suffragio, cum uxoribus, liberis et omni supellectile Bathaviam conmigrant, rati duarum civitatum populos coniunctis viribus facilius barbaris inruentibus posse resistere. Quintani abeuntes tectis suis ipsi ignem inmittunt, moenia diruunt, aedificia solo aequant. villae ibi aduc nomen servant extatque ibi templum, ubi divus Sylvinus, mysta Viudelicorum, familiaris Severino, humatus colitur. Alemani Germanique, posteaquam accepere unis moenibus

19 *Iord. Brev. p. 58. Cass. chr. 452.*

duarum urbium oppidanos claudi, magis inlecti, infesto exercitu Boiodurum invadunt; sperabant se duorum oppidorum praeda facile uno impetu potituros. Bathavenses animati verbis Severini, eius supplicationibus freti et divina ope confisi, Alemanos fortiter excipiunt in Germaniamque repellunt. parta victoria hostibusque exturbatis honor Christo deo inmortali habitus gratiaeque actae sunt. Bathavensibus deinceps negociandi conmeatum a Filotheo Rugiorum rege sibi impetrari flagitantibus Severinus denunciat, non conmercia hoc tempus poscere; bona, opes, vitam, dignitatem, animam denique omnium, liberos parvos, coniuges in periculo versari; extremum exitium supra caput esse; fatum inevitabile Boioduro inminere; ne sacras quidem aedes templaque intacta fore. proinde suadet, saluti suae consulant, secum Laureacum demigrent. quod cum persuadere non posset et abiturum se minaretur, mysta Bathavensium: abi sane, quo vis gentium, respondet; nam si diutius hic manseris, inedia omnibus nobis, quemadmodum minitaris, pereundum est. Severinus execratam civitatem relinquit; cum suis, qui ipsum audivere, Laureacum concessit.

Cum res imperii romani validiores essent, milites, qui limites custodia munirent, publicis alebantur stipendiis; ubi imperatores ocio se manciparunt negociaque in paucorum potentiam a se relegarunt, rebus praefecti pecuniae gratiaeque servire coeperunt. peculatus aerarii factus est; publice egestas, privatim opulentia crevit; militibus stipendia et praedia stipendiaria intercepta, militares copiae deminutae, simul cum limitibus ruptae sunt, Bathavino utcunque numero durante. hi tum quosdam conmilitonibus stipendium allaturos Romam ire iubent; verum intercepti a Germanis obtruncantur; cadavera in Danubium proiiciuntur. erat iam messis et Bathavenses plaerique, quo alimenta futurae hiemis conveherent, per agros feraces (qui procul ab urbe distant) dimetendo frumento intendebant. nam Boiodurum undique rupibus praeruptis et sterilibus cinctum est. quadrageni custodes ad portas urbis excubabant. Hunimundus rex Alemanorum civitati insidias ponit, quae de improviso erumpunt, portas occupant, custodes caedunt, urbe potiuntur. adest Hunimundus cum exercitu; Bathaviam intrat; fit miseranda caedes. pontifex in templo supra labrum lustricum, ad quod confugerat, interficitur; oppidum diripitur ac igni vastatur, in solitudinem redigitur. reliquiae captivae in Germaniam trans Danubium abducuntur. fuit is annus Christi regis et domini nostri quadringentesimus septuagesimus septimus. qui fuga elapsi sunt et oppidula in ripa Danubii sita minusque firma metu hostium vacua reliquerant, frequentes Laureacum migrant. quos Severinus consolatur

docetque, nusquam nisi in clementia dei spem habere; magis spiritalibus armis quam carnalibus fidendum esse, si instantium hostium vires et robur superare, insidias declinare cupiant, admonetque, uti rem omnem, pecora, frumenta, foenum intra moenia ex agris abigant devehantque. Constantium Laureacensem archiepiscopum proceresque per Valentem comitem suum cohortari non desinit, ut deo optimo maximo confisi noctem pervigilio celebrent, excubias per murum agitent. adoriuntur nocte silenti Alemani, Suevi, Narisci, Turogi urbem; scalas moenibus admovent; sed animadversi muro deturbantur. et cum nil in agris foris offenderent, penuria annonae et fame coacti, abactis pecoribus eorum, qui consilium Severini contempserant, traiecto Histro domos redeunt.

Post haec continuo Filetheus Rugiorum rex (quem Favam Favianumque vocant annales) cum exercitu Laureacum petit, ut capta urbe incolas abducat ac in oppidis sibi tributariis finitimisque distribuat, quorum unum Favium erat, quod Danubio amne a Rugiis dumtaxat separabatur. Severinus vicesimo ab urbe lapide regi occurrit, pacem aequis conditionibus impetrat. prodeunt cives Laureaco, cum Rugiis aequo iure foedus faciunt. inde Severinus Favium discedit, extra Vianae moenia deo et religioni vacat. Odagrius regulus ad ipsum venerabundus venit; nominatur ibi aduc ab illo Odagria pagus. Severini vaticinio confirmatus Odagrius cum variis Germaniae gentibus, cum parte Rugiorum, quibus praeerat, Italiam invadit anno christianae salutis, secundum Cassiodorum et Iordanum quadringentesimo septuagesimo octavo, Basilisco iterum et Armato consulibus. Orestes et Paulus fratres, militiae praefecti, capti atque interempti sunt. Augustulus veteris Romae imperator in Campaniam in exilium relegatus est. Odacer terciam partem agrorum suis distribut; Italiam cum Roma quatuordecim annos tenuit, decem quiete et solus, quatuor cum Theoderico rege Ostrogetarum. Odacer adepta Italia se regem adpellari iussit, cum tamen nec diademate nec regiis insigniis usus sit.

Eodem tempore Flaccitheus Rugiorum rex, qui plurimum Severino tribuere solebat (nam Severini ope a Gotis antea sibi infestis societatem impetrarat) obiit mortem; reliquit duos filios, Filetheum et Fridericum. ille in regno patri succedit, hic a fratre Favianorum urbem ex paucis oppidis, quae in ripa Histri extabant, accepit. erat Filetheo coniunx, Gisa mulier avara, crudelis et imperiosa; Romanos captivos abduci non solum iubebat sed gravissima servitute quoque velut vilissima mancipia premebat; captos etiam aurifices et phrygiones

21 *Ardaker, Flecken a. d. Donau, Bez. Amstetten.*

BSB

romanos arctissima custodia clauserat, ad ergastula condemnarat. obiurganti mulierem Severino respondet: quid tu homuntio? aliena, quae nihil ad te adtinent, curas, quin in conclavi preculas inmurmuras; cum servis nostris quidnam iure nostro agamus, ne cogitare quidem tibi fas est. mox Fridericus, filius Gisae et Filethei, morbo corripitur. Gisa omnes Romanos carcere solvit, liberos postliminio redire dimittit; veniam a Severino petit. Severinus gratiam facit, praecibus filium sanitati restituit. post paucos annos, cum sibi finem vitae adesse intelligeret, Filetheum, Gisam, Fridericum, Rugiorum principes, ad se vocat; ipsis Romanos, qui ea loca aduc incolebant, conmendat; ut foedus cum eis observent, Rugios obtestatur, clementiam reges sectari hortatur. Rugii omnia pollicentur. vicinos deinde Severinus Romanos morte eius turbatos consolatur bonoque animo esse iubet. quamquam haec, inquit, loca nunc frequentata hominibus in solitudinem redigentur vastissimam, tamen vos bene sperare licet; brevi omnes incolomes in Italiam profecturi estis atque tum vobiscum ossa mea auferte. decessit sexto idus Ianuarii anno a restituta salute quadringentesimo octogesimo primo.

Postea Fridericus, Viennae princeps, a Friderico fratris filio interficitur. Filetheus, pater huius Friderici, opes occisi occupat. Odacer rex Italiae vindicaturus paricidium, variarum gentium, quibus praeerat, conlecto milite, in Noricum arma movet; Filetheum regem pugna victum cum uxore Gisa capit; vinctos in Italiam deportat; ibi exules extincti sunt. Viennam et totum Noricum recipit; Rugios reliquos in obsequium deditionemque redigit; Fridericus fuga elapsus est. ast Odacer cum ingenti captivorum numero in Italiam revertitur. Fridericus rursus Viennam Noricumque occupat. Odacer cum valida manu Anulphum fratrem contra Fridericum proficisci iubet. Fridericus denuo pellitur ad Theodericumque regem, qui ad Savum Neostadii habitabat, aufugit.

Anulphus fratris mandato omnes Romanos ea loca incolentes migrare in Italiam imperat, et quae huiusmodi itineri necessaria forent, comparare iubet; reliquias Rugiorum secum transfert. post haec Pierius praeses, divus Lucilius episcopus omnes Romanos finitimos Favio in Italiam abire cogunt; ipsi secum ossa divi Severini aufferunt. provinciales igitur oppidis Danubio et Viennae contiguis relictis simul pergunt; per diversas Italiae regiones sedes sortiti capiunt. Eugy-

6 postilimimo *A u. B* 36 continuis *A u. B*

8 *Eug. V. Sev. 8. 33 (ein Missverständniss Aventins, wie es scheint.)*

pius etiam harum rerum scriptor tum Norico genitali solo relicto in Italiam migravit; ossa divi Severini in agro Neapolitano recondidit.

Longobardi per Suevorum sedes, qui tum Boiemiam et Moraviam aduc tenebant, eam partem Germaniae Histro conterminam occupant, quam Rugii possedere, et nunc communi vocabulo Austria vocatur, proprio vero Marcoveltae. inter haec Fl. Val. Zenon imperator Theodericum regem Ostrogetarum (arcta sibi familiaritate coniunctum iam inde ab eo tempore, dum Theodericus obses Byzantii fuit apud imperatorem Leontem primum, socerum Zenonis) consulem romanum cum Venantio designat, magistrum militum, ducem militiae romanae declarat, imperii procuratorem (quem nostri vicarium, prisci legatum imperatoris vocarunt) nuncupat. eidem senatum populumque romanum, Italiam, occidentale imperium, provincias supra Savum, Favonium versus, Pannonias, Noricum, Vindeliciam, Rhetias conmittit, quemadmodum etiam apud nos cani solet. Theodericus igitur iussu imperatoris cum Ostrogetis et Arthemidoro adfine augusti, quo maior authoritas foret, castra ex Pannonia movet, intento exercitu in Italiam procedit. haud procul Aquileia vires Odacris resistentes superat, fundit. inde in agro Veronensi Odacer iterum a Getis superatur. tercium praelium ad Adduam flumen fuit; ibi quoque Odacer non meliore fortuna aleam belli tentavit. victus Romam aufugit; Roma venienti portas clausit.

Odacer Ravennam retro properat eamque munit; ibi triennio obsidetur; noctu saepius erumpit, Gotos adfligit. convenit tandem pax inter reges ita, ut ambo pari iure ex aequo regnent. sed dissociabile regnum est; Odacer caesus est; Theodericus nemine pugnante Italiã urbeque Roma potitur; Dalmatiam, Pannonias, Noricum, Vindeliciam, item Siciliam, provincias romanas recipit. Dalmatiae Osovinum, Pannoniis Colosseum, Norico Severinum, Vindelicis Servatum praeficit praesidesque cum exercitibus mittit. leges regendi praescribit, quibus iubet milites cum Romanis civiliter vivere, provincias ab incursatione hostili defendere. ducibus imperat, ut armis creditos populos tutentur, abstinentiam iusticiamque sectentur aemulenturque veterum Romanorum prudentiam, uti provinciales plane intelligant atque sentiant, eos a principe romano datos esse rectores. et quamquam omnia ad veterem romanae reipublicae statum et morem revo-

11 *Iord. G. 52. 57. Cass. 452* 14 *Iord G. 57. Brev. 60* 15 *Vgl. Kaiserchronik, Vers 14036—14045* 18 *Cass. Var. I, 43. Iord. Get. 57* 27 *Iord. G. 57. Brev. 60. Cass. 452. 453* 28 — Servatum *vergl. Cass. Var. III. 26. IX, 8, 9. III, 23, 24. V, 14, 15. I, 11* 35 *eb. VII, 4.*

BSB

care et occidentis imperium (ut videri voluit) instaurare prae se ferret et summopere operam navaret, attamen fortunae inconstantiam veritus, memor rerum humanarum, ne facile pelli posset, omnes Germanos reges, qui vel in Germania imperitabant vel in provinciis Romanorum regnabant, invicem foedere sibi et adfinitate iunxit. Herulorum reliquias ad se in Italiam ex Germania accivit. ipse Hadofredam, filiam Litavici Magni regis Francorum, uxorem duxit. filias suas, Theodogutam Alarico Vessogetarum, alteram Ostrogutam Segimundo Burgundionum regibus nuptum dedit. terciam filiam Amalovindam Eutharico Cillicae, Getae et consuli romano connubio iungit; inde natus est Adalaricus, qui cum matre Theoderico successit. germanam itidem suam Amalofredam Thrasomundo Vandalorum, Amalopyrgam, Amalofredae filiam, neptem suam, literis institutam, Herminofredo Turogorum regi connubio copulavit.

Multa praeclara magnifice in Italia extruxit; studiosissimus literarum, morum pacisque fuit; liberalitate omnes superavit; munerum editione veteres aequavit Romanos. nec quisquam Theoderico acceptior fuit. crebras legationes ex Germania cum donis gratulatum missas, etiam ab intimis sinus Codani Venedicique adcolis legi; cani aduc a nostratibus solet nec temere alius quisquam veterum regum in ore vulgi imperiti frequentior est.

Hac tempestate Theodorus Laureacensis archimystes christianos romanos in Pannoniis, Norico, Vindelicia caelesti doctrina pavit. extat ad eum epistola Symmachi pontificis romani, qui regis Theoderici iussu contra Laurentium romanus episcopus nuncupatus est. urbium regina Roma dominaque terrarum intra annos septem et septuaginta quinquies Germanorum robori cessit, quinquies a Germanis sub iugum missa est. sub idem tempus, dum haec in occidente fiunt, Constantinopoli Zenon imperator moritur, anno Christi, secundum Cassiodorum, quadringentesimo nonagesimo primo, Olybrio iterum unico consule. succedit Fl. Valerius Anastasius Dicoros, opera et studio Ariadnae uxoris Zenonis. obiit mortem subito seu, ut alii tradunt, de caelo fulmine tactus, vitae anno octavo et octogesimo, imperii et potestatis septimo atque vicesimo, christianae aerae (si Aurelio Cassiodoro, scribae Theoderici regis credimus) quingentesimo

3 — copulavit *vergl. Ekkeh., M. G. Scr. VI, 129; Iordan. Get. 58; Cassiodori chron. zu 515* 20 *Ueber Dietrich v. Bern in der deutschen Sage und Literatur s. u. a. W. Grimm, Die Deutsche Heldensage, S. 407* 22 *Schreitwein, Catalog. l. c. 451* 24 *L. c.* 24 — nuncupatus est *Ekkeh. zu 492, p. 138* 30 *Cassiodor. chron. zu 491* 31 — Zenonis *Ekkeh. p. 138.*

duodevicesimo, Magno unico consule. per idem tempus Italiam, urbem romanam, occidentis provincias romani imperatores (quemadmodum et hoc saeculo) titulotenus dumtæxat possedere. idcirco ego nunc omissis romanis rebus et aliarum nationum historiis iam deinceps, perpetuo ab exitu Attilae, ad meam usque memoriam, faustis avibus bonisque ominibus, duces et reges, regulos et principes, tetrarchas, dynastas, caesares, imperatores Boiorum prosequar, quorum auspicio id operis a me inceptum est. atque hinc tercium librum exordior.

8 incaeptum *A* 9 *In A u. B folgt:* finis secundi libri annalium Boiorum; subsequitur tercius authore Aventino.

ANNALIUM BOIORUM LIBER TERCIUS

AUTHORE

IOANNE AVENTINO.

Tercio libro annalium Boiorum istaec insunt:

Adalogerio rex Boiorum; migratio ad Nariscos; pugna et foedus cum Francis; Theodo primus dux Boiorum; inruptio in Vindeliciam; Theodo Magnus et secundus, pugnae et bellum cum Romanis; inruptio in Noricum; Theodo tercius, Uto, Theodovalda fratres, divus Rupertus hos in religione Christi instituit; Thessalonus primus et Theodopertus patrueles, divus Columbanus in Boiaria Venedis praedicaturus; Gariovalda rex Boiorum, ab Hyldeberto rege Francorum pellitur; Thessalonus, cui Gariovalda Boiariam praeripuerat, restituitur; Gariovalda dux, filius Thessalonis; Theodo quartus cum filiis Theodoperto et Thessalono secundis, divus Eustasius in Boiariam venit. ad hosce: Theodo quintus, Grimoldus, Theodopertus tercius, fratres, divus Haemeranus occiditur; Theodo sextus cum filiis Theodone septimo, Grimoldo secundo et Hugoberto, divus Corbinianus Boios pascit; Utilo, divus Bonifacius sacerdotes in Boiaria in ordinem redigit; Thessalonus tercius, cum filio Theodone octavo a Carolo dignitate abdicatur; item reges Francorum a Litavico Magno ad Carolum Magnum; item Guntholdus, filius Gariovaldae regis Boiorum, cum posteritate, quae Italia et regno Longobardorum potita est.

Domesticis posthac dumtaxat utar testimoniis; praeter superiores rerum nostrarum et annalium scriptores, Volcomarus et Herimanus, monachorum antistites, non infeliciter huic rei operam navarunt, quorum industria multum (fateor) adiutus sum; hic Aldaechio inferiori, alter Furstoveltis praefuit; Volcomarus Litavico, imperatoris Litavici

1 *In A u. B steht diese Ueberschrift zwischen Quellenverzeichniss und Prologus.* 3 Adalagorio *B* redegit *B*

21 *S. oben S. 1, Z. 14 fgd.* 27 *Abt Folkmar von Fürstenfeld (über seine Benützung durch Aventin vergl. Martin Mayr, Zur Kritik der älteren Fürstenfelder Geschichtsquellen, Oberbayer. Archiv, 1877); und Abt Hermann von Niederaltaich (Mon. Germ. Script. XVII).*

quarti parenti, at huius avo et patruo Otoni et Honorico Herimanus a consiliis fuit.

PROLOGUS.

Caeci sunt et excordes hominum animi, furiosa est mortalium libido, qui iure humano divinoque violato mare et caelum, ima summis miscent, sudore et sanguine innocentium inopumque opes, imperia, triumphos sibi comparare consueverunt. quicquid delirant reges, plectuntur Achivi. ut unus auro rutilet, unus ostro purpurave niteat, tot ad egestatem redigendi, tot clientes spoliandi, tot loculi expilandi sunt. unus est tamen interitus pauperis et divitis. opulentus et mendicus iuxta occidunt, sed graviore casu illi ab alto decidunt, qui aeternis animae inmortalis bonis contemptis veluti pecora corpori caduco et fragili serviunt et nullum finem, divicias, honores, gloriam, potentiam (fluxa nimirum ac temporaria, quae levissimo momento huc illucque transferuntur) ambiendi et consectandi sibi faciunt. conquirunt anxie illa, at nesciunt, cui. eisdem saepius hostis aut capitalis inimicus potitur. Romani, rerum domini, patriam meam nataleque solum aboriginibus captis, contrucidatis invaserunt, quingentos triginta quinque annos tenuerunt. Boii tum, ulti indigenas, romanas profligare coeperunt vires. tanto temporis spacio ego quidem hactenus ne nomen quidem Boiorum apud aliquem scriptorum offendi. ne opus hiulcum foret, romanos principes usque ad Anastasium (qui Vindelicis Noricisque potiti sunt) et res gestas Germanorum ostendi dumtaxat, ut praeclara nostratium ingenia ad istaec luce historiae inlustranda excitarem. quae si, uti pro magnitudine par est, disserere tentarem, tempus me desereret. sub Anastasio imperatore maiores nostri in Vindeliciam et Noricum inruperunt, Romanos fuderunt, ceciderunt et exegerunt, atavis sanguinem Romanorum inferias retulerunt. possidemus mille super undecim annos hasce regiones. quod si Turcae limites ditionis suae adversum nos usque, quantum mea memoria, promoverint et nos, sicuti soliti sumus, superbi erecta cervice, huius-

2 *In A folgt, von Aventin nachgetragen:* Madegotus ab epistolis Theodonis tercii; Creontius scriba Thessaloni 3. de suis temporibus. *[Ueber diese Quelle vgl. meine Untersuchung: Ein verlorenes bairisches Geschichtswerk des 8. Jahrh., Sitz.-Ber. der Münchener Ak. d. Wiss., Hist. Cl. 1881, S. 247—291]. Am Rande in A ferner*: Sub Zenone Attiliae *[sic]* iunioris filii Fritelinus et Blädelein occisi a Gotis; Odachar marchio Stiriae ope Aetii fit rex Romae; Aetius, Äzl, ab Theoderico occisus in Ungaria *[?, folgen zwei unleserliche Worte]* Odagrii. *Ferner unten:* Sub Severo imp. Adelger dux Boius; quis autem Severus fuerit, dubium; secundum opinor fuisse; apud Brixiam bellum, Severus occisus a Volkwein duce Adelger. 3 Prologus *fehlt in A* 24 nostratuum *A u. B*

4 — animi *Lact. I. I, 8, 3; V, 13, 1* 7 — Achivi *Horat. epist. I, 2, 14.*

modi rem despexerimus, profecto nobis trans Danubium in Germaniam Magnum, ad rupes et in sylvas rursus redeundum est.

Valet ima summis | Mutare et insignem attenuat deus, | Obscura promens, hinc apicem rapax | Fortuna cum stridore acuto | Sustulit, hic posuisse gaudet.

Cap. 1. Cum Christi regis viventium et domini dominorum anno (Cassiodorum sequor) quadringentesimo quinquagesimo sexto Attila, metus orbis terrarum, Germaniae et Sarmatiae rex potentissimus, vita defunctus esset, variarum gentium nationes, quas Attila in conmilitium acciverat, pacem exuere, saevire et regna conturbare coeperunt. ut quisque plurimum viribus pollebat, ita maxime imbecilliores opprimere conabatur, sicuti fieri solet, ubi imperia capite ac praeside orba tanquam corpus sine anima dissolvuntur et tabescunt. id quod nimirum hoc anno ipsi sentimus, quo imperator Maximilianus caesar augustus mortem obiit. Hyldericus quippe dux Viridobergensis nondum funere caesaris complorato, pacem exosus, arma in finitimos vertit minacissimus. dux noster Vilelmius, Suevici foederis imperator, cum sociis illum terris avitis exegit. Hyldericus aliquot menses extorris, nemo scit ubi nam gentium, ignotus delituit. at dum haec scribo, ipse subito apparet, civibus sine vi ultro se dedentibus oppidum Stutogardam recuperat. princeps Vilelmius cum foederatis copias eius adgreditur, sternit, fundit, ipsum in fugam vertit, omnia rursus occupat, quae ille receperat. Hyldericus, denuo exterminatus patriis sedibus, ubi nam gentium agat, ego mihi quidem incompertum relinquo et ad coeptum redeo.

Res humanae fluxae et mobiles ex fortuna pendent. saepius in adversa mutantur, atqui omnes rerum mutationes etiam in secunda ab adversis caedem, fugam aliaque hostilia portendunt, praesertim ubi temere multorum arbitrio distrahuntur. huiuscemodi proinde causis conmoti Boiorum populi, Schiratii, Hirri, Schiri, Trani, Salii, Salingi, Stiri, Stiratii, Halii, Buri, plurimis et valentissimis cincti nationibus,

5 Finis prologi; narratio subsequitur *A u. B* 13 id — redeo *in B eingeklammert, in Zieglers und Cisners Ausgaben weggelassen* 15 Viridoburgensis *B* 30 Schiracii *B* 31 Stiracii *B* *Am Rande in A:* vide Ptolemeum; *ferner:* Horomathae, Britolachi, Carpi, Guthungi, Gaucini [?], Lucii.

3 *Horat. C. I, 34* 7 *Die Chronik des Cassiodorus, herausgeg. v. Mommsen, setzt jedoch S. 654 Attila's Tod in das Jahr 453* 23 *Herzog Ulrich kehrte aus der Pfalz am 15. August 1519 nach Stuttgart zurück; am 18. October hielt Herzog Wilhelm v. Baiern dort seinen Einzug* 26 — mutantur *Sallust. Iug. 104, 2.* — portendunt *l. c. 3, 2.*

Suevis, Vulgaribus, Hunnis, Rugiis, Gepidis, Ostrogetis, Alanis, Sarmatis, quo firmiores tutioresque forent, coeunt, Adalogerionem, Huni Veliphonis filium, virum fortem et prudentem, qui paternam originem ad Alemanum Herculem referret, regem creant atque salutant et, quo utilitas vocat, nunc Getis ac Suevis, nunc Hunnis et Rugiis coniuncti, transsito Danubio praedaticia ex romanis provinciis annona victitarunt. oritur post haec certamen inter Suevos Ostrogetasque propter abacta pecora. Boii concitati a Suevis adversus Gotos, Valomarum regem pugna interficiunt. nec Goti inultum regium sanguinem reliquerunt. Theodomarus, pater Theoderici, frater Valomari, rex Ostrogotorum, hieme rigente, cum iam Danubius (sicut in his regionibus fieri solet) gelu constitisset, superato amne Suevos, Boios (quos communi vocabulo Alemanos vocabant) non parva clade (ita et in vernaculis annalibus scriptum lego) adfecit, eorum opes adtrivit.

A tergo quoque Venedi in Germania interiore convalescere coeperunt. inde in finitimos saevire, Suevos, Boios lacessere, infestare, opprimere non cessaruut. rex Alaricus Suevorum cum popularibus suis Boiemiam, Silesiam, Lusaciam et finitimas regiones boream ac eurum versus deserit, discedit ad occidentem. agrum propinquum Danubio, Rheno, Nigro, Alemano fluminibus capit; traiecto deinde Rheno atque Danubio partem Galliarum et Rhetiam supra Lycum occidentem versus Italiam usque paulatim occupavit. Boii quoque Suevorum vestigia insecuti, ab orientis ora per Histri ripam ad Nariscos, avitos agros incunabulaque gentis, cuius Noreioberga caput tum erat, concesserunt. Venedorum reges Zecho et Crocus loca a Suevis et Boiis deserta invaserunt et aduc possident.

Consedere quieti maiores nostri apud Nariscos. nonnihil rei cum vicinis Francorum regibus Hylderico et Litavico fuit. hi pares ferre non poterant et soli regio nomine imperitare in Gallia et Germania contendebant. indignabantur etiam, Boios, et Suevos vicinos sibi suis legibus vivere inmunesque imperii Francorum agitare. Litavicus itaque Magnus, rex Francorum, iuvenis natura ferox, victis tum Turogis et viribus romanis cum Aestagrio legato penitus in Galliis deletis ferocior, Alemanis bellum indicit, omnibus nervis expeditionem in hos meditatur. colebat ipse deos, uxor vero eius Grothylda, filia Hylderici

6 *Am Rande in A*: cantur haec apud nos poeticae *[sic]* peregrinatio Boiorum sub duce Arionisto et rursus reditus a Maeotidis paludibus ad Amerothalos, Amerobergonum, Noreiobergam, Adelgerspurg. *S. das Lied vom Herzog Ernst.*

14 *Vergl. Iordanis, de Getar. orig. c. 55.*

regis Burgundiae, christiana erat, crebro, frustra tamen, virum ad veritatem amplectendam cohortabatur. Suevi et Boii ubi animum Litavici acceperunt, rati potius esse extra fines suos hosti occurrere quam domi hostium adventum expectare, transsito Rheno cum regibus suis Alarico et Adalogerione haud procul a Tubbiaco oppido, ab Agrippinensi colonia ad secundum et tricesimum lapidem, Francum haud imparati alacriter excipiunt, Segibertum regulum Agrippinensem, ducem copiarum, in genu sauciant (quo ex vulnere claudus semper fuit et inde cognomen sortitus). Franci deinde terga vertunt, in fugam passim effunduntur. Boii et Suevi fugientibus instant, fugitantium tergo haerent, ipsos caedunt, fundunt. Litavicus rex ubi nullam spem salutis, nec in armis nec in fuga esse videt, ad vota et caelum conversus ait: Christe potens rerum, quem uxor mea colit, veneratur, praedicat, siste foedam fugam, deme Francis metum; tu mihi solus posthac iam eris deus, ego tua sacra cum Francis meis recipiam et tibi templa dicabo; quod erit perpetuum posteris monumentum, tua praesenti ope servatos esse Francos. vix haec fatus erat, Franci resistunt, redintegratur praelium. uterque rex hostium cecidit, Franci superiores fiunt. Suevi ad Theodericum regem in Italiam confugiunt, eo depraecatore erga Francos utuntur. extat huiusmodi epistola.

Boii cum Francis foedus societatemque perpetuo faciunt hisce conditionibus: Boii de corpore suo, ubi opus fuerit, principem legant, at ducem, non regem adpellent; reges Francorum authores fiant; in bellis auxilio Francis sint Boii, eosdem pro amicis et hostibus habeant; caeterum suis institutis ac moribus liberi vivant. hoc foedus persancte a Boiis observatum est et amicicia Boiorum bona atque honesta Francis permansit adeo, ut posthac Francorum reges nihil penitus quicquam praeclari sine ope Boiorum, neque in rebus bellicis ac domesticis neque in divinis atque humanis unquam gesserint; quemadmodum res ipsa indicabit et Hatto archiflamen Mogontinus ad Ioannem nonum pontificem maximum scribit (quae epistola aduc extat in bibliothecis nostris et actis pontificum Boiariae). hoc praelium factum esse reperio anno christianae salutis quadringentesimo nonagesimo tercio. Litavicus rex Francus parta victoria, ubi prius suos de diis abiiciundis consuluit, philosophiam christianam recepit cum filio Theoderico, sororibus suis Albefleda et Lanthylda; simul cum tribus millibus

34 abiciundis *A*

11 — superiores fiunt *vergl. Gregor. Turon. II, 30* 20 *Cassiodor. Var. II, 41* 31 *Wahrscheinlich eine Fälschung; gedruckt bei Gewold, Chron. Reichersberg, append. p. 20—23.*

hominum de exercitu et amplius lavacro spiritali tinctus est. at Boii Theodonem, filium Adalagerionis superioris, rectorem sciunt atque iubent in eiusque verba iurant. paucis post annis Litavicus rex Francorum in Godogisalum et Gundabodum, parentem divi Segimundi, fratres, reges Burgundionum paricidiali bello ob gubernacula decertantes, arma movet; Burgundiones tributa quotannis pendere vi cogit. inde ruptō foedere, seu libidine dominandi seu, ut prae se tulit, ob pollutam toties religionem, Vessogetis et Alarico regi ipsorum, quod Arriani essent, bellum indicit. vires, tela, arma, iacula, annonam, tormenta comparat, socios, auxilia accersit. trahit etiam in partes Boios Theodonemque ipsorum regulum in conmilitium ex pacto accivit. rex Theodericus ubi hoc in Italia accepit, nihil intentatum reliquit, sedulo operam navavit, si qua aequitate hominum res ad ocium deduci posset et Vessogetas Francosque in pace et societate, quam sacramento solennibus ceremoniis inierant, ipse contineret. ad utrunque regem legatos cum mandatis et literis proficisci iubet, utrunque monet, obtestatur et pro iure adfinitatis, quo ambobus devinctus erat, postulat, uti ab armis discedant, sanguine cognato belloque ipsis suisque perniciosissimo manus abstineant. si se mutuis vulneribus conficere perrexerint, rem gratissimam facturos iucundissimumque spectaculum edituros Romanis, hostibus suis, qui haud dubie exangues et defatigatos ipsi recentes et integri invadent suaque vi et armis repetent. si quid peccatum sit, se arbitrum fore pollicetur; utrique parti iuxta favere, se alterius socerum, alterius generum esse.

Nec hisce contentus Theodericus ad Burgundionum, Herulorum, Varinorum, Turogorum reges oratores cum epistolis legat, quarum sententia (quemadmodum in bibliothecis legi nostris) haec fuit: princeps absque iusticia nil aliud profecto est, quam gentium latro publicus. quippe ubi leges regi, non regere solent, pro iure libido et licentia invadit; maliciosus, fallax, versutus sapiens nominatur; calliditas et astutia prudentia adpellantur; pro aequitate superbia, pro abstinentia avaritia, pessima vicia sub specie virtutum dominantur. ambae pestes invident, rapiunt, opprimunt, aliorum opibus inhiant, omnes pro hoste ducunt, cuncta sibi servire adpetunt. hac via nuper Attila grassatus, etsi Vessogetarum robore fractus, furoris tamen sui heredem et successorem reliquit Litavicum regem Francorum, qui iam pridem (ut

1 ac *st.* at *A*

9 *Vergl. Gregor. Turon. II, 37* 15 *Vergl. Theoderichs Briefe, Cassiodor. Var. III, 1, 4* 26 *Cassiodor. Var. III, 2, 3* 29 — solent *Sallust. Iug. 1, 5* 36 ut — cupidinem *l. c. 6, 3.*

est natura mortalium avida imperii et praeceps ad explendam animi cupidinem) animo imperium orbis invasit et tantos sibi spiritus, tantam sibi arrogantiam sumpsit, ut neminem secum dignitate exaequari velit. Alarico Vessogetarum regi citra adfinitatis adfectum vinculo societatis, fidei sacramento violato, nefandum et impium indixit bellum. nemini dubium esse potest, quin superatis Gotis signa victricia in vos convertat. Euricus genitor Alarici non solum opibus, pecunia, stipendiis vos adiuvit, verum etiam ab hostium impetu et oppugnatione defendit, vires romanas a cervicibus vestris avertit. obsecro itaque atque obtestor per ea beneficia, uti cum amicis meis vestri quoque ad Francos Litavicumque legentur, qui verbis omnium nostrum, utpote maximorum et opulentissimorum regum nuncient, velle et censere, eos ab armis discedere; ita seque illisque dignum esse. sed frustra omnis conatus, frustra omnes minae fuerunt. Francus decimo ab urbe Pictonum lapide Alaricum pugna victum interimit, Gotos in fugam vertit, Tolossam capit, totam Aquitaniam (Galliarum partem proximam Pyreneis montibus et Hispaniae) subigit. Amalaricus, filius Alarici, nepos ex filia Theoderici, in Hispaniam fuga elapsus, regnum ibi Vessogetarum atque parentis recepit; sub tutela avi Theoderici regis Ostrogetarum quiete possedit.

Dum haec in Galliis et Aquitania geruntur, Theodericus, cognatis suis Vessogetis et genero quam socero amicicior, Ibbam ducem cum exercitu in Galliam Narbonensem mittit. triginta Francorum millibus occisis Avinionem, Arelatem, Massiliam recepit. et ut ipse ad provinciales Galliarum gloriatur, eam portionem Galliae a barbarorum, id est, Francorum iugo eripuit, romanae libertati et iuri Italiae restituit. dat inde praesides et legatos, viros legum romanorum et morum peritos aequitatisque amatores; Gemellum Arelatensibus, Marobodum Massiliensibus, Avinioni Vandilum praefecit. moenia insuper urbium suo sumptu instaurari iubet, conmeatum et stipendia exercitui (qui pro custodia Galliae contra Francos excubaret) ex Italia misit, ne Galli tributo gravarentur.

Litavicus rex Francorum exactis Vessogetis ex Gallia in Hispaniam, subacta omni Aquitania, parta victoria, Luthetiam Parisiorum contendit, ibi regiam sedem constituit, ubi ad se amotis omnibus

7 *Am Rande in A*: vide de hoc Iordanum, dum Arvernorum urbem vendicat. *[Iordanis, Getar. orig. c. 45]*.

2 tantos — sumpsit *Caesar, bell. Gall. I, 33* 14 — *recepit vergl. Gregor. Turon. II, 37* 24 *Iordanis c. 58* — gloriatur *Cassiodor. Var. III, 17* 28 Gemellum — Vandilum *l. c. III, 16, 32, 38; IV, 12.*

arbitris Theodonem vocat et huiusmodi verbis (quo par pari referret et stragem inlatam Theoderico compensaret) regulum Boiorum alloquitur: egregia tua virtus atque fides spectata et grata mihi faciunt, ut ingratus esse videar, nisi te magnum et clarum, maiorem et clariorem omnibus principibus Germaniae mihique fere parem opibus et gloria meo consilio, mea denique opera reddidero. vides Suevos Hispanias, Gotos Italiam, Burgundiones et nos Gallias, relicta inculta Germania, solum romanum feracissimum et amoenissimum tenere et ex pauperrimis opulentissimos factos esse. quid tu inglorius cum tot viris fortibus in lapidosis sylvis obsolescis, quin tu quoque vestigia cognatorum tuorum aemularis, relictis horridis saltibus et rupibus asperis provincias romanas (a quibus Danubio dumtaxat summoveris), fertiles et uberes agris occupas? ego arma, vires, pecuniam praebebo. quicquid animo libet tuo, summe, utere. nec est, quod Romanos timeas, apud quos pluris aurum est quam ferrum. iampridem consenuere orbi romano, fatum excidii adventavit, iam salvi esse non possunt, nisi crudelissimorum hostium opibus fulciantur. Theoderici et Ostrogetarum robora, perfidia hostium, inter quos versantur et quos gravissima servitute opprimunt, domi continebunt. neque Theodericus se suorum praesidio nudabit et iugulum feriendum inimicis praebebit. quod si bene novi animum Theoderici, nemo omnium romanas vires radicitus intercidere plus optat, quo ipse et sua posteritas perpetuo Italia potiatur. falleris, si eum amari a Romanis credis, qui deorum proditor, sacra quoque christiana polluit, utriusque religionis desertor et levissimus transfuga, neque in hac neque in illa parte fidem habet. facto, non consilio et tantummodo incepto opus est; caetera res expediet. senties, crede mihi, bellum esse levissimum, in quo nihil penitus pericli, gloriae multum, praemii plurimum erit.

Theodo, ubi rex finem dicendi fecit, gratias agit, quod curae haberetur; sibi neque maius quicquam nec charius authoritate regis Francorumque esse respondit; seque, quoad vires et vita suppetat, enisurum, uti voluntati et voto regis satisfaciat. post haec impetrata abeundi facultate, domum revertit. advocata concione mandata regis patefacit et huiuscemodi verba habuit: saepe maiores nostri (sicuti ego a senioribus accepi) melioris soli gratia bellandique studio sedes conmutarunt; priscis saeculis ex his locis et Boiemia, quae aduc a nobis cognomen retinet, in Italiam conmigrarant; cum Suevis urbem Romam incenderunt. inde pulsi a Romanis, ad Tauriscos et finitima

26 — expediet *Sallust. Cat. 43, 20* 34 — profecti sunt *vgl. Iustin. 24, 32; Strab. p. 213.*

Histro loca concesserunt, quibus taedio vicinorum Romanorum desertis in Germaniam Magnam trans Danubium velut peregrinatum profecti sunt. nostro postremo saeculo quas regiones, quae loca in orientali Germania cum cognatis nostris, Rugiis, Suevis, Gotis, Hunnis, Gepidis, Alanis, Vandalis, Herulis, Vulgaribus, Marcomanis, Quadis, Sarmatis conflictati, pervagati et peragrati sumus, in memoria recenti habetis et singuli sensistis, donec perventum est ad haec nostra incunabula et seminaria nobilitatis nostrae, angustiora et infecundiora, quam quae tantam multitudinem ferre ac alere diutius possint. vicinus est ager Romanorum fertilissimus, amplissimus et latissimus, Danubio dumtaxat a nobis separatus; hunc vi et armis facile occupabimus. hostes imbecilli, imbelles, opportuni iniuriae, metuentes magis quam metuendi, foeminis timidiores, fugaciores cervis sunt. illorum imperatores dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam aetatem agunt, Graeculorum mundiciis enervantur. alii populi Germaniae cognati et adfines nostri Italiam, urbem Romam, domicilium imperii, Gallias, Hispanias, Britanias pulsis, trucidatis Romanis, eorum provincias, opulentissima regna possident. nobis suppetitant exercitus, pecunia, sociorum auxilia. quo nos fortuna, dii immortales, Alemanus Hercules invictus, parens et author generis nostri, vocat, ibimus, o socii comitesque; atavis nostris sanguine Romanorum parentabimus. habetis enim ducem, qui et consulere et defendere et per seipsum, quoad vivet, cuncta praestare possit. qui providebit, ut in perpetua pace vitam omnium vestrum, bona, fortunas, coniuges, liberos componat et tandem laborum requiem, finem aerumnarum, cursus nostri portum tranquillum atque optatum, omnibus salvis, vobiscum contingat. 41/6

Theodo ubi haec dixit et omnium animos arrectos et alacres ad bellum esse videt, dimisso conventu arma, tela, rhedas, naves, copias, conmeatum, stipendia, auxilia, pecuniam et alia huiusmodi tantae expeditioni utilia comparare studet. quo facilius exercitus traiicerent, Alemanum amnem pluribus quam uno loco pontibus lapideis coniungit; prope extimos villae et oppidum etiam nunc Theodophoros (hoc est Theodonis vadum et transsitus) nuncupatur. ubi iam regulus Boiorum se ad eam rem paratum arbitratus est, re frumentaria provisa profectionem indicit in annum, qui fuit christianae salutis quingentesimus

12 — metuendi *Sallust. Iug. 20* 14 — agunt *l. c. 2* 19 quo — comitesque *vergl. Hor. C. I, 7* 34 *Dietfurt an der Altmühl. Aventin fand diese Angabe in den Annalen von Mondsee, die er in seinen Adversarien excerpirte; (Münchener Hof- und Staatsbibliothek) T. I, fol. 6 v.*

super octavum, imperii Anastasii septimus decimus, Severino Boethio ea tempestate viro doctissimo consule romano. trahit in societatem belli rector Boius Hunnorum reliquias, Abares et Avaros, Angilos, Venedorum nationem, Charinos aduc incertis sedibus vagantes, auxilia quoque a Francis accivit. coeunt postea duces, de belli ineundi modo consultant. placuit copias partiri et diversis locis simul Romanos, ne alius alii auxilio esse possit, adoriri. et primo castella minora oppugnanda censuerunt, ultimo omnibus viribus Augustam Tiberii, caput harum regionum, urbem munitissimam aggere, fossa, vallo et moenibus in quadrum ex ingentis molis saxis quadratis, quorum vestigia aduc videntur, constructis, cinctam arcta obsidione claudere eoque omnem belli fortunam transferre, periti rei militaris statuerunt, quo tanquam in caveam hostes relictis agris et aliis locis compellerentur et ibi tanquam ferae indagine cingerentur unoque impetu caperentur et inulti ferarum ritu velut in fovea depraehensi caederentur. ea civitas ab aquilone Danubio, uti nunc etiam accessu hostes arcebat, caeteris partibus aequo pede adibatur.

Venedi igitur cum Gisalone duce in inferiore Boiaria, ubi pagus, montes praefectura Venedorum nominantur, supra ostia Isarae Histrum superant, Pisonium, Augustam, Aciliam, Moceniam, vetera castra et aestiva expugnant; fit fuga Augustam Tiberii. intra Oenum et Isaram Bathavia et Quintanorum urbs ante deletae fuerant. Giso Hunnorum, Abarorum, Angilorum rector, Aureato, Caesarea et ibi traiecto Danubio hibernis potitur eaque disiecit; Lycostoma, Callatinum, Atilia vacua cultoribus inventa; Remedius praefectus ad superiorem Vindeliciam et Noricum evasit. Irinus cum Francis Eponam et Cenum adgreditur et occupat transsitque Danubium. Theodo cum maiore parte copiarum Artobrigam, maximam huius regionis urbem, quae ad Alemani fluenta usque protendebatur, sibi deposcit expugnavitque. plaerique fuga evasere, navibus delati sunt Tiberii Augustam. Theodo Chelamis, ubi Alemani hostia sunt, cum caeteris armatis Histrum traiecit. parvula leviaque ubique fuere praelia, quorum loca ab incolis aduc, iuxtim Danubium maxime, passim monstrantur. Romani magis de fuga quam pugna cogitavere; ipsos plus pedes quam arma tutati sunt. plaeraque oppida et castella initio belli deserta sunt. oppidani cum uxoribus et liberis et, quaecunque auferre secum potuerunt, Augustam Tiberii aufugere. riparii quoque milites custodiae

43A

26 Caenum *B*

8 *Regensburg* 19 *Windberg.*

Danubianae destinati omnes Augustam Tiberii concessere, Abudiaci quoque proximae urbis cives illuc migrarunt. proxime patriam meam est sylva, in qua visuntur vestigia castrorum more romano; usus Italica nuncupat. haud inde procul certamen fuisse incolae ferunt Segiburgiumque trophaeum esse; vicus est, in ripa Apsi amnis cubat et victoriae castellum significat; peculiares quondam principes habuit.

Posteaquam vero Theodo, superato cum omnibus copiis Danubio, hostes in una moenia conclusos esse animadvertit, adunatis omnibus viribus ad obsidendam Augustam Tiberii infesto intentoque exercitu procedit. milites romani pro porta cum accedentibus manus conserunt. sed impetum Boiorum ferre non potuerunt, strenuissimus quisque et maxime manu promptus interemptus est. caecidere ibi aliquot millia Romanorum. inde Romani intra moenia compulsi sunt urbsque coepta est circumsederi. ditiores Romani clam noctu naviculis ad hunc casum paratis fuga sibi consulunt. Laureacum et ad Noricum, quod aduc Romani tenebant, veniunt. interea intra urbem Augustam Tiberii metus et formido grassabantur, foris omnes viae, omnia itinera hostibus clausa, latronibus obsessa erant. manere periculosum, fugere perniciosius erat. vulgus inconditum ac promiscuum magis res suas atque parvos liberos deflebat quam defendebat. timore exanimatis civibus et incolis segniusque agentibus nostri, quoniam copiis et numero abundabant, rescindunt ferramentis aggerem, vallum fossamque complent; circumiecta multitudine sagittariorum funditorumque totis moenibus, in murum lapides, missilia, tela, sagittae spargi coepta sunt. murus defensoribus nudatus, quod tum facile fiebat. nam Hunni et Venedi arcu spiculisque exercitatissimi erant tantaque eorum multitudo spicula ac tela coniiciebant, ut in muro alioqui metu languescentibus incolis consistendi potestas non esset. Boii undique ab omni parte urbem oppugnant; pars scalis moenia ascendunt, pars testudine facta portis succedunt et hisce effractis magno impetu inrumpunt; citra omnem rationem aetatis, sexus et dignitatis fit caedes miseranda, cui finem satietas victoris fecit. praeda omnis militibus concessa et donata est. templa direpta, eversa, incensa, omnia ferro, flamma vastata, sacerdotes ante aras sacrificantes combusti. Lupus, tum urbis pontifex, perieritne an aufugerit, incertum est. romani provinciales (nam duo genera Romanorum fuere: provinciales et Italici)

7 *Am Rande in A*: qui nonnullis locis vado transitur 30 *In B ist der Satz:* pars scalis — succedunt *dem* Boii — oppugnant *vorangestellt.*

6 *Die Edlen von Siegenburg, wahrscheinlich eine Seitenlinie der Abensberger.*

captivi in servitutem redacti, velut vilissima mancipia venundati, ad operas agrorum et ergastula condemnati sunt. inde arces, urbes et oppida solo aequantur, aedificia diruuntur; sepulchra quoque mortuorum victor suspicatus, ibi latere aurum, effodit et scrutatus est.

Adiecit post haec animum Theodo ad parta tutanda; Danubii oram praesidiis firmat. Bathavia ad confluentes Oeni, Danubii, Ilissi, Augusta quoque Tiberii instauratur. hanc mutato veteri cognomine Reginoburgium a nomine Reginopyrgae (quod nomen celebre in fastis est) uxoris suae rector Boiorum adpellat. veteres foeminarum nomina auspicatiora credidere; atavi nostri praecipue, qui foeminis inesse sanctum aliquid et providum putarunt nec aut consilia earum aspernati sunt aut responsa neglexerunt. condita quoque sunt in ripa Danubii Neoburgium et Salingostadium, quod nunc alio ad tercium ferme lapidem translatum Neostadium vocari solet; Hunnostadium, Angilopagus, Abarodoryphi regiae et pagi, oppidum Angilostadium ab Hunnis, Angilis, Abaribus cognomina servant. Irinosigae, id est Irini victoriae, Irinus praefectus nomen fecit, Gisoveltas Giso, Gisaleriam Gisalo ita a suis vocabulis nuncuparunt; vici sunt, hunc Lavarus, alterum Ilmus praeterfluit; ille haud procul hibernis Gisonis castra, alter propter aestiva Romanorum Gisalonis exercitum declarat. parentum memoria utriusque ossa inventa effossaque esse audivi.

Et quoniam Romani (qui christiani erant) a Boiis alienis a veritatis agnitione adflicti et contriti sunt, religio nostra ab his regionibus tum explosa est, templa diruta, sacerdotes contrucidati sunt; quarundam urbium nomina mutata, quarundam ad posterum memoriam servata sunt. Theodo lucum et montem proxime Reginoburgium, Danubio inminentem, more maiorum Alemano Herculi victori et bellorum praesidi dedicavit eiusque nomine adpellari iussit; ibi sacris ritu patrio divis populum operari praecepit. ea sylva postea druidibus divi Haemerani more maiorum dicata est. extabant in ripa Danubii et ora Germaniae duae vetustissimae quercus, prodigiosae magnitudinis, millibus passuum viginti distabant; altera inferior, altera superior cognominabatur. has quoque gentili ceremonia Boius consecravit; eo frequens populus coiit victimasque inmolavit. Boii ubi religionem christianam receperunt, in templa et inde coenobia conmutarunt;

2 *Am Rande in A*: sacerdotes, nobiles cives trucidati, agricolae, qui agros colerent ac laborarent, servirent, servati sunt — muesten leibaigen leit sein
4 *Ebendort:* sicut ante triginta annos prædixerat christianis et Romanis st. Severinus, a deo legatus.

11 *Tac. Germ. 8* 26 *Erklok.*

utrumque nomen vetus servat Aldaechiumque vocari solet, quod lingua Boia veterem quercum significat. nam nihil sacratius quercu maiores nostri habuere; nulla sacra sine huius arboris fronde confecere sacrificiisque epulisque rite sub hac arbore perpetratis deos adprecati sunt. viscum eius e caelo missum putarunt signumque esse a deo electae arboris, „omnia sanantem“ suo vocabulo adpellantes; foecunditatem eo potu dari cuicunque animalium sterili, arbitrati sunt, contra venena omnia esse remedio. eo perinde ac nos aqua lustrica in expiationibus solennibus usi sunt. manavit haec fama hucusque, etiam nunc nostratibus admirationi est et religiose observatur et curiosius inquiritur; praecium auri apud quosdam habere et magis aduc in usu esse audivi. 46 A

Romani praesides et praefecti Severinus, Remedius et Servatus, ubi Vindeliciae eam portionem, quam nos inferiorem Boiariam adpellare solemus, amissam et a Boiis occupatam esse vident, Noricum et partem Vindelicorum Alpibus subditam, quam incolae superiorem Boiariam nuncupant, retinere et tutari enituntur, quod haec saltibus horrendis, crebris paludibus conmunita et fluminibus impedita sit. nec deerat his animus perdita recuperandi; delectus itaque agunt, oppida munitiora confirmant, milites cogunt. Theodericus ex Italia vice imperatoris Anastasii caesaris augusti exercitum, stipendia, annonam supplet ac subministrat. rescissis reliquis pontibus urbem Norici (quam a re ipsa Pontes Oeni vocabant, nos Utinum, vulgus Otingam nominat) praesidio firmant, castra aggere, fossa, vallo muniunt. at Boii, ne copias Norici ac Vindelici coniungere neve alter alteri opem ferre posset, vires omnes in duos exercitus dividunt. auxiliares Hunnorum cohortes in confinio superioris inferiorisque Boiariae, non longe a Moesoburgio supra Landesutam, ubi hostia Isarae et Senonis sunt, Isaram transseunt, locum castris capiunt seque carris et rhedis more Germanorum circumsepiunt. villae ibi aduc Hunnovangiones, hoc est, Hunnorum currus nuncupantur. Theodo in inferiore Boiaria Isaram superat, propter Rhodanum amnem, ubi iam Otonisveltae, vicus admodum aedificiis cultus, situs est, consedit. unde Theodophoro utrique pago nomen est. in medio utriusque exercitus Pontes Oeni erant. Vindelici et Norici, si utrimque conmeare et vires coniungere tentabant, inter duos nostratium exercitus intercipiebantur.

Cap. 2. Theodo, dum expeditionem in Noricum meditatur et castra romana invadere in animo habet, naturae concedit quarto anno,

27 Moseburgio *A*

2 *Der alte Name ist vielmehr Altaha = Altwasser.*

posteaquam Vindeliciam invasit; is fuit annus orbis servati quingentesimus undecimus, clarus duorum potentissimorum Germaniae principum funere, Theodonis primi reguli Boiorum et Litavici Magni regis Francorum (author est divus Gregorius Turonensis). Boius duos reliquit filios, Theodonem, cui cognomen Magni a rebus gestis postea inditum est, et Utilonem. Francus vero quatuor filiis successoribus decessit: Theoderico, Hyldeberto, Litomaro et Luthario. atque hi imperium Francorum in quatuor dissecuere regna, quibus praetoria regum nomina fecerunt. Aurelianense Litomarus, Parisiorum Hyldebertus, Suessonum Lutharius, Theodericus maximus natu Mediomatricum, sub quo Aquitania, Turones, Rhemi, Belgica prima et Germaniae continentur, possedit. hic gener divi Segimundi regis Burgundiae fuit.

Porro Theodericus Ostrogotorum rex, imperatoris romani legatus, ubi de superiorum principum morte certior factus est, Vessogetas consanguineos suos in Francos excitavit. captae sunt nonnullae urbes in Aquitania a Gotis. Danorum primum eadem tempestate audita sunt arma, incertum an authore Theoderico (extant certe eius epistolae ad sinus Codani incolas). Cochelaricus rex Danorum inferioris Germaniae oram Gallicam graviter adflixit. Theodopertus, filius Theoderici regis Francorum, et Utilo Boius, filius Theodonis, armato milite adversus Danos properant, terra marique hostes invadunt, fundunt, caedunt, interfecto rege Cochelarico praedam omnem ac captivos recuperant. Utilo, quod egregia virtute cognitus erat et eo bello fortiter fecerat, limiti Antoripensi praefectus est finitimaeque orae rector datus (nos marcographionem vocamus); sororem Theoderici Franci uxorem duxit. ab hoc Utilone prosapiam Caroli Magni deducunt, qui stemma principum nostrorum proposuerunt; utique rem se habere iidem putant, quam paucissimis in quarto dicam volumine; caeterum fides eius rei penes authores erit.

48 b

Turogorum inde regnum eversum excisumque est a Francis. tres fratres germani, Bertharius, pater divae Radegundae, Baldericus, Herminofridus, gener Theoderici Getae, tum Turogis dominabantur

26 *Am Rande in A:* Landshuld.

4 *Nur für Chlodwigs Todesjahr; lib. II, c. 43* 18 *Ein Brief an die Haesti steht bei Cassiodor. Var. V, 2 Crochilaich bei Gregor. Turon. III, 3, der für das flgd. Quelle ist, jedoch von einer Mitwirkung der Baiern nichts meldet* 23 *In der deutschen Chronik beruft sich Aventin für diese Angaben über Utilo I., den fabelhaften Stammvater Karl d. Gr., auf die, „die vor im von den Baiern geschriben und den fürstlichen stam gemalt, auch ausgên haben lassen im Druck“* 30 — *nupsit nach Gregor. Turon. III, 4 u. 7.*

atque inter se nefario tumultuabantur bello, quo Bertharius extinctus est. reliquos duos fratres, dum mutuis vulneribus saeviunt, Franci reges invitati sustulerunt. diva Radegunda capta, abducta in Galliam Belgicam secundam, Luthario regi Francorum nupsit.

Sed a Boios redeo, qui Theodonem filium defuncto patre rebus imponunt. Anastasius imperator et Theodericus imperii procurator, rati Boios principibus destitutos obnoxios esse fraudi atque iniuriae, quod Theodo adolescens rudis et imperitus rerum esset, legatos ad Boios mittunt. hi data copia fandi huiuscemodi orationem habuerunt: etsi imperatores romani, rerum praesides rectoresque mundi, iniuriae contumeliaeque haud temere obliviscantur et his dumtaxat, qui promeruerint, amiciciam dare consueverunt, sanctissimus tamen atque felicissimus imperator Anastasius caesar augustus, memor rerum humanarum nec ignarus ludi fortunae, et quod illi, qui aliena iniuste invaserunt, deo optimo maximo poenas reddiderunt, gratiam facit, pacem et societatem ultro vobis, o Boii proceres, offert, provinciam, quam occupastis, licet armis et ferro recuperare facile esset, ut humano parcatur sanguini, condonat. vos in clientulos accipit, reipublicae romanae socios asciscit, quos omnibus viribus defendet ac tutabitur atque ab iniuriis barbarorum adseret. pro his beneficiis sicuti certae pignus amiciciae sane exiguum est, quod postulat, annuum nimirum munusculum. quid stolidius est, quam quae citra periculum comparare possis, malle sanguine tuorum tentare et incerta pro certis amplecti? consuevit deus summus et inmortalis, quo gravius ex conmutatione rerum homines doleant, his secundiores interdum res concedere. nemo igitur compos mentis victoria insolenter gloriari solet. quam fragiles, quam incertae sint res humanae, quotidie videmus; ipsae saepius in adversa conmutantur et tum maxime, ubi, quae ultro offertur, secunda fortuna sordescit. proinde ne quid temere conmittatur, dux vester Theodo cum paucis ad Theodericum in Italiam proficiscatur; ibi de conmunibus negociis consultabitur. nihil esse aequius ac utilius, nemo vestrum est, qui inficias ibit aut ambiget. haud

8 *Die älteste uns erhaltene Spur der im flgd. ausgeschmückten Ueberlieferung findet sich in einer Münchener Annalenhandschrift (cod. lat. 24571), aus welcher Wattenbach im 13. Bd. der M. G. Scr. Annalium Salisburgens. additamentum veröffentlichen wird: (nach 512)* Theodoricus ex parte imper. Anastasii Theodonem ducem ad se vocavit, censum ab eo exigens. *Hierauf beruht vielleicht auch die Hist. fundat. mon. Tegernseens. bei Pez, Thes. III, c, 493:* .... misitque imperator ad ducem exigens censum ..... Dieto indignans cum turpi nuntio nuntium remisit 24 — solet *Caesar, bell. Gall. I, 14.*

credo vos tam superbos esse, qui hanc benignitatem atque clementiam ultro oblatam flocci faciatis, quae omnibus modis, si negaretur, ambienda foret. diuturniorem impunitatem haud unquam suprema et aeterna illa caeli maiestas hostibus romani imperii concessit. sacrosancta est Roma et curia superum, princeps romanus deus et dominus est orbis terrarum. Alaricus et Attila, qui laedere romanam maiestatem ausi fuerunt, subito interierunt, subito raptati ad inferos aeternis suppliciis mactantur.

Ad haec Theodo paucis respondit. cuiusmodi est (inquit) Romanorum pax et societas, maiores nostri experti sunt et nos a senibus audivimus. iumenta eum locum, ubi semel lapsa sunt, semper cavere solent. Germani aliis tributa imperare, non pendere insueverunt. quisnam sit Anastasius, ignorare nobis licet. Graeculos literiones et Asiae molles foeminas fabulis territet. Italiam nunquam nisi victor et cum exercitu videbo. Theodericus, populares eius Getae, Italiam, romani penetralia imperii, Hispanias vi et armis coeperunt, vi et armis tenent; nostra deterior non est conditio. quae ferro parta sunt, ferro, ut fortes decet viros, tutabimur. haec pugnis coepimus, pugnis retinebimus; sic stat sententia. hichic me, quicunque vult, quaerat necesse est; hichic Theodonem Anastasius et Theodericus, si lubet, invenient. ita re infecta, irritatis animis legati discesserunt, quos pars pro obsidibus retinendis censuerat; vicit tamen prudentiorum sententia et ius gentium plus quam libido valuit.

511.

Post haec utrimque duces bello intenti locis aequis se continere, insidias cavere studuerunt. neque pugnam faciebant neque ocium patiebantur, hostem tantummodo ab incepto retinebant. neutri suos temere periculis obiectare aut loci iniquitate circumveniri consilium. uterque occasionem, tempus magis opportunum expectabat et nisi aequo loco aut opportunitate data dimicandum non existimabat. et nec his nec illis praelium tentantibus fortuna belli non ita cito transacta, aliquandiu dilata et protracta est.

Inter haec Anastasius fulmine adflatus Constantinopoli periit. Iustinus Thrax genere deinde obtinuit imperium. hic a teneris annis sues egit pavitque. ubi adolevit, annos natus sexdecim, relictis porcis militare coepit, ubi modestissime parendo et manu promptus, brevi enituit atque emersit. nam pollens viribus, hostes primus aut in primis ferire, ubi maximum periculum, ibi potissimum versari con-

3 — concessit *Caesar l. c.* 21 *Vergl. Hist. fundation. mon. Tegernseens. l. c. 494*: Theodo allusit dicens: hic me, qui quaerit, inveniet 34 — charus esset *vergl. Sallust. Iug. 6.*

suevit et in tantam claritudinem brevi pervenit, ut hostibus maximo terrori, imperatoribus vehementer charus esset. ab his primo tribunus factus, deinde rei militari praefectus est. ad ipsum Amantius, imperatoris Anastasii eunuchus, caesaream gazam et ingentem pecuniam detulit oravitque, ut Iustinus donativum longe maius quam priores principes militibus promitteret, si Theodocritianum quendam a cubiculo imperatorem legissent. Iustinus potitus pecunia, eam quidem viritim tribunis et militibus distribuit, sed beneficium in se transtulit. atque hoc donativo animos sibi militum conciliavit, suffragia caute emit. quocirca, cum exercitus de creando imperatore consultat, ne uno quidem discrepante, Iustinus augustus deligitur. Amantius et Theocritianus e medio sublati sunt. Vitaliano, qui Anastasio rebellarat, et coniunctis sibi Scythis graviter orientem vastarat, gratia facta est; ipse cum Rustico consul declaratur.

Dum haec Neoromae geruntur, Theodo impatiens morae et finiendi belli cupidus, nactus tempus opportunum, superiorem exercitum ad Pontes Oeni aciem movere, Romanos lacessere, amnis traiectum simulare iussit. ipse interim cum copiis suis paululum infra eum locum, ubi nunc Brundunum conditum et hostia Matichae sunt, qui ibi Oeno miscetur, Oenum superat, unde Theodophoro campo ibidem nomen est. cum peritis postea locorum ductoribus, cum electissimo equitatu, caeteris iussis se subsequi, emensis sylvis et fluminibus de improviso ex proxima sylva Romanos inopinatos a tergo, nil mali suspicantes, magno impetu ante lucis ortum invadit; fit tumultus clamorque. nostri, qui in altera ripa erant et ipsi acrius instare, pro ponte decertare coeperunt, pulso praesidio tergo fugientium haerentes ponte potiuntur. pars Oenum traiicere tentat. interim et alia manus, quae Theodonem secuta fuerat, apparet. Romani undique circumventi, caesi ad internecionem, pauci ex nostris desiderati sunt. locus ibi aduc Mortovelta,

21 *Am Rande in A*: Cum Evade rege Persarum res et fuit. Zeliobes rex Hunnorum cum viginti millibus auxilio Romanis venit, sed caesus cum toto exercitu est ab Evade tanquam proditor, utqui et a Rhomanis et a se munera acceperit. Zotus quoque Lazorum rex cum gente Byzantii cingitur sacraque christiana recepit et contra Persarum irruptiones in limitibus romani imperii collocatur. de hac gente mentionem facit et Stephanus in libro de urbibus *[Stephanus Byzantius, de urbibus et populis, ed. Amstelaedami 1725, p. 412]* et Iordanus pris *[c. 37]* Theodericus quoque ac Iustinus ob religionem dissentiunt. Iustinus coactus consentire Theoderico regi Getarum legatis. inter eos fuit papa Iohannes secundus *[Ekkeh. 139]* 29 Martovelta *B* *Am Rande in A*: ampla planicies est inter Moerennam et Oenum fluvios, patet latitudine 2000 passuum, longitudine 3000, circuitu 8000.

hoc est, caedis campus adpellari solet. effodiuntur etiam nunc quotidie arma, ossa, calcaria et huiuscemodi pugnae documenta. vetus Utini insigne est lupus sub fruticeto in insidiis delitescens, huiusmodi triumphi non vulgare more gentis trophaeum atque monumentum. incidit is clades Romanis (sicuti in annalibus et fastis adnotatum reperio) in annum christianae salutis quingentesimum atque vicesimum, imperii Iustini tercium, Valerio et Iustiniano, qui post imperavit, consulibus.

Profligatis Romanis, Theodo reliquias belli persequendas, hostibus metu perculsis, fama victoriae recentis exanimatis instandum esse optimum factu duxit. iam enim sibi persuaserat, nullam requiem aut pacem laboribus fore, nisi omnia ad Italiam usque vi et armis in obsequium et ditionem redigeret. ne igitur a tergo periculum immineret, quod Pannonias, Alpes Noricas, Laureacum, alias urbes munitas et amplas aduc Romani tenerent, praesidium Hunnorum inter Tranum Oenumque amnes conlocat. regio aduc ibi Hunnorucco (quod Hunnorum subdium valet) adpellari solet. regulus Boiorum cum reliquis copiis oram Oeni usque ad angustias Alpium, quas intrare expavit, subigit. tumultuarium praelium inter Carnodunum et Abudiacum propter Aurisium (ubi nunc Rhoda, contubernium monachorum est) fuisse proditur eo loco, qui ab accola Stritangero vocatur, hoc est certaminis pratum.

Inde Theodo Augustam Vindelicorum versus (quam supra in secundo libro in Augusto descripsi) infesto tendit exercitu; ad Magnovaldam fluvium castra locat et huic loco Theodophoro nomen est. romanae legiones obviam veniunt, belli aleam denuo tentare decreverunt. procedunt et Boii acie intenta inter amnes Isaram et Magnovaldam, ubi pagus et planicies spaciosa sub radicibus montium, cognomine Perilacha, procumbit. armis concurritur; victoria penes Boios fuit; legiones romanae perierunt. Augusta Vindelicorum eversa est et solo aequata. similis clades alia castella et oppida involvit. perempti sunt inter caeteros sacerdotes divus Anianus et divus Marinus episcopus. hic ante aram sacrificans trucidatur; templum ignis consumpsit. divus Marinus ut expiravit, abs quercu pependit, ubi aduc religiose

15 u. 16 *Am Rande in A zweimal:* Haunsberg. *Hunnorucco = Hausruck.*

5 *U. a. in den Salzburger Annalen, Mondseer Annalen (Excerpte in Aventins Adversarien, I, f. 6 v.) und in Historiae Cremifan., Mon. Germ. Script. XXV, 624, 654* 25 *An oder bei der Mangfall liegt kein Ort Dietfurt oder ähnlichen Namens. Wahrscheinlich ist das s. von der Mangfall, s. w. von Aibling liegende Tödtendorf gemeint* 29 *Perlach ö. von München.*

colitur. ossa amborum longo post tempore Rhodam superiorem translata sunt; ibi aduc condita servantur.

Romani, quibus fuga sibi consulere licuit, campis relictis Alpes occupant, fauces et aditus praecludunt praesidiisque firmant. nam Vindelicia, quam nunc Boiariam vocamus, clauditur ab austro perpetuis montium iugis et hoc dorsum a Lyco ad Oenum pertinet, quod amplius, si anfractus sequeris, centum et viginti millia passuum percurrit, quod, si hisce quincuncem dempseris, reliquum est recti itineris intervallum. Alpes a Ptolomaeo Peminae nuncupantur, sunt celsissimae, undique praeruptae et abscissae rupes; cacumina perpetua nive albicant, longe, late ad quadragesimum et amplius lapidem a peritis discernuntur. rector Boiorum Alpium tenus cuncta terrarum sibi subiecit, quamobrem subdita montibus Bairge, at montium iugum Valonse et Valonge cognominarunt Boii; haec Italorum lacus ac terra, illud Boiorum regio valet. atque istaec nomina pagis aduc manent.

Theodo tota potitus Vindelicia, captivos, quos coeperat, peritos locorum convocare inbet, qui docebant, per valles, qua Oenus et Isara et Libusa amnes erumperent, viam plaustris patere, caetera esse calles sylvestres vix singulis pervios. illis itaque ductoribus ad Inutrium (Mittovalda est) velut claustrum tum munitissimum obiectum hostibus Boii pulsis praesidiis penetrarunt. leve ibi praelium fuit. Romanus iam fugere magis quam pugnare consuetus terga vertit, desertis castellis, oppidis, praesidiis, ad quintum et sexagesimum lapidem Italiam versus fugam capessit. fugientium vestigiis haerent Boii, emensis sylvis, anfractibus Pyreni montis iugo. velut uno agmine utrique in planiciem, ubi Stiratiorum urbs condita extat, devenerunt. ibi Romanus restitit, manus conserit, sed repulsus; inde vicesimo lapide inter Brixinam et Sabonam constitit. rursus praelium redintegrat; Boii superiores facti Romanos sternunt, fundunt. reliqui omnes his locis et finitimis omnibus excedunt. propter Pisonium, ubi Isacus Athesi miscetur, Romanorum legiones et auxilia conveniunt castraque locant, pro salute ultimam belli aleam tentaturi. inter Tridentum et Pisonium ultimum certamen Boiis et Romanis fuit. Theodericus rex Getarum, qui pro legato et procuratore caesaris hactenus Italiam administrarat et occidenti praesederat, Tridentum moenibus cingit, Verrucam montem Athesi contiguum munit contra ferocissimas, ut ipse ait, gentes. Theodo quoque cum copiis suis omnibus et auxiliis superatis montibus, gnaris locorum ducentibus, in vallem Athesis evasit.

2 *Kloster Rott. Vergl. Legenda vetusta st. Marini et Aniani, M. B. I, 348* 26 *Aventin meint Sterzing* 30 *Bozen* 36 *Cassiodor. Var. III, 48.*

BSB

hoc extremum praelium et finem laborum ratus, incensis animis suorum, romanas acies avidius, quam maximo potest impetu, adgressus est. Volcovinus signifer eius Severinum praesidem interfecit. ipse Theodo Servatum vivum captum in crucem egit. caeteri profligati deinde absque labore sunt. eiectis itaque hisce provinciis Romanis victor Theodo Esiloprunnam (fontem Asinorum declarat et locus est prope Pisonium in ora Athesis) terminum inter Boios Italosque designavit. Pisonio et limiti Athesino ducem praefecit, qui eam Noricorum partem tutaretur; nobis marichographio patrio sermone adpellatur, qui longo post tempore Andechysii ac deinde Tyrolii cognomen sortitus est.

Illa tempestate divum Vigilium pontificem Tridentinum cum quibusdam symmystis interfectum esse a Boiis, divum Remedium Noricum praefectum cum sociis pulsum, habeo, quos sequar. illud quoque literis proditur, Theodorum archiflaminem Laureacensem tum interiisse et Laureacum eversum atque a Boiis de integro instauratum esse.

Romani cum tocies cum Theodone et Boiis male pugnassent, desperatione debilitati et successibus Theodonis fracti, Moesias, Pannonias, Noricum reliquum diffidentes rebus suis deserunt, in Italiam aufugiunt. vernaculis quoque haec apud nos carminibus celebrata sunt, quae in bibliothecis servantur; id enim unum annalium genus vulgo et rudibus literarum.

A 556

Theodericus Geta iam imperatoribus formidulosus et Romanis invisus esse coeperat ob Romanorum et quorundam senatorum necem, quos ob suspicionem adfectatae libertatis inmissis delatoribus in carcere ferro necarat. inter eos fuit Boethius vir consularis, perquam eruditus et initio Theoderico admodum gratus, ut literae Theoderici indicant. sepulchrum Boethii ostenditur Ticini. Ioannem quoque pontificem romanum adfligendo occidit, Symmachum patricium ferro trucidat. Ioannes pontifex maximus legatus ad imperatorem Iustinianum seniorem profectus, paulo post et Agapetus papa Gotorum causa. Darius Mediolanensis episcopus aufugit ad Iustinianum. Galla tum, filia Symmachi consulis ac patricii nobilissimi, barbam enatam sibi ob con-

3 *Am Rande in A:* Volkwein *Ebendort:* Severum.

3 *Vergl. Kaiserchronik, Vers 7080 flgd.* 6 *›Zuo dem heselînen brunnen‹, Kaiserchronik, V. 7151* 16 — esse *vgl. Hist. episcop. Pataviens.? (Mon. Germ. Script. XXV, 619, 653)* 20 *Kaiserchronik; etwa auch Annolied? s. in der Ausgabe von K. Roth S. 22—25* 27 *Cassiodor. Var. I, 45* 28 — trucidat *Gregor. Dial. IV, 30.* — Iustinianum *l. c. III, 2, 3, 4* 32 — transsire *l. c. IV, 13.*

spersionem corporis igneam medicorum consilio atque arte vellere noluit; maluit ita deo placere quam barba vacua ad secundas nuptias transsire. Rusticiniana uxor Symmachi.

Canitur apud nos Theodericum subito nusquam comparuisse. Adalaricus, eius nepos ex filia, cum matre Amalovinda Italiam, Siciliam, Dalmatiam sub tutela et auspiciis imperatoris romani gubernavit. Eutharicus Cillica, genere Gotus, gener Theoderici, quem Iustinus imperator secum consulem nuncuparat, ante socerum ex hac vita migravit. Iustinus quoque paucis post annis declarato Iustiniano, sororis suae filio, caesare, decessit Mavortio consule. porro neque 56A Goti neque Romani post haec vires ac perditas provincias recuperare nisi sunt. Theodo Marte parta inter socios atque Boios divisit. Venedi, Chariones proprie dicti, eam Norici portionem, quae infra Taurum montem orientem spectat, inter fontes Murae, Dravi, Savi includitur, usque Aquileiensem agrum occuparunt et aduc possident. Abares et Hunni infra amnem Anassum Noricum Ripense Danubio conterminum invasere. ea regio in diplomatibus imperatorum et pontificum romanorum, in vetustis literarum monumentis Abaria sive Avaria, eadem et Hunnia vocari solet; pars montium aduc nomen retinet. plura perquam paucis cognita in vita Caroli Magni docebo. caetera Italiam et Histrum usque Boii tenuere inter seque divisere. Noricum Halii, Stiri, Stiratii, Trani coeperunt. superiorem Vindeliciam Schiri et Schiratii, inferiorem Hirri, Salii, Salingi possedere. Venedi et Hunni propriis institutis liberi vixerunt, donec Venedos iussu Hyldeberti et Dagoberti regum Franciae Boii in obsequium et ditionem redegere. Hunnos radicitus mandato Caroli Magni exciderunt; utroque postea coloniae Boiorum deductae sunt.

Nam regulus Boius (quem Boiorum maximum et summum ducem atque monarchen nostri authores, ut nunc Austriacum et orientalem Noricorum principem archiducem vocamus, adpellare consueverunt) quatuor tetrarchas et limitum praefectos dicto audientes habuit, non perpetuos quidem primum, sed, ut libuit, amovit praefecitque. ab oriente contra Hunnos et Venedos Anassi et Stiriae cognominatus et demum Austriacus, id est orientalis limitis praefectus dictus est. ab austro adversus Italos Romanosque Athesinus, qui et Pisonii quondam,

22 *Am Rande in A:* Carpi 23 *ebendort:* Guthungi, Buri.

4 *vgl. Müllenhoff in Haupts Zeitschrift XII, 434* 17 *u. a. Mon. Boic. XXVIII, a, 29 in Urk. K. Ludwigs v. 836: provincia Avarorum* 18 *„Hunia, quae et Avaria“ u. a. in der (gefälschten) Bulle des Papstes Eugen bei Dümmler, Piligrim v. Passau, S. 115, 116* 20 *vgl. oben S. 344, Z. 14.*

nunc Tyrolii rector nominatur, institutus est. Lycatiorum occidentis ab ora praesidem varie cognominatum reperio; nam et Damasium, Andechysium, Ambrogeum, Veliphoratusium, ut adpellant, comitem huic limiti praefuisse reperio. Chamaborum et Nariscorum maxima tetrarchia fuit, adversum Boiemiae Venedos et Sorabes instituta; isque tetrarches Boethorum, velut patronus aliorum terminorum cognominatus est, quod is apud veteres et maiores instaurator generis principalis habitus semper est. ubi regulorum soboles interciderat, Boethi limitis praefectus ducatui totius Boiariae sufficiebatur. verum hi terminorum praefecti tandem per se principes et reguli esse coeperunt et solo imperatori obtemperare consueverunt. Theodo tum Athesino limiti Adalogerionem cognatum suum, Lycatiis Heroldum praefecit, Anassi tetrarchiae Hirandum, Rudolphum cum filio Boethis et Nariscis Chamabisque custodes et rectores dedit. ipse Reginoburgii velut in medio consedit.

Longobardi sub idem tempus successu Boiorum invitati, in Pannoniam, a qua Danubio discreti erant, processerunt.

Porro regulus Boiorum divisis provinciis ad pacis artes animum intendit iusticiaque populum formare et regnum confirmare constituit. ut autem feroces animos gentis mitigaret, leges dedit, quibus, quo sanctiores forent, Theodericus rex Francus author factus est et eas suo auspicio promulgavit. extant in bibliothecis. in his, quia Boii christiani nondum erant, plaeraque adversa veritati divinae permittebantur, quae Hyldebertus et Lutharius reges Francorum postea abrogarunt. sunt, qui tradant hunc Theodonem non abhorruisse a pietate christiana ad eumque venisse divum Rupertum, regio Francorum genere procreatum, quem ut nuncium et interpraetem sanctissimae philosophiae a Christo servatore nostro ad maiores nostros divinitus legatum veneramur. verum Boiorum proceres vociferabantur, se non posse deserere avitas ceremonias, quae ipsis tot triumphos praestitissent; hanc novam religionem adversam esse viris fortibus et rei bellicae studiosis; religionem christianam, ut vera sit, tamen inutilem esse reipublicae; principem, siquidem suo officio fungi velit, non posse esse christianum. Romanos, quod a veteri cultu numinum desciverint, hostibus suis inferiores esse. Christum omnium deorum esse pauperri-

13 *Am Rande in A:* Hirendum, Wirentus 17 *ebendort*: Odwein, Albowein.

22 *Lex Baiuvariorum, Mon. Germ. Leg. III. Zur obigen Stelle vergl. den Herausgeber Merkel a. a. O. 231, Anm. 86; Riezler, Ueber die Entstehungszeit der Lex. Baiuv., Forschungen z. deutsch. Gesch. XVI, 439.*

BSB

mum, qui suis cultoribus nihil aliud praeter quam contumelias et egestatem polliceatur et tribuat. invidere denique ipsum caeteris diis deabusque consensu ab aevo totius orbis receptis divinitatem. Rupertus cum frustra invitos servandi operam sibi sumpsisset, domum revertit paucis post annis. ubi Theodo pacem genti suae peperit, diutinae et longinquae peregrinationi finem fecit, Boiis hactenus sine lare, sine focis palantibus et vagis sedes fixas statasque adsignavit, ubi Noricum et Vindeliciam sub imperium suum coegit, haeque provinciae in nomen Boiorum concessere. cum potestatis sex et viginti annos implevisset, mortem obiit anno a nato Christo quingentesimo super septimum et tricesimum.

Cap. 3. Theodo tercius, Uto, qui et Oto, Theodovalda, fratres germani, posteaquam parentis funeri ritu patrio iusta fecerunt, Boiariam in tris partis diviserunt. Theodo, qui maximus natu erat, Náriscos, Reginoburgium, ea loca, quae inferiorem Boiariam vocamus, inter Oenum et Danubium possedit. Theodovalda Pisonium, Athesinos, montes Oeno continuos, finitima Italiae accepit. Uto Laureacum, Noricum Ripense, quicquid inter Taurum et Alpes, inter Anassum, Danubium et Oenum amnes clauditur, et Vindeliciam subditam Alpibus sortitus est. pontes Oeni restauravit, a suo vocabulo Utinum appellavit, Otingam vulgo vocant. ibi regiam constituit Uto atque habitavit; ubi tria flumina confluunt, Oenus, Iseniscus, Merena.

Ea tempestate Francis imperitabat Theodopertus rex pientissimus, filius Theoderici superioris, qui tris annos ante Theodonem Magnum regulum Boiorum terras et vitam cum regno reliquerat. Theodopertus is filiam suam Reginodrudam Theodoni tercio Boiorum duci despondet et in matrimonium dat. iubet deinde ad Boios proficisci divum Rupertum (de quo iam supra diximus) cum duodecim mystis divinae sapientiae

20 *Am Rande in A:* Gelismaro rege capto Neorhomamque misso Carthago recepta post annos 96, quam Germanis subiectus fuit. imperator Iustinianus usus opera Germanorum contra Persas. eorum rex Giber in Phaside Colchorum urbe collocatus. Item Ellingerus et Zaberga Hunnorum duces adversus Rabadem et Chosroem primum, reges Persarum, militarunt Iustiniano imperatore; Lazorum quoque gens, cuius supra mentionem feci 22 Oenus — Merena *in B von Aventins Hand nachgetragen, fehlt in A*

11 *So auch Veit Arnpeck, Chron. Baioar. (Pez, Thes. III, c, 49), der auch für das obige zu vergleichen und in dem entsprechenden Abschnitte der deutschen Chronik von Aventin angerufen wird. Auch die Geschichtsquellen von Kremsmünster (M. G. Scr. XXV, 624) haben 537 als Theodo's Todesjahr.*

consultissimis, quorum haec nomina fuisse reperio: Gisolarius, Domingus, Maternus, Dignulus, Chunaldus, Isenardus, Gerardus, Ariofridus, Vitalis, Ratharius, Erchanofridus. soror quoque Ruperti Ariodruda virgo sancta et cordata ad Boios perrexit. Rupertus cum sociis a Theodone Reginoburgii benigne receptus est; privatim et publice in concionibus hortari, monere ad sapientiam caelestem non destitit populum Boiorum omnique modo intentus, aditum vitae et veritatis reseravit et in concione huiuscemodi verbis disseruit: omnes homines natura duce felices atque beati esse desiderant. nemo, quoad licet, vult falli aut decipi aut miser esse. omnes bene vivere expetimus. quocunque nomine illud summum bonum (quod natura omnes expetimus et quo adepto nihil est equidem, quod amplius ab homine desiderari queat), sive bona vita sive felicitas atque beatitudo nuncupetur, in summo sit necesse est. verissimum est illud poetae, tametsi a religione nostra alieni testimonium, qui in praeclaro opere ita ait:

Pronaque cum spectent animalia caetera terram, | Ille opifex rerum, mundi melioris origo, | Os homini sublime dedit caelumque videre | Iussit et erectos ad sidera tollere vultus.

Animas non interire, vel maiores nostri atque druides docuerunt. caelestis nobis est origo; eo spectandum, nitendum est, si infelices et miseri mortalesque esse nolumus. eo denique per virtutis et iusticiae callem redeundum est, ne adpetitus natura nobis insitus frustra sit. quamobrem ceremonias deorum vanas plane, fictas ac falsas esse nemo nisi indoctus et incultus negaverit; quae tam multiplices, tam variae, tam multae ac pugnantes, tam onerosae sunt, quae non solum statis diebus et concionibus ad recte beateque vivendum cultores suos non erudiunt, verum etiam ad scelerosa impiaque facta nefando ritu fenestram impudentissime aperiunt. dii illi nocturni lemures sunt; non a viciis cohibent, sed ad scelera inliciunt. caelum, unde superbia depulsi sunt, mortalibus invident, sub nominibus potentissimorum clarissimorumque regum sacra sibi conmenta sunt prophana, divinos honores perversa religione falso sibi usurparunt hominumque mentibus simulata et mentita divinitate tenebras offuderunt; tum maxime, cum benefacere videntur, nocent. multis dominis servire miseria et per-

3 *Am Rande in A ferner*: Lithaldus filius, Othmarus, Madilochus, Litomari, Amalaricus, Hunoldus.

1 *Die flgd. Namen aus Breves notitiae Salzburgenses, ed. Keinz (Indiculus Arnonis u. Br. not. S.), S.* 35 18 *Ovid. metamorphos., I, v. 84, 79, 85, 86* 29 — nocent *Lactant. Inst. IV, 27; II, 16.*

niciosa est multitudo imperatorum. una anima infinita corporis menbra incubat, infinita et diversa hominis munera defungitur, videt, sentit, audit, olfacit, ambulat, intelligit, loquitur, vescitur, potat, lavat, vigilat ac ne somno quidem quiescit. et unus sol totum mundum lumine conlustrat, vices temporum ex usu naturae meatu suo temperat, cuncta calore fovet atque animat. haud aliter unus caeli imperator totam molem administrat, astra, caelum, res hominum atque deorum, mare et terras variisque mundum temperat horis. ipse praesens rebus incubat, tenebras hominum generi aufert, lucem et vitam largitur. vera igitur ea solum religio est, quae una et simplex apud omnes gentes in universo terrarum orbe existit, unum rerum numen optimum maximum adorat et hominibus aditum ad caelum reserat, viam, qua ad astra itur, patefacit. haec omnium facillima et commodissima est. nil praecipit, nil oneris imponit, quam ut nos in altero cogitemus; ita cum alio agas, quemadmodum agi tecum velis, et ne alii feceris, quod ab alio pati nolis. haec summa est iusticiae, hoc caput est legis divinae. satis pie, satis religiose litavit, qui innocentiam deo authori suo offert, qui, ut est erga pios indulgentissimus pater, ita adversus impios rectissimus iudex. ipse praemium, ipse merces iustorum est. quibusdam sane cultoribus suis opes, potentiam, regna largitur, ne ea mala neve beneficia larvarum esse putarentur; plaerisque vero pernegat; quae si omnibus condonaret, facile, ut sunt omnes homines proclives natura ad vicia, aut nihil aliud a deo peterent et expectarent aut etiam omnino deus inmortalis in oblivionem illis in rebus veniret. quippe diviciae, imperia, honores et alia huiusmodi omnia, quae caduca et fluxa sunt, brevi dilabuntur et postremo, ut corpus, intereunt; plaerunque scelestos, nunquam bonos faciunt; saepius fallaci specie amatores decipiunt ipsisque spinae sunt. secundae res animos sapientum quoque fatigant, nedum illi inculti, imperiti, quorum maxima pars est, licentiae et libidini temperarent. adversae res patientiam praestant, quae prima virtutum caelo nos aequat et militem fidem servare imperatori suo probat. supremus ille et singularis largitor deus omnium bonorum Francos, cognatos vestros, posteaquam sacra christiana receperunt, nulli opibus secundos esse voluit. at romani proceres omnium superstitionum (ut quidam ait) sentina, quod veluti canes rabiosi divinae iusticiae semper oblatrarunt, crimen lesae summae maiestatis luunt. nec est enim qnicquam felicius ac dicius homine

14 ut — nolis *l. c. VI, 23, 32* 18 — iudex *l. c. I, 1, 15* — iustorum est *l. c. V, 22, 14* 25 — dilabuntur *Sall. Iug. 2; Cat. 1* 28 — temperarent *Sall. Cat. 11, 8.*

christiano, qui omnia bona sua secum portat, nihil perdere potest, omnia possidet. christiano nil mali accidere potest, utpote cui divinitas praemium et merces est, haereditas caelum, diviciae virtutes. proinde atros genios et furias inferis relinquite, veritatem agnoscite, eam religionem capessite, ubi homines pro mortalibus aeterni fiunt, ubi omnes reges, omnes principes, omnes pontifices, omnes sacerdotes et caelestis aulae cives erimus.

Haec atque alia huiuscemodi saepe dicendo divus Rupertus Boiorum populum persuadet, ut deserta avita superstitione, exploso atque exibilato gentili numinum cultu, sapientiam christianam reciperent et unius dei cultum amplecterentur. primum Theodo cum filio Theodoperto Reginoburgii aqua caelesti lustratus est; deinde Rupertus in Danubio navibus delatus, ubique cònfluentibus certatim Boiis mysteria philosophiae nostrae edidit atque ita Laureacum devenit. inde per Noricum Utinum perrexit, ibi Utonem ducem sacro lavacro, Theovaldam Pisonii abluit. Utini tum atque Reginoburgii Christo deo, eius genitrici prope praetoria princìpúm templa extruuntur, a Ruperto consecrantur; utrunque aduc sacellum aediculaque vetus vocari solet. post haec per omnes Boiorum regiones sacrae aedes passim aedificantur et a Ruperto et sociis eius dedicantur, ut Velteburgii haud longe a patria mea, et extra moenia Reginoburgensium divo Georgio, tutelari christianorum militum numini, tum templa inaugurata sunt. quaedam divo Martino Maximilianoque dicata; ea aduc monstrantur. pontificiam aedem Ruperto monstratore propter lacum Valerium apud Noricos, ubi Phischam amnem effundit, reguli Boiorum extruxere. iuxta Cucullas, vetustissimam Romanorum coloniam (cuius etiam Eugypius mentionem facit) octoginta amplius ibidem colonos vectigalia pensitare Ruperto imperant, fuere autem Cucullae Norici superioris oppidum iuxta Alpes Gauzonem atque Luduzonem in pago Aterogea et propter Phischam amnem, ubi post fata Attilae Martianus sacerdos et Severinus locustas carminibus suppliciisque deorum fugarunt.

63

20 *Am Rande in A:* aduc nomina servant 24 *ebendort*: Valerius lacus est Noricorum, Phiscam amnem emittit; ibi Hunnobergomum; supra Lavicanos exoneratur in Iuvaviam. ibi templum divo Petro extructum, quamobrem SEkirchen quasi Ekirchen vocatur; a Iuvavia decem millia passuum; confinia omnia tradit. 26 *ebendort:* Fuere autem Cucullae Norici superioris oppidum quindecim millia passuum supra Saliburgium.

11 *Für das flgd.* — devenit *vergl. Vita b. Hrodberti, Mon. Germ. Script. XI, 4, 5* 25 *Breves notitiae Salzburg. p. 27* 26 *Eugippii Vita st. Severini, c. 11, 12* 28 u. 29 *Breves notitiae Salzburg. p. 28.*

Maiores nostri, religiosissimi mortales, viva dei simulacra et templa nos esse existimarunt et pro vero habuerunt; mentes nostras penetralia, pectora sacraria, corda aras esse spiritus caelestis; illa non auro, pictura aut pecunia, rebus nimirum prophanis ac quibus vera sacra pollui solent, sed iusticia, modestia, benignitate et liberalitate in pauperes pietateque excoluerunt. certique in hac vita nequaquam se habitare, sed peregrinari dumtaxat, non sumptuosas aut magnificas aedes nec sibi nec superis construxerunt; perangustis delubris ac domibus, quae iniuriam caeli arcerent, contentos fuisse compertum habeo. nihil pompae datum est, pietatem magnifice coluerunt. nihil voluptati oculorum indulsere, paupertatis amatores, non luxus aut divitiarum admiratores, cuncta necessitate metiti sunt. nulla tum avaricia aut ambitio; concordia maxima erat, victus et amictus in diviciis conputabantur. sacerdotes pii, casti divinae sapientiae vacabant. populus sacerdotibus decimas distribuebat. sacerdotes cum pauperibus et egenis, quorum nomina scripta habebant, aequo iure partiebantur; quemquam enim egere atque mendicare pati summum eo tempore flagitium habebatur. quod si nostro saeculo christianorum animi virtus, uti decet, valeret, aequabilius ac constantius res humanae sese haberent neque aliud alio ferri (ut ait nobilis historicus) neque mutari ac misceri omnia cerneres. et profecto, si nobis bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura, multum etiam periculosa petimus, sapientia christiana floreret neque regeremur magis casibus, quam regeremus casus. res iam pridem et pietatem perdidimus, utinam umbram rerum teneremus. virtuti nullus est honos. invicem invidere, flocci facere, mordere clamculum, fraudare, fallere longinqua consuetudo est; nihil pensi, nihil sancti habere, aliena intercipere, vultum bonum simulare magis quam praestare summa prudentia adpellatur. iam ipsa pietas stulticia est.

Sed ad id, unde diverti, regredior. principes Boiorum, ubi philosophiam christianam receperunt, Romanos omnes, quos aduc captivos et servos inter ergastula et in agris veluti mancipia et pecora exercebant, divo Ruperto depraecatore solvunt liberosque in Italiam abire permittunt. invenere sub idem tempus salinas in Norico. Iuvaviam, Romanorum olim coloniam, denuo aedificari iubent, a salis proventu Saleburgium vocant, ubi templa duo viris et sacratis foeminis dedicarunt. virginum maxima diva Ariodruda fuit, soror divi Ruperti.

1 — mortales *Sall. Cat. 12, 3* 20 *Sall., Cat., 2, 3* 21 — casus *Sall. Iug. 1, 5* 37 *Vielmehr Nichte.*

pontificiam sedem eo transferunt et Rupertum migrare praecipiunt. accolae circumcirca ad decem millia passuum pascere illum cum tribu sua iussi. Ratharius Reginoburgensibus pontifex datur. Laureacensi templo Gerardus praeficitur, Boiorum maximus pontifex et archiepiscopus nuncupatur. divum tum Ingenuinum Sabonensem, qui nunc Brixinensis est, antistitem fuisse reperio.

Dum haec in Boiaria geruntur, in Italia Amalovinda (ut supra diximus) mortuo patre Theoderico, regnum suscepit Ostrogotorum cum filio Adalarico, decem dumtaxat annos nato. qui ut bonis artibus moribusque institueretur, eruditis senibusque gravissimis a matre commissus est. id aegre tulerunt Gotorum proceres, ad reginam vociferantes veniunt: non placere Gotis regem in umbra scholae sub magistrorum et senum ferula obsolescere; decere magnum regem arma, equos tractare, muneribus bellicis excitari, non sub somniculosis senibus et ignavis literatoribus libris et calamo impallescere metuque, segnicie et socordia frangi atque torpescere; hisce animum et corpus enervari, illis robur et peritiam ali. nec ob id factum regem, ut ludi magister populum literas doceat, sed uti bello, armis tutetur atque defendat. regina quamvis ingentis animi esset, non ausa tamen refragari, filio liberius vivendi potestatem fecit. ipse igitur cum aequalibus noctes diesque ganeis, stupro, corporis gaudiis deditus, lascivire, potare, scortari insuevit, ut sunt ingenia adolescentum proclivia ad luxum, maxime ubi opes, aetas, assentatores, perniciosissimum principibus genus, ad huiusmodi voluptatum inlecebras impellunt. ita Adalaricus nimio luxu aegritudinem contraxit letalem periitque anno aetatis duodevicesimo.

Mater eius orbata marito et filio, ne orbitas contemptui esset, Theothadum amitinum suum, filium Amalofredae, consortem matrimonii et regni adsciscit. sed homo omnium ingratissimus ignavissimusque Theothadus, inmemor tanti beneficii, ubi ipse gubernacula rerum adeptus est, uxorem in balneo extinxit. Gotorum plaerique inde infensi regi, iniquissimo tale facinus perpetiebantur animo. Iustinianus imperator ubi haec accepit, ratus oportunum tempus liberandae Italiae advenisse, expeditionem Italicam meditatur. incitabat

3 *Conradi de Megenberg chron. episcopor. Ratisbon. bei Eccard, Corp. historicum, II, 2244* 4 *Bischof Gerhard v. Passau, der erst im 10. Jahrh. regierte, wird in drei wahrscheinlich gefälschten Aktenstücken, welche Aventin als echte benutzt und zu früh datirt zu haben scheint, Erzbischof v. Lorch genannt. Vergl. Dümmler, Piligrim v. Passau, 22, 114* 9 *Für das flgd. vergl. Procopii de bello Gothico, lib. I, c. 2* 27 *Das flgd.* — extinxit *nach Iordanis c. 59.*

augustum felicitas imperii. nam Persas, Parthos victricibus signis trans Euphraten submoverat; Africam et Carthaginem domitis Vandalis, capto Gilomaro, horum rege, (cuius in secundo libro mentionem feci) romano restituerat imperio. diversis idcirco locis Gotos invadi iubet, Belisarium consulem in Italiam, Mundum ducem in Dalmatiam adversus Ostrogotos cum copiis mittit. Belisarius Siciliam primo invasit, eandem victis, pulsis Gotis recuperavit. in Dalmatia res adversae fuere Romanis. Mundus cum Mauricio filio caesus est a Gotis. sunt authores, fatidica Sibyllae carmina pronunciata esse, quorum sententia: periturum cum prole sua Mundum, ubi Africa denuo armis romanis recepta foret. hoc Sibyllae vaticinium plaerosque mortalis conterruerat, qui anxii tabefactique metu excidium orbi terrarum inminens expectabant. verum exitus et nex Mundi ducis filiique sui docuit probavitque huiuscemodi vaticinia tam obscura ambiguaque esse, quam fallaces sunt eorum artifices atri genii.

Constantinus deinde bello Dalmatico praeficitur. Grippo dux Gotorum inde pulsus mari Ravennam delatus est. Belisarius iussu Iustiniani in Italiam solvit ex Sicilia. omnis ea ora ad imperatorem deficit a Gotis; sola Neapolis Belisario portas clausit, sed a Belisario obsessa et expugnata est. Goti perfidiam et socordiam Theothadi exosi Vitigisum regem creant. Theothadus dum Ravennam aufugit, occisus est. Vitigisus romanum populum, Agapetum pontificem maximum iureiurando sibi devincit; inde Roma Ticinum ad contrahenda undique auxilia proficiscitur. foedus cum Theodoperto rege Germaniae et ducibus Boiorum facit. Massiliam et Galliam Narbonensem Germaniae regibus concedit, quos imperator Iustinianus missa pecunia in Gotos concitarat. nam Boios ex usu suo auxilia nunc Gotis, nunc imperatori vendidisse reperio.

Belisarius interea Romam infesto intentoque exercitu procedit. Romani fracta fide a Gotis deficiunt, Belisarium cum copiis in urbem recipiunt. Vitigisus Romam contendit, eam arctissima claudit obsidione menses quatuordecim. Liberius romanus pontifex, quod cum Gotis sentire videbatur, in exilium actus est. itidem Maximus, pronepos

5 u. 6 Belesarium, Belesarius *A u. B, unten aber stets* Belisarius 26 *Am Rande in A*: imperator Iustinianus confirmat donationem. — et, ut Agathius *(sic)* Graecus, qui eo tempore scripsit, refert, Massiliae reges germani monetam auream cum sua imagine percussere, quod tum nemini regum praeter imperatorem romanum licebat, ne regi quidem Persarum, omnium ditissimo atque potentissimo. sed Germani flocci faciebant romani principis minas 32 *Am Rande in B* su Liberius: Sylverius alii.

3 *S. oben S. 308* 20 *Für das flgd. vergl. Iordanis c. 60.*

Maximi, (qui imperium post Valentiniani tercii mortem arripuerat). Vigilius a Belisario Romanis pontifex datur.

Sub idem tempus Ariminum, Ancona, Comum, Bergomum, Mediolanum et aliae conplures urbes a Gotis ad imperatorem desciverunt. Vitigisus a Theodoperto rege Germaniae et ducibus Boiorum auxiliares copias ex pacto accersit. Narses quoque eunuchus, quaestor et intimus Iustiniani, auxilia Germanorum emit, cum Herulis et aliis Germaniae populis, qui Histrum accolunt, in Italiam venit. sed continuo inter duces Belisarium et eunuchum discordia oritur; quisque in se summam rerum trahehat. decem tum millia Germanorum a Theodoperto rege in Italiam ex foedere missa sunt Gotis. hi coniunctis copiis obsedere Mediolanum; Iustiniani miles non ausus fuit transsire
68 Padum, nam et duces dissentiebant/castrisque disiunctis bellum gerebant. Mediolanum a Germanis capitur, solo aequatur; qui arma ferre potuerunt, omnes trucidati sunt. mulieres, pueri, senes dati Theodoperti regis Germaniae copiis auxiliaribus; civium triginta millia caesa sunt. Belisarius rem omnem literis ordine Iustiniano aperit. Narses ab Italia in Graeciam revocatur.

Theodopertus rursus et cum eo duces Boiorum cum octoginta millibus in Italiam pergunt; Ticinum Padumque tranant, castra Belisarii expugnant. Gotis quoque illorum adventus formidulosus fuit. verum ea regio crebris cladibus adtrita graviter erat. Theodopertus penuria conmeatus simul et pestilentia saeviente coactus, pluribus amissis, cum reliquiis domum revertit. Vitigisus soluta obsidione Romae Ravennam intravit ibique a Belisario obsessus est. Theodopertus factis induciis legatos Ravennam mittit, qui quinquaginta millia militum Gotis polliceantur, si Theodopertum socium dominationis in Italia Goti admiserint. Belisarius quoque dolo adgressus Vitigisum, ei persuasit, ut se imperatori traderet; ductusque est a Belisario Byzantium.

Interim Goti Hyldebrandum ducem Veronensem regem eligunt. ipse omnes urbes trans Padum et Venetiae recuperavit. nam avaritia praetorum imperatoris Italorum animos ab Iustiniano abalienavit. Hyldebrando regi extincto Araricus succedit; hic quinto mense regnum cum vita finivit, intra biennium duobus regibus Gotorum sublatis. Totila omnium consensu et favore, Taurisii antea rector, nepos ex fratre Hyldebrandi, rex salutatur. Veronam pulsis copiis imperatoris eodem die recipit; duces Iustiniani ubique vicit; plaeraque Hetruriae oppida coepit; moenia Beneventi diruit, Neapolim obsedit recepitque

8 *Am Rande in A*: Albevino regi Longobardo confoederatis.

cum Apulia, Lucania, Calabria; terra marique copias et classem imperatoris superavit. ad divum Benedictum Richonem ab armis, cultu regio praemittit cum Volone, Ruderico, Blidino purpuratis aulicoque famulicio subsequitur, de regno et rebus suis consultaturus. se Roma potiturum, novem annos regnaturum, decimo moriturum audit. Perusia septem annis ab Totila obsessa, fame expugnata; Floridus episcopus urbis capite truncatus; Corbonius Populonii episcopus urso obiectus; Aquina urbs vacua relicta ob arma hostium et pestilentiam. Goti ob iusticiam Totilae invalescebant; Iustiniani duces ob avariciam invisi etiam suis erant. milites defraudati stipendiis urbes relinquere ac pugnare recusabant.

Sub hoc tempore Uto tetrarches et regulus Boiorum anno octavo post mortem Theodonis parentis sui decessit. Theodo frater eius regnum recipit cum filio Theodoperto. fuit is annus a Christo servatore nostro nato quingentesimus super quintum et quadragesimum.

Subsequenti anno Belisarius in Italiam rediit, Polam primo, deinde Ravennam appulit. considerato Italiae statu Iustiniano scribit, nisi auxilia Hunnorum et aliorum Germanorum adsciscat, Gotos insuperabiles esse. inter haec Totilas Romam obsidet capitque sexto decimo calendas Ianuarii anno christianae salutis quingentesimo duodequinquagesimo. Totila bona omnia militibus condonat; caeterum corpora esse libera edicto sanxit. inde legatos cum mandatis Neorhomam ad Iustinianum ire iubet. postulabat ab imperatore Italiam foedusque, quemadmodum sub imperatore Anastasio et Theoderico rege fuisset. quod si non impetraret, minabatur Totila, se urbem, quam retinere non posset, nomenque romanum excisurum. Iustinianus respondit, Belisarium in Italia esse, cui res Italicas conmisisset. Totila igitur, ubi postulatis imperator non annuit, urbem Romam evertere decrevit. moenium partem maximam pluribus locis solo aequat, capitolium incendit; omnes cives cum coniugibus et liberis urbe excedere iubet. plaebs per oppida Campaniae dispersa est; senatores patriciosque Totila secum pro obsidibus retinuit. inde aedificiis ignis inmissus est; incensam omni parte Romam Gotus vacuam reliquit. tredecim dies incendium emicuit. fuit urbs Roma amplius quadraginta diebus in ea solitudine, ut nec mulier quidem nec vir quisquam in ea fuerit.

8 *Ebendort*: Darius Mediolanensis episcopus aufugit ad Iustinianum.

2 — pestilentiam *Gregorii dialogi (Coloniae 1610), II, 14, 15; III, 13, 11, 8* 15 *Historiae Cremifan., Handschrift C, M. G. Scr. XXV, 625* 16 *Für das flgd. vergl. Procop. de bello Gothico III, c. 19—22.*

BSB

Eo tempore obiit Theodopertus rex Francorum sive Germaniae, qui tres duces Buccelinum, Amingum, Lutherium in Italiam adversus romanum imperatorem cum copiis abire iussit. Buccelinusque cum Francis in Campania Fundense contubernium ab Honorato in Samnia extructum (cuius praesul secundus erat divus Libertinus), quod ditissimum ingentes pecunias possidere ferebatur, diripere conatur. ipsique Franci sub hoc tumultu rerum per Italiam armis vagati sunt praedamque ingentem Theodoperto in Germaniam miserunt. succedit Theodovalda filius annos septem.

Eversa urbe Totilas in Lucanos Calabrosque castra movet. Belisarius vacuam urbem occupat, celerius omnium opinione fossa, vallo, aggere, turribus ligneis partem urbis munit; nam tota instaurari non potuit hactenus. Totilas adest, sed repulsus Tibur discedit. Belisarius in Graeciam ab imperatore revocatur. Totila Romam obsidet, capit. ita uno anno Roma, caput mundi gentiumque domina, ter capta est. Totilas mutata mente, revocatis undique civibus, Romam instaurare decrevit atque firmare; deinde ad Siciliam pergit. Germanus, patruelis Iustiniani, ducta Amalovinda, nepte Theoderici, quo animos sibi Gotorum conciliaret, dux belli Italici a Iustiniano declaratur. cum in Illyrico necessaria tantae expeditioni comparat, Venedorum portio, qui et Sclavi, transmisso Danubio, provincias romanas Liburniam, Dalmatiam invadunt; aduc possident; ab ipsis Sclavonia et Venedorum marchia vocatur. territus Iustinianus Germanum retro Byzantium tendere iubet. Narses deinde eunuchus Italiae praeficitur. hic distributa ingenti pecunia germanis adcolis Danubii Longobardos, Herulos, Boios, Hunnos, Gepidas secum in auxilia traxit; Totilam praelio occidit, decimo potestatis anno regnum cum vita finire cogit. simili fato Theiam regem successorem Totilae extinxit; Buccellinum Amingumque, duces Theodovaldae regis Germaniae, fudit, interfecit. Lutherius tercius dux, dum praeda onustus in Germaniam redire parat, inter Veronam Tridentumque propter lacum Benacum naturae

71.4

3 *Vor* Buccelinusque *steht am Rande in A*: Gregorius 13 *Am Rande in A*: 532 Dionysius paschales scribit circulos; qui est annus Diocletiani 248, post consulatum Lampadii et Orestis, quo anno codex Iustiniani orbi promulgatus est. Victorque Capuanorum episcopus librum de pascha scribit; Victorii arguit errores 24 *ebendort*: is pacem init cum Longobardo rege Albevino 28 *ebendort*: qui biennio potitus est rerum; ita regnum Ostrogetarum destructum, quod plus quam 2000 steterat annos.

3 u. 6 — conatur *Gregorii dialogi I, 2* 26 *Procop. de bello Gothico IV, c. 26* 28 Buccellinum — concessit; *vergl. Pauli hist. Langobard. lib. II, c. 2, M. G. Scr. rer. Langob. 72, 73.*

concessit. tota Italia cum urbe Roma a Narsete recipitur et post annum septimum atque septuagesimum romano adseritur imperio. administravit Italiam urbemque Romam Narses annis sexdecim. finitum hoc bellum Geticum anno duodevicesimo, qui fuit liberati orbis annus quingentesimus quinquagesimus quintus.

In Germania tum Theodovalda, pronepos Litavici Magni regis Francorum, defunctus est. Lutharius primus superstes fratribus et nepotibus suis tota potitur Francia. Germaniae et Galliae rursus ad unius potestatem redactae sunt. Lutharius cum ducibus Boiorum per Turogos profectus adversus Saxonas ad Visurgim usque amnem penetravit. ipse paucis post annis naturae concessit, cum unum et quinquaginta annos regnasset. imperium Francorum quatuor eius filii divisere in tetrarchias, quarum singulae instar regnorum fuerunt. Gutoramus Aureliam, Burgundiam, Heriobertus Luthetiam Parisiorum possedit; Suessonum Augusta, Gallia Belgica secunda a Scaldi flumine ad Sequanam Hylperico, regnum Rhemense, quod et Mediomatricum est, Segiberto traditur. portio huius regni Aquitania, Turones, Germaniae, Gallia Belgica prima fuerunt. Austriam quoque vocari reperio, sicut superiora Vestriam; hoc occidentale imperium, illud orientale valet lingua germanica; etiam nunc in usu sunt ea regionum cognomina, a situ et caeli cardine indita. verum Celtici scriptores ignari linguae Francae Neustriam atque Austrasiam corrupte, uti fit, nuncupant.

Porro Hunnorum gens, quae ad utramque Danubii ripam infra Anassum amnem in ea regione, quam nunc Austriam nominamus, medii inter Boios et Longobardos consederat, audita mórte Lutharii in Franciam antiquam et Turogos arma movent, ferro, flamma, praeda omnia devastant. Segibertus rex Francorum, Theodovalda et Theodo duces Boiorum copias cogunt, Hunnos invadunt, praedam recuperant, illos finibus suis pellunt. interim Hylpericus frater Segiberti regis Rhemos urbem occupat. Segibertus domitis Hunnis in fratrem arma movet, ablata recipit. Hunni redintegratis viribus rursus in superiores regiones inrumpunt. Segibertus rex Francus, reguli Boiorum hostibus armati obviam procedunt, sed impetum Hunnorum nec Franci nec Boii ferre potuerunt. rex Segibertus terga vertit. Theodo et Theodo-

5 *Ebendort:* 551 quinta synodus Byzantii contra Theodorum; duas personas in Christo (posuit) ut duas naturas.

24 — Abaribus fecerunt *vergl. Gregor. Turon. IV, c. 23 u. 29, wo jedoch die Baiern nicht erwähnt werden.*

valda Boiorum praesides in hostium potestatem vivi venerunt captique a Cacano (ita enim regem suum Hunni Abaresque adpellabant) cuidam praepotenti Hunno traditi sunt. hic ingentibus pollicitationibus et praemiis Boiorum corruptus, duces clamculum liberos dimisit atque ipsi coactis denuo copiis in Hunnos de improviso inruunt, Cacanum capiunt. deinde aequo iure perpetuum foedus Segibertus et Boii cum Hunnis et Abaribus fecerunt.

Celebres tum fuere Priscianus Caesariensis grammaticus insignis Constantinopoli, Arator poeta Romae; res gestas legatorum Christi versu heroico celebravit dedicavitque Vigilio pontifici romano. Venantius Honorius Clementianus Fortunatus, Taurisio oriundus, episcopus Pictonum, ad divum Gregorium Magnum pontificem maximum undecim libros carminum scripsit; libri secundi oda tercia est hymnus, cuius inicium est: Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis.

At eiusdem libri ode sexta ad Felicem episcopum de paschate illud elegiacum:

Salve festa dies toto venerabilis aevo,
Qua deus infernum vicit et astra tenet.

Eadem enim tempestate, ut ipse Fortunatus refert, tranavit Dravum, Muram, Oenum amnes, profectus per Aguntum, Breones, Boiariam, Lycum, Rhenum, Germaniam. sub idem quoque tempus gravissima lues in Italia usque ad limites Boiariae saevit; turmae bellantium visae et tubae auditae sunt in caelo. inter haec Theodo dux Boiorum anno ab humano genere servato quingentesimo sexagesimo quinto decessit. ipsum cum uxore Saleburgii aiunt esse humatum. Theodovalda minimus natu, caeteris fratribus superstes, tota potitur Boiaria.

Eodem tempore imperator Iustinianus morbo adfectus, non compos mentis, Byzantii obiit, declarato prius Iustino, nepote ex filia, caesare. Herminigyldus Vessogotorum rex, filius Levigyldus, Richaredus, alter filius, ab Leandro ab Arrhiana impietate convertuntur ad pietatem veram. apud novum principem (uti fit in aula) Narses eunuchus authoritate, qua valuit apud Iustinianum, caruit, non solum amotus est administratione et successor ei Longinus datus, verum a Sophia

27 *Am Rande in A:* Bedae 568, Matthaeo 565 (verus; ita Segibertus) *[Sigeberti Gemblacensis chronica, Mon. Germ. Script. VI, 318];* alii 566 29 Vessegotorum *A* 30 Leander ... convertit *A* 32 *Am Rande in A:* patricius, erzmarschalk 33 *ebendort:* accusatus, quod premeret servicio Italiam.

8 *Ekkeh. 140* 9 *Sigebert. 315* 14 *Venantii Fortunati poemata; Coll. Pisaurens. VI, p. 198* 17 *L. c. p. 204* 19 *Vita Martini; Bibl. max. patr., Lugd. 1677, X, 612* 23 *Pauli hist. Langob. II, c. 4* 29 — veram *Gregor. dialog. III, 31.*

BSB

augusta quoque contumelia insigni adfectus est. revocavit augusta Narsetem ad muliebria munera in gynecion, ut colo purpuram neret, pensa inter virgines partiretur. nam Narses eunuchus erat, quod nomen a servandis cubilibus et mulieribus custodiendis deductum esse voluut; id etiam Claudianus docet scribens:

Quumque omnibus unica virtus
Esset in eunuchis thalamos servare pudicos.

nam his solae reginae usae sunt. prima Semyramis regina Assyriorum hos fecisse fertur. de quibus idem Claudianus ita refert:

Hos fecere manus seu prima Semyramis astu | Assyriis mentita virum, neu vocis acutae | Mollicies levesque genae se prodere possent; | Hos sibi coniunxit similes, seu percita ferro | Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram | Servatoque diu puerili flore coegit | Arte retardatam Veneri servire iuventam.

Narses nimis impatienter tantam ignominiam ferens, dixisse fertur: ego quidem talem telam augustae ordiar, quam admodum difficilem textu fore ipsa sentiet. inde eunuchus Theodovaldam ducem Boiorum conterminum Italiae contra Romanos haud difficulter concitat.

Cap. 4. Theodovalda urbes Italiae cis Padum sibi proximas invadit ac in obsequium redigit; idcirco a plaerisque regem Italiae vocari invenio. post paucos tamen dies rebus humanis excessit, anno christianae salutis quingentesimo sexagesimo septimo; regnavit annos unum et triginta. eius filius Thessalonus et Theodopertus, filius Theodonis tercii, patrueles Boiariam aequis legibus partiuntur. ea pars Boiariae, quae ab Oeno ad Lycum, inde ad Francos veteres Boiemiamque porrigitur, Thessaloni, reliquum trans Oeni fluenta, inde usque ad Hunnos, Venedos, Italos Theodoperto evenit. atque hi reguli (a quibus post mortem Theodovaldae Itali defecerant) cum Longobardis societatem amiciciamque ineunt.

Boiis faventibus anno subsequenti mortem Theodovaldae Longobardi, invitati a Narsete, in Italiam cum uxoribus et liberis conmigrant. Pannoniam, quam reliquere, Hunnis et Abaribus, ab occidentis ora conterminis, ea lege concedunt, uti Hunni hisce locis rursus cedant, si Longobardi remigrare cogantur. vix a bellorum procellis

22 *Am Rande in A:* Beda; 566 indictione 12 (?) Octobri ingressi Longobardi comitante fame, peste Romam obsident. — *Ferner*: divo Gregorio anno Christi 568 30 Boiisque *A* *Am Rande in A*: ita divus Gregorius scribit.

5 *Claudiani in Eutropium lib. I, v. 98, 99. (opera, ed. Biponti 1784)* 9 *L. c. v. 339—345* 19 *Zum flgd. vergl. Historiae Cremifan. l. c. 625, 654.*

respirarat misera Italia, vehementiore continuo turbine involvitur. truculentior oritur tempestas; acies igneae visae in caelo stragem protendebant. divus Gregorius orbi finem inminere et diem illum maximum praetoris Christi instare opinabatur. fames quoque adfluxit; pestilentia in inguine, ut aduc solet, percutiebatur tenella illa pars. Longobardi nemine obstante Italiam invadunt. Paulus Aquileiensis patriarcha aufugit. templa Christi eversa sunt, sacerdotes occisi ac monachi pedibus in crucem acti. hostes templa monachorum vi irrumpunt, diripiunt, monachos gladio obtruncant, arboribus suspendunt. diaconi capite truncati. vulgus et agricolae, quod caput caprae consecratum adorare, inmolare diis et de carnibus inmolatis diis vesci nollent, interempti sunt. praeter Ravennam et Romam Italia sub imperium Longobardorum redacta est; aduc ab ipsis Longobardia vocari vulgo solet.

Gummarit crudelissimus dux Longobardorum eo tempore, dum intrant Italiam, cuncta vastavit. ecclesia sancti Laurentii ab illis incensa, diaconi capti, sacerdotes occisi, quamvis sanctissimi (teste Gregorio) fuere. Longobardi enim nimium crudeles ad spectacula mortis concurrebant. sed audi, si libet, verba divi Gregorii de hac calamitate: quid est, iam rogo, quod libeat in hoc mundo? undique luctus aspicimus, undique gemitus audimus; destructae urbes, eversa castra, depopulati sunt agri, in solitudinem terra redacta est. nullus in agris incola, pene nullus in urbibus habitator remansit et ipsae parvae humani generis reliquiae aduc quotidie sine cessatione feriuntur et finem non habent flagella caelestis iusticiae, quia nec inter flagella directae sunt actiones culpae. alios in captivitatem duci, alios obtruncari, alios interfici videmus. quid est ergo, quod in hac vita libeat, fratres mei? si et talem aduc mundum diligimus, non iam gaudia, sed vulnera amamus. ipsa autem, quae aliquando mundi domina esse videbatur, qualis remanserit Roma, conspicitis; inmensis doloribus multipliciter attrita, desolatione civium, impressione hostium frequentia ruinarum. ubi iam senatus, ubi populus? omnis saecularium dignitatum ordo extinctus est in ea et iam vacua ardet Roma. haec tum perpessa est a Longobardis ecclesia, Italia atque Roma. idem Gregorius dialogorum libro secundo de Roma: vaticinium vetus est: Roma a gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscationibus et

5 percutiebat *B* 33 iam *fehlt B* 34 tum *fehlt A*

3 *Dialogi II, 15* 7 *l. c. IV, 21—23; III, 27, 28* 15 — vastavit *l. c. III, 11* 18 *Dialogi u. a. I, 4* 19 *Homil. super Ezech. II, 18* 35 *II, 15.*

turbinibus, a terrae motu fatigata marcescet in semet ipsa. et profecto (subdit Gregorius) in hac urbe dissoluta moenia, eversas domos, destructas ecclesias turbine cernimus eiusque aedificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus. idem divus Gregorius etiam nocturno martyrum responso asseruit, finem mundo universaeque carni instare. invulgavit scriptis et praedicavit, regnare Antichistrum. praestat verbis talis viri uti: mox terribilia in caelo signa, hastae, acies, ignes ab aquilonis parte videbantur. mox Longobardi gens effera in nostras cervices grassata est. humanum genus, quod in hac terra prae multitudine nimia, quasi spissae segetes exierat, succisum, arva, urbes depopulatae, eversa castra, concrematae ecclesiae, destructa sunt monasteria virorum atque foeminarum, desolata ab hominibus praedia atque omni cultura destituta. in solitudine vacat terra, nullus hanc possessor inhabitat; occupaverunt bestiae loca, quae prius multitudo hominum tenebat. et quid in aliis mundi partibus agatur, ignoro; in hac terra, in qua nos quidem vivimus, finem suum mundus non iam nunciat sed ostendit.

Sub idem tempus divus Columbanus ad Boios, Venedos petiturus, perrexit. decreverat aperire Venedis religionis christianae mysteria. Thessalonus anno a nato Christo quingentesimo septuagesimo quinto in ripa Danubii (ubi olim Artobriga colonia romana harum regionum maxima fuerat) contubernium monachis condidit; Velteburgium adpellamus. ab aquilone Danubius, ab austro et orientis ora undique praerupti rupes cingunt, ab occiduo cardine unus aditus patet, sed quem vix singula plaustra permeent. extant ibi vestigia Artobrigae, quae satis supra in secundo libro explicavimus. Velteburgii primus antistes fuit Visundus. obscura fama manat, ibidem Thessaloni filium ab apro in venatione percussum interiisse. monumentum huiusce rei esse aiunt regulum cum apro depictum in specularibus adyti.

Nihil pervicatius est libidine dominandi, nihil perfidius societate regni. Hylpericus rex Francorum regnum fratris sui Segiberti invadit, urbes in Aquitania vastat, evertit, templa incendit, sacerdotes interficit, coenobia diripit, virgines stuprat, cum fratre Gutoramo conspirat. Segibertus accitis Germanis transrhenanis, Thessalone duce Boiorum, vim vi pulsurus, adversus fratrem Hylpericum arma movet. Theodopertum filium Hylperici praelio occidit, Suessonum

25 quae *in A nachgetragen, fehlt in B*

7 *L. c. III, 38* 26 *s. oben S. 152, Z. 20* 31 Hylpericus — Ianuarii *vergl. Gregor. Turon. IV, 23, 50, 52, V, 1.*

Augustam, Parisiorum Luthetiam aliasque Hylperici urbes occupat. Hylpericus cum filiis et uxore Froedegunda Tornacum fuga elabitur ibique se munit. Segibertus ad se Luthetiam Brunyldam uxorem cum filio Hyldeberto adduci iubet. deinde praemissis copiis ad obsidendum Tornaci Hylpericum fratrem contendit. huc omnes, qui prius Hylperico parebant, ad Segibertum conveniunt in eiusque verba iurant. sed fraude Froedegundae uxoris Hylperici a duobus perfugis Segibertus nihil minus metuens, quippe ab eisdem fratris consilia explorans, confoditur. exercitus sine duce, quo quemque timor tulit, fuga dilapsus est. Brunylda capta, Hyldebertus impubis inminenti periculo ereptus, a Gundovalda duce in Germaniam abducitur; in Mediomatricum urbe rex salutatur, octavo calendas Ianuarii.

Dum haec in Galliis geruntur, Theodopertus regulus Boiorum ex hac vita migrat. quo tempore et imperator Iustinus, cum Tiberium Constantinum Thracem adoptasset, obiit. hic cum septem imperasset annos, Mauricium generum suum successorem habuit, anno Christi 584, teste divo Gregorio. quem, cum viginti imperasset annos, Focas occidit et is octavo imperii anno ab Eraclio interimitur. porro Theodoperti filius Gariovalda Segiberti mortem divulgat, Thessalonum simul periisse dictitans. deinde ducatum Boiariae intercipit, Boios in sua verba iurare cogit et, quo augustior foret (contempta Hyldeberti puericia, Hylperici et Gutorami regum Franciae ignavia, quod stupris luxuque perditi, mutuis insuper se ipsos vulneribus conficerent) regem se adpellat. deinde, ut opes firmaret suas, Longobardorum proceres affinitate sibi iungit; dat in matrimonium Evino duci Tridentino filiam; alteram Theodolindam nomine (muliebris sexus unicum decus, ad quam divi Gregorii Magni extant epistolae) Uthario regi Longobardorum despondet. qui fama sponsae motus in aulam soceri cum paucis incognitus venit; visa sponsa, nemini agnitus, rursus abivit. Thessalonus domo apud Hyldebertum exulavit. qui ubi adolevit, Argentorati (Strassoburgium est) copias cogit, cum exercitu in Sueviam, ubi Landofridum rebus deturbat Uncilenumque Suevis imponit, inde

11 *Am Rande in A*: et Thessalone 14 *Am Rande in A*: 576 Segibertus amens effectus pedum dolore interiit 16 *In A übergeschrieben*: virum scientem; *am Rande*: Cappadocem 17 *Ebenso in A mit arabischen Zahlzeichen, mit römischen dagegen:* DLXXXIII; *ein weiteres I ist durchstrichen* 30 *Am Rande in A*: accepta ingenti pecunia a Mauritio, ut Longobardos Italia pellat.

24 *So nennt ihn Paul. hist. Lang. III, 10, 30* 25 Dat — abivit *vergl. Paul. III, 10, 30* 32 Landofredum — imponit *Fredegarii chron. cap. 8, wo jedoch der abgesetzte Herzog Leudefridus heisst.*

in Boiariam proficiscitur, Gariovaldam superat, Thessalonum restituit Boiariaeque praeficit, qui se ducem, non regem nuncuparet. Theodelinda, filia Gariovaldae regis Boiorum, cum fratre Guntholdo in Italiam fuga elabitur; in agro Veronensi honorifice, non vulgari gaudio ab Uthario excipiuntur. Utharius continuo Theodelindam uxorem ducit et legatos cum mandatis ad Goteramum et Hyldebertum reges Francorum mittit. pacem et foedus postulabant perpetuo; nihil enim utilius concordia et societate et Longobardis et etiam Francis, quo tuti forent, esse asseverabant; utramque gentem ex Germania oriundam inter hostes suos habitare. interim Utharius rex Ticini moritur.

Hisce temporibus, nempe anno Christi 591, divus Gregorius pontifex non Romanorum (ut ipse inquit Ioanni patricio consuli) factus est, sed Longobardorum. et tum Sclavorum gens, quae et Venedorum, ex Germania Magna oriunda, transgressa Danubium, irruit in Illyricum, quemadmodum scribit divus Gregorius ad Iovium Illyrici praefectum, Mauricii augusti anno septimo, quemadmodum et episcopis Illyrici scribit divus Gregorius; praecipit, ut edicto augustali obediant, episcopos ab hostibus pulsos pascant. de calamitatibus horum temporum, quas Illyrici a Venedis, Itali a Longobardis, Germaniae nationibus, perpessi sunt, verba divi Gregorii huc transferre placuit: mulieres cum viris ad insulas confugere, Longobardorum saeviciem declinantes. ipse Gregorius episcopatus alio transfert ob Longobardos.

Longobardi destituti rege ad tutelam muliebrem confugiunt. ad reginam (tanta indoles in Theodelinda erat) frequentes conveniunt. quod felix, faustum prosperumque sit (inquiunt) Longobardis et tibi, Theodelinda, salutem, fortunam, coniuges, liberos omnium nostrum tuae fidei tradimus atque conmittimus. tu pro tua summa sapientia principem coopta, qui tuus coniunx, noster vero rex siet. Theodelinda ex omnibus Agilulphum ducem Taurinorum cognatum Utharii absentem delegit ipsumque nihil tale sperantem accersit. venerabundum sibi apparentem, thalami simul et regni consortem nuncupat; inde nuptiae regio apparatu Mediolani fiunt. Evinus dux Tridentinus, cuius uxor soror Theodelindae erat, in Germaniam et Gallias ad Gutoramum et Hyldebertum reges legatus ivit; foedus perpetuum cum

5 *Ebendort:* Autharius Gregorio; Autharith; alienus a fide Christi; 592 13 *In B folgt nach* Longobardorum, *aus dem flgd. irrig heraufgezogen*: Venedorum — Danubium 16 *statt* quemadmodum *hat B* quamobrem.

2 *Vergl. Historiae Cremifan. l. c. 625, 654* 12 *Epistolae Gregorii I. papae (Venet. 1505), lib. I, ep. 30, fol. 9* 15 *l. c. II, 17* 17 *l. c. I, 43, fol. 13* 23 Longobardi — fiunt *vergl. Paul. III, c. 35.*

Francis ictum est. fuit sane Theodelinda egregia et perliberali facie singularisque prudentiae et rarae pietatis in Christum, ultra captum muliebrem foemina, sicuti in epistolis, quas ad eam dedit divus Gregorius Magnus pontifex maximus lego. ipsa gentis ferocissimae animos bonis artibus inflexit atque armorum dissuetudine mitigavit et, ut religionem nostram reciperent, cum romanis imperatoribus foedus facerent, pacem depositis armis servarent, sua prudentia atque virtutibus persuasit. omnium gentium annalibus eam notissimam esse video. Guntholdus frater Theodelindae, filius Gariovaldae regis Boiorum, ducatu Astensi a sororis marito donatur. haud ita longo post tempore eius filii, nepotes, pronepotes, quemadmodum paucis referam, potiti sunt Italia et regno Longobardorum.

At Thessalonus Boiorum regulus iussu et mandato Hyldeberti regis Francorum et Germaniae contra Venedos ab orientis ora Boiis conterminos arma movet. Venedos superat, perdomitat; cum ingenti captivorum numero, praeda maxima victor revertitur. sed Venedis rursus, ubi Thessalonus domum rediit, Boiorum ac Francorum iugum detrectantibus, duo millia Boiorum in regionem Venedorum armati proficiscuntur. intervenit Cacanus rex Venedorum; Boii circumventi omnes trucidati sunt, ne nuncio quidem cladis superstite. hoc quoque tempore, sicuti sanctus Gregorius episcopis Histriae scribit, invasere Histriam Venedi. paucis post diebus Thessalonus moritur, anno ab orbe restituto quingentesimo nonagesimo octavo. qua denique tempestate Hyldebertus rex Francorum cum uxore Faeliba periit.

Cap. 5. Brunylda, mater Hyldeberti, cum nepotibus Theodoperto et Theoderico avito paternoque regno Francorum potitur. Theodericus Aurelianos, Burgundionas, Elisatium possedit, caetera Theodoperto evenere. diversa ingenia his fratribus fuere; hic clemens, religionis, pietatis et bonorum cultor, alter saevus, truculentus, stupris ganeisque deditus. ad hosce divus Gregorius Magnus reges literas commendaticias dedit Augustino, Ioanni, Laurentio, Iusto, Honorio, Mellito episcopis, quos ad Anglios in Britaniam legavit, ut interpraetarentur philosophiam christianam.

1 Evinus — ictum est *vergl. Paul. hist. Lang. IV, c. 1* 3 *u. a. bei Paulus IV, c. 9* 9 Guntholdus — donatur *vergl. Paul. IV, c. 41* 13 At — revertitur *vergl. Paul. IV, c. 7* 16 Sed — superstite *vergl. Paul. IV, c. 10* 23 *Wohl nur gefolgert aus der Angabe der Hist. Cremifan. 625, dass 598 Gerbaldus iterum die Regierung angetreten habe* Qua — periit *Paul. IV, 11* 24 *Gregor. Turon. IX, c. 20 u. 38* 25 Brunylda — potitur *nach Paul. IV, 11.*

Abares, Hunni, Venedi, gentes vicinae, latrociniis victum quaeritantes, ubi audivere de morte principum superiorum, vicinos sibi Boios, Turogos, Francos, Longobardos incursare coeperunt. Hunni Turogos et Francos, Abares, qui et Avares, Forum Iulii, Longobardorum ducatum, Venedi Boios sibi armis deposcunt. cum Hunnis in confinio antiquae Franciae et Turogorum varia fortuna depugnant Theodopertus et Theodericus reges Francorum. horum avia Brunylda (inlata acceptaque utrimque clade) pacem ab Hunnis emit. Abares Venetiarum fines invadunt; Sigulphum ducem cum copiis caedunt, Forum Iulii obsident. Rhomylda uxor Sigulphi capta amore Cacani, pacta eius nuptias, Forum Iulii Abaribus prodit. hostes urbem incendunt, infantes, impuberes et mulieres captivos in Pannoniam superiorem abducunt, viros trucidant. Rhomylda quoque cum liberis abacta est. non amplius una nocte nuptiis regis Avarum potita est. in campo eam Cacanus palo confixit, quae patriam, liberos, coniugem prodidit; haud alio (inquit) digna est marito. eius duae filiae Appa et Gaela, longe matri dissimiles, pudiciciae consuluere crudae carnis fetore, quae sub fascia pectorali mamillas cohibente a virginibus ob castitatem servandam posita, calore conputruerat. barbari natura fetere ita Longobardorum mulieres opinati, intactas reliquere. ipsae venditae Boiis et Suevis postea sunt. Appa Suevorum, Gaela Boiorum regulo nupsit.

Venedi fines Boiorum incursant, Gariovaldam, filium Thessaloni, in Agunto superant, terga vertere cogunt; inde Noricum praeda, ferro, flamma depopulantur. Gariovalda collectis rursus viribus Venedos praeda onustos abire contendentes adgreditur, praedam omnem recuperat, Venedos Norico exterminat. ipsi Histriam occisis romanis militibus occupant. de Agunto plura superius in secundo volumine adduxi; urbs est Norici; secundum Antonini itinerarium abest ab Aquileia nonaginta millia passuum, a Iulio Carnico sexaginta. quidam in confinio Stiriorum Charinorumque fuisse haud procul a Mura Dravoque autumant, ego amplius quaerendum esse censeo. hoc pro vero constat, Muram et Dravum apud veteres disterminasse Boios ac Venedos; praeter vetera instrumenta testes sunt duae urbes, Graecia Boiorum et Graecia Venedorum; haec in Dravi ripa cubat, Venedorum terminum declarat; illa caput Stiriae est, Boiorum limitem valet;

18 sub *fehlt B*

8 *Vergl. Paul. IV, c. 11* Abares — nupsit *nach Paul. IV, c. 37* 23 Venedi — exterminat *vergl. Paul. IV, c. 40* 28 *s. oben S. 16, Z. 16.*

Mura eam alluit. Graecia diminute, at integre Graenicia, Boio sermone limitem, terminum et confinium significat.

Cap. 6. Gariovalda Gaelam superiorem connubio sibi iunxit, Boiariae regnum per manus tradidit filio Theodoni quarto. Theodone procreati sunt secundi Theodopertus et Thessalonus; hic Noricos, ille Vindeliciam et Nariscos possedit. sub his Boiorum praesidibus maximi Boiorum pontifices et archimystae (quos archiepiscopos Laureacenses nominant) fuere Erchinofridus et Odacer. minores flamines vero Iuvavensium Vitalis vir eruditus, admodum populo acceptus et Anzologus, qui et monachorum gregem aluerunt Saleburgii. Reginoburgensium oves pavere Velipholaechus et divus Haemeranus. Sabonae populos divus Constantius et Praeconius docuerunt.

Heraclius tum occiso Foca Constantinopoli romanum susceperat imperium. Persas, qui Syriam, Palestinam, Hierosolyma coeperant et diripuerant, variis praeliis vicit, fudit, delevit, ducibus omnibus Persarum cum militibus caesis. novissimo praelio Cosroes rex superatus, infinita multitudo Persarum interempta; pugnae dies aduc nobis celebris est. fugientem Cosrhoen Heraclius augustus persecutus, Euphratem, Tigrim, in intima Persidis victor penetravit; in urbes, templa, homines iuxta a romano saevitum est exercitu. Cosrhoes desperatis rebus ad Chtesiphontem aufugit, ubi a Siroe filio interfectus est, quod pater Medarsem minorem natu successorem declaraverat. Siroes patrato paricidio primus de morte patris et fratris ad principem romanum scribit. postulanti Persae pax data, limes romani imperii flumen Tigris constitutus est. sed aliud ex alio malum.

Machomethus tum, homo versipellis et magicae fallaciae non imperitus, in Arabia ortus est. Arabes Scaenitae (quos Saracenos dicimus) ob avariciam quaestorum defraudati stipendiis, cum superiore bello contra Persas egregie operam navassent, correptis armis a romano deficiunt imperio. Machomethus oportunum suae vesaniae tempus nactus, rebelli populo se ducem praebet et, quo maior foret authoritas, se nuncium et interpretem dei caelitus dimissum simulat legis latoremque divinae mentitur. novam superstitionem ipse conmentus est.

1 *Graniza, wovon unser »Gränze« stammt, ist slavisch, vergl. Schmeller-Fromann I, 999* 3 *Nur gefolgert aus dem letzten Satze von IV, 37 des Paul.?* 8 *Hist. episcopor. Pataviens., M. G. Scr. XXV, 620 Conversio Bagoarior. et Carantanor., M. G. Scr. XI, 6* 13 — subigunt *vergl. Ekkehard M. G. Scr. VI, 152 flgd.; Aimoin l. IV, c. 21?; Zonaras (ed. Dindorf) XIV, 14—21?*

Syriam, Damascum, Palestinam, Aegyptum invasit; Asiam, Africam et bonam partem Europae ista lues ignavia principum nostrorum labefactavit. tum paulatim in oriente, sicut ante aliquot annos in occidente, coeperunt deficere provinciae, donec patrum memoria romanum in oriente deletum est imperium expugnata Constantinopoli a Turcis, quorum longe lateque potestas omnia adfligit, iam etiam ad nostras regiones protervas et rapaces manus porrigit.

Sub idem tempus Vulgares, Germaniae Magnae et Sarmatiae, quae est in Europa, ferocissimi populi transsito Histro, Bathia rege, Pannoniam inferiorem usque Savum ac Histrum flumen Moesiasque invadunt ac subigunt; a quibus nomen illae regiones aduc retinent, licet Turcis serviant.

Quid non insana regni libido cogit? in Francia, Gallia et Germania haud levius armorum procellae intonuerunt. Theodericus et Theodopertus reges Francorum contra Lutharium filium Hylperici, itidem regem Francorum, quod illos armis lacessierat, cum exercitu procedunt. Luthario atroci praelio devicto, copiis eius trucidatis et depulsis, regnum Lutharii invadunt, in deditionem redigunt, Luthetiam Parisiorum occupant. fugato Luthario et admodum parva portione regni circa oceanum Gallicum eidem relicta, pacis leges, quae victoribus libuere, dicunt. inde Aquitanos Vasconasque vastant. Brunylda mulier astuta, avia Theodoperti et Theoderici, ob scelera stupraque ex regno Theodoperti pellitur; ipsa ad Theodericum aufugit. Lutharius fide fracta regnum Theoderici invadit, Aureliam obsidet; Theodericus obsessis auxilio venit, Lutharium in fugam vertit. Beritholdus dux, praefectus aulae Theoderici, (quem merosalicum, hoc est, maiorem domus nuncupant) dum audacius hosti congreditur, occubuit. Prothadius quidam ope Brunyldae reginae (cum qua stupri consuetudinem habere consuevit) Beritholdo sufficitur praetorioque praefectus est. fraude horum non diu concordia regum mansit. Theodopertus et Lutharius cum infestis signis convenissent, armis abiectis, exosi civile bellum, pacem et foedus ineunt.

Theodericus deinde in Theodopertum fratrem suasu aviae Brunyldae et Prothadii castra movet. nec segnius Theodopertus sua defensurus arma induit. cumque pugnaturi fratres haud procul distarent, utriusque exercitus militibus ducibus huiusmodi paricidiale bellum abominantibus de concordia nunciis ultro citroque missis actum est.

9 Bachia *B* 10 Drauum *st.* Savum *B*

9 Bathaias *bei Sigebert 326* 14 *Für das flgd. Fredegarii chr. c. 20—27.*

BSB

soli Prothadio pugnare ac manus conserere placebat. quocirca facto a militibus impetu authore Unzileno duce Suevorum sub papilione regis Theoderici trucidatur. deinde nemine refragante, fratres reconciliati domos abeunt.

Divus tum Columbanus flagicia Brunyldae et Theoderici redarguit ac ipsos graviter increpat et, ut resipiscant, admonet, obsecrat. sed quem deus neglexit, nemo ad sanitatem reducet. Columbanus a Brunylda regno Theoderici exigitur. ipse ad Lutharium, inde Theodopertum regem fuga evasit. reliquit Luxovii (coenobium est a Segiberto rege conditum) divum Eustasium. Theodopertus honorifice Columbanum cum sociis Romarico, Gallo et Leodegario excepit, ipsis in regno suo, quamcunque optent sedem, offert. Columbanus Brigantini lacus oram delegit; urbs nunc divi Galli nuncupatur.

Pax fratrum rursus interturbatur. Brunylda mulier flagitiosa se haud aliter pro libidine dominari posse arbitrabatur, nisi nepotes discordes essent; aviae suasu Theodericus fratri bellum indicit. Uncilenum ducem Suevum ob mortem Prothadii capit, ducatu, amputato pede, movet. Theodopertus Sequanos, Turones, Campaniam, Elisatium occupat. Suevi iussu eius, ducibus Cambolino et Herpino, Aventicum expugnant. ultra Iuram montem Burgundiae omnia ferro, flamma devastant. victores cum magna praeda domos revertuntur. Columbanus et socii Mogonciacum concedunt, expectaturi eventum Martis; ibi pro Theodoperto depraecari Christum optimum maximum non cessant. Theodericus inde cum exercitu hostili animo fines Theodoperti ingreditur. avia, quam prohibere deceret, classicum canente, in agro Tullensi fratres confligunt. caesis utrimque multis, Theodopertus victus Agrippinensem Coloniam aufugit. Theodericus cohortante Leunisio episcopo Mogontino insequitur fratrem. Theodopertus restauratis copiis Tulbiaci Theoderico occurrit. sed iterum victus Agrippinam contendit. vestigiis haeret victor; Coloniam Agrippinensem capit; thesauros Theodoperti occupat; filium fratris infantem trucidat. Theodopertus a fratre Theoderico in vincula coniectus, ad aviam missus est. Cabillone (urbs est Burgundiae) ab avia sicuti monachus tondetur; paucis post diebus ab eadem crudeliter necatur.

Columbanus ad Theodelindam reginam in Italiam abit, relicto in Suevia divo Gallo, febri tum laborante. Theodericus dum Medio-

5 *Das flgd. nach Vita Columbani c. 19 flgd. (Mabillon, Acta Sanctor. ord. st. Bened. saec. II, p. 30 flgd.)* 17 *vgl. Fredegarii chron. c. 28* 19 Suevi -- revertuntur *vgl. Fredegar. c. 37* 24 *Für das flgd. vgl. l. c. c. 38.*

matricum urbem ingreditur, de caelo fulmine tactus interiit. Brunylda Segibertum filium Theoderici ex concubina pronepotem suùm regem salutat. divus Eustasius antistes Luxovii et, nisi fallor, pontifex Mediomatricum, legatus a Luthario rege ad Boiorum regulos proficiscitur, quibus imperium mulieris sceleratae displicebat. Eustasius a ducibus perhumaniter exceptus est. eius monitu Thessalonus in lacu Chimino Noricorum maximo duo templa sacratis viris et foeminis condidit; quinque millibus passuum distant. hanc ob rem (sicut in diplomate imperatoris Arionulphi caesaris augusti legi) huius conlegii mystae Mediomatricum Luxoviique antistiti dicto audientes fuerunt. ipse Arionulphus Theodomaro primo Iuvavensium pontifici demum addixit et Luxovium Mediomatricum episcopo, quo ipsi satisfaceret, reddidit. primo eius contubernii capti divi Benedicti ceremonias sectabantur; post quingentos annos Aurelii Augustini instituta profiteri coeperunt. intus lanei, foris linei sunt.

Lutharius, qui solus de Germano regum Franciae sanguine superstes erat (invitantibus principibus Austriae Pipino, Arionulpho et Boiorum regulis, quibus Brunylda ob crimina invisa erat), contractis copiis, in Germaniam proficiscitur. Brunylda et Segibertus dum repugnare conantur Boromatiaeque se munire contendunt, ab omnibus deserti, vivi in Lutharii potestatem devenere. Segibertus una cum quinque fratribus interemptus est, Brunylda indomitorum equorum caudis alligata interiit. Germania et Gallia, quod imperium Francorum nominabant, post quinquaginta sex amplius annos rursus ad unum rediit.

Lutharius veteres Boiorum leges emendavit, novas Suevis tulit, quas in bibliothecis legi nostris. Agrestinus, discipulus superioris Eustasii, Boios adit, sacras literas in Boiaria docuit. conventus sacerdotum coacti sunt adversus Columbani et Galli novas ceremonias, quibus populum Christi sanguine redemptum liberatumque in servitutem redigere atque onerare contra maiorum instituta conarentur.

1 *Am Rande in A*: fabula dysenteria perit. *[So Fredegar c. 39]* — Berthericus socer eius 25 *Am Rande in A*: anno Christi 618 26 *Ebendort:* 562.

3 divus — proficiscitur *nach Vita st. Eustasii auctore Iona? (Acta Sanct. Boll. Mart. III, p. 786, 787, c. 1, 4)* 9 u. 11 *Urk. v. 28. Juni 890; Böhmer, Nr. 1081; Mon. Boic. XXVIII, a, 103. K. Arnulf erwähnt hier nur, dass Chiemsee vor Zeiten von seinen Ahnen der Kirche von Metz übergeben worden sei, nicht etwa auch den von Aventin angeführten Grund dieser Unterwerfung* 20 *Das von Fredegar c. 42 genannte Orba ist Orbe im Waadtlande* 27 *Vita Eustasii l. c. p. 788.*

Eadem tempestate Atholdus, nepos Gariovaldae regis Boiorum, filius Theodelindae et Agilulphi, decimo regni anno a suis Italia pulsus, ad regulos Boiorum migravit, a quibus perbenigne receptus, honorifice per Boiariam deductus est. alii referunt, eundem Graeci legati veneficio desipuisse nonnullosque principum interemisse, a quibus veneno sublatum esse tradunt. Haeroldus, maritus sororis eius, in regno Longobardorum succedit annos septem. uxor huius, soror Atholdi, Gundopyrga, filia Theodelindae, neptis Gariovaldae regis Boiorum fuit, cui etiam, quemadmodum matri, marito mortuo potestas facta est a Longobardis coniugis et regis cooptandi. ipsa delegit Rotharium, qui filium Ratholdum haeredem Italiae reliquit. hic ob stuprum interfectus, successorem habuit in regno Longobardorum et Italia Haeriobertum ex Boiaria oriundum, filium Guntholdi ducis Boiariae et Astae, nepotem Gariovaldae regis Boiorum.

In Francia quoque Lutharius rex eodem tempore mortuus est, anno Christi 631. duos reliquit filios. Dagobertus, relicta Aquitania sola fratri suo Haeriberto, alia omnia possedit. illam quoque (cum tercio regni anno frater obiisset) recepit. inicio imperii Dagobertus familiariter usus divo Arionulpho episcopo Mediomatricum et divo Huniperto Agrippinensi archimysta. Pipinus vir prudentissimus, filius Carolomani, dux Brabantiae, praefectus erat praetorio. atque dum hisce Dagobertus obtemperat, optimum sane egit principem. postea (uti mobiles sunt et sibi saepe adversae regum voluntates) spreto illorum consilio, quo libido impulit, praeceps abivit; stupris et adulteriis incestuque infamis extitit. ipse leges Boiorum correxit, legem Salicam perfecit.

Samo rex Venedorum (qui ad Dravi Savique fontes aduc habitant; ruri aduc Veneda lingua in usu est; Boius sermo in urbibus et castellis invaluit) negociatores Dagoberti regis Neorhoma venientes spoliat, interficit. reguli Boiorum iussu regis tribus exercitibus Venedorum regionem invadunt, in obsequium et ditionem redigunt, Vene-

1 *Ebendort:* Adolowaldus 8 *In A über durchstrichenem* Atholdi Haeroldi 11 *Am Rande in A*: Rotharith 13 *ebendort*: Heroberectum Beda vocat.

3 *Dass Adaloald nach zehnjähriger Regierung den Thron verlor, hat auch Paul. IV, 42, der aber im übrigen nichts von den obigen Einzelheiten berichtet* 7 *Nach Paul. IV, 42, 43 regierte Arioald, wie er dort heisst, 12 Jahre. Bei Fredegar c. 50 heisst er Charoald* 8 *Uebereinstimmend mit Fredegar c. 50, abweichend von Paul. IV, 49, der Gundiperga die Gemahlin Rodualds nennt* 13 *Aripert bei Paul. IV, 49* 23 — voluntates *Sallust. Iug. 113, 1* 27 — redigunt *Fredegar c. 68?; Aimoin l. IV, c. 23; Conversio Bagoarior. l. c. p. 7.*

dos quoque sub iugum religionis christianae mittunt. Venedis tum ab aquilone, Boiis vero ab orientis ora confines erant Hunni. atque hi paucis post diebus in Venedos graviter incursationes agitant. Borutho dux Venedus ad Boiorum rectores legatos auxilium postulatum ire iubet. nec mora, Boii Venedis auxilio veniunt, armati in Hunnos ruunt, eos vincunt, pellunt hocque beneficio Venedos et confines eorum regibus Francorum devotissimos reddunt, obsides ipsis imperant, inter quos filius Boruthonis Carastus et Chitomarus, nepos eius, in Boiariam ducti ibique caelestem philosophiam more christiano edocti sunt.

Dagobertus post haec rex Francorum moritur. filii eius Litavicus et Segibertus Francorum imperium partiuntur. Segibertus Galliam, Belgicam utramque et Germanias, caetera occidentem versus Litavicus cum matre Mathylda possedit. Pipinus tum senior filius Carolomani decessit. Grimoldus Pipini filius magistratum et authoritatem patris apud Segibertum obtinet. hic in paucis diebus moritur relicto filio Dagoberto; quem cum Grimoldus aulae praefectus regnum adfectans more sacerdotum tondi ac sacris iniciari iussisset ad Scotosque relegasset, Franci arma corripiunt, Grimoldum in vincula coniiciunt, Luthetiam Parisiorum Litavico secundo deportant, ubi in carcere periit. Litavicus Austriám Germaniamque recipit. Angisus, filius divi Arionulphi, praefectus limitis Antoripensis, Beggam, sororem Grimoldi superioris, filiam Pipini, sororem itidem divae Gariodrudae, uxorem ducit aulaeque orientali praeficitur et ducatu Brabantino a rege donatur. una cum Dagoberto maiestas imperii Francorum conlapsa corruit. praefecti praetorio (quos Germani merosalicos, id est maiores domus et aulae, et duces Francorum nuncupant) rempublicam trahere, rapere, lacerare atque omnem potentiam in se transferre, omnia munia imperii obire coeperunt. reges ocio torpescere, inane nomen regis ferre, se abdere a conspectu vulgi salutantiumque tanquam sacra, voluptati operam dare, omnem aetatem silentio et venationibus transsigere, neminem admittere, neminem audire, nihil cognoscere consueverunt. omne negocium domi forisque in aulae praefectos relegare fas regiumque ducebatur. pollui regem conspectu supplicis persuasum erat. pertulere centum ferme annos huiuscemodi ignaviam socordiamque principum Galliae Germaniaeque populi.

2 Atque — edocti sunt *vergl. Conversio Bagoarior. l. c.* 11 *Zum flgd. ist wohl Aimoin, Hist. Francor. l. IV, c. 35—38 benutzt (Duchesne, Hist. Francor. Script. III, 116 flgd.). Vergl. die Auszüge aus Aimoin in Aventins Adversarien I, fol. 14 flgd. passim.*

Cap. 7. Inter haec Thessalonus secundus fato concedit anno Christi sexcentesimo quinquagesimo. tres eius filii, Theodo quintus, Grimoldus et Theodopertus tercius, Boiariam in tris partes dividunt. Theodo Reginoburgium, Nariscos, Vindeliciam sortitus est. Grimoldus Bathaviam, Laureacum, Iuvaviam, Utinum, Noricum Ripense et contigua loca accepit. ea pars Norici, quae inter Oenum et Athesim amnes in montibus cubat, Theodoperto evenit. Theodo Reginoburgii frequens versabatur. erat ei filia Uta nomine. haec a Segiboto quodam decurione equestri compressa est. alvo intumescente proditur flagicium. Uta divum Haemeranum pontificem Reginoburgensium (qui tum forte fortuna pietatis ergo Romam versus ante tris dumtaxat dies Reginoburgio profectus erat) ceu authorem culpae honestiorem parentem nuncupat. Landobertus frater puellae ubi hoc accepit, sororis ignomina et sceleris indignitate conmotus, pontificem Helephodoryphi (pagus est in superiore Boiaria, inter Oenum et Isaram amnes) consequitur iraque percitus eundem necquicquam tantum scelus abnuentem compraehendit. socii diffugiunt; nec mora Landobertus Haemeranum supra scalas duriter colligat, membratim dissecat seminecemque relinquit. innocentia pontificis caelestibus miraculis patefit. artus dissecti a populis undique coeuntibus ad Isaram devehuntur (quinque millia passuum infra Monachium extat aedicula huiusce rei monumentum); ibi naviculae impositi in Danubium, inde Danubio adverso quinquaginta millia passuum Reginoburgium deferuntur. obviam certatim effunduntur dux Theodo, proceres et cives, opulenti, egeni, sacerdotes, prophani, foeminae, pueri, puellae; reverenter ritu solenni pontificis corpus excipiunt; in templo divi Georgii extra moenia urbis condunt. regulus Theodo, ut insontis episcopi caedes manifesta aliquo piaculo lueretur, ibi aedem perquam amplam aedificat; divi Benedicti ceremoniis et druidibus dicat.

Ingens eo numerus consecraneorum eiusdem ritus brevi sturnatim gracculatimque convolavit, qui bonas artis sacrasque literas profiteri interpraetarique coeperunt. coetus hic studia aemulantium posthac celebres fuere ad proavorum usque memoriam. illic tum literis instituti sunt divus Arionardus et divus Hyldolphus frater eius, genere Norici; ille Reginoburgensis, hic Treverensis archymistes postea fuit.

2 *Vergl. Hist. Cremifan. 625* 8 erat — condunt *nach Vita Emmerami auctore Arbeone episcopo Frising., Acta Sanct. Boll. Sept. VI, 474 flgd.* 22 *St. Emmeram zwischen München und Freising am rechten Isarufer* 29 *Kloster St. Emmeram in Regensburg* 34 *Erhard und Hildolf.*

divus Haemeranus suo templo celebre apud posteros nomen fecit. primus antistes Apollonius fuit. mausolea ibidem principum, regum et imperatorum Boiariae aduc ostenduntur. Boios enim duces cum uxoribus in eo coenobio fere usque ad Fridericum primum condi solitos reperio. servatur ibi libellus, in quo episcopus hortatur amicum ad pietatem; adeo vetustis literarum notis scriptus est in membranis, ut mihi de integro in literarium pistrinum redeundum et elementorum figurae condiscendae fuerint. ad umbilicum haec verba adscripta sunt: scripsi ego ipse Vhicterbus, quamquam peccator, episcopus iam senex, puto nonagenarius aut supra, dolentibus membris et caliginantibus oculis; hoc non quasi potens sed pro studio charitatis, quam circa te habeo, quia volebam, dum saeculi dignitatem regis, vitam aeternam nunquam perdas. pax tibi et vita a domino augeatur; amen et fiat, fiat. tercio anno regnante Pipino filio Carli, rege Francorum, in mense Iunio, in diebus decem scripsi hunc libellum, hoc est anno 754 a nativitate Christi, septima indictione. hunc ego Victerbum in carminibus, quae sub Litavico Pio augusto, filio Caroli, de episcopis Boiariae scripta extant in eodem monasterio, pontificem Reginoburgensem fuisse reperio; cui a divo Bonifacio et Utilone Boiorum regulo suffectus sit Gaeovalda.

Theodo Utam filiam in Italiam relegat. Landobertus profugus apud Abares in Hunnia atque Pannonia obiit; soboles omnis a ducatu et fastigio Boiariae deturbata est in ordinemque equestrem redacta.

Divus Haemeranus Pictavia Noricorum urbe, cuius Hieronymus meminit, oriundus fuit, quae colonia quondam Romanorum insignis, tum municipium Boiariae erat; nunc in villas abiit. eius principes Boiorum quondam clarissimi Variopagum, Vindeliciae inferioris monasterium proxime arcem suam Neoburgium in ripa Oeni amnis atris druidibus condidere, ubi sepulti sunt. archimystes Laureacensis sub his rectoribus Boiorum fuit Bruno, Reginoburgenses episcopi Arionardus et Albertus. Saliburgenses caelesti doctrina paverunt Savolus et Ezius, Sabonenses Ursus et Pigentius.

In Italia Ratholdo rege, pronepote Gariovaldae regis Boiorum

17 *Als Carmina Salisburgens. herausgeg. v. Dümmler, Archiv für Kunde österr. Geschichtsquellen, XXII, 284* 26 *Aventin denkt an Pitten südl. v. Wienerneustadt* 26 *Die Grafen von Pitten und Formbach, Stifter des Kloster Formbach am Inn* 30 *Passauer Bischofskatalog, M. G. Scr. XXV, 620* 31 *Eine der Lebensbeschreibungen Erhards, Acta Sanctor. Boll. Ian. I, 535 flgd.? Und vita Albarti (Pez, Thes. II, c, 181 flgd.)?* 32 *Conversio Bagoarior. l. c. 6, 19* 33 *Für das flgd. vergl. Paul. IV, c. 52, V, c. 33.*

BSB

mortuo, Haeribertus, filius Guntholdi ducis Boiorum et Astae, nepos Gariovaldae regis Boiorum rex statuitur; cum implesset potestatis annos novem, decessit. duos filios regni haeredes reliquit, Bertharicum et Godopertum; Bertharicus Mediolani, Godopertus Ticini habitavit. continuo aulici mures coepere discordias serere inter fratres. Godopertus Grimoldo duci Beneventano sororem connubio iungit et virum rei bellicae perquam peritum nec minus domi callidum in auxilium contra fratrem accersit. Grimoldus ubi cum copiis Ticinum receptus est, arma in Godopertum vertit, ipsum caedit. filius Godoperti aduc infans Reginopertus clam periculo sublatus, clam educatus est. Bertharicus ubi de nece fratris accepit, cum annum unum, menses tres regnasset, fuga salutem quaesivit; apud Hunnos et Abares, deinde Francos exulavit. tota Italia ad Grimoldum defecit. soli Astenses ob beneficia avi Guntholdi Bertharico fidem servarunt nec Grimoldum receperunt. qui ubi novem regnavit annos, medicis male venam secantibus interiit. Bertharicus de morte eius certior factus, in Italiam redit, magno ubique gaudio recipitur Italiaque tota, interfecto Gariovalda filio Grimoldi, Bertharico sponte subditur.

Verum Alagisus dux Tridentinus, cum praefectum Boiorum (graphionem nominamus), qui Pisonium et caetera castella Athesinae vallis pro praetore administrabat, tumultuoso praelio superasset, regi suo rebellat. cumque sacerdotem regiis armis indutum, quem regem esse putarat, pugna occidisset et spoliatum galea calvicies sacerdotem fuisse proderet, votum concepit atque nuncupavit: si victoria potiretur, salacibus mystis fibulam se impositurum genitalibusque sacerdotum puteum oppleturum. sed voti non compos, poenas dedit.

Bertharico genitus Hunnibertus infantem Litopertum aviti regni successorem habuit, cui virum prudentem Landoprandum tutorem testamento dedit. sed regni cupiditas divina humanaque iura iuxta contemnit. Reginopertus, filius Godoperti superioris, in patruelem arma sumit; Landoprandum pugna victum Italia pellit, Litopertum vivum capit eodemque anno mox invitam exhalat animam. Haeribertus, filius Reginoperti, Litopertum puerum patruelem suum in balneo extinguit, regnum Italiae occupat. Landoprandus cum filio Litoperto per Curiam urbem Rhetiarum ad Theodopertum regulum

3 *A u. B* duo 16 *Am Rande in A*: 670 30 *Am Rande in A*: 700 26 *Ebendort*: 687.

19 Verum — rebellat *vergl. Paul. V, c. 36* 22 cumque — poenas dedit *Paul. V, c. 40* 27 Bertharico — amiserunt *Paul. VI, c. 17—22, 34.*

Boiorum in Boiariam fuga elabitur ibique novem annos extorris lare patria fuit. decimo anno Theodopertus rector Boiorum Landoprandum cum filio vi et armis in Italiam reducit. Haeribertus, dum fuga sibi consulere conatur, in lacu Lario submersus est. Landoprandus rex a Longobardis creatur. haeredem regni reliquit Litoprandum filium, qui Gutrudam filiam Theodoperti ducis Boiorum uxorem duxit. hucusque Boiaria oriundi annos aliquot, nimirum sexaginta potiti sunt Italia regnoque Longobardorum, quod simul cum vita, dum invicem id invident, amiserunt.

In Francia cum Litavicus secundus, rex Germaniae et Galliarum, obiisset, tris reliquit filios, Lutharium, Hyldericum et Theodericum impuberem. Hyldericus Germanias, Gallias cis Sequanam orientem versus (Austria est), caetera, quae occidentem spectant solem (unde Vestria dicta) Lutharius possedit.

Voliphaldus dux Hylderici aulam moderatus est. divus Landobertus Traiecto Mosae oriundus, a Theothardo Traiectensium pontifice educatus, cum amicissimus Hylderico et in aula magnae authoritatis esset, mortuo Theothardo, Traiectensibus datus est pontifex. Eticho, qui et Hyldericus, filius Litherici, divae Otiliae pater, ab Hylderico rege, ab eodem cognomen sortitus, Elisatio praeficitur; uxor eius fuit Berethovinda, affinis et cognata divi Leodegarii, quem Lutharius Augustoduno episcopum dedit. Eburovinum tamen quendam hominem sceleratissimum flagitiosissimumque aulae et praetorio praefecit, qui multa mala libidine dominandi designavit.

Obiit Lutharius tercio regni anno. Eburovinus Theodericum fratrem Lutharii, quo licentius sub puero grassaretur, Gallis et occidentali regno imponit. Celtae exosi scelera hominis, Eburovinum capiunt, templo captorum includunt, Theodericum a rebus amovent, ad contubernium monachorum relegant. Hyldericum ex Germania et Austria cum Voliphaldo duce revocant, in verba Hylderici iurant. sed dum Hyldericus venationi et rebus leviusculis, neglecta republica deditus, plaeraque temere ac inconsulte agit, et cum tot gentibus lingua, moribus, institutis inter se differentibus imperaret, nulli suam legem servat, magistratus pro libidine promiscue regionibus praeficit, inter venandum cum liberis et uxore gravida trucidatur. Theodericus frater eius antea repulsam passus, regno restituitur.

Eburovinus ubi hoc accepit, relictis monachis in aulam prorumpit, dignitatem, quam amiserat, recipit, optimum quemque graviter adfligit et opprimit, divum Leodegarium occidit, Leodesium filium

4 *Am Rande in A*: 710 35 *In A übergeschrieben*: 679.

Arronoldi, qui praefectus palatinis aedibus fuerat, fide data interemit. Voliphaldus in Germaniam aufugit. Angisus tum, pater Pipini iunioris, occisus est in bello a Venedis. Landobertus Traiecto pulsus Leodium aufugit; Variomundus quidam eius sacerdotium occupat. Germani, regibus absentibus, Pipino filio Angisi curam et regni potestatem, ne quid respublica detrimenti capiat, permittunt. / erat uxor Pipini Pluthruda, filia Grimoldi reguli Boiorum. Pipinus cum principibus Germaniae et Austriacis proceribus arma castraque in Celtas contra Eburovinum, Barochum, Gilomarum, Bertharium invicem quoque, ob aulae praefecturam decertantes et contra Theodericum regem movet. victoria penes Austriacos fuit. Eburovinus occisus, caeteri simili fato sublati sunt. Theodericus rex captus est a Pipino. Pipinus accepta gaza regia regi Theoderico pacem dedit; Nodobertum quendam de suis aulae imposuit. ipse in Germaniam revertitur, divum Landobertum Traiecto restituit. Radobodum Frisiorum regem, falsorum numinum cultorem, Godofridum ducem Suevorum, qui cum Theoderico senserant, caesis Otovino et Arionoldo ducibus copiarum in obsequium redigit mortuoque Theoderico rege, qui tris filios, Litavicum, Hyldebertum et Lutharium reliquit, Litavicum regem statuit.

Cap. 8. Biennio post Grimoldus regulus Boiorum, socer Pipini, ex hac vita migrat, anno ab orbe servato sexcentesimo nonagesimo quinto. / Theodo sextus, filius eius, pietatis fama, prudencia domi militiaeque longe lateque insignis, regnum Boiariae obtinet. uxor ipsius Glisonotha, filii Theodo septimus, Grimoldus secundus et Hugobertus fuerunt. atque hi quatuor Boiariam in quatuor divisere partes. Theodo pater Reginoburgium, Boiariam inferiorem, Nariscos sibi retinuit; Bathaviae, Iuvaviae, Utino et finitimis locis Hugobertum praefecit; superiori Boiariae Alpibus subditae Grimoldum imposuit; hic in Fruxinensi arce habitavit, ubi villae et vestigium regiae, quam Grimolthusium, id est, Grimoldi domum, etiam nunc vocant. Theodo filius Athesinam vallem supra Tridentum, quam Venusticam nominant, et conterminos fines, partem Theodoperti patrui, qui iam obierat, administravit. hi principes (ut tum erant mores) divo Corbiniano familiariter usi, ab eo legem divinam audire soliti sunt. / praefectus est Corbinianus Fruxinensi templo, quod in arce ducis Grimoldi dedicatum

3 *Am Rande in A*: 685 Gundwino 18 *In A übergeschrieben*: 693 20 *Zu Cap. 8—10 vergl. meine Untersuchung: Ein verlorenes bair. Geschichtswerk des 8. Jahrh., S. 279 flgd.* 25 atque — partes *vergl. Vita Corbiniani l. c. c. 10* 30 *Gremmertshausen s. ö. v. Freising.*

erat. primus inde pontifex Fruxinensium adpellari solet. archimysten tum Boiorum fuisse reperio Theodorum; Laureacensis est archiepiscopus. minores pontifices, Reginoburgensinm Victoterpus, Saleburgii Flobargisus, Sabonensis Mastulo fuit.

In Francia Litavico rege quarto potestatis anno defuncto, Pipinus fratrem eius Hyldebertum rebus imponit. omnis potestas penes Pipinum fuit; ille inane nomen regis titulo tenus gessit. sustulit Pipinus ex Pluthruda foemina nobilissima duos filios, Drogum et Grimoldum. Drogus eam partem primae Galliae Belgicae, quae Matrona flumine (sicut Caesar scribit) a Celtis dividitur, ubi Catalauni sunt et vulgo Campania dicitur, possedit. Grimoldus defuncto vita Nordoberto a patre praetorio praeficitur, vir iustus et modestus. uxor eius Theodovinda, filia Radobodi regis Frisiorum, peperit Theodovaldam. Drogus tum filius Pipini decedit. Hyldebertus quoque regnum cum vita finit. Dagobertus filius eius a Pipino rex creatur; frater huius Daniel sacris iniciatur.

Sub idem tempus, eodem penitus anno, nempe Christi septingentesimo super octavum, Theodo pater, regulus Boiorum, ex hac vita migravit. Grimoldus eius partem occupavit. anno deinde Christi septingentesimo quarto decimo, dum Grimoldus praefectus palacii ex Galliis ad aegrotantem patrem Pipinum visendum in Germaniam profectus est, a Raenario Frisio, cultore deorum, Leodii in templo divi Landoberti perimitur. Pipinus Grimoldi filium nepotem suum Theodovaldam parenti sufficit ac praefectum aulae in Gallias mittit mense Aprili. ipse eodem anno Decembri vita defungitur; administravit imperium Francorum annos septem et viginti. paucis post diebus nimirum subsequenti anno et Dagobertus rex obiit.

Mortuo itaque Pipino et Dagoberto rege Galli Lugdunenses, qui et Celtae et Francigenae, Theodovaldam nepotem Pipini aula exigunt; praeficiunt palatinis aedibus Reginofridum quendam, regem declarant Danielem sacerdotem mutatoque nomine Hylpericum nuncupant. duxerat Pipinus vivente Pluthruda et secundam uxorem Albaedam. illa Carolum filium Albaedae novercali odio prosequebatur ipsumque in vincula coniecerat. Carolus (quem fortem et authorem generis sui

2 *Am Rande in A*: Vivilo 3 *Ebendort*: Neoburgensis, Weicho, Weichterb 15 *Ebendort*: 712.

2 *Passauer Bischofskatalog, M. G. Scr. XXV, 620, 654* 5 *Für das flgd. vergl. Continuatio Fredegarii, c. 104—106; Gesta regum Francor, c. 49* 18 *So die von Aventin in Mondsee gefundenen Annalen; s. die Excerpte in seinen Adversarien, Tom. I, fol. 8; Münchener Hof- und Staatsbibliothek.*

principes nostri nuncupant) auxilio Avini carcere liberatur. ad ipsum proceres Germaniae et Austriae frequentes coeunt, ad regnum ultro invitant. ipse principatum ducatumque Francorum et praefecturam aulae et praetorii accipit, regium nomen recusat.

Hylpericus rex, Reginofridus palatinae domus rector et Galli infesto exercitu ad Mosam amnem procedunt castraque locant. Ratobodus, rex Frisiorum et multorum deorum cultor, quem Galli sibi pecunia coniunxerant, altera ex parte Agrippinae trans Rhenum nihil inlesum intactumque reliquit, mense Iulio omnia templa christianorum diripuit. Landofridus et Theodovalda duces Suevorum et ipsi Hylperici partium, Carolo adversi fuerunt. Theodovalda divum Pirminium antistitem Suevia exturbat (favere dicebatur Carolo). Pirminius patrem monachis Etonem designat; et hunc Theodovalda dux ob odium in Carolum in Uraniam relegat. Pirminius in Elisatium, inde ad Boios concessit.

Carolus undique insurgentibus bellorum procellis, ingentis animi princeps, primo hostibus religionis nostrae Frisiis occurrit. sed superatus a Rathobodo, amissis multis, in fugam vertitur. venit tum divus Vinofridus, qui et Bonifacius, ex Anglia Traiectum magnum, qui Frisiorum regem Rathobodum ex praelio victorem revertentem alloquitur obtestaturque, uti clementiam maximam regum dotem aemuletur, ab innoxiorum pauperum vastatione, qui nil conmeruere, abstineat. ad amplectendam veritatem divinam quoque regem potentissimum atque ferocissimum cohortatur; et inflexerat nonnihil barbari regis animum, sed ipse paucis post diebus subito interiit.

Hylpericus et Reginofridus ubi audivere Carolum male pugnasse, Arduennam sylvam transgrediuntur; omnia ferro, flamma, praeda, Mogonciacum, Agrippinensem agrum, regiones continuas Rheno, depopulantur. a Pluthruda vidua Pipini muneribus ac donis placati Ablavum redeunt. interim Carolus conlectis reliquiis exercitus sui de improviso castra invadit inopinatosque haud mediocri clade adfecit. partes inde aperto Marte de summa rerum confligere statuunt. nihil utrimque praetermissum, quod ad victoriam facere videbatur. Vinciaci (in agro Cameracensi vicus est) tercio decimo calendas Aprilis

7 *Ebendort*: Ratholdum alii. 10 *Ebendort*: Eburonardus, nepotes Etichonis, Helisatiorum ducis, filii Alberti 34 *Am Rande in A*: alii tercio.

liberatur *Contin. Fred. 103; Gesta reg. Francor. 51, 52* 14 *Land Uri* 18 *Für das flgd. vergl. Willibaldi Vita st. Bonifatii, c. 4 (Jaffé, Bibliotheca rer. German. III, 441)* 26 *Für das flgd. vergl. Gesta Francor. c. 52, 53; contin. Fredegarii c. 106, 107.*

BSB

(quae tum dies solis ante paschalia erat et ab auspiciis palmarum cognominari vulgo solet) infestis concurritur armis. victoria penes Carolum fuit; Hylpericus rex et Reginofridus fuga sibi consuluerunt. Carolus victor cum Austriacis et Germanis Agrippinensem Coloniam intrat, gazam parentis Pipini a noverca Pluthrude recipit Lutharium-que patruum Hylperici regium nomen ferre iubet.

Hylpericus et Reginofridus copias redintegrant, Utonem ducem Aquitaniae socium ad se adsciscunt, coniunctis viribus rursus in agro Cameracensi castra metantur. Carolus cum Austriacis, Belgis, Germanis, haud impigre infesto intentoque exercitu, adversus eos procedit; hostes invadit, sternit, fundit. Hylpericus rex, Uto dux Aquitaniae per Parisios ablata secum regia supellectili in Aquitaniam fuga elabuntur. Reginofridus Andegavos petit ibique se munit.

Carolus et Germani et Belgae hostium vestigia sequuntur, omnia sibi subigunt. Andegavos cum Reginofrido ad deditionem cogunt, totam Galliam Lugdunensem, quam et Celticam vocant (quae a Sequana fluvio ad Ligerim Ptolomaeo, Plinio vero et Caesari ad Garumnam flumen protenditur) recipiunt hancque a suo vocabulo victor Carolus Caroliam, incolas Carolios nuncupari iussit, quod diu apud Germanos Belgasque observatum est. Milonem Rhemorum pontificatui praeficit, abdicato Rigoberto, qui sibi adversus Reginofridum properanti portas urbis clauserat. ob eandem causam Eucherium Aurelianensem episcopum in Hispaniam relegat. deinde legati in Aquitaniam ad Utonem ducem mittuntur, qui repetant Hylpericum regem et regiam gazam et gratiam Utoni, si resipiscat, faciant. Uto regem cum thesauris legatis reddit; inde ad Carolum Hylpericus deducitur. inter haec, anno Christi 719, Lutharius rex obiit; in paucis diebus anno sequenti patrui fatum et Hylpericus subsequitur. Franci et Carolus Theodericum quartum filium Dagoberti secundi regem salutant.

Dum haec in Galliis geruntur, Boiariae dux Theodo septimus Romam reus voti proficiscitur condemnatusque a Gregorio secundo pontifice maximo domum in Boiariam revertitur; ex hac vita migrat. frater eius Grimoldus partem eius simul cum uxore Vilidruda usurpat. divus Corbinianus tum quoque Romam supplicandi gratia concesserat. Grimoldus, ne talem virum amitteret ab se, Maiensibus (colonia Boio-

31 *Am Rande in A*: anno Christi 716 *[Histor. Cremifan. 625]* 32 *Ebendort*: 718, decimo regni anno.

30 Boiariae — proficiscitur *Paul. VI, c. 43* 34 *Für das flgd. vergl. Vita Corbiniani auctore Arbeone episcopo bei Meichelbeck, Hist. Frising. I, b, 3 flgd.*

rum fuit in ripa Athesis, ubi nunc Tyrolium et Merania cubant, in villas abiit, quae nomen retinent) demandat, uti Corbinianum, si eo veniret (inde enim ipse oriundus erat), captivum ad se Fruxinum deducant. rediit Corbinianus Maias, quae sibi patria erat; a magistratibus statim Grimoldi detinetur fideque data ad Grimoldum perrexit, qui ipsum pastorem Fruxinensem declaravit sacramentoque adegit, ne inde posthac relicto grege discederet. pontificem regiae mensae convivam fere adhibet. Corbinianus nactus tempus opportunum, Grimoldum increpare coepit, quod uxorem fratris duxisset, id esse repugnans legi divinae. mulier ubi istaec audivit, insidias vitae Corbiniani tendit. admonitus divus noctu fuga sibi consuluit in Italiamque ad Litoprandum regem elapsus est.

Oritur deinde tumultus in Boiaria in partesque vulgus ignobile scinditur. nepotes Grimoldi, filii Theodoperti, qui ducatu ob impuberem aetatem exclusi erant, iam ex ephoebis excesserant, portionem regni postulabant. Pluthruda quoque vidua Pipini in Boiariam, unde oriunda erat, aufugerat Boiosque contra Carolum privignum suum in arma concitabat. Grimoldus eo tumultu occisus est; ubinam, nondum, licet curiosius perscrutatus fuerim, inveni. quidam mystae et monachi, non de omnibus loquor, cum ipsi nihil sapiant, instrumenta, ex quibus res gestae disci solent, in capsas cistasque non una clave includunt nec eruditos, nescio quid, ut sunt religiosuli, metuentes, videre nedum legere sinunt. ita horum sanctulorum stoliditate et ignavia virtutum monumenta et historiae intercidunt; cum tineis et blaptis depugnant; suis praediis homines avari et quasi malae fidei possessores nimis timent. cavent mortalium ingratissimi atque superbissimi summopere, ne in vulgus edatur, quorum beneficio ditati fuerint.

Grimoldi uxor (revertor, unde evagatus sum) Viledruda cum filiis ad Carolum ducem aufugit, orbitatem suam et indignam viri caedem deplorat. conscii sceleris cum sociis authoritatem Caroli flocci faciunt. Litoprandus rex Longobardorum, cuius uxor ex Boiaria oriunda erat, dum Boii se discordia debilitant et civilibus armis dissentiunt, Maias et caetera Boiariae castella, quae Athesis praeterfluit, invadit atque in deditionem cogit. divum Valentinum, qui Maiis humatus fuerat, Tridentum transfert.

Carolus cum exercitu in Sueviam proficiscitur, Theodovaldam ducem Sueviae ducatu depellit, Landofridum armis sibi parere cogit.

18 *Ebendort*: 625, 28 *[sic]*.

2 *Ober- und Untermais* 31 *Paul. VI, 42* . 32 *Nach Paul. VI, c. 57?* 34 *Vita Corbiniani, c. 39.*

Pirminium restituit, Mediomatricum insuper templo praefecit. Etonem Argentorati pontificem constituit. inde perdomitis Suevis Boiariam petit. / Hyldolphum, fratrem Arionardi (qui ex nobilissima Boiorum familia orti, literis operam Reginoburgii dederant ibique educati fuerant) Treverensi donat templo. /novercaque recepta/Hugobertum Boiariae toti praeficit. eius neptem Suaenyldam uxorem ducit. extat haud procul Fruxino pagus ab ipsa etiam nunc cognomen servans. /Lutheraviam vicum et regiam, Angilostadium, oppidum Nariscorum, regibus Francorum addicit Martellus, quo pateat in Boiariam libere et nemine prohibente transsitus. ita Carolus Magnus in capitibus meminit, quae ad Legem Salicam addidit./

Alberto, Otogerioni et Utoni, quos quidam filios Grimoldi fuisse suspicantur, Bargiones et Tigurini inter Isaram et Oenum subditi Alpibus traduntur. Landofridus, Elilandus, Valdoramus fratres, filii Theodoperti, Anthoryphos, loca finitima Libusae fluvio, contermina Isarae et Lyco fluminibus acceperunt. Hugobertus regulus Boiorum declaratus (quem etiam Fruxini habitasse aiunt) continuo divum Corbinianum, divinae sapientiae professorem ex Italia missis legatis accivit Fruxinique in arce sua conlocavit; ab ipso aqua sacra expiatus est. / obiit diem Fruxini Corbinianus/et, ut testamento statuit, Maias patriam iussu Hugoberti delatus, ibi humatur, quod oppidum Boiorum aduc Longobardi tenebant.

Ob ignaviam regum et crebra bella licentia (uti fit) populum christianum in Francia invaserat. nihil salacius, nihil superbius sacerdotibus erat; canes et scorta alebant, luxu atque avaricia perditi. decimas et huiuscemodi donaria intercipiebant contra instituta maiorum; nil egenis elargiebantur; ecclesiasticas opes, bona pauperum soli abliguriebant. in concionibus non rem dei optimi maximi sed negocium suum agere solebant. quotidie liberis operam dabant, nihilo secius sacrificabant. sacrosanctam victimam impuris manibus, pollutissima conscientia contaminabant. ipsi temperantiae, omnibus virtutibus, maxime castitati bellum indixerant. Tibullus poeta non solum alienus a veritate caelesti, sed amorum quoque scriptor, castus dumtaxat, sacris admittit falsorum numinum; versus eius libuit subtexere:

32 Tibullus — aquam *in A u. B eingeklammert* / 33 castos *A u. B*

3 *Vgl. Vita Hildulfi, c. 3 (Acta Sanctor. Boll. Juli III, 221); Vita Erhardi autore Paulo, c. 2; l. c. Ian. I, 536?* 7 *Schweinersdorf, alt Suanihiltesdorf* 11 *Mon. Germ. Leg. I, 141 (Reichstheilung v. 806)* 12 *vgl. Hist. fund. mon. Tegrinsee; Pez, Thes. III, c, 475* 14 *flgd. vergl. Chron. Benedictoburan., Mon. Germ. Script. IX, 215* 16 Hugobertus — tenebant *vergl. Vita Corbiniani l. c.* 34 *II, 1, 11.*

Vos quosque abesse procul iubeo; discedat ab aris, | Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus. | Casta placent superis; pura cum veste venite | Et manibus puris sumite fontis aquam.

Nec facile nec tutum erat, huiusmodi ulcus tangere atque istanc lacunam movere. divus Vinofridus, vir cum eruditus tum bonus, ubi huiuscemodi sacerdotum cupiditatem nequiciamque invaluisse videt, Romam pergit, rem omnem ad Gregorium secundum pontificem maximum defert, qui Vinofridum sanctae philosophiae magistrum Germaniae gentibus designat fidemque hoc diplomate facit: Gregorius servus servorum dei Vinofrido religioso sacerdoti. ob pietatem et studium
102.A literarum, quae ab /ineunte aetate in te sita esse comperio, docendi Francos et a malis falsisque sacerdotibus purgandi provinciam nostro iure tibi demando. tu vero non fabulas hominum nec quaestum tuum, sed Christum et sacras utriusque instrumenti literas praedicato. si qua graviora, quam ut a te rite beneque perfici queant, inciderint, ad me deferto. datum idus Maii, imperante domino piissimo augusto Leone a deo coronato, anno tercio imperii eius, indictione secunda. fuit is annus Christi authoris nostri septingentesimus vicesimus. lustra diducenti patefiet.) tum et Vivilus archimystes Boiorum templo Laureacensi praefectus est. divus Vinofridus Roma in Franciam tendit, hospicio perquam humaniter Ticini a Litoprando rege Italiae excipitur. per Boiorum fines incognitus ad Turogos tendit. inde ad Frisios proficiscitur, iam enim Rathobodus rex obierat. Hessones deinde petit in confinio Saxonum. ubique scelera sacerdotum arguit; de legato sibi officio graviter et strenue defungitur.

At Udo dux Aquitaniae fidem frangit, nova molitur, Carolo rebellat. Carolus conlecto ingenti Austriacorum exercitu Aquitaniam hostili animo petit, superato Ligeri amne Udonem terga vertere cogit. Abdiramus rex Scaenitarum (Saracenos, nos dicimus, qui paulo ante ex Africa transseuntes Hispanias invaserant, Vessogetarum et Suevorum regnum adtriverant) in auxilium ab Udone accitus cum liberis et coniugibus, quasi perpetuo in Aquitania habitaturus, cum valida manu advenit. fit fuga Garumnam usque flumen; (omnia ferro, flamma
103.A devastantur ab hostibus,)empla direpta incenduntur./ Burdegala, alia

17 *Am Rande in A:* coepit Matthaeo 718 — *Ebendort:* 720 18 undevicesimus *B* 33 omnia — hostibus *fehlt B*

9 *Das flgd. ist ein sehr freier Auszug aus der Bulle v. 15. Mai 719, Jaffé, Bibl. III, p. 62* 19 *Vergl. den Passauer Bischofskatalog, M. G. Scr. XXV, 620* 20 divus — defungitur *vergl. Willibaldi Vita st. Bonifatii cap. 5, 6; Jaffé, Bibl. III, 445 flgd.* 26 *Für das flyd. vergl. Contin. Fredegarii, cap. 108, 109.*

undevicesimus A.B, 9m Am 120 Sn ~~Vncle~~ Acol.
Am. Leo - fl. Constantin Copronym

plaeraque oppida, Pictones expugnati sunt, Turones obsessi. Carolus dux invictus fretusque deo inmortali fortiter tantam hostium turbam adgreditur, fundit, delet. caesa sunt Saracenorum trecenta octoginta quinque millia cum rege; in exercitu nostro mille dumtaxat ac quingenti desiderati sunt. testis est Udo dux in epistola, quam ad Gregorium secundum episcopum romanum scripsit. nam Udo recuperata gratia Caroli eos, quos socios ad se acciverat, gravissima quoque strage profligavit.

Interim Burgundia rebellat. Carolus continuo cum copiis advolat, Lugdunum expugnat, Burgundia potitur eamque firmis praesidiis munit. mox Udonis mors Carolo nunciatur. Carolus Aquitaniam absque Marte recipit. inde classe ingenti comparata contra Frisios multorum numinum cultores arma promovet, fana, lucos hostium subvertit, extirpat, incendit; interfectis quam plurimis, caeso Popone duce Frisiorum victor rediit. Saraceni rursus evocati a filiis Udonis Baephario et Hunoldo et a Mauronto duce provinciae in Galliam rege Athima navibus adpellunt, Avinionem capiunt. nec mora, Carolus adest, Avinionem obsidione claudit; erat intus rex Athima. Arabes, qui aduc in Hispania erant, rege Amoreo obsessis auxilio veniunt, Arelatem capiunt. Carolus evocatis a Litoprando rege Longobardorum auxiliariis copiis hostes invadit, quatuor praeliis sternit, fundit, cum regibus delet. pauci, qui ad naves confugerant, saeviente in eos divinitus ira caelesti, fractis navibus in mari submersi sunt. Maurontus dux finibus exactus est. Hugobertus quoque dux Boiorum cum filio Utilone huic bello interfuit Caroloque opem tulit.

Receptis itaque atque subactis Galliis. Aquitania, Belgis, Celtis, provincia Narbonensi, Suevis, Boiis perdomitis, Carolus contra Saxonas alienos a religione nostra ad Visurgim usque amnem processit. utrimque magno ardore nec minore clade depugnatum est. superati tandem Saxones, vectigales facti, tribuere quotannis trecentos equos. Carolus itaque dux invictissimus imperium Francorum, quod inquietissimum acceperat, extinctis ubique hostibus tandem pacavit rediitque diu optata tranquillitas et maiestas Francorum tot cladibus vastata resurrexit. unde Martello ipsi Carolo cognomen inditum est, quod lingua Franca atque Germana signum est blandientis et a caede hostium deductum.

Ob tam bellorum vehementes et crebros turbines aerarium omnino exhaustum erat, fiscus adtenuatus, deficiebant militibus stipendia. Carolus opes templorum sacramque pecuniam usurpavit; ex hac conmilitonibus mercedem laborum distribuit, quamobrem ipsum sacrilegii

poenas apud inferos dependere mystae sibi credi postulant, quasi vero non legerimus in vita divi Egidii (qui tum vixit), illi scelera, quae vel nequaquam ulli mortalium confiteri voluerit, a deo condonata esse; id quotannis stato die cantant, praedicant publice, privatim, domi et in templo sacrificuli. Eucherius pontifex Aurelianensis dignitate motus a Carolo, optimo principi hanc infamiae notam inurere ausus est.

Sed ego ad divum Vinofridum redeo, qui strenue mandatis defunctus, Romam ad Gregorium pontificem revertitur; ab eo pridie calendarum Decembrium episcopus consecratur, inmutato veteri nomine Bonifacius veluti bene ominato et auspicatiore adpellatur et conceptis verbis authoramento exsignato ac in corpore divi Petri imposito ita fidem suam adstringit. in nomine domini deique et servatoris nostri Iesu Christi, imperante domino Leone a deo coronato magno imperatore, anno septimo post consulatum eius, sed et Constantini magni imperatoris eius filii anno quarto, indictione sexta, Bonifacius divino munere episcopus, tibi, beate Petre, qui comitum
105 A Christi extitisti primarius, Gregorio vices tuas modo gerenti, omnibus successoribus tuis promitto per patrem et filium et spiritum sanctum, qui tres unus natura simplicissimus deus est, per hoc sacrosanctum corpus tuum spondeo: germanam christianae pietatis veritatem, quoad vita et vires suppetant, sectabor, concordiam servabo, sacrificiis interdictos devitabo, mendaciorum sectas, errores pestiferos contra maiorum scita pontifici romano renunciabo.

Atque his ceremoniis rite perpetratis Gregorius Bonifacio commendaticiam dat epistolam ad Carolum ducem Francorum, cuius exemplum subtexere aequuum et necessarium fore duxi, ut plane intelligatur, qua cura veri pastores creditum sibi gregem paverint. domino glorioso filio Carolo duci Gregorius pontifex romanus Bonifacium, virum bonum et eruditum, quem aequitatis et sapientiae christianae amantissimum esse compertum habeo, episcopum designavi ipsumque ad docendum varias et diversas Germaniae nationes, quae orientalem Rheni ripam adcolunt, misimus. obtestamur per Christum terrarum principem regemque regum, cuius regni tu dux et antesignanus es, uti pro potentia tua in hoc sanctissimo proposito Bonifacium non deseras; fac, opem tuam praesentem (quae tua pietas ac sapientia est)

2 Vita st. Aegidii abbatis, Acta Sanct. Boll. Sept. I, 299 6 Vita Eucherii ep. Aurel.? (Bouquet, III, 656) 7 Für das flgd. vergl. Willibaldi Vita st. Bonifatii, c. 6; Jaffé l. c. 451 12 Das flgd. ist ein Auszug aus dem bei Jaffé l. c. p. 76 gedruckten Bonifatii iuramentum 27 Auszug aus dem Schreiben Gregors v. Dez. 722 bei Jaffé l. c. p. 81.

sentiat. pontificibus quoque maioribus, minoribus, flaminibus, sacerdotibus, mystis, ducibus, praefectis, praesidibus, proceribus, omnibus principibus, populo, plaebi Germaniae, cunctis denique christianis in hanc sententiam scripsit: Bonifacium omnis divini humanique iuris consultissimum pontificem et pastorem gentibus Germaniae, quas Rhenus ab orientis ora praeterfluit, consecravimus. flagito atque iure nostro postulo, ut ipsum ⌈tanquam legatum et nuncium Christi dei et imperatoris nostri benigne excipiatis et sedulo audiatis; ipsi sicuti parenti vestro (quo sibi ratio de animis vestris ante supremum ac iustissimum praetorem constare possit) obtemperate. ignavus et literarum rudis, viciosus aris arceatur. decimae, tributa, donaria et huiuscemodi templorum vectigalia in quatuor dispartite partes; unam Bonifacius, alteram sacerdotes sedulo pascentes ac docentes populum accipiant; tercia egenis et pauperibus distribuatur; quarta ad instaurandas reficiendasque sacras aedes reservetur. nemo citra mortis necessitatem nisi paschalibus et quinquagenalibus caelesti lavacro tingatur. si quis adversus haec quicquam ausus fuerit, diris devotus esto, iram et poenam caelestem sentito. at vos deus optimus maximus servet, filii charissimi. ⌉ data calendis Decembribus, imperante domino piissimo augusto Leone, a deo coronato ⌈magno imperatore⌉ imperii eius anno septimo, sed et Constantini ⌈magni⌉ imperatoris eius filii anno quarto, indictione sexta. fuit is annus aerae christianae, si lustra recte diduxeris, septingentesimus ~~alter~~ et vicesimus.

706. A

Bonifacius his acceptis mandatis in Germaniam proficiscitur, mandatum romani pontificis patefacit, falsos sacerdotes, avaros, impudicos, superbos, sordidi quaestus, libidinis, popularis gloriolae mancipia fabularumque praecones et huiusce factionis capita, Dortovinum, Bertherum, Anoberthum, Hunoredum exaugurat, dignitate movet devitandosque populo velut contagiones late serpentes censet atque renunciat, socios sibi ex Anglia natali solo accersit, non solum viros Burgardum, Lullum, Bilevaldam, fratrem eius Bunovaldam, Bittam, Gregorium, sed et foeminas, marterteram Lulli Chunyldam, filiam huius Beragitham, Chunitrudam, Teclam, Liobam et Valdopyrgam, sororem Bilevaldae et Bunovaldae. Chunylda et filia eius Beragitha admodum bonis literis eruditae ad Turogos legantur; Chunitruda et Valdopyrga (cuius

707. A

~~alter~~ tercig ‖ quartus von Dritter Hand A

23 tercius *st.* alter *A* 32 Chunyldam — Beragitham *fehlt B*

4 *Vergl. die zwei Schreiben v. 1. Dez. 722 bei Jaffé l. c. p. 77, 79* 27 *Die flgd. Namen aus Willibaldi Vita st. Bonifatii c. 6, l. c. 453* 30 *Die flgd. Namen aus Othloni Vita Bonifatii; Jaffé, Bibl. III, 490.*

BSB

e corpore aduc oleum sudat et religiose Aechostadii colitur) in Boiariam pergunt; Tecla et Lioba in Francia veteri consistunt.

Dumque hi operi divino sedulo instant falsosque sacrificulos etiam mulierculae abigunt, Gregorius secundus Romae moritur, Gregorius tercius succedit. hic ubi Bonifacii egregia facinora accepit, gratulatorias eidem mittit literas, operam et virtutes eius collaudat, archimysten Germaniae (eundem) declarat palliumque insigne philosophi et pastoris christiani ipsi dono dat; eundem minores pontifices initiare iubet; (Germanos) vesci caballo sylvestri ac domestico vetat. Bonifacius inde ad Hugobertum ducem Boiorum divertit; veritatem illi et Christum accurate praedicat. Ariovoliphonem, qui summam habebat authoritatem et dignitate excellebat, eiusque farinae sacerdotulis pecuniarum et gloriolae aucupibus, servis voluptatum, sub specie et obtentu religionis in gregem dei grassantibus sacrificiis interdicit admonetque populum, proceres, regulum Boiorum, ut illi nebulones numero sceleratorum impiorum habeantur, ab illis omnes discedant, aditum eorumque sermonem defugiant, ne quid ex contagione incommodi accipiant atque polluantur. (vetat insuper illis ius petentibus reddi honoremve ullum conmunicari; neque sacris adesse neque concilium inire illis fas esse.) sacerdotes deinde adlegit suffragiisque cooptat, qui oves Christi, non suas, caelesti pabulo, non fabulis hominum pascant, non lanient, qui imperent cupiditatibus, refrenent libidines, spernant voluptates, iracundiam teneant, coerceant avariciam, caeteras animi labes repellant, utriusque instrumenti exemplaria nocturna versent manu, versent diurna. post haec Bonifacius comitantibus plurimis Boiis Romam ad Gregorium tercium proficiscitur.

Cap. 9. Moritur interea Hugobertus regulus Boiorum anno christianae salutis septingentesimo super quintum ac tricesimum. post hunc regnum Boiariae obtinet Hugoberti filius Utilo, qui (educatus in aula ducis Francorum, (Hyldrudam, filiam Caroli Martelli et sororem Carolomani et Pipini, (adamavit, rapuit (uxoremque) duxit; progenuit Thessalonum tercium.

20 que *fehlt B* 28 *Am Rande in A:* '739 *[sic]* obiit Hugobertus.

6 *Jaffé l. c. p. 91—94* 9 *Für das flgd. vergl. Willibaldi Vita st. Bonifatii, c. 6, 7, l. c. 455, 456* 15 — conmunicari *Caesar, bell. Gall. VI, 13* 25 *Vgl. Horatii de arte poetica epist. ad Pisones: Vos exemplaria Graeca nocturna versate manu, versate diurna* 27 *Vergl. Annales ducum Bavariae Altahens., Mon. Germ. Script. XVII, 365: 735. Oudilo dux post Hucpertum ducem regnat in Bawaria. Die Histor. Cremifan. nennen p. 625 738, p. 660 739 als Todesjahr Hugberts.* 30 *Vergl. Contin. Fredegarii c. 111.*

Sub idem tempus Hunni et Abares audita morte ducis Boiorum, quaecunque Boii infra Anassum possedere, ferro, flamma vastant, Laureacum delent, excindunt. ob hanc cladem Utilo Vivilum archimysten Laureacensem cum synmystis et monachis una cum sacratis foeminis, qui periculum evaserant, Bathaviam conmigrare iubet eaque urbs posthac Laureacensium archiepiscoporum domicilium fuit. ipsi adpellati sunt pontifices Bathavenses et archimystae Laureacenses, sicuti legi in diplomatibus imperatorum Arionulphi et Otonis, quorum copiam exscribendi mihi fecit Vigileus Froschulus pontifex Bathavensis. huius urbis tum episcopo Vivilo caeterisque Boiariae sacerdotibus Gregorius pontifex romanus literas per Martinianum episcopum, Georgium presbyterum, Dorotheum diaconum hoc exemplo misit: Gregorius servus servorum dei dilectissimis nobis episcopis in regione Boiariae. continuo, ubi nostram receperitis epistolam, Utilonem ducem vestrum a vobis adiri volo, ut illius edicto conventus sacerdotum, antistitum, procerum gentisque indicatur. ibi veros sacerdotes omnium suffragiis cooptate, pravos et criminibus designatos exauthorate. concilia pro salute christiani populi bis quotannis iuxta Danubium, ubi libuerit, cogite; in hisce controversiae, causae omnium secundum Christi servatoris nostri legem et placita evangelii Paulique legati, Christi scita cognoscantur. omnes concordiam et pacem christianam operibus conprobent, iuxta evangelii doctrinam et more christiano vivant. in omnibus, quemadmodum a Bonifacio edocti estis, agite, oves sedulo pascite. parochos saepius visent episcopi, presbyteros recte vivere conpellant. dent denique operam, ne lupi tecti pelle ovina ovile inrumpant. archimystes communi omnium suffragio deligatur isque continuo Romam eat, ut, si dignus fuerit, qui populo Christi praesit, a romano pontifice consecretur. nemo pravus atque ineptus sacris admoveatur. cum ecclesiasticis opibus, caelesti lavacro ita fieri par est, sicut Gregorius decessor meus statuit. nemo scorta aut concubinam alat; quisque aut caste vivat aut uxorem ducat, quam repudiare fas non esto. nihil inmundum in cibis iudicetur nisi simulacris falsorum

10 *Ebendort:* Vioterpo Neoburgensi 24 *Am Rande in A ist hier nachgetragen (auf Herzog Utilo zu beziehen?):* Gotofridum Sueviae ducem impugnat, omnia in Suevia conbussit, Fauces, Cambodunum.

3 *Vergl. Hist. Cremifan. l. c. p. 625, n. ***† u. p. 660; Annal. duc. Bav. Altahens. l. c.* 8 *Unächte (vergl. Dümmler, Piligrim v. Passau, S. 28) Urk. K. Arnulfs v. 9. Sept. 898; ächte Urk. K. Ottos II. v. 5. Okt. 977; Mon. Boic. XXVIII, a, 119, 223* 11 *Das flgd. ist ein freier Auszug aus der päpstl. Instruction v. 15. März 716, Mon. Germ. Leg. III, 451.*

deorum inmolatum. somnia, auguria, incantationes, dies nullus observet. dissidentium donaria ⌈aris et⌉ sacris aedibus arceantur nec ea sacerdotes recipiant, nisi reconciliati fuerint. nemo se perfectum, 10. A
/nemo iustulum, nemo sanctulum esse confidat. tota vita christiani poenitentia est et bellum; imbecilli et homines sumus; omnes egemus clementia dei optimi maximi.

Haec mandata pontificis maximi ubi Boiis patefacta sunt, divus Bonifacius Roma Ticinum ad Litoprandum regem Longobardorum divertit. Utilo regulus Boiorum missis ultro nunciis Bonifacium denuo ad se invitat, ob pertinacissimam falsorum sacerdotum obstinationem maliciamque fraudulentam. ipsi acriter suos mores tuebantur, tanquam pro focis et aris depugnantes; facile plurimi paucis piis resistebant; sub obtentu religionis fictis et fabulosis plaebem oblectando sibi obligarant. adversarios pietatis specie territabant, quorùm dolus cum aliter devitari non posset, favente Utilone duce Boiorum Boiaria in ecclesiasticas dioceses et parochias (ut adpellant) divisa est. falsi et pravi sacerdotes tribu moti, in ordinem redacti et exaugurati sunt. Bonifacius veram pietatem Christi Boios docet, tris viros literarum scientia et morum sanctimonia celebres ac nobiles episcopos Boiis declarat. Ioannem Saleburgii, Ariobertum fratrem divi Corbiniani Fruxini habitare iubet, Reginoburgio ⌈vero,⌉ quod caput Boiorum erat, Gaeovaldam ⌈pontificem designat, nuncupat; socium Victerpo, qui senio confectus erat, adsciscit. ⌉Vivilus antea a romano pontifice consecratus fuerat Bathaviamque Laureaco exciso transsierat. haec ubi facta sunt, postea ad romanum pontificem deferuntur, qui in hunc modum rescripsit: reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifacio coepiscopo Gregorius servus servorum dei quod tua opera et Caroli principis Francorum, ⌈quemadmodum ex literis tuis cognovimus,⌉ tot millia Germanorum ad bonam frugem et Christum servatorem nostrum reducta 111. A
sunt, /sane, prout debeo, gaudeo vehementer. in Boiaria (ubi pravi sacerdotes fabulis hominum veritatem hactenus corruperant, sceleribus religionem polluerant, plaebem exederant) bene sapienterque egisti. ne labor noster frustra sit, iuxta Danubium conventus conciliaque more christiauo celebrari iubeo. tu, ut militem imperatoris caelestis decet, fortiter decertato. nemo tibi impedimenta paret. data quarto calendas Novembris, imperante domino piissimo augusto Leone, imperii eius anno vicesimo tercio, sed et Constantini imperatoris filii eius anno vicesimo, indictione octava. is fuit annus Christi septingentesimus atque ~~undequadragesimus.~~ 140 Ann.

6 — nuncupat *vergl. Willibaldi Vita st. Bonifatii c. 7, l. c. 456* 25 *Es folgt ein freier Auszug aus der Bulle v. 29. Okt. 739 bei Jaffé l. c. p. 104.*

Purgata itaque atque lustrata Boiaria a pravis sacerdotibus, certatim ab optimatibus Boiorum opes pauperibus distributae sunt; christianam paupertatem plaerique contemptis diviciis et voluptatum inlecebris profiteri coeperunt. sub idem tempus in Boiaria apud Utilonem fuisse et divum Pirminium pontificem Mediomatricum reperio. undeviginti coenobia et conlegia monachorum et sacerdotum tum extructa institutaque sunt. regulus Boiorum septem aedes atratis druidibus construxit; unum propter Menenlacum Noricorum, sex in inferiore Boiaria iuxta Danubium construxit. Bathaviae Nidroburgum virgines incolunt. Austraviam, Paphomonasterium, Aldechium superius inferiusque (huius monachi omnium locupletissimi sunt) dedicavit divus Pirminius. Eto Argentoratensis episcopus consecraneos divi Benedicti dedit. Iosephus episcopus Fruxinensis ope Utilonis conlegium mystarum instituit, cui flumen Iseniscus, in cuius ripa conditum extat, nomen fecit. at in superiore Boiaria itidem consensu Utilonis Alto quidam heremita Altonis monasterium auspicatus est. Oto, nepos Alberti et Othogerionis, quos supra commemoravi, Ilmi monasterium Ilmo flumini contiguum condidit; conlegium fuit sacerdotum, qui mea memoria cum divo Arsacio Monachium translati sunt. Albertus et Othogerion in Norico ripensi et Hunnia divo Hippolyto templum aedificarunt; urbi inde cognomen aduc manet. in superiore vero Vindelicia intra Isaram et Oenum, in faucibus Alpium, propter lacum Tigurinum contubernium monachis dedicarunt, quorum praesul caeteros omnes Boiariae antistites dignitate excellit. nam coenobium fossa, moenibus, tormentis bellicis et aliis huiuscemodi instructum instar regiae possidet et more regulorum equestris ordinis tetrarchas perpetuos, praefectum aulae, rectorem palatinarum aedium, archimagirum et pincernam habet. in saltu Schiratio, ubi Isarae fontes sunt, Reginopertus, Guntianus et Ato fratres monachis domos construxerunt. intra Isaram et Lycum, sub ipsis Alpium radicibus (rectore Boiorum haud abnuente) Landofridus, Valdoramus, Elilandus fratres ~~octo~~ sacratis viris et foeminis sacras aedificarunt aedes; Buros, Silechodoryphos, Siverostadium Sandunum, Vessobrunnam maribus, Pollionas, Staphilios, Cochiliam virginibus tradiderunt, quibus praefecerunt Gaelovindam sororem suam. Cochilia, Staphilii ad lacus

11 dedicavit — dedit *vergl. Mon. Boic. XI, 14* 15 *Isen, vergl die Urk. bei Meichelbeck, I, a, p. 51* 21 *St. Pölten. Zum obigen ist wohl zu vergleichen Veit Arnpeck, Pez, Thes. III, c, 92, 94* 26 *Ueber die Erzämter des Klosters Tegernsee vergl. Mon. Boic. VI, 343 flgd.* 29 *M. B. IX, 7—11?* 30 *Zum flgd. Chr. Benedictobur., M. G. Scr. IX, 215.*

A { 8 a construxit
  { 9 — danubium, a bathavae d. g. construxit fuer
und 9 vorhalbmond. D. A. C & B und constr. fuer

eiusdem cognominis, Siverostadium et Sandunum haud longe a Lyco ab Ugris excisa deletaque penitus interierunt. caetera extant; Vessobrunnam, Pollionas Thessalonus filius Utilonis postea ampliavit, de integro instauravit atque haec omnia templa divus Bonifacius fertur consecrasse ceremoniisque divi Benedicti iniciasse. Silechodoryphi Pollionesque ab Ugris adflicti, excusso monachorum iugo, mystae divi Aurelii Augustini sunt et adpellantur.

Eadem tempestate vita defunctus est Carolus dux Francorum, cum septem et viginti annos imperium Francorum, Gallias et Germanias administrasset. tris reliquit fllios, Carolomanum, Pipinum, Griphonem; verum ad Carolomanum, quod maximus natu esset, omnia negocia referebantur; omnis potestas imperii Francorum penes illum erat. Theodericus quoque rex tum obiit, Hyldericus frater eius a Carolomano et Pipino substituitur. Saxones audita morte Caroli ab iugo imposito resiliunt, tributa, quae hactenus pendere solebant, pernegant in libertatemque se vendicant. Theodovalda quoque dux Suevorum pulsus a Carolo rediit, rebellat, Elisatium occupat. Hunoldus etiam Aquitaniae dux parere regulis Francorum detrectat. Carolomanus et Pipinus Aquitanos, deinde Suevos celerius omnium opinione imperata facere cogunt. Utilo Boiorum regulus Saxonas in obsequium redigit.

Carolomanus domitis hostibus a pietate, uti christianum decet principem, regnum auspicatur fautorque religionis labentem christianismi disciplinam ad statum pristinum reducere studuit. huiuscemodi edictum, quod oppidatim pependit, promulgavit: in nomine domini dei nostri Iesu Christi Carolomanus dux et princeps Francorum anno a nato Christo servatore et authore nostro septingentesimo quadragesimo secundo, undecimo calendas Maii. suasu et consilio sacerdotum dei optimi maximi et amicorum meorum pontifices regni mei, maximos, minores, cum presbyteris, nimirum Bonifacium archimysten, Burgardum, Reginofridum, Vitanum, Bilevaldam, Dadanum et Addanum cum conlegis eorum et sacrificulis ritu christiano convocavi, uti mihi consulant, quo pacto iusticia et christiana devotio instauretur, quae negligentia et ignavia superiorum principum labefactata, conlapsa, terris depulsa corruit, qua denique industria populus Christi, a falsis et pravis sacerdotibus hactenus deceptus et per anfractus

13 *Am Rande in A*: 740.

14 Saxones — cogunt *vergl. Contin. Fredegarii, c. 113* 25 *Das im flgd. nicht genau wiedergegebene Capitulare Karlmanns s. Mon. Germ. Leg. I, p. 16.*

BSB

confragosos et devios seductus, ad veritatis semitam reducatur. iuxta igitur religiosissimorum sacerdotum et procerum meorum consilium rogavimus, iussimus, decrevimus, voluimus haecque placita praescripsimus. episcopi omnes, quos per civitates designavimus, Bonifacio archiflamini, nuncio Christi et legato divi Petri, dicto audientes sunto. quotannis concilia celebrentur; in hisce pietatem christianam candoremque germanum a malis sacerdotibus pollutum expiato. decimas, bona ecclesiastica occupata a prophanis restituimus. falsi diaconi, presbyteri, sacrificuli adulteri, scortatores sacris opibus nequaquam alantur; quos omnes in ordinem redegimus atque exauguravimus ad poenasque pro criminibus luendas conpulimus. nemo sacris iniciatus divinoque ministerio mancipatus arma omnino ferat aut in bellum aut in hostem pergat. unus aut ad summum duo episcopi delecti suffragio cum suis sacerdotulis principem comitentur ad bella sacrificandi conpraecandique causa. cuique tribuno unus dumtaxat a sacris, poenitentia et confessionibus esto. / iniciati canes, accipitres et huiusmodi aves ad venandum nequaquam alunto. aris et templo destinatus venatus si fuerit, diris devotus esto. quisquis sacerdos episcopo suo pareat, in quadragesima rationem suscepti muneris reddat. ignoti presbyteri, episcopi (nisi in conventibus solemnibus eruditio eorum et mores comprobati fuerint) repulsam ferant. quisque pontifex det operam, praefectus (quem Franci graphionem vocant) summo studio adnitatur, uti incantationes, auguria, sortilegia et huiusmodi praestigiae impune non abeant; quae etiam auspicio dei optimi maximi divorumque eius fiunt; quos huiuscemodi contaminationibus magis ad iracundiam provocari certum est. sacerdos scortator libidinisque mancipium in carcere, pane et aqua pastus, poenas luat. hoc quoque consensu mystarum et populi christiani scivimus, ut propter crebra bella et ferocissimarum gentium, quibus undique cingimur, assiduas in nos incursationes pars ecclesiasticae pecuniae, nempe duodeni denarii, quem solidum vocamus, contribuantur mihi, quo militibus nostris praemia condigna laboribus solvantur. adulteria, incesta matrimonia severius cohibeto.

Haec si nostro aevo fierent et observarentur, magis propicius Christus nobis foret nec tanta vicia nos enervarent. si verum fateri licet et divo Petro Pauloque credimus, deteriores Turcis, dum invicem ita saevimus, sumus; umbram speciemque pietatis prae nobis ferimus, virtutem vero ac rem factis abnegamus; licentia lasciviaque et copia rerum nos corrupit. / sed ad ordinem narrationis revertor.

/ Moritur eodem tempore Theodericus rex Francorum. Hyldericus frater eius regio nomine donatur a Carolomano et Pipino ducibus

! 39. Am. 'supra' v. S. fol. 113.a (= 392, 13.14) Thgs Hgn Dux
non 1. Jund. Zitkenn Kunds. Duc Gothfr. tv. genos Jaenn
39 Am. 742 Dete Leon imper. mor. succ. Constant. 25 cū pa

Francorum. 7 longo iam tempore reges nostri praecario regnare, in angulis delitescere, silentio, venationibus, ocio omnem aetatem transsigere insueverant; negocia muniaque regni praefectus praetorii obibat. semel quoque anno rex ille umbratilis bobus vectus ad conventum regni solennem mense Maio adventabat. ibi data acceptaque salute mox se latebris rursus abdebat. pascebatur cum familia abs duce. libet referre verba, quae excepi ex epistola, quam Hadrianus quartus romanus pontifex adversus imperatorem Fridericum primum ad Hillinum Treverorum, Arionuldum Mogontinum, Fridericum Agrippinensem archimystas Germaniae dedit. quales, inquit, reges Teutonici habebantur, qui etiam in carpento boum sicut philosophi circumferebantur, sicut Hyldericus et sui antecessores! quam gloriosus erat rex Alemanorum, dum in carpento boum quasi archisynagogus resideret et ducem suum, qui tum maior domus vocabatur, tractare regni sui negocia videbat! rex miser erat, qui nihil aliud habebat, quam quod ei maior domus disponebat.

Utilo igitur regulus Boiorum, generosi spiritus ingentisque animi princeps, pertaesus huiusmodi regum ignaviam, quod opibus antecelleret, regiam quoque uxorem haberet, se regem adpellat. plurima ipsi bella fuerunt cum Landofrido et Godofrido Suevorum rectoribus; circa Lycum in limitibus utriusque regni omnia ferro, flamma, praeda adtrita sunt. Carolomanus et Pipinus conlectis copiis 7 Theodovaldam, filium Godofridi, Sueviae regulum perdomitant; 7 per Sueviam in Boiariam ad Lycum usque intento exercitu procedunt, ante moenia Augustae Rhetorum in campo latissimo castra locant. Utilo quoque haud imparatus ibi hostium adventum expectarat; verum praelio victus, terga vertit.

Carolomanus Saxones nova molientes petit. Pipinus Lycum superat, superiorem Boiariam invadit; Fruxinum, quae tum caput et regia principum in ea regione erat, occupat potiturque tota superiore Boiaria. Utilo se Reginoburgii continet; Pipinus ad se deficientes benigne suscipit, Bertham uxorem accersit; Fruxini et in conterminis

7. A

21 *Am Rande in A:* Fauces, Cambodunum, Augusta.

7 *Gefälschte Bulle Hadrians IV., Pertz, Archiv IV, 431; vergl. Jaffé, Regesta pontif. Rom. p. 950* 16 *Zum flgd. vergl. Fredegarii contin. c. 112, 113* 19 *Auch bei Andreas Ratispon., Pez, Thes. IV, c, 428 heisst es: Otilo prius rex. Quelle hiefür kann die Wessobrunner Aufzeichnung, angeblich des 11. Jahrh., Mon. Boic. XI, 372 gewesen sein* 20 *Ein Krieg zwischen Gottfried und diesem Herzog Oatilo ist chronologisch unmöglich, da der erstere 708 oder 709 starb; s. Stälin, Wirtemberg. Geschichte, I, 179. A. folgte hier wohl der Vita st. Magni, A. S. Boll. Sept. II, 755, 68.*

⌈regiis et arcibus⌉cum ea⌈quievit venationibusque operam dedit. Peperit tum Bertha (sicuti fama constantissima est et antiquis more patrio celebratum carminibus) Carolum Magnum in ea arce, quae inde Carolobergomum, hoc est, Caroli mons vocatur. nam istoc anno Carolum natum esse convenit inter authores. ostenditur illa arx, etsi semidiruta in superiore Boiaria, supra Monachium quindecim millia passuum, propter Verrem lacum Vindelicorum maximum, ubi eiusdem nominis fluvius effunditur. est regiuncula superioris Boiariae amoenissima venationibus, aucupiis piscationibusque neque ex alio lacu numerosior materia ganeae; alit omnis generis pisces laudatissimos ac nobilissimos, qui in magno honore sunt et quibus authoritas praecipua est. adcolae etiam nunc regiam superiorem velut incunabula tanti imperatoris venerantur et monstrant. villas et templum Pipinum nomine in eiusdem fluminis ripa a Pipino divo Dionysio tum esse extructum dedicatumque pro certo habetur, sicuti et prope Früxinum Pipinusium, ad fontes Ilmi Pipinoritus, in ripa Isarae Pipinopagus vici et aedes sacrae, divo Dionysio consecratae a Pipino, qui haec condidit, cognomina servant et monstrantur. Pipinusium Pipini domum valet (praetorii ibi vestigia visuntur); Pipinoritus Pipini novale lingua Franca sive Germanica significat.

Iam Carolomanus ex Saxonia in Boiariam ad fratrem Pipinum redierat. ibi adnitente Hyldruda uxore Utilonis, quae soror Carolomani et Pipini erat, pax inter duces convenit. Utilo abdicato nomine regio in ordinem ducum redigitur. coniunctis postea copiis Carolomanus, Pipinus et Utilo adversus Saxonas toties fidem frangentes et deinde adversus Theodovaldam ducem Suevum et Hunaldum Aquitaniae regulum arma movent. at divus Bonifacius Gebolibum Mogontinum pontificem tribu sacerdotum movet. pater huius Geroldus, itidem Mogonciaci episcopus, occisus praelio a Saxonibus fuerat. filius vindicaturus parentem, superiores regulos in Saxoniam comitatus, iuxta

24 *Am Rande in A:* cum Pipinoque in Franciam proficiscitur; longo tempore in aula Pipini moratus est, comes omnium expeditionum fuit 29 *So (Mogonciaci) B; in A neben durchstrichenem Mogonciaci* — Vangionum archiepiscopus.

3 *Bekannt ist nur ein Gedicht des 15. Jahrh., herausgeg. von v. Aretin; vgl. H. Holland, Gesch. der altdeutschen Dichtung in Bayern, S. 17, und zur Sage von Karls Geburt auf der Reismühle Föringer im Oberbayer. Archiv II, 397 flgd.* 5 *Karlsberg an der Wirm, 1 St. südl. vom Wirmsee* 13 *Die im flgd. genannten Orte sind: Piping an der Wirm, Wippenhausen bei Freising, Pippinsried bei Altomünster, Schäftlarn (dessen alter Name Peipinpach) an der Isar* 27 Gebolibum — praeficitur *nach Othloni Vita st. Bonifatii l. c. 495, 496.*

Visurgim amnem Saxonem, qui Geroldum patrem eius interemerat, ad conloquium familiare evocatum trucidat, hoc adiecto elogio:

Accipe iam ferrum, quo patrem vindico charum.

Accusatus quoque est Gebolibus, quod cum canibus et avibus venaticis contra officium sacerdotis dei luserit. nostro aevo venari munus episcopi honestissimum et praecipuum esse existimatur; ⌈pontifices nostri⌋ caetera munia a se longius in alios relegant; venationi, velut ad hoc cooptati, deserviunt. quin et captorum quidam praesules, calvicie dumtaxat et bardocucullo pietatem prae se ferentes, ⌈magis superstitiosi quam pii⌋ de huiusmodi nugis nobilitati et principibus lites movent. ⌈divus Bonifacius, qui ob huiusmodi lusum tanquam rem prophanam iure suo Gebolibum exauguravit, a Carolomano et Pipino Mogonciaco praeficitur.

Mortuus est sub idem tempus Gregorius tercius, post quem ovili romano pastor eligitur Zacharias. Gebolibus superior, Clemens et Sampson Scoti, Albertus Gallus et eiusdem sectae sacerdotes atque episcopi, nummarii, avari, libidinosi, ⌈sacrilegi, peculatores,⌋ temulenti, divo Bonifacio adversari vehementissime coeperunt. erat illorum deus venter et ea, quae sub ventre sunt. venationibus dediti et aucupiis, canes avesque alebant; arma ferebant, in militiam proficiscebantur, bella sectabantur, humano cruore, caede, homicidio sese polluebant; nihilo secius tamen sacrificare, evangelium legere nec erubescebant nec metuebant. atque hi nebulones, quod vulgo grȧtissimi ob similitudinem morum erant, in concionibus populum, qui fabulosis maxime capitur, adversus Bonifacium concitabant. eum mendaciorum autorem legis atque pacis christianae turbatorem corruptoremque esse vociferabantur. quamvis quidam in vincula a ducibus Francorum coniecti erant, caeteri tamen plurimum negocii Bonifacio et eius sociis facessebant. proceres Francorum, divus Bonifacius rem omnem Zachariae pontifici romano missis legatis aperiunt atque hi solenni ritu publice frequenti flaminum senatu Romae auditi sunt cognitaque causa in concilio huiusmodi sacrificulorum turba reiecta atque diris devota est. gratiae actae Carolomano et Pipino ducibus Francorum, quod Bonifacio contra falsos sacerdotes opem ferrent; Bonifacio in tales errores animadvertendi, impios exaugurandi, pios inaugurandi data potestas.

⌈Episcopos ibi conlocandos (romanus senatus) censet, ~~iu~~bet, ubi praedia abundant, quae alendis pauperibus suppetant; pontificem enim

13 *Am Rande in A*: quo et archiepiscopatus transfertur 14 *ebendort:* 741. 34 errones *A*

37 enim — procuratorem esse *Plautus, Pseud. II, 2, 14.*

peni et alimoniae pauperum promum, condum, procuratorem esse. ipse legatus Germaniae designatus et eius successores archimystae Franciae perpetuo declarati. lege sancitum est, Mogonciacum semper fore Francorum et Germaniae caput atque metropolim; id quod Carolomanus et Pipinus postea perpetuo edicto statuerunt.

Zacharias insuper pontifex maximus in hanc sententiam Galliae Franciaeque nationibus rescripsit: Zacharias servus servorum dei episcopis, sacerdotibus, diaconis, monachorum maximis regulis, ducibus, praefectis, praesidibus, omnibus denique piis deum inmortalem timentibus, qui Gallias et Francorum regiones incolunt, salutem. deo optimo maximo (fratres et filii charissimi) gratias ago; eum pro vobis semper deprecor, ut, quod facere divino spiritu instruente et suffragante veritate coepistis, perpetuo faciatis. quemadmodum enim certiores nos fecit reverentissimus atque sanctissimus frater noster Bonifacius episcopus, solenni ritu christiano conventum celebrastis, adnitentibus filiis nostris Pipino et Carolomano falsos, refractarios sacerdotes, fabularum. errorum pestiferorum praecones, scortatores, homicidas, militantes repudiastis et exegistis. obsecro et per deum inmortalem dominum nostrum Iesum Christum obtestor, uti Bonifacio legato Christi et nuncio supremae illius maiestatis, sicuti hactenus consuevistis, bene praecipienti sedulo obtemperetis. provincia et mandatis nostris fungitur; vestrum agit negocium, nempe ut vos in viam rectam reducat et a criminibus Christo propicio expiet ac pro mortalibus aeternos efficiat, die noctuque operam strenue navat. evenere hactenus vobis caelesti ira ob vicia vestra sacrificuli errabundi et caecutientes, qui et vos et se fallere consueverunt, ingrati deo, invisi superis. nullum hactenus discrimen inter sacris iniciatum et prophanum fuit. sicut populus, sic et sacerdos iuxta toto errarunt caelo. caecus caecum duxit; perierunt greges cum pastoribus. ovili haud impar pecus fuit dignumque patella operculum. quamobrem hostes vestri undique invaluere; vos ubique victi estis. nec quicquam preculae sacerdotum inanes profecerunt, quibus pugnare non licet. quo pacto victoriam sperare ausis eo bello, quo sacerdos simul et humano cruore ac caede polluitur et sacrosanctam hostiam impuris manibus sceleratiore mente contrectat? sacerdoti, qui pastor est, arma non ferre, nedum quemquam bello occidere licet. officium boni pastoris est oves servare, pascere, pecus vero, quod palans ab grege aberrat,

22 *Am Rande in A:* Suetonius: qui suam vicem praesidendo fungerentur.

7 *Jaffé, Regesta pontificum Romanor. Nr. 1744.*

ad ovile cogere. hos, qui christiani sunt, servato; his, qui christiani non sunt, Christum praedicato veritatemque adnunciato. caelestis doctor et magister mystis suis praecipit: vos estis sal terrae; quodsi sal desipuerit, quonam condietur? nihil valet ultra, ne in sterquilinium quidem utile est, abiiciatur foras in lutum et conculcetur pedibus. dum haec ita sint (nempe veritas mentiri non potest) et tales suffertis sacerdotes, quales ethnici non ferrent, hostes superiores fieri necesse est. huiuscemodi sacerdotuli deo non litant, sed ipsum magis irritant et superos ad iracundiam provocant. quomodo oves a lupis tutae erunt, si eas pastor destituerit? proinde si Bonifacio dicto audientes eritis et pios, castos ab omni venere, ab omni labe mundos, inmunes omnis homicidii sacerdotes vobis delegeritis, quemadmodum iure divino praescribitur et nostro munere functus Bonifacius frater noster praedicat, omnibus formidulosi eritis barbaris. nulla natio conspectum vestrum ferre poterit, ferocissimae gentes, exsortes veritatis, quae undique armis circumfremunt, Arabes, Scaenitae, Saxones, Hunni, Venedi, Avares, Abares armis vestris succumbent. simul et bene recteque vivetis et in caelum post hanc vitam recepti, cum deo optimo maximo et superis sempiterno perfruemini aevo. at vos, charissimi fratres, qui estis veri Christi sacerdotes perinde ac fidi ministri Christi ac mysteriorum dei oeconomi, procuratores et dispensatores et administratores arcanorum eius, de quibus tanquam re aliena rationem reddituri estis, caelestis imperatoris negocium, non rem vestram agite! veram sectamini disciplinam, quae nobis in sacrario et sacrarum literarum thesauro expressa est! mores vestri etiam apud alienos a religione nostra inculpati existant. vita vestra sit speculum et exemplar vivum caeteris christianis; ita et apud homines fama celebris vos consequetur. adeo autem inmortalitate donati, perpetuo felices in caelo vivetis. quotannis conventus cogatur, in quibus de concordia et pace christiana agatur. si quid adversum fuerit, ad vivum resecetur, quo templum dei firmum ac inmobile perstare possit. data calendis Aprilibus, imperante domino piissimo augusto Constantino a *A*. deo coronato anno vicesimo quarto imperii eius, indictione ~~undecima~~, anno autem restituti orbis septingentesimo quadragesimo ~~tercio.~~ quarto Sub idem tempus divus Vergilius, divinarum humanarumque rerum perquam peritus, in Germaniam cum Dabda Graeco sacerdote ad Ca-

34 quarto *st.* tercio *A* 36 *Am Rande in A*: Dobda.

35 — datus est *vergl. Conversio Bagoarior. et Carantan., M. G. Scr. XI, 6.*

rolomanum et Pipinum duces accessit. ob eruditionem et prudentiam singularem brevi principibus insinuatus, in aula acceptissimus fuit; biennio ibi in summa authoritate versatus; inde in Boiariam ad Utilonem regulum dimissus, non minore in honore fuit. apud Boios posthac mansit, inter amicos et intimos Utilonis habitus. ab eo, mortuo Ioanne, Iuvavensibus pastor datus est.

Erat in Boiaria sacerdos quidam latini sermonis ignarus; is candidatos religionis lustrarat hisce verbis: baptizo te in nomine patria et filia et spiritus sancti. divus Bonifacius illos ceu prophanos abominabatur et rursus aqua lustrica tingendos censebat. Sidonius maximus Boiorum pontifex (quem archiepiscopum Laureacensem et episcopum Bathavensem nuncupabant), divus quoque Vergilius dissentiebant pugnantemque sententiam sectabantur prohibebantque huiusmodi iterum lavacro sacro expiari. nam pro christianis rite lustratis eosdem habebant. et cum Bonifacius non caederet, ad Zachariam pontificem romanum provocant. hic Bonifacio rescripsit, Sidonii et Vergilii opinionem adprobat; tales tinctos esse declarat, siquidem sacrificulus ille ob inscitiam latinarum dumtaxat literarum absque omni fraude ac dolo malo lapsus ita sit nec aliquam fallaciam errori intenderit.

Erat Vergilius etiam in disciplinis, quas mathematicas vocamus, et in philosophia prophana magis, quam tum christiani mores ferebant, eruditus. ex illiusmodi literarum scitis contra opinionem vulgi et divi Aurelii Augustini et aliorum forte docuerat id, quod nostro saeculo non argumentis investigandum, sed experimentis cognitum est, circumfundi terrae homines undique et conversis inter se pedibus stare, unde antipodas graeca nuncupant voce. hoc ita acceptum est, quasi Vergilius alium mundum, alios sub terra homines, alium denique solem atque aliam lunam esse adsereret. Bonifacius haec velut impia et philosophiae divinae repugnantia refutat; Vergilium publice, privatim arguit, ad recantandum has naenias provocat efflagitatque; iure suo ut legatus Germaniae, ne ille huiusmodi ethnicorum deliramentis synceram et simplicem Christi sapientiam polluat atque contaminet. divus Virgilius (ut omnes homines sumus et nihil est ex omni parte beatum) hac iniuria ac contumelia lacessitus, animum Utilonis reguli Boiorum, apud quem plurimum valebat, abalienare a Bonifacio atque inter eos discordiam et odium serere conatur. iacta-

7 — intenderit *vergl. den Brief des Papstes Zacharias an Bonifacius vom 1. Juli 746; Jaffé, Bibl. III, p. 167* 20 — comprobetur *vergl. den Brief des Papstes Zacharias an Bonifacius v. 1. Mai 748; Jaffé l. c. p. 190 flgd.* 33 — beatum *Plinius n. h. praef. 18.*

bat etiam se a romano pontifice successorem designatum episcopo, qui primus ex his quatuor, quos Bonifacius Boiis consecrarat, decessisset. divus Bonifacius id Zachariae pontifici maximo literis conqueritur. Zachariae quoque philosophia Vergilii suspecta esse coepit. ipse igitur legatos cum mandatis et literis ad Utilonem ire iubet, partes suas Bonifacio conmendat. Vergilium philosophum (si sacerdos sit, inquit, nescio) ab templo dei et ecclesia depellito, sacerdotio in concilio abdicato, si illam perversam doctrinam fuerit confessus. Sidonio quoque et Vergilio conminatorias scripsit literas romanus episcopus postulavitque, ut Bonifacio obsequantur. insuper regulo Boiorum denunciatum est, ut Vergilium Romam mittat, ubi Vergilius rationem reddat ac a pontifice romano examine comprobetur.

Divus Bonifacius post haec duos consecravit episcopos: divum Burgardum antiquae Franciae iussu Carolomani dedit; Viridoburgii, Poeoniae dicti, habitare iussit; divum Bilevaldam consensu Utilonis et Suitogerionis, praefecti Boiorum, qui proprie Alamani vocantur, Aechostadii conlocavit, anno Christi 744. urbs est Nariscorum; eam praeterfluit flumen Alemanus (a Ptolomaeo Alcimunim vocari invenio, quamquam depravatum esse nomen ob inscitiam librariorum et similitudinem graecarum literarum, uti facillime fit, in huiusmodi codice praecipue) suspicer. veram esse lectionem Alemanum sive Alimoniam verisimile est.

Eodem tempore Carolomanus dux Francorum imperii Franci administratione Pipino fratri derelicta in ordinem privatum se redigit. Romam profectus monachi vitam sectari et in monte, quem Soracte adpellant, degere coepit. huius montis in lyricis hisce versibus Flaccus meminit:

Vides, ut alta stet nive candidum | Soracte nec iam sustineant onus | Sylvae laborantes geluque | Flumina constiterint acuto?

Gripho frater Pipini, quod exclusus gubernaculis minoris esset authoritatis, fratri rebellat elapsusque ad Saxonas, perpetuos Francorum et aliorum Germanorum occidentalium hostis, gentem ferocissimam bellicosamque, quae aduc falsos deos colebat, haud difficulter contra Pipinum concitat armaque sumere persuadet. Pipinus dux

15 Poeonia dicta *A* 16 Alemani *A* 17 746 *Ann.* 21 Alemannum *A* 26 huius — acuto *in B eingeklammert* 28 stat *A u. B*

13 *Zum flgd. vergl. Willibaldi Vita st. Bonifatii, c. 8, l. c. p. 461* 25 *Einhardi Vita Caroli, c. 2; Mon. Germ. Script. II, 444* 27 *Horat. C. I, 9* 30 *Für das flgd. vergl. Fredegarii contin. c. 117? Annal. Lauriss. zu 748? (Mon. Germ. I, 136).*

Francorum et Utilo rector Boiorum vires coniungunt, ingenti comparato exercitu/adversus Saxonas et Gryphonem procedunt. Grypho ubi Pipinum et Utilonem Saxoniae fines adtigisse et fervere bellum animadvertit, in Boiariam clam divertit. exceptus benigne ab Hyldruda sorore sua, uxore Utilonis, eam cum Thessalono infante in suam potestatem redigit, Suitogerionis ope, auxilio Landofridi ducis Suevorum ducatum Boiariae occupat, Boios in sua verba iurare cogit. nonnulli Boiorum proceres Griphoni favebant, quod mater eius ex Boiaria oriunda erat et sub iuvene feroce omnia sibi licere existimabant. Pipinus et Utilo, ubi istaec accepere, compositis rebus in Saxonia propere arma in Boiariam movent. Gripho et Landofridus capti in Franciam abducti sunt, Hyldruda et Thessalonus liberati, Utilo Boiariam recipit. Gripho paulo post custodia elapsus, princeps inquietissimus, dum in Italiam fugam adornat, /interfectus est a praefectis Pipini.

Et dum hinc ab orientis ora Saxones /occiso Hyldegario pontifice Agrippinensi/ illinc ab occiduo sole Baepharius dux Aquitaniae (quam Gasconiam et Longodocam vocant) crebro pace foedereque soluto in Francos Gallosque incursant, praedas abigunt, captivos veluti pecórum gregem abducunt, templa diripiunt, omnia ferro, flamma devastant, Hyldericus rex in sylvis Galliae venationibus, lasciviae, servilibus officiis intentus, inter sorices et tineas, quasi nihil harum rerum ad se adtineret, gaudiis corporis vacabat, rempublicam omnino negligebat, supplicem audire, causam cognoscere nunquam in animum induxit. nec domi nec foris, nec in pace nec in bello quicquam praeclari facinoris edidit; /nam nec consilio nec manu valebat. epistolae et diplomata, tabellae eius nomine dumtaxat signabantur; porro omnia arbitrio ducis praefectique praetorio confiebant. /nomen regis penes Hyldericum, ius autem omnis imperii penes Pipinum erat./

Utilo regulus Boiorum primus inter amicos mussitare coepit, indignum vehementer et iniquum, maximum denique esse dedecus toti Germaniae et Galliae, tam ignavum hominem tam diu ferri, qui melior monachus quam rex esset. principem ideo deligi a populo, ut domi et belli tanquam communis parens omnibus iuxta in commune consulat. regem a regendo lingua romana, Franco vero sermone chini-

1 *Am Rande in A:* nam Utilonem diutius aulam secutum fuisse Pipini reperio 30 *ebendort:* nam tum ipse publicis negociis occupatus, Franciam cum fratre uxoris *(über durchstrichenem:* marito sororis*)* peragrabat ... *(ein unleserliches Wort)* vices aliorum principum cognoscendi *(oder:* cognoscendo?*)* fungebatur, raro Boiariam adibat; vide Craentium *(das letzte Wort durchstrichen).*

gum ab audendo et prudentia gubernandi, peritia consulendi dictum esse. haec ubi in vulgus (alioquin rerum novarum avidum) emanarunt, cuncti fremere, stomachari, Hyldericum flocci facere coeperunt. / nec a contumeliis temperatum est; ille umbraticum, ille pupparum, alius puerorum regem cognominabat. et ut est in utramque partem immodica plaebes, Pipinum ad caelum usque laudibus ferebant; illum solum scire, quidnam regium deceat animum; in illo fortunam vitamque omnium sitam esse praedicabant; Francones tantum a suis maioribus degenerasse. Hyldericum iniquiore accipiebant animo, quod ipsi tanti imperii authores forent et ante ducentos et nonaginta annos cum rege illo Hylderico Magno, cuius hic ignavus nomen ferret, Rhenum superassent, Romanis victis, pulsis, trucidatis Gallias a servitute dura liberassent in Germaniamque transtulissent.

Fit igitur conventus Francophori primorum. perplacuit omnibus, legatos ad Zachariam pontificem romanum ⌈percontatum ire⌋ diutius ne tot viris fortibus eum regem tolerare liceret, qui nec corporis nec animi viribus populo christiano consulere posset, qui umbra et inani honore dumtaxat dignitatis contentus esset, caeterum tanto oneri impar, nihil pensi haberet patereturque maiestatem imperii Francorum tot cladibus ab hostibus regni et religionis devastari, ipse interim ocio obsolescens. missi sunt Romam Voloradus, vir admodum prudens et eruditus, a sacris Pipini, et divus Burgardus pontifex Franciae antiquae; Viridoburgensem episcopum nos, literiones Herbipolensem nuncupant; ipse aduc Francorum dux est et vocatur.

Zacharias pontifex maximus ubi mandata Francorum audivit, huiuscemodi verbis responsum dedit: in divinarum literarum sacra historia populum a rege ignavo et socordi lasciviaeque spreto prudentium consilio intento indulgente summa ac aeterna illa maiestate defecisse virumque prudentem a suo corpore regem creasse invenio. regnum omne potestasque dei optimi maximi est, principes ministri dumtaxat regnorum sunt. duces populo ideo deliguntur, ut supremi imperatoris in omnibus sectentur voluntatem, non pro libidine sua agant. is demum verus rex, qui populum sibi a deo creditum iuxta divinae legis praecepta placitaque moderatur, quo simul faelices confiant et vitam adipiscantur beatam. princeps populo, cuius beneficia possidet, obnoxius est; quaecunque enim habet, potentiam, gloriam,

20 religionibus *A u. B M* 23 *So in B von Aventin selbst corrigirt; A hat:* Virceburgensem 31 sunt regnorum *A*

21 *Vergl. Annal. Lauriss. l. c. zu 749.*

divitias, honorem, dignitatem, a populo accipit; plaebi accepta referat necesse est. regem plaebes constituit, eundem et destituere potest. proinde fas est et licet ipsis Francis Germanisque repudiato degenere monstro eligere eum, qui belli, domi sapientia, virtutibus, bonis artibus viduas, pupillos, liberos, coniuges, omnium denique vitam et fortunas tutari et defendere queat et valeat. haec ubi Zacharias dixit, divo Bonifacio literis aperit, eidem partes suas in hac re conmittit. huius epistolae finis: data pridie nonas Novembris, imperante domino piissimo augusto Constantino imperatore, imperii eius anno ~~33~~ indictione quinta. fuit is annus Christi 752.

Legati deinde in Germaniam revertuntur, Mogonciaci, ubi proceres Francorum et Germaniae frequentes convenerant, literas reddunt, sententiam pontificis maximi patefaciunt. indicitur igitur concilium Augustam Suessonum (Vessonum Ptolomaeus nominat); urbs est Belgicae secundae in confinio Germaniae et Galliarum. ibi Hylderico regium nomen communi omnium suffragio abrogatur, Pipinus rex salutatur. quem deductum in templum divus Bonifacius pontifex Mogontinus ritu solenni et more christiano inungit. quamobrem Mogontinus archimystes tenet hactenus primas deligendi imperatoris Germani, quem regem romanum vocant. Hyldericus captus, tonsus in monachorum ordinem capite diminuto redigitur. itidem et Gisala regina. ambo traditi Utiloni et Thessalono filio Utilonis, regulis Boiorum; ipsi eos in Boiariam deduxerunt. Hyldericus in monasterium divi Haemerani Reginoburgii (caput est Boiorum) includitur. Gisala regina Cochiliam in contubernium sacratarum foeminarum, in superiore Boiaria, sub radicibus Alpium, ad eiusdem cognominis lacum, relegatur, ubi et vita defunctam atque humatam esse et fama et literis proditur. etenim id coenobium ab Ugris exustum est; nomen, pagus, aedes sacra

10 *Am Rande in A:* quo anno et Zacharias obiit; succedit Stephanus secundus Romanus.

9 *Richtig 32 (751); vergl. das Schreiben bei Jaffé, Bibl. III, p. 226* 14 *Für das flgd. vergl. Ann. Lauriss. zu 750* 23 *Das ältere Necrologium von St. Emmeram (Maihingen), in dem sich aus dieser Zeit doch Bischof Gawibald und die Herzoge Oatilo und Tassilo eingetragen finden, enthält seinen Namen nicht. Nach der durchaus glaubwürdigen Nachricht der Annal. Bertiniani, bei Muratori, Script. rer. Italic. II, 495, kam Childerich in das Kloster Sithiou in St. Omer. Kloster St. Emmeram nennt Aventin auch in seinen kürzeren Annal. duc. Bavar. als Childerichs Verbannungsort, dort unter Verweisung auf „Martinus in chronicis". In unseren Handschriften Martins v. Troppau (s. M. G. Scr. XXII, 460) wird jedoch das Kloster nicht genannt* 24 *Ueber Gisela, die an Kloster Kochel Bücher schenkte, s. u. a. M. G. Scr. IX, 215, 224, 230; Pez, Thes. III, c, 609; Meichelbeck, Chron. Benedict. I, 13. Ueber Childerich u. Gisela vgl. „Ein verlorenes bair. Geschichtswerk", S. 285 flgd.*

superant; caetera aedificia solo aequata sunt, sicut quinto narrabimus libro. Utilo filium suum Thessalonum, qui iam adoleverat, adiectis ei viris gravibus, aulam Pipini concomitari iussit. erat Pipinus avunculus Thessaloñi. ipse Utilo iussu Pipini regis Venedis, qui Noricum infra Taurum montem et superiorem Pannoniam, in confinio Dalmatiae, Liburniae, Illyrici ad fontes Dravi et Savi amnium habitant, Chitomarum in Boiaria a puero educatum ducem dedit. Lupus pater coenobii monachorum, quod in Chimino lacu Noricorum maximo situm Augiam, hoc est insulam, vocitabat consuetudo. Chitomaro, quod eius catechestes, hoc est compater erat, Maioranum nepotem, divini iuris consultum a sacris esse iubet, qui vulgo Charinorum (ita enim proprie illi Venedi dicuntur) sapientiam christianam interpretaretur.

Sub idem tempus Hathulphus rex Longobardorum Romam obsidet, omnia quae imperatori parebant, igne, ferro depopulatur. Romani opem Constantini Copronymi, filii Leonis Cononis Isauri, imperatoris sui implorant. iam neglecta veteri Rhoma caesares augusti Neorhomae, uti nostro saeculo in Germania, habitare insueverant. Constantinus ad Pipinum proficisci iubet legatos, quorum princeps Stephanus episcopus romanus. ipsi maritimo itinere cum muneribus ad Pipinum devenere. munera imperatoris, quae a legatis deferebantur, erant instrumentum musicae maximum, res aduc Germanis et Gallis incognita; organon adpellant. cicutis ex albo plumbo conpactum est, simul et follibus inflatur et manuum pedumque digitis pulsatur. pontifex romanus, legati imperatoris Pipinum obtestantur, praemia pollicentur, uti a tergo Hathulphum adgrediatur, ab obsidione urbis Romae ad sua tutanda avertat.

At frater Pipini Carolomanus, qui iam monachum profitebatur et ex Italia ad fratrem profectus fuerat, expeditionem Italicam, frustra tamen, fratri summopere dissuadet. Pipinus cum uxore sua Bertha illum Viennae Galliae, ubi et paucis post diebus morbo correptus interiit, subsistere iubet. ipse in Italiam arma movet, in angustiis Alpium occurentem Hathulphum praelio superat, Ticinum repellit atque ibi obsidione claudit.

Utilo quoque regulus Boiorum vallem Athesinam (Venusticam vallem alii vocitant), Maias, Pisonium, colonias Boiorum, et reliqua

18 *Am Rande in A:* eundem ~~pator~~ consulem, perpetuum dictatorem, patricium ac vicarium romani imperii in occidente designat, renunciat 29 Pipinus illum cum u. s. w. *A*

7 *Zum flgd.* — interpretaretur *vergl. De conversione Bagoarior. l. c. 7*
13 *Zum flgd. vergl. Annal. Lauriss. et Einhardi zu d. J. 753—757, l. c. 138—141.*

castella, quae Litoprandus rex Longobardorum Boiis abstulerat, vi et armis recuperat. Tridentum insuper invadit ac occupat, quod posthac semper Noricorum principibus divulsum Italia paruit.

Hathulphus ad pacis conditiones, quas hostis dixit, conpulsus, iussus est obsides dare, erepta oppida atque castella Romanis reddere et, ut reddita nunquam repeterentur, sacramento fidem facere. Pipinus victor domum in Franciam reversus, maiorem partem exercitus inter redeundum intemperie coeli amisit. Hathulphus dum pacta omnia rescindere parat, in venatione percussus interiit. succedit in regno Italiae atque Longobardorum Desiderius, cuius filia Litopyrga Thessalono filio Utilonis desponsa est.

Eadem tempestate Turcarum primo audita sunt arma. Plinius et Pomponius Mela tradunt, Sarmatiae Asiaticae fuisse incolas vicinosque Budinis, Thyrsagetis, Gelonis, Thussagetis, Tanaim amnem incoluisse, vastas sylvas occupasse usque ad solitudines saxosis convallibus asperas, alimenta quaesisse venando. alii Hunnorum sobolem ac reliquias existimant; atque hi nunc Turci vocantur et per continuos septingentos sexaginta quinque annos ad hanc usque aetatem ob scelera et flagicia nostra adeo paulatim increvere, ut ab Euphrate totam Asiam pulsis, trucidatis nostris, nuper et Aegyptum debellatis Saracenis, Europam usque ad Savum amnem armis invaserint ac teneant et possideant. iam de possessione Germaniae, Pannoniae et Italiae ambigunt et nobiscum armis contendere parant; quotannis nobis irruptionem minantur. sola discordia hostium nos servat. rex enim Persarum Turcis quoque negocium facit. deus omnipotentissimus avertat has pestes ab orbe christiano. faxit Christus optimus maximus, ut positis animis stulticiaque mortales non esse cogitemus eoque studio aeterna veraque bona prosequamur, quanto ardore pro divitiis, potentia, gloria, rebus levissimis, fluxis et fragilibus pugnis decertamus. si vera sunt carmina et vaticinia divae Hyltegardae et Brigitae, sibyllarum Germaniae, et bardorum fatidicorum, qui ea, quae nostro aevo completa vidimus, longo ante tempore nobis cecinerunt, Agrippinensis Colonia, nolimus, velimus, Turcarum caput erit. Sed ad Utilonem Boiorum regulum redeo. qui ubi triginta annos potitus est Boiaria, obiit mortem quinto decimo calendas Februarii, anno orbis servati

9 *Am Rande in A*: fulmine 23 nobis *fehlt B. M.*

4 Hathulphus — Desiderius *vergl. Annal. Lauriss. et Einhardi l. c.* 35 *Dasselbe Todesjahr Oatilo's nennen die Hist. Cremifan. 625, 660, die Mondseer Annalen (Advers. I, 8) und die Salzburger Annalen, M. G. Scr. IX, 769. Den Tag hat Aventin wohl aus dem ältesten Nekrologe v. St. Emmeram, Mon. Boic. XIV, 368.*

septingentesimo sexagesimo quinto. sepultus est in Austravia, ubi et regiam praetoriumque principale fuisse reperio; ostenduntur ibi conditoria duo albo marmore extructa. alterum esse aiunt (sicut et antiquissima literarum monumenta Vessobrunnae ostendunt) Hyldrudae uxoris, alterum Utilonis mariti Hyldrudae.

Cap. 10. Horum filius Thessalonus natus est anno restitutae salutis septingentesimo quadragesimo primo. nactus annum duodecimum ab Utilone parente cum gravibus viris, quorum authoritate adolescens (ne quid temere per aetatem ageret) regeretur, in aulam Pipini regis avunculi sui missus est. ubi duodecim annos versatus, omnibus bellis in Saxonia, Aquitania, Vasconia, Longodoca, Italia, Galliis adversus Baepharium ducem et Hathulphum regem Longobardorum interfuit. in verba Pipini et filiorum eius dextra in reliquis ossibus divi Dionysii, Germani, Martini imposita ipse et proceres eius iurarunt. Pipinus eius fidei et tutelae Boiariam, imperii Francorum valentissimam partem conmisit. verum certior factus de aegritudine parentis Thessalonus non impetrato conmeatu insalutatoque avunculo clam se de exercitu subducit, qui tum in Aquitania contra Baepharium bellabat; domum se proripit, mortuo genitore Boiariam accipit.

Proceres Boiorum, episcopi et monachorum praesules (ut mos gentis est) Aschaemis (vicus est superioris Boiariae intra Oenum et Isaram) conveniunt. veteri consuetudine novo principi administrandi leges praescribunt huiusmodi: templa sacrosancta sunto. uti pontifices res ecclesiasticas procurent. monachi recte vivant. omnes decimas tribuant sacerdotibus. princeps iure suo operam dato, pupillos, viduas, inopes ab calumnia potentum defendito; pauperum et inopum quaerimonias ipse audito et cognoscito. magistratibus, praesidibus, praefectis, praetoribus, ne cives, colonos, pauperes servitute opprimant, demandato neque illorum avariciae inopes praedae esse sinito. nec enim aequum est, ut illi de visceribus reipublicae, cum antea pauperes et mendici fuerint, collocupletentur et fortunis miserorum ditentur. creditae sunt illis provinciae, ut tanquam parentes consulant pauperibus, non ut divites fiant et luxurientur. leges Boiorum ubique observato; ne qua fraus ipsis fiat, caveto. incesta coniugia, adulteria cohibeto. culpam supplicio recidito; primum ius legesque exerceantur, deinde eas clementia lenire fas esto et temperare. quemadmodum imperator caelestis per Mosen

4 *Aus dem 11. Jahrh.; s. M. B. VII, 372* 7 *Annal. Altah. maior., M. G. Scr. XX, 782* 13 *Vergl. Annal. Lauriss. u. Einhardi zu 757, l. c. 140, 141* 16 *Annal. Einh. zu 763 sagen dagegen, dass Tassilo eigene Krankheit vorgeschützt habe* 23 *Vergl. M. G. Leg. III, 457.*

regi praecipit, omnibus cognitionibus, conviviis sacerdotem legis christianae peritum adhibeto, quo omnis sententia, omnis sermo principis divino sale conditus siet, ne quid temere christianae iusticiae adversum fiat aut conmittatur, quo deus optimus maximus ad iracundiam provocetur. neve iudices munera accipiant et noxii (ita mores sunt) insontibus praeferantur.

Deinde celebrior conventus Boiorum in inferiore Boiaria Dingulofini fuit; oppidum est in ripa Isarae. interfuere sex episcopi et pontifices, tresdecim monasteriorum rectores. atque hi fuere episcopi: Mannus Neoburgensis; ea provincia et dioecesis postea divo Hylderico condonata, Augustam Rhetiae translata est; Almus Sabonensis; divus Vergilius Saleburgensis; Bisericus, Laureacensis archiflamen, pontifex Bathavensis; Synebertus Reginoburgensis, Aribo Fruxinensis. nomina antistitum, qui coenobiis ac contuberniis praefuerunt, haec sunt: Oportunus Menensis; Voliphobertus Aldaechii inferioris pater; Albertus Tigurinus; Ato Schiratius, qui iam ad Silechodoryphos et in templum ibi divo Dionysio dedicatum conmigrarat, relicto saltu Schiratio; Uto, qui et Oto, Ilmensis; Landofridus Burensis; Albanus Sandunensis; Ruthardus Vessobrunnae praesul; Arionistus superioris Aldaechii, Reginobertus Paphomonasterii, Volcanardus Austraviae, Beritholdus Chimensis, Segido Velteburgensis rector. vice Reginoburgensium, Bathavensium et monachorum Iuvavensium functi sunt eorum pontifices. in istoc concilio leges Boiorum veteres correctae emendataeque sunt, sicut in bibliothecis aduc extant. consultum quoque patrum huiusmodi factum est: sacerdotes sanctitatem, quam habitu, calvicie et nomine profitentur, moribus exhibeant, evangelii patrumque scita vita exprimant. omnis plaebes populusque pontificibus pareat. monachorum quisque in conclavi suo deliteat, iuxta vocabuli sui rationem suam solius curam agat, parochias contra maiorum placita nequaquam administret. foeminas sacratas nemo ducat. nobilis tam diu equestris ordinis censeatur, quam diu beneficia et praedia principis regnique possideat, quamdiu fidem principi suo servarit et utilis reipublicae fuerit. festo die solis, ocio divino intentus, prophanis negociis abstineto; qui hoc die vehiculariam aut huiuscemodi operam fecerit, iumenta eius publica sunto; si contumax perrexerit, deum ad iracundiam polluendo feştum irritare, in servitutem redigatur. / alia plaeraque huiuscemodi (quae nunc a nobis irrideri solent /et corruptis moribus ludibrio esse) decreta sunt, quae longum esset taedioque plenum conmemorare. ex pluribus haec quasi capita delegi, ex quibus studium

7 *Für das flgd.* — redigatur *vgl. M. G. Leg. III, 459 flgd., 461 flgd.*

maiorum nostrorum in pietatem, rempublicam et simplicitatem christianam intelligatur. quorum si parsimoniam, integritatem omisso luxu et fastu aemularemur, melius nobiscum ageretur et minus discordiae, minus litium et contentionis inter nos esset.

Thessalonum (illuc, unde abii, redeo) hunc regulum Boiorum favisse rebus divinis religionisque amantissimum studiosissimumque fuisse invenio. templum maximum Iuvaviae, itidem Reginoburgii et Bathaviae a fundamento construxit. divum Valentinum consilio Aribonis episcopi Fruxinensis Tridento Bathaviam transtulit et divum Corbinianum Maiis (urbs est Boiorum, quam Athesis alluit) Fruxinum. ipse sex coenobia in Boiaria condidit; in Norico tria: Matheseum, Laurisaemos, quod divi Floriani conlegium adpellatur, et Chremissae monasterium, ubi Guntherius filius eius ab apro in venatione percussus periit diuque quaesitus a cane proditur, qui fame coactus, relicto cadavere, in aulam prorupit, latratu praeter solitum (crebro) quasi quaestubus dominum deplorans (similisque) hortanti sua vestigia subsequi patrem ad interfectum filium deduxit. qui ad huiusce rei monumentum eodem in loco contubernium monachis construxit. ita quidam prodidere, mihi vero non fit verisimile. nam in oratione, quam Thessalonus in eiusdem templi dedicatione habuit, Theodonis quidem filii sui mentionem facit; de Gunthero et huiusmodi fabula ne verbum quidem offendes; profecto tantam rem ille non taciturus, si ita fuisset. (deprendi ego captos, ut originem principiaque templorum suorum augustiora vili plaebeculae faciant, animos vulgi imperiti huiuscemodi fabellis ad quaestum confictis allicere et oblectare solere.)

Intra Ambronem et Lycum amnes Pollionas et Vessobrunnam auxit locupletavitque. haud longe ab hostiis Ilmi, supra patriam meam, occiduum solem versus decem millia passuum, monasterium dedicavit, Monachorum cognominant. Thessaloni ope et favore Valdoricus sacerdos, equestris ordinis, decem millia passuum supra Monachium in Pipinopago in ripaque Isarae divo Dionysio construxit aedem tradiditque synmystis et consecraneis divi Benedicti; (a scapha nunc cognomen mutatis quoque ceremoniis habent; nam candidati sunt et divi Nordoperti mystae, Praemonstratenses se nominant.) Adalungus quoque, Hyldevalda, Odacer, Gariovalda, Antonius fratres, claris orti natalibus, ad Silurnum lacum superioris Boiariae intra

8 Divum — Fruxinum *vergl. Vita Corbiniani auctore Arbeone, c. 39, 46 (Meichelbeck, Hist. Fris. I, b, p. 18, 20)* 19 *Bernardi liber de orig. monasterii Cremifan., M. G. Scr. XXV, 641* 31 *Schäftlarn, dessen alter Name Peipinpach; vergl. Mon. Boic. VIII, 363*

BSB

Oenum et Magnovaldam flumina itidem monachis atris templum aedificarunt; Aribo episcopus Fruxinensis dedicavit, Beritholdum iuris divini consultum ipsis patrem dedit.

Huius Aribonis et divi Vergilii consiliis Thessalonus obsequens optimum praestitit principem. ubi primo Aribo, deinde divus Vergilius insequenti anno superos petiit, pravis usus consultoribus ambitione praeceps datus est, Lytopyrgae uxoris, filiae Desiderii regis Italiae, inlecebris nimium deditus, Carolum Magnum prae se contemnere coepit. suasu eiusdem uxoris et paucorum procerum scelere a Carolo Magno descivit. quod principi alioquin optimo eiusque soboli omnium calamitatum (immo, ut verius loquar, felicitatis suae, quippe quem monachi deum faciant caeloque locent) causa extitit. nam et eius virtus opesque iam Pipino suspectae et formidulosae esse coeperunt. Pipinus Bormatiam Francorum proceres accersit; ibi de pace, amicicia nunciis ultro citroque missis summa diligentia actum, nihil praetermissum, quo res ad ocium et quietem deduceretur.

Baepharius dux Aquitaniae rursus rebellat; Pipinus contra ipsum pergit armatus, eundem interficit, Remisponum patruum eius in crucem agit, Aquitania potitur. victor in agrum Parisiorum revertitur et sex millia passuum a Luthetia ex hac vita migrat, tercio post mortem Utilonis anno. sepulchrum eius et parentis Caroli Martelli conspexi in coenobio divi Dionysii, ubi fere reges Celtarum et plaerique nostri sepulti sunt. filii Pipini Carolomanus et Carolus cognomento Magnus ex aequo Francorum partiuntur imperium.

Thessalonus Lytopyrgam, Desiderii regis Italiae filiam, uxorem ducit. Bertha mater regum in Boiariam proficiscitur; inde ad Desiderium in Italiam a Thessalono abit. Irmogardam sororem Lytopyrgae secum abducit Caroloque filio in matrimonium dat, qui tamen eam paulo post, nescio quam ob causam, repudiavit et Hyltegardam, Hyltebrandi ducis Suevorum et Rugardae ex Boiaria oriundae filiam, sibi connubio iungit.

Iussu Thessaloni Modestus a divo Vergilio episcopus consecratur,

27 *Am Rande in A:* Berechthraedam 32 *Am Rande in A:* infra 170 *(sic, wohl verschrieben für 770).*

1 *Ueber Schliersee vgl. die Urk. bei Meichelbeck, I, a, p. 79* 7 *vgl. Einhardi Vita Caroli, c. 11* 18 *In den Annal. Lauriss. zu 768 heisst er Remistagnus, in den Ann. Einhardi Rimistainus. Diese Quellen melden nur seine Gefangenschaft* 26 *Vergl. An. Lauriss. zu 770* 30 *Nach der fabelhaften Kemptener Chronik des Birkius, verfasst um 1480 (ed. Baumann, Alemannia, IX, 193: Regarda)* 32 — **properarunt** *vergl. Conversio Bagoarior. l. c. p. 7—9.*

cum Cothario, Latino, Battone, Reginoberto presbyteris, cum Richardo diacono aliisque sacris iniciatis ad Charionas mittitur. ipsi potestas templa consecrandi, sacerdotes cooptandi iuxta patrum et maiorum consulta datur. tum aedes sacrae in Solio et Liburnia civitate ex-

1 *Am Rande in A:* 771. Eodem anno Berchthraeda regina expulsa est a Carolo rege Francorum; ipse aliam uxorem antea sibi (ut aiunt) desponsam ducit; illa fame p̄sa [praecisa? pressa?] pene exanimata de Francia in Italiam ducta est; enixa est ibi filium, cum sterilem eam esse *[diese Angabe auch beim Monachus Sangall., Mon. Germ. Script. II, 759]* divulgatum esset; periit in partu. Carolomanus quoque rex profluvio sanguinis e nare periit morte inaudita. — 771 Desiderius Longobardorum rex in quadragesima quasi precandi gratia Romam cum exercitu proficiscitur, Christophorum Romanum, prudentissimum virum, praefectum caesareum, dolo capturus. is vires romanas omnium urbium, quae romano aduc parebant imperio, Romamque contrahit cogitque sibi pontificem Stephanum secundum cum sacerdotibus suspectum, quod cum hoste sentiret, sacramentum dicere, adhibita dextra super sacra universa, quae condita erant in Lateranensi templo. verum postridie Stephanus pontifex extra urbem fugit ad hostes Desideriumque regem. de integro foedus ineunt, conspirant adversus Christophorum, Romam obsident, inter cives praece, minis, pecunia, quoscunque possunt, corrumpunt, adversus praefectum concitant, inter eos discordias serunt, se urbem minantur eversuros, ni Christophorum aut tradant aut urbe pellant. Stephanus papa legatos ad urbis portas cum mandatis mittit, qui hisce verbis exclamarunt: audite; Stephanus papa imperat in sermone divino: nolite bellare contra fratres vestros, sed expellite Christophorum ab urbe et liberate civitatem et vos et filios vestros. hoc dicto fit tumultus in urbe, statim portae aperiuntur, Christophorus in vincula coniectus pontifici et regi traditur, quem oculis orbatum, lingua praecisa crudeliter enecavit. haec in templo divi Petri in quadragesima perpetrata esse tum infanda tum inaudita conqueritur Creontius, qui eo tempore ab epistolis erat Thessaloni *[sic]* tercio. subdit idem, indignum facinus exclamitans, templi divi Petri fores obseratas esse nec ullum supplicandi gratia admissum esse praeterquam pontificis et regis ministros atque coniuratos. tum quoque adfuisse refert seniores et sacerdotes atque patres monasteriorum divorum Stephani, Martini, Ioannis et Pauli Georgiumque antistitem templi divi Ioannis et Pauli indutum veste pontificali quasi sacrificaturum adcurrisse ad aram, in vincula coniecisse patrem monasteriorum Stephani et Martini, traxisse ad templum divi Ioannis et eius omnem supellectilem diripuisse. hominem innocentem ac iustum etiam acceptum esse et domum orationis factam speluncam latronum conqueritur. sed non impune tulere (?) nam pontifex sequenti anno animam exhalat. succedit Hadrianus primus, qui adversus Longobardos fovit partes imperatorias Germanosque contra regem Longobardorum excitat [?]. victi sunt Longobardi a Venedis [.....] *[ein oder zwei unleserliche Worte]*. — *Ferner*: 772. Theodo filius Thessaloni in Italiam ad avum Desiderium ducitur, inde Romam; tingitur quinquagenalibus *[vgl. dazu die vielleicht auf derselben Nachricht beruhende Angabe der Hist. Cremifan., M. G. Scr. XXV, 625, 660 zu 772]*. *Zum Ganzen vergl. meine Untersuchung über ein verlorenes bairisches Geschichtswerk des 8. Jahrh., S. 259 flgd., wozu nachzutragen ist, dass tingere auch sonst und von Aventin selbst im Sinne von Taufen gebraucht wird.*

structae atque a Modesto consecratae sunt. Modesto defuncto divus Vergilius a Chitomaro Charinorum duce invitatus illuc Madoldum et Variomanum sacerdotes proficisci iubet. ipse venire noluit ob seditionem et discordias Venedorum. quorum primores Chitomaro principi rebellabant, quod explosa avita religione, quam feliciter maiores sectati fuissent, novum ritum colendi deum accepisset. Thessalonus dux in Venedos arma movet, parere Chitomaro cogit. quo mortuo Venedorum proceres iugum religionis christianae excutiunt, sacerdotes in Boiariam exigunt. Thessalonus Boiorum regulus in Charionum regionem infesto intentoque exercitu procedit; Valdungum ducem Venedis imponit. huic Vergilius Haemonem, Reginovaldam, Maioranum, Gotharium, Erchinobertum, Reginardum, Augustinum et Guntharium sacerdotes divini humanique iuris iuxta peritos dedit, ut Venedorum vulgo mysteria religionis nostrae aperirent philosophiamque christianam, falsorum deorum superstitione explosa, plaebem Charinorum recipere persuaderent, a qua tribus procerum, equestris ordo omnino abhorrebat.

Ingo Venedorum regulus, qui Baldungo successit, istoc vaframento et astu nobilitatem Christo lucrifecit. convivium scite exornat, vilem plaebeculam simul cum equestris ordinis proceribus invitavit atque pro foribus recumbere nobiles iussit, pane dumtaxat cibario et caruncula rancida pavit vinumque fictilibus propinavit asperum. at agricolas intra coenationem mensae regiae convivas adhibuit, ipsis in conspectu suo discumbentibus coenam dubiam adposuit, vinum optimum poculis aureis, argenteis, gemmatis administravit. stomachari tum nobilitas, bile fervescere ac fremere coepit; haec omnia in sui contemptum fieri interpraetabatur. Ingo ubi satis lusit, tumidis ira infit: agricolae uncti, lauti sunt caelesti lavacro; vos numinum sordibus squalentes, hircum impietatis oletis nauseamque mihi, qui delicatiore sum stomacho, facitis. hocque sale aspersi proceres Venedorum certatim ad sacrum fontem properarunt.

Inter haec Carolomanus quarto regni anno decedit; Galliae Germaniaeque ad unius devolvuntur potestatem. Carolus omni Francorum imperio potitus, Boromatiam concilium procerum indicit; ad se omnis senatorii ordinis et qui aliquo numero et honore erant, venire iubet. adsunt et imperatoris romani Hadrianique pontificis maximi legati, Formosus et Damasus episcopi. hi Carolum adversus Desiderium

1 extructae *A* 2 *Ebendort:* gens tum armis ferocissima ad Dravum Nuciamque [?] amnes habitans, Sclavi sive Venedi communi dicti vocabulo, proprio Charini sive Chariones, in Italiam ingenti multitudine *[hier bricht der Eintrag ab]* 18 *In A folgt:* magna opulentia adornat 33 omnes *A* 35 *In A übergeschrieben:* Constantini.

35 *Zum flgd.* — deduxit *vgl. Ann. Laur. u. Ann. Einhardi z. 781 l. c. 160—163.*

regem Longobardorum in Italiam invitabant. ipsos Carolus cum Richulfo a sacris et Evardo pincernarum praefecto ad Thessalonum in Boiariam Reginoburgium legat. Thessalonus divum Vergilium et Aribonem episcopos et caeteros amicos vocat; deinde legatos accersit, qui paucis mandata aperiunt. amitini tui, regum maximi (princeps christianissime, inquiunt) et amici tui, Hadriani romani episcopi, vivi illius supremae maiestatis oraculi, cui refragari scelus inexpiabile est, oratores sumus. iidem postulant, ut societatem, quam iam pridem cum Pipino filiisque eius, cognatis tuis, sacramento rogatus, verbis conceptis iniisti, re ipsa (uti te dignum est et christianum et veri supremique numinis cultorem decet) comprobes. /pax potior bello est. nemo sapiens certa incertis mutat. deus et imperator noster abiturus a nobis ad superosque rediturus nil aliud quam pacem suam sicuti maximum, quod abs deo immortali mortalibus condonari possit, nobis reliquit. hanc tesseram, hoc signum militibus suis dedit. proinde tibi regnoque tuo consule, florentes res tuas cum perditis ne misceas.

Ad ea Thessalonus consilio divi Vergilii et aliorum pontificum satis placide benigneque verba fecit: sibi nihil antiquius esse pace et societate regum Franciae, praecipue Caroli, cui sanguine proximus esset. Boiariae principes, maiores suos, semper praetulisse authoritatem Francorum caeteris finitimis regibus, se quoque in potestate Caroli cognati sui fore. proficiscitur deinde cum his legatis /Boromatiam ad Carolum Magnum; fidem ei suam duodecim obsidibus astringit. ⌈hos Synobertus⌋ episcopus Reginoburgensis ad Carolum deduxit. porro Thessalonus⌋ domum reversus auxiliares copias Carolo ⌈cum filio Theodone⌋ mittit. ⌈Carolus (sicut refert in legibus, quas Boiis tulit) Angilostadium, Lutheraviam, Nariscorum urbem et vicum, quae tum Francorum regibus parebant et avus occuparat, praecario Thessaloni concessit. ⌋Hunni et Abares ingenti exercitu tum ad Aenum amnem, quem Anassum vocant, processerant castraque locarant; verum sine ullo maleficio domum reversi sunt.

⌈Interim⌋Carolus in Italiam arma movet, Desiderium regem cum uxore Gansa Ticini obsidet et capit, Romam it, ubi Theodo filius Thessaloni ab Hadriano episcopo romano lavacro caelesti lustratus est: Rudogaudus Fori Iulii dux, vivus captus est iussuque Caroli securi

1 *Am Rande in A*: imperator Carolum ut parentem eius perpetuum dictatorem urbis Rhomae, imperii romani in occidente vicarium ac pro .....torem [?] caesaris legatum nuncupat 2 *Am Rande in A:* Eburonardo.

26 *vgl. oben S. 383, Z. 11* 29 — reversi sunt *vgl. Ann. St. Emmerami Ratisp. maior., M. G. I, 92* 33 — lustratus est *vgl. Hist. Cremifan. l. c. 625, 660* 35 — percussus *vgl. Ann. Lauriss. u. Ann. Einhardi zu 775, 776, l. c. p. 154, 155.*

percussus. Rupertum alium Longobardorum ducem praefecti Boiorum et Thessaloni Gavinus et Idovinus apud Pisonium in valle Tridentina pugna devictum interficiunt. / Carolus Magnus subacta Italia in Germanias proficiscitur. contra Hispanos, Saxonas feliciter saepius dimicavit, plurima bella strenue gessit. paucis post annis ad legatos imperatoris romani, qui Constantinopoli habitabat, Romam cum liberis suis, maribus et foeminis transsitum facit. audita legatione caesaris augusti Constantino, filio imperatoris Leonis et Irenae augustae, Ruthrudam filiam despondet. 141

Iam divus Vergilius et Aribo episcopi, iuxta eruditi ac boni, sine quibus nihil Thessalonus agere insueverat, terras reliquerant. Litopyrga, mulier imperiosa et impotens sui (cuius licentia hactenus authoritate talium virorum tanquam freno repressa erat), sero sibi persuadet, posse ulcisci parentes, fratres et sorores, opibus mariti. cum paucis igitur fumi venditoribus, quibus omnia chariora quam fides et iusticia erant, conspirat. neminem nisi suae factionis coniuratum authoritate apud Thessalonum invalescere permittunt. itaque principis animum et superbia et amore aegrotum in deteriora impulerunt, a Carolo sensim abalienare pergunt. crebro in utramque aurem (sicuti patulae sunt adsentatoribus aures principum) obganniunt, Pipinum et Carolum novos reges non solum Germaniae ac Galliae paulatim duces omnes sustulisse, sed in suos quoque dominos, nobilissimos Francorum imperatores, a quibus aulae praefecti fuerint, conspirasse, captos in carcere necasse; nec a fraterna caede nec socerorum sanguine libidine dominandi impias manus abstinuisse. solum ex tot vetustissimis clarissimisque ducibus unum superesse Thessalonum, qui lenocinio speciosoque vocabulo amiciciae inlectus, propediem fraudulenti et omnia sibi servire appetentis dolos non sine malo suo sensurus sit. adduntur his iniuriae in soceros et affines communes conmissae; memorem esse debere Thessalonum avitae libertatis, quam per manus a tot maioribus traditam a patre accepisset; suppetere Boiis vires, pecuniam, socios; Carolum tot hostes habere, quot vicerit. 142

Haec atque huiusmodi saepe insusurrando nebulones illi, qui omnia utilitate metientes, bellum, in quo enitescerent, sibi fore utilius pace arbitrabantur, Thessalono amiciciam Caroli suspectam fecerunt. fit foedus adversus Carolum cum Hunnis et Avaribus, religionis et imperii Francorum inimicis et hostibus. deinde hisce, qui fidem servandam, pacem bello praeferendam censebant (quorum maxima pars

1 — interficiunt *vgl. An. St. Emmerami l. c. u. Ann. St. Rudberti Salisburg., M. G. Scr. IX, 769. Die letztere Stelle hat Aventin missverstanden* 16 *Einhardi V. Caroli; Ann. Laur. zu 788, S. 174* 36 *Einhardi Vita Caroli, c. 11; Annal. Lauriss. zu 788.*

erat) insidiae struuntur mortisque periculum intenditur. praecipue Atoni Fruxinensi episcopo Thessalonus et Litopyrga infestiores extiterunt; eundem plus favere et fideliorem esse Francis quam Boiis criminabantur.

Et ut tamen omnis culpa in Carolum (qui iam, ut diximus, Romae apud legatos imperatoris erat) transferretur, Arnonem episcopum Salisburgensem, Honoricum monachorum Menensium patrem Romam ad Hadrianum pontificem ⌊maximum⌋ proficisci iubet ⌊rector Boius⌋ conquestum, regem Francum ebrium successu rerum parem ferre non posse, contra omnem sanguinis et amiciciae necessitudinem arma minacissimum parare expeditionemque adversus Boios meditari; Boios invitos ad libertatem, liberos, coniuges defendendos in bellum trahi;
143. Apetere Thessalonum a pontifice romano sicuti conmuni orbis christiani parente, ut fautor atque consultor adsit. haec ubi Romae a legatis Hadrianus audivit, apud Carolum expostulat. Carolus nihil penitus harum rerum, quibus accusaretur, se sibi esse conscium adseverat atque ut omnem huiusmodi suspicionem a se procul amoveat, pontificis arbitrio omnem causam permittit.

Hadriano data sibi a Carolo potestate functuro et pacis perpetuae leges promulgaturo Arno et Honoricus obstrepere, tergiversari et vociferari coeperunt, nequaquam istuc sibi mandatum esse nec idcirco Romam venisse. rem magnam esse; oportere Thessalonum praesentem adesse; nihil sine eius consensu ratum fore; se quidem istaec domum ad principem suum relaturos. sensit pontifex dolos et legatis ait: ite ergo et renunciate duci vestro, ut fidem datam Carolo servet. quod si pacem exosus, sicut fraudulentus est, fidem fregerit et pientissimo regi necessitatem pugnandi imposuerit viresque eius lacessierit, stupra virginum, mulierum contumelias, excidia urbium, innoxiorum christianorum necem et sanguinem, egestatem populi, templorum direptiones, religionis contemptum atque omnes huiusmodi pestes, quae bello sacra, prophana polluendo grassari solent, iram denique dei optimi maximi a milite Caroli in ipsum solennibus suppliciis iure nostro averto, ipsum diris ⌊et sine fine⌋ devoveo. caput ducis vestri execro, Carolum ego
44. 4 et milites eius crimine solvo. ipse Thessalonus ⌈dux vester⌉ conmissa luet, ipse pro hisce crudelitatibus Christo iustissimo iudici poenas dabit. Arno et Honoricus cum hisce mandatis in Boiariam Roma revertuntur.

At Carolus compositis Romae rebus cum legatis imperatoris romani in Franciam Bormatiam (Rheni urbs est nominatissima) rediit,

14 expostulabat *B*

1 — criminabantur *vgl. die Freisinger Urk. v. 804 bei Graf Hundt, Bayer. Urkunden z. Zeit der Agilolfinger, S. 75, Nr. 13* 7 Arnonem — celebrat *vgl. Ann. Laur. u. Ann. Einhardi zu 787 u. 788, l. c. p. 170—173.*

ubi Fastorada coniunx eius versabatur. indicto ibi concilio, communi procerum consensu huc Thessalonum citat. Thessalonus non solum non venit, sed ne responso quidem regem dignatus est. verum Theodonem filium consortem regni declarat, renunciat. Carolus non verbis amplius, sed pugnis esse opus ratus, tribus exercitibus Boiariam invadit. antiqui Franci, Saxones, Turogi, duce Carolo, Caroli filio, per Nariscos nemine prohibente ad Danubium penetrant. in ripa Danubii in vico Phoro decem millia passuum a patria mea castra locant. Pipinus cum Italis Tridentum Pisoniumque urbes Boiorum occupat. ipse Carolus cum alia manu Boiariae fines adgreditur; extra moenia Augustae Rhetiae prope Lycum amnem, qui Suevos et Boios, Rhetos et Vindelicos disterminat, cum exercitu considet. Thessalonus undique hoste cinctus, cum videret Boios magis Carolo qnam sibi favere et pugnam detrectare, ab omnibus desertus, armis abiectis, ad Carolum Augustam in castra ultro et supplex venit, se peccasse confitetur, errorem depraecatur, veniam petit; Boiariam per sceptrum, cui homo insculptus erat, Carolo tradit; clementiae Caroli se, coniugem et liberos dedit. Carolus, quod Thessalonum delicti poeniteret et quod ipse sanguine proximus esset, gratiam facit, ipsum bono animo esse iubet, eidem Boiariam reddit, verum tredecim obsides imperat, 745. inter quos et Theodo filius Thessaloni fuit. Carolus acceptis obsidibus, dimissis copiis in Franciam proficiscitur; Angilemis decem millia passuum supra Mogonciacum natalem Christi et paschalia ritu solenni celebrat.

Thessalonus Reginoburgium in regiam suam rediit solutusque metu et periculo liberatus concione advocata huiusmodi orationem habuit: ego a teneris unguiculis usque ad hoc aetatis (comites devotissimi) dies noctesque manibus ac pedibus, ut aiunt, nihil aliud conatus sum et id solum dari mihi a Christo domino et deo nostro optavi, ut quaecunque facerem, utilia ac grata vobis essent omnia. is enim mihi demum bonus rector esse videtur, qui omnia plaebis utilitate metitur, omnia ad commodum eorum, quibus praefectus est, refert, omnibus bonis prodesse studet, officere nemini, qui denique pacem, quietem, quod iuvat, quod charum, quod iucundum est, popularibus comparat, relinquit atque concedit, ipse sibi curas, laborem, pericula, sudorem, vigilias, pulverem et alia talia viris epulis iucundiora vindicat et servat. etenim haud aliam ob causam a caelorum summo principe, cuius praesides et legati sumus, dii quoque adpellamur, qui bona, divitias largiri cultoribus suis, ab his nihil praeter honorem, gloriam et amorem postulare soliti sunt. dum haec accurate ago atque curo et capitis periculum, dum prosim vobis, adeo paucorum scelere proditus, verbum vulgo protritum, frangi necessitate ferrum, 746.

verissimum esse comperio ac plane sentio. ne vos hostium crudelitati exponerem, id, quod necesse erat, facere conpulsi sumus. deo displicere dicimus sacramenta, quae vi extorquentur; legibus solvi huiusmodi prudentes respondent. an ego eos, qui et se et coniuges et liberos atque fortunam suam mihi crediderunt, deseram? aut vos fidei et tutelae meae caelitus conmissos ludibrio hostibus esse et in servitutem redigi patiar? non faciam profecto. nemo mortalium mihi caeleste beneficium adimet. simulac imperator inmortalis iusserit, non ante istud una cum vita relinquam aut moriar et decem liberos potius amisero aut libertatem gemmis et quovis auro chariorem a maioribus nobis quasi per manus traditam retinebimus. sunt opes, sunt invictissimorum sociorum auxilia, quorum vultum, nedum arma, dispeream, si hostes nostri ferre possint. vos igitur, populares charissimi, deum optimum maximum, divum Haemeranum, custodem huius regionis et nostrum, veneramini et in tecta vestra discedite; ego, ut in perpetua pace esse possitis, providebo.

Imperitis haec favorabiliter et populariter dicta erant; prudentioribus, qui pacem bello praeferebant et, quo istaec spectarent, callebant, non perinde grata erant. at nec mutire nec hiscere contra ista audebant. in tempore tamen eorum opera fit certior Carolus. nec
147. A mora, concilium Angilemos propere cogit, pontifices maiores, minores, sacerdotes, prophanos, regulos, duces, tetrarchas, praefectos, cives, oppidanos ad se venire iubet; in re maxima eorum consilio opus esse. nemo non paret; omnes certatim iussa capessunt. nobiles, ignobiles, sacri, prophani, quicunque in aliquo numero aut honore erant, die dicto frequentes coeunt atque conveniunt. illuc quoque Thessalonus proficiscitur, quem etiam paucis post diebus Litopyrga uxor eius subsequitur. praesto fuit et Boiorum, ut iussum erat, legatio.

Posteaquam consedere duces, oratores Boiorum introducti in consessu procerum paucis ita locuti sunt: non tam impudentes nec tam obstinati sumus (patres consultissimi), ut ea, quae luce clariora sunt omnibusque patent, more perditorum negemus; illud oramus, ne paucorum crimen in omnes diffundatur. maxima pars aduc syncera est. quae dum iusticiae et aequitati omnes nervos intendit et fidem regi optimo servare connititur, capitis periculum adivit. aut malos fieri necesse est aut extorres patria sine pignore, sine lare, sine tribu errabimus. nisi quid vestra providentia prospiciat, linquenda tellus, domus, uxor, liberi. esse fidum nefas ducitur. regi a deo optimo

9 *Aus den Ann. Lauriss. zu 788 l. c. 172 entnommen* 20 *Für das flgd.* — iubet, *dann wieder:* Theodo — cooptatur *u.* pauci — acti sunt *vgl. Ann. Laur. u. Ann. Einhardi zu 788, S. 172—175* 37 linquenda — uxor *Horat. C. II, 14, 21.*

maximo caelitus demisso parere crimen est. pax exulat, arma parantur; cum hostibus crudelissimis foedus ictum est; amicis bellum indicitur. bonorum omnium vita in extremo versatur discrimine. dux et author horum malorum, quo magis pudeat, foemina est; ille, quem prohibere oporteret, uxorius est et nostra consilia aspernatur. suasu coniugis suae Hunnos et Avaros, nostrae religionis acerrimos hostes et sanguinis nostri avidissimos, adversus pientissimum principem concitat. huius amicis insidiae struuntur, mors denique intentatur; saepius data fides regibus optimis, saepius (nullo nostro merito, nulla culpa, omnibus bonis dissuadentibus) fracta, nunquam servata est. meliora forsitan speranda sunt. illud ultimo, quod in concione omnes audivimus, praeterire non possumus, satius esse decem filios amittere quam obsequium regi praestare in servitutemque (ita adpellat) redigi. fallitur, egregio quisquis sub principe credit servitium; nunquam libertas gratior extat quam sub rege pio. 148.

Haec ubi dicta sunt et Thessalonus ire inficias non potuit, quippe quae testibus praesentibus conprobata erant, ex codice lex recitata est, qua fidem regi non servare, cum hostibus foedus adversus regem inire capitale erat. secundum legem itaque salicam ex veteri instituto Thessalonus crimine laesae maiestatis reus peractus, capitali supplicio condemnatur, Boiaria regi adiudicatur.

Ubi haec sententia ritu solenni renunciata est, Thessalonus ad genua Caroli accidit. Carolus eundem tolli iubet rogatque, quidnam facturus sit, si vita donetur. ille se in contubernio monachorum omnem aetatem acturum, scelera sua atque crimina depraecaturum respondet. Carolus igitur ipsum tondi more bardorum iubet, in monasterium divi Nazarii in Bergostrassa, Bormatiensium agro situm (Laureacum literatores vocant) relegat. ubi humatus tanquam divus aduc colitur. Theodo filius Thessaloni sacris iniciatur; sacerdotum tribui cooptatur. uxor Litopyrga in sacratarum foeminarum coetu degere iussa est. pauci Boiorum, qui cum Thessalono senserant, in exilium acti sunt. Caroli deinde praefecti Gramanus et Odacer cum legatis Boiorum in Boiariam proficiscuntur, Reginoburgium, totam Boiariam nomine et auspicio Caroli accipiunt. Boii certatim iussa capessunt. 149. cum

Dum haec in Francia geruntur, Avares et Hunni, coniurati Thessaloni, ex pacto fines Francorum duobus agminibus invadunt; pars Venetiam Forumque Iulii sibi deposcit, altera manus Boiariam petit, ad Anassum amnem infesto et intento procedit exercitu. Boii correptis armis, ducibus Gramano et Odacre, legatis Caroli, in hostes ruunt;

14 — rege pio *Claud. L. Stil. III, 113* 27 *vgl. Hist. Cremifan. 660, 667*
32 *Gefolgert aus Ann. Laur. l. c.* 35 — iubet Boios *vgl. Ann. Lauriss. l. c.*

Hunnos et Avares caedunt, fundunt, sternunt; paucos fuga servavit. Hunni et Abares, qui domi relicti fuerant, vindicaturi stragem suorum, exercitum cogunt, hostili animo in Boiariae terminos tendunt. Boii armati obviam procedunt, manus conserunt cum hostibus et hic victoria penes Boios fuit; hostes in fugam versi; pars in Danubium, ubi perierunt, propelluntur a Boiis, reliqui cum ignominia et maximo detrimento domum repulsi sunt.

Carolus ubi haec accepit, in Boiariam pergit, Reginoburgium ad
150A se venire et in verba sua iurare iubet Boios. nemo imperata detrectat, omnes parere student. Carolus Boiariam contra Hunnos et Avares firmis praesidiis munit; praesidem Boiis dat virum bonum, bellicosum, sapientem, Geroldum nomine, Hyldegardae uxoris suae fratrem, Hyldebrandi ducis Suevorum et Rugardae ex Boiaria oriundae filium. facta sunt haec anno Christi septingentesimo octogesimo octavo.

Superiore anno plaeraque obtigere prodigia monstraque. sol defecit, sanguine pluit, sanguinis ex terra rivi manarunt, cruces in vestimentis hominum adparuere. in superiore Boiaria intra Oenum et Isaram in agrum Funsingensium aere sereno et tranquillo diversi generis ligna de caelo ruisse, literis proditum est. de Thessalono conplura fabulosa conficta reperio, quae magis somniis visisque mente captorum quam rebus gestis decora sunt. nescio qua ratione vulgus imperitum et plaerique sapientum etiam plus fabulis quam veritate capiantur. an sicut domestica vilia sunt atque sordent et raritas conciliat rebus charitatem atque venisse e longinquo, praecium est; ita, quae vere geruntur ceu vetera, usitata, quae quotidie fiant, surda transsimus aure. nemo magnopere observat advertitque animum, at
151A conficta velut nova, inconsueta, insolita et mera miracula admiramur, aures arrigimus, labra movemus tenaciusque memoriae huiusmodi naeniae haerent. de Carolo quoque multa praeter historiae fidem, sed poetico more et patria lingua apud nos scripta sunt. extat liber in bibliothecis antiquis versibus, sermone germanico, de vita Caroli, educatione, rebus gestis conscriptus. ego in sequenti volumine ipsum Carolum, posteros eius, imperatores et reges Boiorum narrabo.

33 *In A und B folgt:* finis libri tercii Boiorum authore Aventino. subsequitur quartus authore Ioanne Aventino. continet Carolum Magnum cum eiusdem posteritate, qui potiti sunt Boiaria, usque ad Honoricum primum ducem, fratrem Otonis Magni caesaris augusti; tum Francis successere Saxones.

13 *vgl. oben S. 409, Anm. zu Zeile 29* 16 *Ann. St. Emm. maior. zu 786, l. c. 92?* 18 *Dieselbe Nachricht enthält zu 797 das eben erst von Wattenbach veröffentlichte Annalium Salisburg. addit., M. G. Scr. XIII, 237* 20 *u. a. Kremsmünst. Aufzeichn., M. B. XIII, 503?* 30 *Das Regensburger Gedicht „Karl der Grosse u. die schottischen Heiligen“?*

BSB

JOHANNES TURMAIR'S

GENANNT AVENTINUS

SÄMMTLICHE WERKE.

AUF VERANLASSUNG

SR. MAJESTÄT DES KÖNIGS VON BAYERN

HERAUSGEGEBEN

VON DER

K. AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN.

ZWEITER BAND. ZWEITE HÄLFTE.

MÜNCHEN

CHRISTIAN KAISER

1882.

BSB

JOHANNES TURMAIR'S

GENANNT AVENTINUS

ANNALES DUCUM BOIARIAE

HERAUSGEGEBEN

VON

SIGMUND RIEZLER.

ERSTER BAND. ZWEITE HÄLFTE.

(BUCH IV.)

MÜNCHEN

CHRISTIAN KAISER

1882.

LIBER QUARTUS.

In quarto libro annalium Boiorum haec explicantur:

Caroli Magni prosapia; Franciae descriptio Francorumque origo; divus Carolus Magnus, primus Germanorum imperator, caesar augustus, rex Boiorum; imperator Litavicus Pius, filius Magni, rex Boiorum; imperator Lutharius, rex Boiorum, filius Pii; imperator Litavicus caesar augustus, filius Lutharii, nepos Litavici, pronepos divi Caroli; imperator Carolus Calvus, filius Pii, nepos Magni; Litavicus inlustris rex Boiorum ac Francorum, filius Litavici Pii, nepos Caroli Magni; Carolomanus rex Boiorum et Italiae; Litavicus eius frater, rex Francorum et Boiorum; imperator Carolus tercius caesar augustus, Alemanorum rex et Boiorum; imperator Arionulphus caesar augustus, Boiorum regulus; Litavicus tercius, filius Arionulphi augusti, et Chunradus primus, caesares Germaniae, reges Boiorum; Litovalda, Arionulphus, Eburonardus, Beritholdus, praesides, dynastae et rectores Boiorum; Ugrorum inruptio in regnum Boiariae.

Authores, quos praeter publica instrumenta secutus sum:

Eginardus, cancellarius Caroli Magni, libris quatuor res gestas Caroli Magni complexus est; Angisus abbas Lobiensis, trium imperatorum Caroli, Litavici, Lutharii leges et edicta in quatuor redegit volumina; Regino abbas Prumensis sub Arionulpho imperatore et Litavico filio eius de rebus germanicis gallicisque perscripsit; Litopraudus Ticinensis Francophori res gestas memoria sua parentumque

19 Magni *fehlt B*

19 *Einhardi Vita Caroli Magni, Mon. Germ. Script. II, 426 flgd. (zuerst gedruckt Colon. Agripp. 1521) u. Einhardi Annales, M. G. 1, 124 flgd. Sehr wahrscheinlich benützte A. den Cod. lat. Monac. 17736 saec. 12. aus dem Kloster St. Mang in Stadtamhof, welcher in vier Büchern Einhards Leben Karls, dessen Annales, Monachi Sangallensis gesta Karoli (eine von A. viel benutzte, in seinen Quellenverzeichnissen aber nicht besonders erwähnte Schrift, welche daher unter der obigen Angabe inbegriffen zu denken ist) und einiges andere enthält; vgl. M. G. I, 132, Nr. 8* 20 *Caroli M., Ludovici et Lotharii imperatorum capitularia, ab Ansegiso abbate Fontanellensi [St. Wandrille] collecta, M. G. Leg. I, 256—325* 21 *Reginonis chronicon, M. G. Scr. I, 536—612.*

literis conmendavit Otone Magno imperatore, ad quem in Germaniam fugit, pulsus a Berenogerione, ultimo rege Italiae, cuius magister epistolarum ab eoque Constantinopolim legatus fuit; educatus est in aula Hugonis regis Italiae; pater eius ab eodem rege legatione suscepta in Graeciam ad imperatorem orientalem profectus est.

PRAEFATIO.

Scite admodum in carminibus ait Appius, fabrum esse quemque fortunae. idcirco dum Romani iusticiam, vigilantiam, patientiam, arma, rem bellicam, disciplinam militarem, aequitatem in pace, in bello audaciam atque fortitudinem coluerunt et praeter caeteros mortalis egregie eas arteis, quibus imperia parantur, domi forisque consectati sunt, iisdem divinum numen, quod omnium mortalium vitam invisere solet, florentissimum, opulentissimum ac secundum deorum opes maximum contulit imperium. nam neque bonum neque malum facinus cuiusquam pro nihilo habetur; sed ex natura diversa praemia bonos malosque sequuntur. ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate libido atque superbia, pro paupertate avaricia ac simul ambitio, pro parsimonia luxuria atque voluptas invasere victorem gentium populum, fortuna simul una cum moribus inmutata est. amor sui, iurgia, discordia, simultates, domesticae seditiones, bella plus quam civilia invaluere. vera consilia gratia, timor, voluptas corruperunt. opes inminutae, servitus imposita est, reges exacti, consules, tribuni plaebis, magistratus alii saepius per dissensiones, saepius per discessiones, non semel leges et instituta haud citra sanguinem conmutata sunt. exanguem et tot casibus agitatam, tot procellis fatigatam rempublicam susceperunt caesares. deinde cum hi asiatico luxu, graecanico ocio Constantinopoli effoeminantur, Romam caput mundi fastidiunt. urbs potens, urbs orbis domina, deserta, orba, effoeta Germanos Carolumque Magnum accivit, adoptavit, civitate et iure Quiritium donavit.

Ita una cum aquilis tantoque imperio, uti fieri solet, omnia quoque vicia obrepsere; quos arma Romanorum non fregerant, vicia vicerunt. pecuniae, quae maxima pernicies est omnium, nullus usus, nullum de-

5 *In A folgt, von flüchtiger Hand nachgetragen:* Vitechindus, filius Walekini [?] in collectaneis . . . . . *[unleserlich] [Widukindi res gestae Saxonicae sive Annales, M. G. Scr. III, 416 flgd.]* 6 *In A u. B folgt:* Ioannis Aventini in quartum annalium Boiorum librum.

1 *Liudprandi Cremonensis Antapodosis, M. G. Scr. III, 264 flgd.* 7 *Appius Claudius nach dem Citat in der dem Sallust zugeschriebenen Schrift de republica ordinanda 1, 1* 13 florentissimum — imperium *Livius I, 4, 1* 16 ubi — inmutata est *Sallust. Cat. 2, 5; 3, 3* 20 bella — civilia *Luc. Phars. I, 1* 31 arma — vicerunt *Tac. G. 23.*

BSB

cus fuit apud maiores nostros. ipsi aurum atque argentum perinde ac fictilia habuere. vetuerunt vinum ad se invehi mercatoresque conmeare; parco parabilique victu et rhenonibus suis ad implenda naturae desideria contenti fuerunt. vivebant lacte, caseo avenaeque pulte. vestitus erat pelles ferarum luporumque, quas venatio subministrabat. atqui nunc luxu cum quavis natione contendimus; omnia Venus Bacchusque corrumpunt. intempestiva convivia et perpotandi pervigilandique insana cupido, adulteria, ludi, greges scortorum invasere Germaniam et gradum corripuere. omnia in externum lapsa morem sunt. exoticas vestes gallicasque sumpsimus, non omen quidem veriti, quod a victoris populi insignibus in devictae gentis transsimus habitum. apud caeteras nationes male audimus, quod semper ebrii, nunquam sobrii simus. studium pecuniae, auri sacra fames (quae divo Paulo radix est omnium malorum et simulacrorum cultus) Germanorum fidem ab hostibus etiam collaudatam labefactare coepit. quibusdam charior pecunia quam fides est hique famae et integritati, postremo omnibus rebus commodum anteferunt. patriae desertores nil aliud quam privatam utilitatem spectant. cupiditas eosdem excaecavit.

O populis felix semper Germania fidis,
Syncera celebrata fideque,
Ecce tuus miles, longo quoque stemmate census,
Libertatem exosus avitam,
Francigenis servit, Celtarum degener hospes
Te contra fert proditor arma.
Non pudet atque piget scelerum? Germania Celtis
Funesto venundatur auro.

Illud pro vero constat, omnes victores divitias contempsisse, victos concupivisse. quae per virtutem ac inopes parta sunt, per opulentiam fere amittuntur. virtus in mediocritate, quam auream poeta vocat, consistit. vicium est, quodcunque exuperat aut excedit. proinde quemadmodum Aristoteli (qui nihil non adtigit atque doctissime et simul verissime explicavit) placere video, divitiae multae magnaeque opes nihil penitus ad felicitatem beatitudinemque conferunt, immo officiunt magis. idem censet, eos, qui caeteros opibus antecellere connitantur, ad aequitatem in ordinemque in bene praeclareque constituta republica redigendos esse, ne scilicet, quando opes parant animos, insolescant, alios opprimant et sibi servire postulent. unde invidia, lites, odia,

18 cupiditas — auro *in B eingeklammert* 23 deneger *B* 26 venumdatur *A*

1 ipsi — habuere *Tac. G. 5* 12 — simus *vgl. oben S. 58, 24* 13 auri — fames *Vergil. Aen. III, 56* 14 *Timoth. 1, 6, 10; Col. 3, 5 (vgl. Hieron. ep. 22, 32)* 29 *Horatius, Carm. II, 10, 5* 31 *Eth. Nic. X, 9* 34 — postulent *Pol. III, 13?*

egestas, inde magnum pauperies opprobrium. iubet quidvis et facere et pati virtutisque viam deserit arduae. hinc squalens legum sylva, iuris callida interpraetatio latius, quam reipublicae utile est, proserpit.

Apud maiores nostros plus boni mores quam alibi bonae leges valebant. nil prosunt senatus consulta aut plebiscita, nisi moribus et bonis artibus homines imbuti fuerint. sic sentit et probat Stagirites, veritatis et maiestatis naturae fidissimus interpres, in libris, quos de republica inscripsit. sic Flaccus poetarum sapientissimus non minus vere quam eleganter in lyricis docet: quid tristes, inquit, quaerimoniae, si non supplicio culpa reciditur? quid leges sine moribus vanae proficiunt? corruptam esse rempublicam, ubi plurima decreta sunt, res verum esse docet et rerum omnium magister usus. ubi plurimi medici sunt, ibi plurimos morbos esse necesse est, ait divinus ille Plato et Strabo scriptorum gravissimus refert.

Auxere nuper leges Boiorum proceres, non sine quaerimonia pauperum, quibus in tanta omnium rerum difficultate, quae semper in peius proserpit et labitur, diminutae sunt mercedes et pecudes. novum hoc est aucupium, casses et retia sunt ac laquei, quibus reculis inopum praetores et, qui eis adparent scriptumque faciunt, insidias tendunt. his solis licet non voluntatem legi sed legem iungere voluntati. ipsi quamquam sacramento adacti in huiusmodi placita iurarint, ubiubi spes nummi adfulserit, eiuscemodi scitis derogant nec enim illiusmodi hirudines quicquam pensi habent, qui cuncta utilitate metiuntur, omnia sibi servire concupiscunt, discordias serunt, lites ex composito fovent atque licitantur iura, aleam vectigalem publice in nundinis instituunt, absque verecundia exercent, propalam venditant. quod in se ipsos conmitti nolint, in alios perpetrare non erubescunt, se et eos, qui se pecunia redimunt, legibus, ut libet, solvunt; hisce dumtaxat tenetur, qui nihil donaverit. itaque passim et inpune fides frangitur, respublica perditum itur, defraudatur princeps, inopes expilantur, crimen peculatus conmittitur. ut unus ditescat, tot cives, tot agricolae ad egestatem redigendi sunt cum maximo principum et reipublicae detrimento.

Damnosa quid non inminuit dies?
Aetas parentum peior avis tulit
Nos nequiores mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

15 — vitiosiorem *in B eingeklammert* 20 rhetia *B* 21 proceres *statt* praetores *B*

1 magnum — arduae *Hor. C. III, 24, 42—45* 4 — valebant *Tac. Germ. 19* 6 *Pol. III, 16* 8 *Horat. C. III, 24, 33* 14 *Strabo p. 260* 15 *1518 wurde die Reformation der bairischen Landrechte veröffentlicht* 33 *Horat. C. III, 6, 45—48.*

BSB

Germania, illa quondam nobilissimarum et fortissimarum gentium alumna officinaque in septem regna et totidem regulos, in tot principes, tot pontifices, tot dynastas dissecta dilaceratoque. nunquam in unum corpus coiverint, nisi Carolus maximus caesar et rex Hispaniarum, Asiae et Africae princeps, ex Norico oriundus (cuius adventum ex Hispaniis Germania faustis votis solennibus supplicationibus desiderat et expectat) authoritatem pecuniae aurisugis mercatoribusque demat, concordiae bona firmet, discordiae mala expellat, luxuriae sumptuumque licentiam refrenet, rapinarum et litium calumnias rescindat, pietatem et iusticiam, iam pridem terris depulsam, de caelo revocet. id demum fiet, si germanica iuventus accurate probitati et industriae operam navaverit, studium pecuniae, cupido diviciarum sublata aut, quoad fieri potest, diminuta fuerit. aliter neque privata res neque publica regi potest.

Vel nos in mare proximum | Gemmas et lapides et aurum inutile, | Summi materiem mali, | Mittamus, scelerum si bene poenitet, | Eradenda cupidinis | Pravi sunt elementa et tenerae nimis | Mentes asperioribus | Firmandae studiis.

Longius abivi, in viam redeundum est.

Cap. 1. Imperator divus Carolus Magnus caesar augustus, sicut supra docui, genus originemque paternam ex vetustissimis Boiariae principibus ducit. nam Utilo, frater Theodonis Magni reguli Boiorum, limiti inferioris Germaniae inter Scaldim, Mosam Rhenumque amnes et Oceanum adversum impetus Danorum latrocinia tum agitantium pyraticamque exercentium, a Theoderico primo rege Francorum praefectus, adpellatus est satrapa Hanthoburipensis. is Hugobertum, Hugobertus Asopertum genuit, qui ex Pluthylda, filia Lutharii regis Francorum Arionulphum tulisse fertur. is deinde divum Arionulphum procreat; Arionulphus posteaquam Angisum progenuit, relicta republica in sacerdotum curiam ac senatum adlegitur capiturque pontifex Mediomatricum et, ubi honesta morte defunctus est, in superum numerum

19 *In A u. B folgt:* Prooemium finit libri quarti. incipit narratio. liber 4. annalium Boiorum authore Ioanne Aventino 28 Arionoldum *A*

6 *Karl V. landete, aus Spanien kommend, am 1. Juni 1520 zu Vliessingen in Seeland und zog am 22. October in Aachen ein* 15 — studiis *Horat. C. III, 24, 47 flgd.* 22 *Vergl. oben S. 340, Z. 23 flgd. u. Anm. Mit der flgd. Genealogie der Karolinger stimmt grösstentheils überein eine in der Münchener Hof- u. Staatsbibliothek befindliche genealogische Tafel und die dazu gehörige, 1501 vollendete und von N. Wurm zu Landshut gedruckte Chronik ‚Das herkommen der hertzogen von Bayrn' fol. a 6 und a 8.*

refertur. Angiso et Begga, filia Pipini superioris, ortus Pipinus inferior, Pipino Carolus Martellus, Carolo Martello Pipinus rex Francorum, Carolus Magnus inde Pipino rege et Bertha genitus, a patre accepto imperio Francorum regnat. equidem in stemmate proponendo et imaginibns exequendis, cum authores diversa prodant, ut nulli duo concinant, plura transscribo quam credo. nam nec adfirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quae accepi. huiuscemodi generis elogia partim vetustas obliteravit, partim ut plaeraque alia inlustria literarum monumenta incuria temporum et Stoicorum mataeologorumque tyrannide et superstitione non solum neglecta, sed etiam misere accepta ac dilacerata sunt. superioribus enim saeculis istis theologistis dominantibus, qui cultioribus literis bellum indixerant, nihil (quatenus ipsis licuit), nisi quod eorum barbariem, nugas et haeresim oleret, servatum est.

Verum gentis Francorum situm, res gestas, egregia facinora, genus, antiquitatem (uti tempus admonuit) paucis verissime indicabo. Francia (sicuti ego apud rerum scriptores et in publicis instrumentis, actis, tabulis, diplomatibus imperatorum et regum nostrorum comperio) triplex est. antiqua proprie dicta, quae et libera; nova, eadem occidentalis; orientalis ipsa est Germania atque Alemania et Teutonia. hanc Austriam Austrasiamque, illam Vestriam, corrupte Neustriam germanicis adpellant vocabulis.

Vetus est libera Francia, quam vulgus literatorum Franconiam, incolas utramque Moeni ripam adcolentes Franconas nuncupat; patrio sermone nos illam Francolandiam, id est Francorum patriam, incolas Francon, hoc est Francos sive Franconas adpellamus. caput gentis Francophoros urbsque primaria Virzeburgium, quam et Poeoniam vocatam reperio. eius pontifex Francorum dux est et nominatur. ibi quoque est flumen Salas, alius ab eo, qui in Albim confluit et Turogos a Sorabis atque Moesiis separat. ab illo Salios Francos cognominatos autumant. porro Tuisconum lingua sala aulam basilicamque significat. unde lex salica, praedia salica, clientes salici, quae ad aulam spectant, dicti. aduc nobis in usu est oreque frequenti salbuech, hoc est salicus codex, ubi praedia regia, principalia, ecclesiastica, vectigalia redditusque praediorum describuntur. extat passim in bibliothecis. lex salica lata est ab antiquis Francorum regibus aliquot annos ante Iustinianum imperatorem, qui romana iura, uti nunc in usu sunt, publicavit. in hac lege Salica, ubicunque legislatorem nomen latinum, ut tum erant tempora, fugit; ex franco, hoc est germanico sermone vocabulum romana incude formavit. leges ibi sparuarium, habichum, forestam,

forestarium, hovavarthum, veltezunium, campionem, meracham, trinumgeltum, verageltum, frilassum, marcham pro accipitre minore, maiore, saltu, saltuario, cane villatico, sepe arvorum, singulari certamine, equa, tripli quadruplique condemnatione, libertino, limite. morgangeba quoque (quod vocabulum in conditionibus pacis, quae dictae sunt inter Gutramum Hyldebertumque reges Francorum, divus Gregorius Turonensis explanat) pro matutina donatione usurpatur; quae more Germanorum ultra dotem condonari solet sponsae virgini, cum mane, unde nomen, ex thalamo surgit. veteres iurisconsulti graeca dictione paraphernam (nisi fallor) vocant. plus mille huiusmodi offendes semibarbara vocabula, quae omnia teutonica aduc in usu sunt. nomina etiam regum, principum, foeminarum, marium germanica sunt, quae tamen celtici scriptores ob inscitiam francae linguae corrumpunt.

Francorum cum Suevis Cicero quoque meminit, ubi de rebus gestis Iulii Caesaris cum Germanis agit, et divus Hieronymus in vita Hilarionis, cuius verba operae praecium est subscribere: candidatus, inquit, Constantii imperatoris rutilus coma et candore corporis indicans provinciam, inter Saxones quippe et Alemanos; gens eius non tam lata quam valida. apud historicos Germania, nunc vero Francia vocatur. Francorum enim nomen cum potestate (ut modo Suitonum) paulatim latius serpsit et Germanias Galliasque occupavit. Galli a Francis victoribus, Germani a se invento nomine Franci adpellati sunt. Francones autem antiquissimi sunt Germaniae Magnae populi, quod etiam vulgo aduc protritum proverbium in usu crebrum contestatur. solemus enim passim rem priscam ac nimis antiquam francam vocitare. ipsi obscuriores fuere usque ad Gallieni augusti aetatem. ab eo tempore hactenus semper praeclari rebus bellicis habiti. Graecorum etiam annalibus notissimi sunt. antea partim sub Cattis et Turogis, partim sub Helvetiorum et Boiorum magnitudine delituerunt, quemadmodum est apud Cornelium Tacitum, Claudium Ptolemaeum Gregoriumque Turonensem episcopum.

Author et parens gentis est Francus sive Franco, rex Germaniae, ex antiquissimis Boiorum regulis procreatus, si vernaculis rerum authoribus credere fas est. ego supra in primo libro retuli. hoc nomen crebrum est in fastis antiquis, deductum a libertate, quae Teutonum

6 morganegyba *M. G. Leg. I, 6; Greg. Tur. IX, 20* 14 *Cicero ad Attic. XIV, 10:* Scaevas, Frangones. *Wahrscheinlich Namen von römischen Veteranen, jedenfalls nicht, wie A. meint, der deutschen Stämme, die ja erst Jahrhunderte später auftreten; vgl. auch oben S. 68* 16 *Hier. vita Hilarion. I, 113 A* 30 *Tacit. Ann. III, 41, 46, Germ. 28; Ptol. 150, 152, 160; Gregor. Turon. II, 9* 34 *s. oben S. 68.*

lingua freighait, freighum, freikait et freikum dicitur, quod cognomen aduc publice Franconibus nostris tribui solet. vocitantur enim vulgo die freigen Franken, hoc est liberi Franci; itidem nobiles Francones.

Ipsi saepius Rhenum transsiere, saepius Gallias adfectarunt, saepius inde pulsi sunt a Romanis, quemadmodum in secundo libro explicavi. Meroveus et filius eius Hyldericus cum popularibus suis auxilio fuere Romanis cum Attilaque pugnavere anno christianae aerae quadringentesimo quinquagesimo quarto. in eo bello periit Theodericus rex Vessogetarum et Meroveus rex Francorum. Hyldericus filius eius conmento et fraude Aetii ducis romani obtentu salutis in Germaniam Magnam trans Rhenum fugatus est, quemadmodum idem Thurisomundum, filium Theoderici, ad Gotos romanis provinciis extruserat. divum Gregorium Turonensem episcopum et domestica sequor testimonia. paucis post diebus anno restituti orbis quadringentesimo quinquagesimo nono, cum Romae Valentinianus augustus occisus esset, Maximus Romae arriperet imperium et Gensericus rex Vandalorum ex Africa traiiceret et Maximo caeso Romam diriperet in Italiaque Maiorianus, in Galliis Avitus caesaream purpuram induerent invicemque contenderent, Hyldericus cum Franconibus sexto Martiani caesaris anno, Ioanne et Varrone consulibus Gallias invadit; profligato romano milite Gallias in Germaniam transtulit. eoque magnitudinis Francones venere, ut et Galliae et Germaniae in nomen Francorum cum Romanorum imperio concesserint. utraque enim regna inde dicta sunt Francorum imperium. in huiusce rei memoriam monumentumque etiam nunc solenne est, non alibi quam Francophori, quae urbs primaria Francorum est, comitia caesarea imperatoriaque haberi.

Quoniam de Alemanis res admonuit, de his compertum mihi paucissimis narravero. Alemanos quidam in conmune omnes Teutonas, alii dumtaxat eos, qui Franci et Saxones non sunt, nuncupant. imperatores et reges nostri Alemaniam fere Sueviam, interdum et flumen pagumque Boiariae antiquae, quae trans Danubium Franconiae finitima est, adpellant.

Franciam occidentalem novamque Franconricham, id est Francorum imperium, incolas Franzosos, quasi tu dicas Francigenas, nominare solemus. sunt, qui eam Franciam romanam dicant, quod romana lingua, licet sono corrupto utatur. apud veteres erat Galliae belgicae secundae pars et Gallia Lugdunensis celticaque. Pius secundus pontifex maximus, Litovalda iureconsultus, episcopus Babobergensis, censent,

15 *Am Rande in A:* sexagesimo alii.

4 *Tac. G. 37* 13 *Gregor. Tur. II, 6, 12* 38 *Liutpold von Bebenburg.*

Celtas non tam Francos quam Francigenas nuncupandos esse. neque ipsi unquam usquequaque Franci aut eorum regio Francia dicta est, nisi quatenus sub imperio fuere Francorum. Franciam Francosque semper Germanos Germaniamque intelligimus et imperium atque regnum Francorum, quod modo teutonicum ac Romanorum adpellatur. ita etiam sentire video Otonem episcopum Fruxinensem, filium divi Litovaldae principis austriaci. divus Gregorius Turonensis (qui sub Hyldeberto rege Francorum et pronepotibus superioris Hylderici historias condidit et saepius in Germanias legatus ivit) Germanias Franciam, Austriam nominare solet, caetera regna Galliarum. et in urbibus Galliae ubique Gallos et Francos in eodem oppido separat ac ut diversos recenset, sicuti fit in provinciis, quas armis externa gens occupat vique tenet. meminit idem et coloniarum Saxonum in Gallia Lugdunensi. Zacharias item pontifex maximus in epistola commendaticia, quam divo Bonifacio dedit (supra eam in libro tercio offendes), itidem imperatores Carolus et Litavicus in perpetuis edictis, quae in iure pontificio referuntur, Gallos a Francis separant, per Francos Germanos intelligunt.

Quamobrem rectius imperatores nostri in titulis se reges Francorum adscriberent, quod eos fecisse invenio. haud alienum esse opinor, si publicorum instrumentorum Boiariae authoritatem secutus quorundam caput, exemplar, calcem et descriptionem Franciae, Galliae, Saxoniae, (quae in bibliothecis Boiorum passim extat) ad fidem faciendam subsignavero. ex actis coenobii Schaphularensis, quod et Pipinopagus a veteribus cognominatur: »sacrosancto monasterio sancti Dionysii, quod est constructum in regno Francorum, in ducatu Boioariorum, super fluvium, qui dicitur Isura, ego ipse Petto episcopus et abbas primum ob dei amorem seu pro peccatis meis minuendis seu pro aeterna retributione dono Hachingam et Puelocham. actum in monasterio sancti Dionysii, sub oppido villae, quae nuncupatur Skefftilari, publice. testis Orendil comes; sexto idus Augusti, anno sexto imperii domini nostri Caroli Magni imperatoris, regni eius in Francia tricesimo octavo.« duarum exempla tabularum, quas mihi Chilianus inferioris Aldaechii antistes exhibuit, haec sunt. »in nomine sanctae et individuae trinitatis. Hludovicus, divina favente gratia rex, Gotsbaldo Virzeburgensi episcopo et rectori monasterii divi Mauricii eiusque monachis facio eligendi abbatis potestatem. data octavo idus

15 *S. oben S. 397, Z. 10* 25 *Das flgd. aus der Schäftlarner Urk., Mon. Boic. VIII, 368. Die flgd. Urkundenauszüge enthalten mehrfache Ungenauigkeiten* 34 *aus der Niederaltaicher Urk., M. B. XI, 112.*

BSB

Martii, anno Christo propitio quinto decimo regni domini Hludovici gloriosissimi regis in Orientali Francia, indictione nona. signum domini Hludovici serenissimi regis. Reginbertus diaconus ad vicem Redleici recognovit. actum Regensburg, civitate regia.« aliud ibidem: »in nomine sanctae et individuae trinitatis. Hludovicus divina favente gratia rex Baioariorum Gotsbaldo abbati perpetuo dono in villa Engolstad duas ecclesias, curtim dominicatam cum aedificiis desuper positis. signum domini Hludovici serenissimi regis: ego Dominicus notarius ad vicem Radleici recognovi, quinto decimo kalendas Septembris, anno Christo propitio domini Hludovici piissimi regis septimo in Orientali Francia. actum Helicbrunno in palatio regio.«



Vigileus Bathavensis pontifex subsequentium inter alia mihi copiam fecit: »in nomine sanctae et individnae trinitatis. Hludovicus divina favente gratia rex Reginario episcopo Bathavensi in regione Avarorum dono Chirchpach terramque centum praediorum per circuitum usque ad Chumenberch. signum Hludovici gloriosissimi regis. Adalleodus diaconus ad vicem Grimoldi recognovit 13. kalendas Martii, anno Christo propitio, tercio regni Hludovici in Orientali Francia, indictione 13. actum Ostrohova palatio regio, in dei nomine feliciter, amen.«

Aliud ibidem diploma. quod ad verbum exceptum a me, in historia Utinensium publicatum, venale circumfertur. caput hic et calcem dumtaxat subnotabo. »Karolus divina favente clementia imperator augustus dono dat aliqua praedia Utinensi templo. datum 8. kalendas Septembris anno incarnationis domini 885, indictione 3, anno imperii piissimi imperatoris Caroli in Italia quinto, in Francia quarto, in Gallia primo. actum ad VVeibelingam. in dei nomine feliciter, amen«. extat eiusdem imperatoris aliud diploma Reginoburgii, quod mihi exhibuit Catharina Raedovizerina, sacratarum foeminarum monasterii superioris maxima. eius initium est, quod tum fere in usu fuit: »in nomine sanctae et individuae trinitatis. Karolus, divina favente clementia imperator augustus caenobium superius libertate et inmunitate donat, quod ibi mater sua Hemma sepulta sit, quae hoc ab Bathurico episcopo Reginoburgensi acceperit anno salutis 831 eique reddiderit Maenoseum monachorum contubernium. data 14. kalendas Martii, anno dominicae incarnationis 886, indictione 4, anno vero piissimi imperatoris Caroli, in Italia 6, in Francia 5, in Gallia 2. actum in villa, quae Rotwila vocatur. in dei nomine feliciter, amen.«

7 Engolstat *B* 24 Utiniensi *B*

5 *L. c. 107* 14 *Mon. Boic. XXVIII, a, 29* 21 *Werke, I, 56* 23 *Mon. Boic. XXVIII, a, 76* 31 *Ried, Cod. dipl. Ratispon. I, 66.*

Huius quoque imperatoris et alia tabula servatur in monasterio inferioris Boiariae, Metenam vocamus, Carolus Magnus condidit. caput, quod in superioribus; ad umbilicum ita subscriptum erat: ‚datum 4. kalendas Augusti, anno Christo propitio 882, anno augustali in Italia 2, in Francia 1. actum Ascoha.' Vessobrunnae in superiore Boiaria istoc mihi monstratum est instrumentum: ‚Henricus episcopus Ratisbonensis ob patrocinium sancti Michaelis et meritum sanctae Wolfsindis, virginis scilicet et martyris, trado ecclesiae de Risbach decimas omnes. testes Henricus vicarius noster in pago Danubiano et Godfridus archipresbyter in pago Norico. anno ab incarnatione domini 1139, anno regni domini Chunradi serenissimi regis Francorum secundo. actum Ratisbonae'. anteaquam reges nostri Romae consecrati fuerunt, vocati sunt reges Francorum, ut nunc Romanorum.

Nunc Franciae, Galliae, Saxoniae descriptionem ad verbum subiicio ex venerandae vetustatis antiquissimo codice, romanis literis in menbranis exaratam. »urbes regni Francorum, ubi habitant episcopi: Aquae Graneae, sedes regni Francorum, Mogonciacum, Agrippina, Treveri, Mediomatrices, Tullum, Verdunum, Vesontia, Basileia, Argentoratum, Spira, Bormatia, Tungri, Leodium, Traiectum, Cameracum, Virzeburgium, quae et Herbipolis, Mons Pavonis, qui Babenberch dicitur, Curia, Constantia, Salipolis vel Iuvavia, Ratisbona, Frisingia, Aigistadium vel Eisteten, Bathavia. civitates Saxoniae: Prema, Parthenopolis vel urbs virginum, quae Maedoburgium, Martipolis sive Mersoburgium, Cisa, Albarestadium, quae et Halberstat, Monasterium, Fons Podoli, quae Padenbrunne, Mindina, quae et Misena, Hiltisheim, Osinoburgium, Brandeburgium. civitates Galliae: Parisii, Rhemi, Laudunum, Lugdunum, Lingones, Caenomani, Vienna, Aureliani, Ambrani, Senones, Andes, qui et Andegavi, Antisiodorum, Rhotomagus, Arelate, Pictones, Turones, Suesiones, Tornacum, Valentia, Massilia' et conplures aliae sedes pontificum, quas enumerare nihil ad propositum. ex his plane intelligimus, proprium ac genuinum regnum Francorum esse, quod modo Teutonicorum ac Alemanorum dicitur.

16 membranis *B* 22 Eistetem *B*

1 *M. B. XI, 431* 6 *M. B. VII, 379* 13 *In seinen kürzeren Annal. duc. Bavariae (Mspt.) schreibt A., dass sich die röm. Könige bis auf Friedrich I. Könige der Franken nannten, und citirt hiebei: Baptista Mantuanus [Carmelitergeneral Spagnoli, gest. 1518, dessen Werke 1513 zu Paris erschienen]; Bischof Otto [von Freising], Guntherus in rebus gestis Friderici I. [Guntheri Ligurini carmen, ed. Dümgé; vgl. v. 547?]* 20 *Die Erwähnung von Bamberg, wenn diess nicht ein Nachtrag ist, zeigt, dass die Descriptio nicht vor dem 11. Jahrh. verfasst ist.*

Quod vero occidentalis Galliae reges Francorum adpellantur, fit propterea, quod non modo reges, verum etiam omnis nobilitas ex germana Francorum stirpe genus traxerint; et quidem utrumque nostrae tempestatis Celtarum rectores ex Francia orientali Germaniave oriundi sunt, nempe Saxonia. Vitechundus namque, Saxonum mercede a Carolo Calvo conductorum dux contra Nordomanos accitus, e Germania in Galliam Lugdunensem migravit et Andibus Andegavensibusve praefectus est. Vitechundi filius Rupertus, primorum fortissimus, ob rei militaris peritiam Francorum dux ab imperatore Carolo Calvo constitutus adversus impetus Nordomanorum, ab ipsis praelio occiditur. eius filius Oto ob merita parentis iussu Arionulphi augusti regnum Celtarum procuravit. huius frater Rupertus Hugonem Magnum Parisiorum principem procreavit. is ex sorore imperatoris Otonis Magni caesaris augusti Hugonem regem Francorum tulit. ad quem nostrae tempestatis Galliarum reges paternam originem referunt.

Celtarum tamen scriptores, maxime recentiores, Germaniam Austriam sive Austrasiam, Celtas vero Francos non tam vere quam ambitiose nuncupant, cum nec a nobis nec ab ipsis ita vernacula lingua nominentur, sed utraque lingua Franzosi, hoc est Francigenae dicantur. atqui utcumque se adpellent, cognomen sortiti sunt a Francis, Germaniae populis, sicut omnes Galliae incolae Germania oriundi sunt, germanica cognomina retinent. non solum Franci, sed Burgundiones quoque, Nordomani, Belgae olim et pars Celtarum ex Germania profecti, aduc fere Teutonum utuntur sermone et nostris imperatoribus parent. satis superque pro necessitate rei Francis inmorati sumus; ad Carolum revertor.

Natus est divus Carolus anno ab orbe servato septingentesimo altero et quadragesimo. quidam Angilaemis haud procul Mogonciaco genitum existimaverunt, secuti levem coniecturam, quod ibi vestigia praetorii nutrimentorumque eius aduc locus ostendatur, quasi vero non constet inter authores rerum, Carolum iam rerum potientem illas aedes palatinas condidisse. nec desunt, qui in Brabantia natum opinentur, decepti adfinitate nominum. quippe Carolomanos ibi regnasse natosque fuisse convenit inter scriptores annalium. sed ut apud nos canitur certioresque tradunt, natus est Carolobergomi, quae arx est superioris Boiariae et inde hoc nomen retinet religioseque aduc colitur ac monstratur. supra plura in tercio libro retuli. nam apud nos de ea re extat liber versibus antiquis more maiorum confectus.

8 — procuravit *vgl. Reginon. chron. zu 867, 887, M. G. Scr. I, 578, 597?* 27 *Wohl gefolgert aus Einhardi Vita Caroli, c. 30* 35 *Karlsberg an der Wirm, bei Mühlthal, vgl. oben S. 395, Z. 3.*

Educatum quidem fuisse apud Angilaemos non longe a Mogonciaco, tenet opinio. literis latinis et graecis institutus est a Paulo Pisano, viro eiusdem tempestatis in utraque lingua doctissimo. quintum ac vicesimum agens annum, parentem amisit. ubi funeri patris iusta fecit, cum Carolomano fratre ex aequo imperium Francorum apud Parisios partitus est. Carolomanus Austriam, Belgas, Germanias accepit, Magnus Vestriam et occidentalia regna, Burgundiam, Narbonensem Galliam, Aquitaniam, Galliam Lugdunensem et eius (secundum Caesarem) urbeis, Mogonciacum, Boromasiam, insuper Aquas Graneas, quo ipse profectus regio diademate decoratur. frater eius Augustae Suessonum rex salutatur septimo eidus Octobris.

Eadem tempestate, ubi mors Pipini regis evulgata est, Aquitani (sicut fieri solet, ubi, qui imperia obtinuere, moriuntur) gens inquieta rerumque novarum avida a Carolo defecere. Hunoldus filius Baepharii, patris arrogantiam secutus, ingens excitavit incendium, Aquitaniam occupavit, depulsis Francorum praesidiis. Lupus quoque Vasconum princeps nova molitur. est autem Aquitania pars Galliarum quarta, finitima Hispaniae; continetur Ligeri amne montibusque Pyreneis. authores duplicem faciunt, ulteriorem et citeriorem. haec Garumna et Ligeri fluminibus clauditur proprieque Aquitania nuncupatur. ulterior a Garumna amne ad Hispanias pertinet; eam proprie Vasconiam nominant; a Vessogotis hoc nomen esse detortum autumant. nec me fugit, Vasconas in Hispania enumerari ab antiquioribus. apud divum Hieronymum et eos, qui romanas descripsere provincias, terciam quoque Aquitaniam reperio. ipsi novem populorum adpellant; cohaeret Pyreneis montibus, Narbonensi et Tolosatium agro continua, quae sunt urbes Galliae provinciae finitimae. quidam Auscitanam provinciam nunc esse tradunt. Vasconas Lupus, uti diximus, Hunoldus Aquitanos tenebat.

Carolus in Hunoldum expeditionem indicit accersitque auxiliares copias a fratre, quas is pollicitus erat. verum pravis usus consultoribus (qui etiam fratres germanos conmittere haud verentur, cum alioqui raro sit fida regni societas) auxilia Carolo non misit Leodiumque in Franciam rediit. erat huic ferox ingenium, quod pessimos nactum amicos improbosque magistros, plaerumque ad deteriorem partem adplicabatur; aegreque concordia fratrum mansit. caeterum Carolus natura benevolentissimus summopere cavit, ne locum simultati faceret;

2 Paulo *vgl. Einh. V. C. c. 25* 11 *Vgl. Ann. Lauriss. zu 768* 12 — accipit *vgl. Einhardi Vita Caroli c. 5, M. G. Scr. II, 445, und hiernach Ekkehard 161. A. hat aber Einhards Vita selbst benutzt* 24 *Hier. epist. 123, 16.*

lenissime tulit contumaciam fratris, eius domesticorum minus sui reverentium licentiam astuteque dissimulavit. et nihilominus in Aquitaniam cum exercitu processit; Aquitanos in obsequium redegit, Francorum imposito praesidio. Hunoldus cum uxore ad Vasconum principem Lupum, impar viribus Magni, fuga evasit. haeret fugientis tergo Carolus amneque Garumna, qui Vasconas ab Aquitanis dividit, cum copiis transmisso per legatos Hunoldum a Lupo repetit; nisi ille reddatur, omnem belli impetum se in Vasconas conversurum minatur. Lupus seniorum obsequens consilio, non solum Hunoldum cum coniuge reddit, sed ipse quoque in verba Caroli iurat ab eoque Vasconiam sive Aquitaniam ulteriorem in fidem accipit. Hunoldus in Italiam relegatus, ibi lapidibus obrutus est.

Subacta itaque tota Aquitania in Germaniam Carolus redit, Boromasiam conventum Francorum indicit. actum ibi de concordia fratrum. Bertha regum mater ad Carolomanum minorem natu profecta filios in pace continuit. inde per Boiariam Romam supplicandi gratia pergit. inter redeundum Irmogardam filiam Desiderii regis Italiae in Germaniam secum abducit Caroloque connubio iungit, quam ipse post annum, quod infoecunda vicio corporis et clinica erat, sententia pontificum repudiavit. moritur inter haec Carolomanus. eius uxor cum liberis et perpaucis, qui discordias inter fratres serere conati fuerant, in Italiam ad Desiderium regem aufugit. caeteri omnes, Villaerius episcopus Sedunensis, Voloradus et Volochaerus a sacris, Berinus et Adolardus praefecti praetorio cum aliis aulae proceribus ad Magnum secedunt. quatuor circiter annos imperarunt hi fratres. Carolus concilium Boromasiam convocat. populi, qui Carolomano paruerant, in clientulos se Carolo conmendarunt atque in fidem dederunt.

Cap. 2. Apud Saxonas longe nobilissimus ac ditissimus fuit Vitechundus. is perfacile persuasit popularibus suis, ut Carolo rebellarent. erant alieni a pietate christiana, virtute praestabant et multitudine. omnes reges Francorum veteres et florentissimos quosque centum quinquaginta fere annos armis lacessierant, praeliis ambigui, bello nunquam domiti. Carolus adversum hosce arma induit; re frumentaria provisa, auxiliis copiisque comparatis, Rhenum transsit. inter Rhenum et Visurgim amnes, universam regionem Bestophalorum, hoc est occidentalium Saxonum, ferro, flamma depopulatur, agros depraedatur. Haero-

11 — obrutus est *vgl. Sigeberti chron., M. G. Scr. VI, 334* 9 *Für das flgd. vergl. Ann. Einhardi zu 769, 770* 20 *Einhardi Vita Caroli, c. 3* — secedunt *Ann. zu 771* 28 — popularibus. *Dieselben Worte gebraucht Caesar, bell. Gall. I, 2 von Orgetorix* 30 *Für das flgd. vergl. Einhardi Vita Caroli, c. 7; Annal. Einhardi zu 772.*

burgium primo impetu capit. erat templum Hermionis, Saxonibus vetusta religione augustissimum, quo frequens populus coibat et vota reddebat. multa ibi opulenta regum populorumque visebantur munera; ingens auri argentique ibi copia ostendebatur, quae vota reddentium grata voluntas congesserat. Saxones Hermani salam vocabant, id est aulam sive basilicam Hermani Hermionisve. is fuit quintus Germaniae Magnae imperator, pronepos regis Mani, filii Tuisconis, parentis et authoris nostri. ipsum maiores nostri ob bellica facinora in numerum deorum retulerunt; pro numine et belli praeside hactenus coluerant. eius fanum Magnus diripit, militibus aurum et argentum, opes Hermioni consecratas distribuit. delubrum militari manu incendit, diruit et solo aequat, ut ne vestigium quidem eius appareret. siti triduana laborante exercitu subito torrens divinitus, ita rumor dissipatus iactabatur, largissime effluxit. Saxones post tot accepta damna, destituti etiam deo suo, primi de pace legatos mittunt ad Carolum, qui imperatis et acceptis duodecim obsidibus in Franciam revertitur, Heristallii hiemat.

Hoc inicium Saxonici belli, quo neque atrocius neque diurnius unquam Francorum regibus fuit. magna utrimque animorum contentione, maiore Saxonum quam Francorum damno, continenter per treis et triginta annos belligeratum est. Saxones quippe, qui ut caeteri Germaniae populi suapte natura feroces bellorumque avidi, ferociores superstitio falsorum deorum reddebat, cultui multorum deorum obnoxiis nostrarumque ceremoniarum hostibus fidem frangere, pacem (ut libitum fuit) exuere, divina humanaque polluere, nulla religio fuit. confinia in plaerisque locis non altitudine fluminum neque iugis montium nec sylvis aspectu horrendis, sed camporum planicie iungebantur mutuoque metu separabantur, nec quicquam obstabat, quin, ut quaeque gens invaluerat, alterius agros invaderet. in huiusmodi diversorum imperiorum limitibus, uti fit, crebro caedes edebantur, crebro praedae invicem agebantur, quotidie tumultuariis decertabatur praeliis. dolus frausque Saxonum hoc bellum protraxit tamdiu.

Quotannis bello petiti sunt, quotannis rebellarunt. haud facile dixerim, quoties gens bellicosa armorumque cupida victa sit, quoties avida libertatis ab imposito resiluerit iugo. homines bellandi cupidi, ubi uri casas, excindi aedes, vastari agros, pecora abigi, rapi virgines, coniuges in captivitatem abduci, pueros divelli a conplexu parentum, fana atque domos spoliari, caedem, incendia fieri, postremo armis, ca-

5 Tritemius Hermansulam dicit quasi Hermanni statuam *am Rande in A*

3 — congesserat *vergl. Justinus 24, 6* 34 ab — iugo *Flor. p. 114, 29*

35 rapi — compleri *Sall. Catil. 51, 9.*

daveribus, cruore atque luctu omnia compleri videbant, supplices manus dabant, imperata se facturos pollicebantur; absque omni cunctatione obsides, qui imperabantur, exhibebant, legatos, qui mittebantur, audiebant. at ubi exercitus noster finibus excesserat, iam liberati periculo, gens quietis et ocii impatiens, deficiebant, armis correptis in Francis parentes incursabant. saepius ita adtriti sunt, ut se cultum numinum explosuros et christianam philosophiam recepturos ultro pollicerentur, non tam faciles ad istaec acceptanda, quam leves ad ea rursus detrectanda, ubi periculo liberati fuerunt; ad negandum an promittendum proniores essent, haud facile discerneres.

Capax orbis terrarum animus Magni, quamvis simul variis locis bellis distineretur et undique circumstreperent arma, non passus est inultam abire gentis perfidiam. continuo ubi pacem homines bellicosi exuerunt, de ipsis aut per praefectos aut ipse poenas exegit et vi rursus male obsequentes in ditionem redegit. tot armorum procellis undique ingruentibus parem fuisse Carolum haud mirabitur, si quis magnitudinem animi eius et caeleste ingenium penitus consideraverit. perpetuae in adversis iuxta ac prosperis constantiae fuit. nec secundis insolescebat nec angustis perditisque desperabat, aequo utranque sortem animo compos mentis tolerabat. vivax pectus eius ocium ac inertiam ut pestem devitabat. ut ad bella suscipienda alacer ac promptus erat animus, sic resistens ac minime mollis ad calamitates perferendas mens eius erat, maior profecto Alexandro illo Magno, cuius magis fortunam quam virtutem laudaveris. nempe huic cum imbellibus Asiae foeminis res fuit, nostro cum ferocissimis quibusque nationibus, quas ne adtingere quidem Alexander ausus fuit, pessimum boni principis exemplar, utpote qui perpetuo successu rerum ebrius impotensque sui, amicorum sanguine inter pocula, quibus tamen victorias acceptas referebat, sese polluerit. in caeteris animi dotibus ne ullo quidem pacto cum nostro comparandus est, excepta fortuna, quae peculiariter Alexandro perpetuo favit. quid, obsecro, in eo rege praeter flagitia, libidinem, superbiam, parricidia et ea scelera, quae nominare mihi religio est, invenies? de nostro vero quid attinet plura scrupulose dicere, cui virtutes et praeclara sua facinora caelum aperuerunt? ipse in superum senatum adlectus, aduc religiose colitur. Alexandrum nemo non, nisi cui cornea fibra est, execratur. dispeream, si hircus ille graeculus (ita enim a sacris vatibus nuncupatur) tum Saxonum inmanitatem, qui aduc cruda carne, nempe suilla vesci solent, ferre potuisset. sed ad seriem narrationis redeo.

21 — mens eius erat *Caes. bell. Gall. III, 19* 36 *Pers. I, 47* 37 *Daniel 8; Hieron. vit. Hilar. in. (I, 111 A).*

Hisce diebus Neorhomae obiit mortem imperator Constantinus Copronymos caesar augustus; romanum imperium per manus tradidit Leonti quarto filio suo. Desiderius rex Italiae romanum infestat agrum, castella, oppida Romanis eripit, quasi supplicandi gratia Romam admissus, quosdam senatorum luminibus privat. Longobardi totam Italiam in suas partes trahere conabantur. Romani et pontifex ad Carolum Magnum auxilium postulatum legatum ire iubent Petrum quendam, qui Romae navim ingressus, mari delatus ad portum Massiliensem adpulit. inde terrestri itinere ad Magnum Theodoviae (quae urbs in ripa Mosellae, in ducatu Lucilloburgensi condita extat medio fere itinere inter Mediomatricos et Lucilloburgium) hiemantem proficiscitur. ubi defunctus legatione, qua venerat, rediit Romam. nam Desiderius et Longobardi omnes vias, omnia itinera aditusque praecluserant.

Erat non levis simultas inter hos reges. Desiderio suspecta erat potentia Caroli generi quondam sui ipseque ignominiam filiae repulsae impatienter ferebat. Carolo dolebat, quod perfugas de suo regno Desiderius reciperet nepotesque ex fratre Carolomano ad spem imperii Francorum sollicitaret. diu tractatum deliberatumque est, armisne alienis sese involverent Franci. tandem communi consensu procerum Romanis opem ferendam esse decretum. inde expeditio in Italiam paratur; omnes copiae ex diversis regionibus Genevae (extremum id oppidum Allobrogum, iam Sabaudiae, proximum Helvetiorum, Suitonum nunc) coire iubentur. eo quoque Carolus primo Maio venit; ibi de belli gerundi ratione consultatum; summam spem in cleritate sitam esse, copias in duo agmina partiri placuit. pars Veronardum patruum Magni ducem per Alpes Cottias, quas alii montem Iovis nominant, secuta est; cum reliquis Carolus per Cibennica iuga (Cinisium montem nuncupant) penetravit. superato itaque Alpium iugo celerius opinione omnium, circa fauces, quae in Taurinum agrum ducunt, ambo exercitus conveniunt. Desiderius ibi armatus occurrit, claustra praecludit, aditu Italiae Francos arcet. Carolus locum castris capit. interim clamculum cohortem cum expeditis delectisque militibus per montes in Italiam praemisit, qui a tergo invaderent Longobardos. ubi hoc Desiderius accepit, ne quid se absente animi suorum labascerent, concitus Ticinum, quod tum caput gentis erat, properat.

Carolus incolomi utroque exercitu per patentes Alpium angustias, nemine prohibente, ad plana Italiae discendit. inde intento exercitu

14 lenis *st.* levis *B*

7 *Für das flgd. vergl. Ann. Einhardi zu 773; für die römischen Ereignisse, wie es auch scheint, auch Vita Hadriani pap. bei Muratori, Scr. Ital. III, 183—187.*

procedit Ticinique Desiderium arcta obsidione claudit. nec segnior rex Italiae in munienda urbe fuit; diutius protracta est obsidio. Carolus natalem Christi in castris celebravit; paschalibus, dimissis copiis in obsidione, pietatis ergo Romam perrexit hocque tum carmine eleganti, nunc incondito exceptus est: ‚cives apostolorum et domestici dei advenerunt hodie, portantes facem et inluminantes patriam, dare pacem gentibus et liberare populum domini'. cantari aduc solet in festis diebus legatorum Christi.

Carolus deinde ab imperatore, pontifice, senatu populoque romano lege data consul, tribunus, dictator perpetuus patriciusve dictus est. servatur Reginoburgii inlaesum aduc diploma a Carolo caenobio divi Haemerani datum, cuius inicium subtexo et finem. ‚Carolus dei gratia rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum donat quaedam monasterio divi Haemerani, quod situm est (ut ait) extra muros civitatis nostrae Reganisburgensium. datum 8. kal. Martii, regnorum nostrorum anno 26 et 20 in Franconofurd.'

Adfuere eadem tempestate Romae centum quinquaginta tres episcopi, quos Hadrianus pontifex romanus convocarat. patrum consultum perpetuum, quod in libris pontificalibus refertur, factum est in verbaque Caroli iuratum: nullum posthac fore neque romanum neque aliorum templorum antistitem, nisi quem Carolus successoresque eius sciverint et iusserint. refragantes huiuscemodi patrum decreto diris devoti sunt et, nisi resipuerint, adiecta proscriptio. defuncto igitur praesule quopiam sacerdotes lituum cum anulo ad aulam mittebant; cui ea princeps solenni ritu tradebat, is eiusdem fani rector designatus erat. ita observatum esse sine controversia ad Honorici quarti imperium legimus. charissimi quique ac amplissimi viri, advenae etiam ultro aulam frequentabant, spe dignitatis augendae et adipiscendi sacerdotii inlecti, absque stipendio in omnibus principi dicto audientes erant, quemadmodum nostro aevo Romae fieri solet. sub Honorico quarto et Gregorio septimo cum maximo reipublicae christianae detrimento de hoc aucupio armis non citra sanguinem decertari coeptum. imperatores veterem morem a tot sanctissimis pontificibus traditum comprobatumque mordicus retinere, maximi pontifices iam pares opibus caesareis in se trahere conabantur; nec amplius ferre parem, nedum superiorem, ditati ab imperatoribus nostris et ad id fastigii perducti, poterant. est omnino iniquum (sicut ait Plinius), sed nobis quoque usu‚iam receptum, quod honesta consilia vel turpia, prout male aut

12 *Ried, Cod. dipl. Ratispon. I, 8* 27 *vergl. Vita Chunradi archiep. Salisb., M. G. Scr. XI, 65* 37 *Plin. epist. V, 9.*

prospere caedunt, ita aut probantur vel repraehenduntur. inde plaerumque eadem facta modo superstitionis, modo pietatis, modo Christi, modo Antichristi, modo iusticiae, modo tyrannidis nomina accipiunt. diutius in se christiani principes summa pietatis et religionis iactura debacchati sunt. vicit tandem romanorum flaminum fortuna. sed haec omnia quam verissime in quinto volumine explicabo.

Dum haec in Italia geruntur, Saxones ob absentiam regis descis-cunt, arma corripiunt, continuos sibi Francorum fines, quos Hassos nuncupamus, invadunt. Buriaburgium incolae aufugiunt. Saxones in casas vacuas, villas et agros saeviunt, cuncta ferro, flamma depopulantur. dum templum a divo Bonifacio consecratum exurere nituntur, caelitus subito terrore perculsi terga vertunt domumque pavidi revertuntur.

Carolus patriciatu tribuniciaque potestate perpetua recepta, Roma Ticinum revertitur; nihil omittit, quod ad expugnationem urbis facere videbatur. erat discordia inter cives, pauci cum Desiderio sentiebant, pestis quoque in civitate grassabatur. maxima pars, pertaesi longinquam obsidionem, aperiendas esse portas Carolo censebant hique tandem intra moenia Magnum admisere Ticinumque Francis tradide-runt. captus Desiderius cum uxore Ansa et filia in Germaniam Leodium deportati sunt ibique exules mortui sepeliuntur. caeterae urbes Italiae exemplum Ticinensium secutae, certatim se victori permisere. Verona capta est, in qua Antharius Francus cum uxore Carolomani et liberis latitabat. Adalogisus filius Desiderii fuga sibi consuluit, in Graeciam elapsus, Constantinopoli abiecta spe recuperandi perdita in summo secundum augustum honore, quem patriciatum nominant, consenuit.

Cap. 3. Magnus compositis rebus in Italia, erepta restituit Romanis; firmo Francorum praesidio Ticini relicto, praefecto Foro Iulii Rudogauso, in Franciam Angilemos se confert. tres legiones adversus Saxonas citius, quam ipsi Carolum rediisse suspicabantur, mittit. omnia incendiis, rapina, direptionibus vastantur. cuncti resistentes trucidati; cum ingenti praeda acceptis obsidibus Francus miles domum rediit. subsequenti anno accitis ex tota Germania viribus Saxoniam petit Carolus, aut penitus excisurus gentem aut coacturus ipsam, ut philosophiam christianam recipiat. Segiburgium, ubi validum Saxonum praesidium erat, oppugnat et vi capit; Haereburgium ab hoste destructum reficit. ad Visurgim amnem procedit. Brunonis Bergomi

22 secuti *A u. B*

7 *Annal. Einhardi zu 774* 15 *L. c.* 35 *Für das flgd. vergl. Annal. Einhardi zu 775.*

castra locat. ibi manus Saxonum occurrit; a transsitu fluminis nostros arcere conantur. Franci primo impetu Saxonas ripa deturbant. rex amne traiecto quosdam ad custodiendum flumen relinquit, cum caeteris ad Ovacrum fluvium contendit. ibi omnes Ostophali, id est orientales Saxones cum duce Hessovino conveniunt, Carolo se dedunt, obsides dant, in verba Caroli iurant. Bruno quoque regulus Angrivariorum, quos inter Amisiam et Visurgim Tacitus locat, exemplum orientalium Saxonum secutus, Magno se permittit.

Teutonico sermone et ornatu magna ex parte miles Caroli atque adeo ipse Carolus utebatur. Saxones igitur eiusdem cultus et linguae Francorum, qui ad Visurgim relicti custodes fuerant, pabulatoribus hora diei nona in castra revertentibus quasi conmilitonibus suis sese conmiscent atque ita in castra Francorum irrepunt. dormitantes ac semisomnes adoriuntur, plurimos trucidant, sed vigilantium fortitudine castris repulsi sunt in fugamque versi. quae ubi Magnus accepit, fugitantium terga insequitur, eosdem caedit, sternit, fundit. occidentalium agros, Bestophalos nominamus, depopulatur et hos dare obsides cogit, cum quibus et ingenti praeda in Franciam se recipit.

Ubi certior fit, Rudogaudum, quem Foro Iulii praefecerat, nova moliri et regnum Italiae adfectare iamque nonnullas urbeis ad illum defecisse, Carolus festinandum sibi ratus, Silestadii oppido Elisatii natalem Christi celebrat, strenuissimum quemque asciscit. inde quam maximis potest itineribus in Venetiam contendit et Forum Iulii pervenit, Rudogaudum in potestatem redigit securique percutit. Taurisium ac caeteras urbes praesidio Francorum firmat, his praeficit Honoricum.

Inter haec Saxones opportunitatem, ut ipsi rebantur, nacti, quod longius Francorum rector abesset, pacem exuunt, Haereburgium obsidione claudunt, tandem pulso praesidio Francorum expugnant, incendunt, inde Saegiburgium infesto tendunt exercitu nec mora, castrum admotis scalis adoriuntur; Franci, qui intus erant, hostes incautius oppugnationi intentos, eruptione facta a tergo invadunt; plurimis interfectis reliquos non solum ab oppugnatione repellunt, sed in fugam quoque vertunt; palantes dispersosque usque Luppiam flumen persequuntur; inter quem et Amisiam Cornelius Tacitus Bructeros conlocat, sicut inter Visurgim et Albim Cheruscos. nos omnes huiuscemodi nostro aevo gentes in commune Saxonas adpellamus, quae cum Augusto, Tiberio, Claudio potentissimis imperatoribus Romanis bella

19 Rudugaudum *B*

7 *Tac. Ann. II, 8* *vgl. Sigebert l. c. zu 776* 19 *Ann. Einh. l. c. u. zu 776* 26 *Ann. Einh. zu 776* 24 securi percutit 34 *Tac. Ann. I, 60; II, 9.*

BSB

quoque gessere. nec deterruit eas magnitudo romani imperii, quo minus armis victorem gentium populum rerumque dominos lacesserent ex Germaniaque vi deturbarent.

Carolo cum id nunciatum esset, Saxonas fidem denuo fregisse, expugnasse Haeriburgium, matúrat ex Italia proficisci Bormatiamque properat. ibi coactis ingentibus copiis, celeritate conatus hostium omneis praevenit, fines Saxoniae absque cunctatione penetrat, velut turbo omnia humi sternens, castella, oppida impetu vasto inrupit, cuncta obvia proterit. Saxones hisce perterriti ad Luppiae fontes conveniunt, supplices veniam praeteritorum orant, sese et omnia regi conmittunt, pietatis quoque christianae iugum se subituros pollicentur. rex Haeroburgium instaurat, aliud castellum in ripa Luppiae construit. ibi Saxones lavacro caelesti lustrati sunt obsidesque dederunt. refectis castellis praesidioque imposito, rex in Franciam Haeristallium revertit. ubi cum hiemem exegisset, primo vere Neomagum, inde in Saxoniam cum valida manu procedit; conventum Saxonum Padobrunnam Maio mense indicit. omnes Saxones eo convolarunt, ibi fidem Carolo eiusque filio dederunt, conceptis verbis iurarunt se nunquam defecturos a christianismo; quodsi atro genio acti tantum scelus conmiserint, deminuto capite in servítutem redigantur, extorres lare, foco, patria in exilium extrudantur cum liberis et coniugibus, ius denique testandi, succedendi amittant. Vitechundus occidentalium Saxonum primarius cum paucis Saxonibus in Nordomaniam ad Segifridum Danorum regem aufugit auxiliumque contra Carolum petivit.

Ad quem in Saxonia agentem Ibinarabus et Iosephus cum multis Saracenis ex Hispania profecti sunt deditionemque fecerunt. idcirco compositis rebus saxonicis, dispositis in confinio praesidiis, expeditionem hispanicam Magnus parat et quam maximo potest apparatu innumeras copias undique accersit. ex Burgundia, Germania, Boiaria, pars etiam Longobardorum in auxilium venit. superato itaque in Vasconum regione Pyreni iugo Magnus Pompelonem Navarrorum oppidum in deditionem accipit. inde ad Iberum flumen castra movet. transmisso amne Caesaraugustam, maximam in his locis civitatem, quam veteres Numantiam vocarunt, accedit; ibi acceptis obsidibus a Saracenis, subactis Navarris atque Vasconibus, Pompelonem victor revertitur. moenia eius, ne rebellare posset, dirui iubet. in Pyreneis iugis transeundis perfidia Vasconum non mediocre vulnus accepit. cogebatur ob

11 permittunt *A* 23 Segrifridum *A u. B*

25 *Für das flgd. vgl. Ann. Einhardi zu 777 u. 778* 36 *Für das flgd. vgl. Einhardi Vita Caroli, c. 9.*

angustias loci exercitus longa acie progredi; Vascones in verticibus montium in insidiis latebant. sunt enim ibi sylvae maximae, quarum opacis umbris locus est opportunus insidiis. hostes subito de editiore loco in extrema impedimenta tutanteis impetum faciunt ac in subiectam vallem deturbant. fit praelium impari fortuna; Vascones superiores loci situ, levitate armorum nostros gravi armatura et iniquitate loci oppressos ad unum omnes trucidant, impedimenta diripiunt, beneficio noctis, quae inminebat, protecti subito in loca tuta ac nota absque periculo dilabuntur. cecidere eo praelio Echardus regiae mensae, Anselmus praetorio praefectus, Rulandus dux britanici limitis, Naemus boiaricarum copiarum ductor cum conpluribus allis. nec haec tam insignis clades vindicari potuit, quia hostis adeo dispersus erat, ut ne vestigium quidem, ubi quaereretur, adpareret. inter redeundum Hyltegarda regina geminos peperit; unus dumtaxat superstes fuit, cui Litavico parentes dixere nomen.

Iisdem diebus Vitechundus, ubi vidit regem in Hispania longius abesse, ex Dania regressus domum, Saxones populares suos adversus Carolum conciat illique correptis armis ad Rhenum promovent. quem cum superare non possent, a Tuisconis oppido e regione Agrippinensis Coloniae usque ad confluentem Mosellae cunctà ferro, igne proterunt; sacra, prophana omnia miscendo polluunt, nec aetatis, nec sexus rationem habent. monachi Fuldenses Saxonum veriti crudelitatem sumptis sacris de templo aufugiunt, in latebris Hercyniae se condunt. quod ubi nunciatum est, Carolus Heristallios cum caeteris copiis ad hiberna contendit; Franconas et Boios properare et obviam ire conatibus hostium demandat. illi quam maximis possunt itineribus trans Rhenum contendunt. at Saxo, ubi audivit adventare certissima semper regis auxilia, domum abire parat. nostri vestigiis haerent, ad Adranam amnem in pago Hassorum consequuntur hostem et mox caedunt, fundunt; paucissimi Saxonum incolomes evasere. Cornelius Tacitus in historia augustali Adranam flumen Chattis tribuit; ipse nunc Hassorum est, servat ibi antiquum praefectura principatusque nomen. Carolus cum reliquis viribus Haeristallios in hiberna concessit, natalem servatoris nostri et paschalia ibidem ritu christiano perpetravit. Hyldebrandus dux Spoleti (urbs est Italiae) in Germaniam profectus est, Carolo deditionem facit. inde Magnus arma in Saxones movet; omnes occidentales in ditionem cogit, in ripa Visurgis castra locat, Angri-

18 correptisque *A*

10 *Rolandslied* 16 *Zum flgd. vgl. Ann. Einhardi zu 778* 31 *Annal. I, 56* 32 *Ann. Einhardi zu 779.*

BSB

varios et orientalis Saxoniae nationes ad obsequium redigit acceptaque fide et obsidibus imperatis Boromatiae hiematurus in Franciam revertitur. sequenti quoque anno cum magno exercitu Saxonum fines intrat, ad fontes Luppiae considet, quo conventum totius regni convocarat, ut facilius Saxones magis victi quam domiti in amicicia et societate continerentur. dimisso concilio, infesto intentoque exercitu ad Albim usque procedit. citeriorem ripam Saxones, ulteriorem tum Venedi sive Sclavi inhabitabant. plaerique hostium aqua caelesti lustrati sunt conpositisque rebus saxonicis atque venedis Romam voti solvendi gratia cum Hyldogarda uxore et liberis pergit. natalibus christianis rem divinam Ticini fecit, paschalibus Romae.

Obierat tum imperator Leon quartus caesar augustus Constantinopoli. uxor eius Irena cum filio Constantino quinto, cui Rudruda filia Caroli despondetur, rerum romanarum potitur. pontifex romanus Carolomanum, filium Magni, lavacro sacro abluit Pipinumque vocat. Litavicus, alter filius Caroli, in cunis Romam gestatus, rex Aquitaniae salutatur. inde Carolus Mediolanum proficiscitur, ubi filia eius Gisala fonte vivo lustratur. Carolus mense Maio, uti Francis tum solenne erat, concilium totius regni Boromatiam indicit. interfuit et Thessalonus tercius dux Boiorum, amitinus Caroli. istoc anno cruces in vestibus hominum adparuere, sanguine pluit, qui et e terra fluxisse traditur, alia quoque multa prodigia narrata sunt.

Carolus conventum regni ad fontes Luppiae rursus cogit. praesto fuere omnes Saxonum proceres praeter Vitechyndum rebellem. adparuere et legati exterarum gentium, Aldodanus et Hosomundus, Sigefridi regis Danorum et Iugurri, cacani Avarorum. de pace et amicicia actum est. francus rex rebus dispositis in Franciam revertitur Borbetomagum.

Interea Venedorum gens, Sorabes dicti, qui inter Albim et Salam considebant, ubi nunc Moesii nominantur, in fines Turogorum et Saxonum, qui erant contermini, praedandi causa ingressi, igne, direptionibus quaedam loca vastant. Vitechyndus quoque a Nordomanis, ad quos profugerat, in patriam reversus, magna spe animos Saxonum erigit, ad defectionem concitat. iam copiae Caroli ex antiqua Francia delectae cum ducibus Adalogiso, praefecto cubiculi, et Gilone magistro equitum, quem magistrum stabuli nuncupamus, cum Bolorado aulae moderatore fines Venedorum adtigerant; ubi audivere defectionem

25 et *vor* legati *fehlt B*

3 *L. c. zu 780* 14 *L. c. zu 781* 21 *vgl. oben S. 418, Z. 15 flgd.* 23 *L. c. zu 782* 25 Altdeni et Hosmundi *Regino, M. G. Scr. I, 559* 35 *Ann. Einh. l. c.*

Saxonum, in hos armati contendunt. venit his obviam Theodericus cognatus regis, qui raptim ex Ribuaria, ubi certior factus est hostem fidem datam fregisse, militem conlegerat. atque hi conmunicato consilio exploratores mittunt, ubinam gentium Saxones et quid rerum agant. consederant in aquilonis ora circum montem quendam continuum Visurgi amni. quod ubi per exploratores nostris renunciatum est, eo instructa acie tendunt. Theodericus citra cum suis castra locat; alii Visurgim traiiciunt, ut montem circumeant et in altera ripa papiliones figant. et veriti, ne titulus victoriae Theoderico adscriberetur, si eundem socium certaminis adsciscerent aut expectarent, sine illo Saxonas adgredi statuunt sine ordine. incomposito itaque agmine, solutis ordinibus, invidia caecutientes, correptis armis in Saxones ruunt, quasi ad praedam et non in acerrimum hostem in acie consistentem, sed terga vertentem; properant, quo quemque impetus equi tulit delatus. Saxones, qui pro castris in acie stabant, fortiter Franconas magis festinantes quam maturantes excipiunt et dato loco circumveniunt plaerosque interficiunt. paucissimi, qui evasere, ad castra Theoderici confugiunt. legati duo Adalogisus et Gilo cecidere; succubuere et quatuor principes, viginti nobiles, clarissimis orti natalibus, praeter caeteros, quos fama obscura recondit.

Celeriter ad Carolum huius cladis fama perlata est, qui Saxonibus recenti victoria elatis quam maturrime occurrendum putabat. quam celerrime igitur coactis copiis cum valida manu magnis in Saxoniam contendit itineribus; ad confluentes Alarae ac Visurgis castris locum capit, ibi stativa habet, Saxones subigit; proceres omnes accersit, authores perfidiae diligentissime inquirit atque tradi sine cunctatione iubet. erant numero ad quatuor millia et quingenti. omnes uno die eodem in loco iussu Magni securi percussi sunt. horum clade facta Vitechyndus caput horum malorum ab omnibus accusabatur. at ipse, ubi ventitare Carolum sensit, fuga sibi non praeter solitum consuluerat; ad Cimbros sive Danos atque Nordomanos incolomis evaserat.

His perpetratis Carolus in Franciam Theodoviam ad hiberna redit. eodem tempore naturae concedit Hyltogarda regina, pridie calendas Maii, atque adeo festi, quo Christus caelos conscendit. Carolus ubi inferias uxori dedit, in Saxoniam rursus rebellem copias ducit; cum hoste aperto Marte confligit magnaque strage eundem adficit. perpaucos hostium fuga salvavit. parta victoria Francus Padobrunnam revertitur, castra ibi ponit; maiorem exercitum, quem de Francia antiqua acci-

9 ascriberetur *B*

18 *L. c.* 20 *Vergil. Aen. V, 302* 33 *Ann. Einhardi zu 783.*

verat, operitur. ubi haec cognovit, Saxonas delectus agere, omnes, qui arma ferre possent, unum in locum Hasae flumini conterminum convenisse, hic Francorum adventum expectare atque ibi decertare constituisse, quod ubi, ut dixi, Carolus comperit, quam celerrime ad hostes properat, intrepidus toties rebelles victosque adgreditur, fundit, trucidat. eadem felicitas regem non deseruit. caesa est infinita multitudo hostium, magnus captivorum numerus abductus, ingens praeda capta. victor inde Visurgim exercitus traducit, ad Albim usque et orientales Saxonas procedit. omnibus vicis, aedificiis incensis frumentisque succensis se in fines Franciae recipit.

Hisce diebus moritur Bertha, mater Caroli, quarto idus Iulii. Carolus Borbetomagi connubio sibi iungit Fastocratam, filiam Rudolphi principis Franconiae, confectisque nuptiis ad reliquias belli saxonici persequendas animum intendit. nam non solum Saxones desciverant, sed et Frisorum partem ad sua studia armorumque societatem traxerant. rex igitur Saxoniam orientalem totam peragrat, nemini parcit, omnia usque Visurgim vastat. inluvies aquarum ob iuges pluvias orientales et septentrionales Saxonas defendebat. Carolus cum parte exercitus filium Carolum contra Bestophalos dimittit. ipse per Turogorum fines in campestria Saxoniae, quae Albi atque Salae fluminibus circumiecta sunt, devenit. depopulatis orientalium Saxonum agris ac villis et casis conbustis in Franciam redit. at occidentales Saxones iuxta Luppiam copias cogunt; cum filio regis manus conserunt. victoria penes Francos fuit. victor Carolus filius Boromatiam ad genitorem cum triumpho revertitur. nulla quies ab armis dabatur optimo principi. quemadmodum mea memoria Carolus dux Geldriae ab imperatore Maximiliano, eius liberis et nepotibus Philippo, Margarita, Carolo et Ferdinando saepius victus, tamen semper a Francigenarum rege refectus et concitatus hactenus rebellavit, sic tum Vitechyndus confisus opibus regis Danorum nullo non anno a popularibus receptus, res novas molitus est negociumque non mediocre Francis exhibuit. Carolus iniquissimo ferens animo, gentem toties a se superatam non cessare ab armis, bruma rigente Saxoniae fines hostili animo intrat; in castris super Ambronem flumen natalem servatoris et authoris nostri feriatur; ad Oceanum usque Visurgimque amnem cuncta terrarum peragrat cum milite armato et ad obsequium redigit. ab ulteriore Saxonia hiemis asperitas, pluviae crebrae prohibuere nostros. Magnus Haereburgium hibernatum concedit. eo uxorem cum liberis accersit. per se, per duces continenter agros hostium incursat, praedas inde agit, pagos vastat,

3 u. 9 *vgl. Caes. b. g. IV, 19* 11 *Ann. Einh. zu 783* 13 *Zum flgd. vgl. l. c. u. zu 784, 785* 26 *Seit 1492.*

casas exurit, cuncta incendiis et caedibus implet. tota Saxonia foedissime depopulata; conmeatus ex Francia adducti sunt.

Subsequenti anno concilium universae Franciae Maio mense Badobrunnam indicit. dimisso conventu omnes Saxoniae fines perreptat, nullo penitus iam resistente. missi deinde legati sunt, quorum princeps erat Amalovinus Franco, cuius authoritas plurimum in aula pollebat, cum Saxonibus ad Vitechundum et Adalbionem, qui in Saxonia transalbiana exulabant. ipsis gratiam Carolus faciebat, veniam praeteritorum atque oblivionem, si resipiscerent, condonabat. Vitechundus et Adalbio igitur acceptis obsidibus, quos petiverant, fideque publica interposita, ad Carolum a legatis deducuntur christianamque religionem recipiunt. ita Saxonia tota subacta aliquot annos quievit ab armisque respiravit.

Eadem tempestate Harthorhadus in Franconia cum sociis adversus regem conspiravit, quod Carolus nimium deditus uxori imperiosae saevius cum Francis ageret crudelitatique muliebri indulgens a sui ingenii benignitate innataque clementia exorbitaret. sed coniuratio detecta est indicioque regi delata, authores partim caecati, partim in exilium acti sunt. nemo vita multatus; tres dumtaxat, qui se strictis gladiis, ne conpraehenderentur, defendebant, interfecti sunt.

Cap. 4. Dum haec in Germania geruntur, Britani (qui ab Angliis ac Saxonibus Britania insula pulsi sunt et traiecto mari in ultimis Galliarum finibus Venedorum et Curiosolitarum consederant) hactenus tributarii regibus nostris, vectigal inviti pendebant, ab imposito iugo resilire conabantur, imperata detrectabant. ad horum motus conprimendos Athulphus, epularum curam habens, a rege cum exercitu missus est, qui celerius opinione audaciam perfidae gentis compescuit, acceptos obsides cum proceribus ad Carolum in Vangionum urbem deduxit. ibi in verba Caroli iuratum. Britanos eo tractu, ubi nunc nominantur, in Gallia belgica Plinius quoque recenset, adeo ut superior opinio de Britanis ab Angliis pulsis et tum demum in Gallia nominatis dubia esse videatur, quamquam utrumque verum esse possit et antea in Gallia quidem consedisse Britanos et postea ab Angliis pulsos, ab insula ad illos in Galliam concessisse.

Erat tum Italia in duos principatus divisa. quicquid ab Alpibus hinc usque Ravennam, illinc usque ad Vulturnum amnem Neapolimque late porrigebatur, praeter urbem Romam Longobardorum regnum erat. caetera Romanis et eorum imperatori parebant. pacata itaque Germania

21 *Einhardi Vita Caroli, c. 10; Ann. Einhardi zu 786* 30 *Plin. n. h. IV, 106.*

Galliaque Carolus Beneventanum ducatum Longobardici regni, ultra Romam, ubi nunc regnum Neapolitanum est, adiicere regno Italiae Longobardorumque decrevit. turpissimum sibi ac reipublicae Francorum esse arbitrabatur reliquum regni non adserere, cuius maximam partem atque caput teneret. periculosum esse videbat, tam propinquum habere ducem, qui dicto audiens non esset, neque sibi hominem ferum, bellandi cupidum obtemperaturum existimabat, quin, cum ansa praebita foret, res novas moliretur et pacem francam interturbaret. huiuscemodi rebus Carolus conmotus, maturandum sibi existimavit, ne, si Beneventani cum Graecis coniungerentur, minus facile resisti posset. itaque copiis Francorum, quam celerrime potuit, contractis, magnis itineribus acri hieme in Italiam contendit. Florentiae Tusciae ultimo Decembri feriis christianis operatus est. inde Romam maturat, ubi maximo honore exceptus est a Romanis eorumque pontifice; aliquot dies Romae versatus est.

Haeregisus dux beneventanus metu perculsus, ubi se peti tanto rerum apparatu audivit, Rumoldum filium, legatos item alios cum ingentibus donis ire iubet placatum eundem muneribus pacemque postulatum. promittebat se in potestate regis ibique, ubi praescripserit is, futurum et ea facturum, quae imperaverit. Magnus admonente pontifice romano praecavendum sibi homines fraudulenti dolos existimavit; retento itaque secum filio ducis, armatus fines ducatus beneventani ingreditur; ad Capuam, quam coepit, castra locat, inde omnem vim belli in Beneventanos conversurus. at Haeregisus Beneventum deserit, Salernum aufugit ibique se munit. nihilominus Grimoldum, alterum filium suum, ad Carolum legat, aurum, obsides offert, pacem supplex petit. unum illud orat, ut timori suo concedatur, ne in conspectum regis aut cuiusquam Franci veniat. caeterum in fide Francorum se, quoad vita suppetat, fore persancte iurat. Carolus convocato concilio suorum sententias rogat. pontifex romanus bellum persequendum censet, sed sacerdotes caeteri et amici regis, ne pauperes et agri vastarentur, sacri, prophani ad egestatem redigerentur, postulationem Haeregisi ab iusto nasci timore, veniam petenti dandam, obsides accipiendos esse et munera iudicant. adsentitur his Carolus, Haeregisum in amiciciam et societatem accipit; duodecim obsides imperat, tercium decimum Grimoldum filium esse iubet. quotannis quinque et viginti millia nummum aureorum tribut um imponit. Beneventani omnes in

32 *Am Rande in A:* 781 Carolus Romae; Pipinus fit rex Italiae; Litavicus Aquitaniae, cunis delatus Romam ab Hadriano inunctus. *[Vgl. Ann. Einh. zu 781.]*

3 *u.* 5—8 *vgl. Caes. I, 33* 8—12 *vgl. l. c. 37* 10 *Zum flgd. vergl. Ann. Einh. zu 786, 787* 27 — iurat *Einh. V. Car. 10.*

verba Caroli iurant, qui acceptis obsidibus paschalibus Romam revertitur.

Adsunt legati imperatoris romani; de concordia principum et connubio liberorum actum est. mortuo hisce diebus Haeregiso duce Beneventanis a rege filius illius Grimoldus praeficitur. eadem tempestate Romae fuisse Thessaloni tercii ducis Boiorum legatos, et quidnam actum sit, supra in tercio libro narravi nec opus est hic repetere. Carolus Ticino in Germaniam redit. Longobardorum nobilissimum quemque secum ducit in Franciamque relegat, Boromatiam conventum regni indicit. inde Boios triplici exercitu petit; pace firmata cum Boiis Angilaemos in hiberna concedit. eo in Maium mensem concilium indicit, ubi Thessalonus regulus Boiorum cum uxore et filio dignitate movetur in ordinemque captorum deminuto capite redigitur. Boiaria regi sententia procerum pontificumque adiudicatur, quae omnia supra enarravimus. at Hunni et Abares, uti Thessalono promisere, duplici agmine invadunt fines Boiorum infra Oenum amnem; utroque male pugnant et amissis multis domum cum dedecore atque maximo detrimento repulsi sunt. quam iacturam velut vindicaturi, iterum Boios maioribus longe copiis impetunt; sed in campo Iborae primo impetu a Boiis ad Danubium propelluntur; innumera caesa est multitudo; multi sibi fuga consulere et tranare Danubium conati, submersi sunt.

Dum istaec in Boiaria fiunt, Constantinus imperator Romanus suspectam habens potentiam Caroli, Theodorum Siciliae praefectum fines Beneventanorum vastare iubet. Hyldobrandus dux Spoletanus, Grimoldus, qui patri Haeregiso in ducatu Beneventano successerat, Vinogisus legatus Caroli cum Francis et Longobardis in Calabria copias imperatoris vincunt Longobardorumque regno eiiciunt; cum ingenti praeda captivorumque numero ad castra revertuntur.

Porro Carolus Reginoburgium, quod caput Boiorum est, proficiscitur. gravissimum cum Thessalono regulo Boiorum bellum fore metuebatur, citra tamen sanguinem (ait Eginardus, magister epistolarum Caroli) confectum est Boiariaque absque armis in potestatem regis Francorum devenit. erant duo sacerdotes, divus Amalobertus et Uto in Boiaria inferiore; caeteris pietate et eruditione antestabant. his Magnus et eorum synmystis templum magnifice construxit supra hostia Isarae, ubi rivus Metena, qui nomen monasterio facit, in Histrum

19 Iborae *(sic) A u. B [Annal. Lauriss. zu 788, die hier zugrunde liegen, haben:* Ibose].

7 *Vgl. oben S. 414 flgd.* 23 *Für das flgd. vgl. Ann. Lauriss. u. Einhardi zu 788* 32 *Vita Caroli, c. 11* 36 *Kloster Metten.*

defertur. illi aduc ibidem religiose coluntur. rector Francorum compositis rebus in Boiaria, limitum praesidiis conlocatis, praeside Geroldo dato, ad Aquas Graneas in hiberna concedit.

Atque Carolum Magnum, cum Reginoburgensibus tum alienis a religione nostra conflixisse, superos atque genios pugnae interfuisse, caelitus gladium Carolo demissum esse, ipsum Boios oppugnasse, sub iugum religionis christianae misisse, urbem vi cepisse, locum castrorum in templum, quod a divo Petro consecratum sit, cernentibus noctu in tenebris nescio quibus Scotis, vertisse, falsum esse confidenter existimare debemus; fabulae sunt impostorum, ad quaestum confictae, qui praedam (ut ait Hieronymus) putant religionem. nos veritatem in tercio libro supra verissime simul et copiose enarravimus. conmenta atque imperitorum deliramenta praetereo; acta, fastos, diplomata ego sequor. huiuscemodi ineptias atque naenias noctuis relinquo, quarum oculi lucem solis ferre nequeunt. huiuscemodi nebulones figmentis merisque miraculis rudes vilis plaebeculae animos oblectare et in admirationem sui rapere solent. eget enim (teste divo Hieronymo) falsitas multa operositate persuadendi, ut vera videatur. quamobrem vultures illi, cadaverum appetentissimi, vulgi indocti simplicitati nugis suis et superstitionibus imponunt pecuniaeque plagas tendunt. Reginoburgii quidem sacra quotidie fieri atque hisce a caelesti auxilio triumphoque cognomina indita esse, vulgo iactare non negaverim. ad populum phaleras; ego te intus et in cute novi; fateor et hoc et video. imperitissimorum nebulonum fabulae depictae, suspensae, trophaeis erectis, saxo literis incisae, contra publicam instrumentorum, urbis, patriae et regum authoritatem impudentissime confictae leguntur et spectantur, sed quas ipsimet, qui conmenti sunt, eradunt et quotidie emendare conantur. adeo invicta est veritas; licet tot insidiis circumventa, tamen elucet. nullum tam impudens mendacium est, quod teste careat; ingeniosissima est avaricia ad fraudes, ima summis confundit, caelum ipsum fabulasque inanes sibi servire cogit, deos infimos, medioximos, supremos stipendiarios facit. istae vulpeculae fretae credulitate vulgi imperiti, praetexunt mendacio suo religionem; dulci melle

23 *Am Rande in A:* infanda est antichristorum vanitas; talia non sine contemptu et irrisu generis sui [?] intrudunt.

4 *Die folgenden Angaben enthält das Gedicht: Karl der Grosse und die schottischen Heiligen. Aventins Polemik gilt zunächst den Regensburger Schottenmönchen, aber wohl auch Veit Arnpeck, der deren Fabeleien in seinem Chronicon Baioariorum (Pez, Thes. III, c, 105—114) wiederholte* 12 *s. oben S.* 418, 22 ad — novi *Persius, sat. III, 30.*

venena oblita propinant. ducentos ante annos, quam Carolus nasceretur, christiani fuimus. Rupertos, Ingenuinos, Columbanos, Eustasios, Haemeranos, Arionardos, Hyldulphos, Altonas, Corbinianos, Bonifacios, Billevaldas, Vergilios, Synobertos, Ariodrudas, Reginodrudas, Valdopyrgas, Thessalonos, tot sanctissimos martyres, pontifices, doctores, principes, tot sanctarum virginum, sacratorum virorum examina populariumque greges in caelum praemisimus et nondum Carolus Boiaria potiebatur, ne dicam, natus erat. isti fallaciarum fabri, mendaciorum loquacissimi male de civitate, quae non modo Boiariae, sed Germaniae magnae quoque clarissima est, peius de Boiis merentur, quorum tot cives egregios, tot maiores,. adfines, cognatos, amicos principesque optimos, monachos, sacerdotes nota impietatis perfidiaeque inurunt et de caelo ad inferos deturbant. pessime de Christo servatore nostro sentiunt, cuius vires lacessere non erubescunt, cum ei infinita millia deditiorum subtrahunt in partesque hostium trahunt. sed ad historiam revertar.

Cum esset Carolus in hibernis ad Aquas Graneas, crebri rumores ad eum afferebantur literisque item certior fiebat, omnes Sclavos antiquissimos, valentissimos atque latissimos Germaniae Magnae populos, quos Venedos Romani et Teutones nuncupant, contra se atque Francos coniurasse, Abodritorum fines incursare. hi amici erant et Saxonibus continuabantur; trans Albim in ora sinus Codani sedebant. eorum urbes Visomariam ac Megaloburgium fuisse, sunt qui tradant. sinus quidem incompertae magnitudinis ab septentrionali oceano, qua Germaniam Magnam alluit, a Favonio Eurum versus, ab Albi flumine ad Vistulam et ultra protenditur, citra rerum authores sinum Codanum, ultra Venedum nuncupant. hunc ferocissimae nationes circumsident. Dani siquidem et Suiones, quos in conmune Nordomanos franca ac Teutonum lingua, hoc est, septentrionales viros vocamus, Aquilonis litus et omnes in eo insulas complent. at australem oram tenebat Aestiorum gens, succinum ac glesum legens. deinde aliae Venedorum nationes ferocissimae (capita enumerasse sufficiat) Sorabes, Boiemi, Abodriti foederati; his continuabantur Velatabi et Vilizi; atque hi authoritate et hominum numero valebant maximeque feri inter illos habebantur. plaerisque huiuscemodi Venedis successere Saxones, qui sub Saxonum imperatoribus ad ea loca translati sunt.

18 Schlavos *A* 23 Mecaloburgium *A*

17 *Zum flgd. vgl. Ann. Lauriss. u. Einhardi zu 789; zum Wortlaut* — coniurasse *Caesar, bell. Gall. II, 1* 23 sinus — magnitudinis *Plin. nat. hist. IV, 96* 30 at — legens *Tacit. Germ. 45.*

Carolus in Agrippinensi Colonia ingentes copias ex Saxonibus, Francis, Frisiis comparat, Litavicum quoque filium regem Aquitaniae in auxilium accersit. Rhenum inde exercitus transsit, per Saxonum fines ad Albim procedit. ibi castris positis Magnus flumen duobus pontibus coniungit, quos utrimque, qua ripam contingebant, vallo, turribus ligneis, limo oblitis, firmo relicto praesidio conmunit. inde ductore Bizone Abodritorum principe, qui amici et socii erant, in Vilizorum fines devenit. agros vastat, vicos, aedificia incendit, cum Vilizis, Boiemis ferro decernit. hisque devictis caeteri Venedorum sine pugna se tradiderunt. Dragovitus, hisce coactus malis, rex Sclavorum ultro se, obsides et fidem dedit. Magnus subactis ferocissimis nationibus usque ad Vistulam amnem in Saxoniam redit.

Absolutis rebus saxonicis se in hiberna Borbetomagum recipit, ibi natalibus et paschalibus omissa armorum tempestate, posthabita rerum prophanarum bellicarumque sollicitudine et cura, sicut religiosissimi mos erat principis, caelo dumtaxat intentus, votis et suppliciis solennibus auxilium supremi numinis sibi parabat. bellicoso regi istoc anno ab armis quies data est. ipse in toga absque Marte Borbetomagi versatus, rebus civilibus operam navavit. et ne ocio torpesceret, Moeno navigat ad Salizam, praetorium id celeberrimum regum Franciae in Germania-Magna, iuxta Salam flumen extructum. inde, qua venerat, in Moeno Borbetomagum Vangionum urbem revertitur. ubi palatinae aedes nocturno incendio conflagrarunt.

Huc eodem anno venere legati Hunnorum. de confiniis, constitutione limitum duorum regnorum Boiariae et Avariae actum est. nam Hunni (quos etiam Avaros et Avares a rege quodam ita cognominatos annalium scriptores, nostri vero Abares Abarosque adpellant) Boiis contermini erant. certus notusque limes duarum gentium flumen Anassus fuit. supra ad Favonium vergens Boiaria erat, infra Hunnia, eadem et Avaria; sicut docet Eugenius secundus pontifex maximus scribens ad pontifices regni Boiariorum, nimirum ad Rathofredum Faviensem, qui nunc Viennensis, Methodium Auguturensem sive Iuliomontanum Olomontiumque, Alchovinum Nitravensem, Annonem Vetuariensem, et ad Tutundum et Moemarum regulos Moravorum, ut obtemperent Urolpho archiflamini Laureacensi, episcopo Bathavensi, pastori et parenti eorum ecclesiastico. ego vero in diplomatibus quibusdam imperatorum nostrorum, maxime Caroli Magni et eius filii

20 in Franciae *A u. B*

13 *Zum flgd. vergl. Ann. Lauriss. u. Einhardi zu 790* 31 *Eine Fälschung Piligrims v. Passau, gedruckt bei Dümmler, P. v. P., S. 115.*

Litavici Pii, quae data templis Boiariae extant, supra Caecium montem, qui Calvus est, reperio Hunniam proprie nominari, infra Avariam. nam ab illis in Hunnia Ceisomurus, Traisma, Tullina, Bachua, Spiza, Chremissa, in Avaria Litha, Circopagus, Comagenus mons, Comobergi enumerantur.

Carolus tamen Magnus in alio diplomate, quod Urolpho praesuli Aldaechii inferioris dedit, Bylachum fluvium, qui infra Melicum Danubio iungitur, Avariae tribuit. eius instrumenti inicium hoc est: ‚in nomine patris et filii et spiritus sancti. Karolus serenissimus augustus a deo coronatus, magnus, pacificus imperator, romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam dei rex Francorum et Longobardorum'. in calce subscriptum est: ‚datum 6 kal. Dec. anno Christo propicio imperii 12., regni in Francia 44., in Italia 37. actum Aquisgrani palacio regio'. at filius Magni, imperator Litavicus Pius, in tabulis, quas Raeginaerio Bathavensi episcopo consignavit, flumen Erolaphum, qui supra Melicum in Danubium profluit, Hunniae adscribit. caput eius instrumenti: ‚in nomine dei et salvatoris nostri Iesu Christi, Hludovicus divina ordinante gratia imperator augustus'. aera vero: ‚data anno dominicae incarnationis 823, indictione prima, 4 kal. Iulii, regnante domino Hludovico annos decem, feliciter, amen. actum Franchonofurd in dei nomine'. Erasmus Minzius divi Haemerani praesul ostendit mihi Reginoburgii diploma, cuius inicium: ‚in nomine sanctae et individuae trinitatis, Oto divina favente clementia imperator augustus'. refert, Voliphogangem Reginoburgensis aedis, quae divo Petro et divo Haemerano dedicata est, episcopum in Avaria, inter Erolaphum maiorem et minorem et Ibisum amnes, qui locus longo tempore desertus fuerit, colonias Boiorum deduxisse; dat his castelli construendi muniendique adversus Ugros potestatem. ‚datum pridie idus Octobris, anno Christi 979, anno regni Otonis secundi 15, imperii 9. actum Reginae'. proinde promiscue ac sine discrimine haec vocabula in conmune rerum authores usurpant, tanquam pro una gente et pro eo tractu Norici, qui infra Anassum amnem orientem spectat ad utramque Danubii ripam. possedere quidem plaeraque etiam Boii infra eum fluvium, quae mutuo metu ab Avaribus et Hunnis separabantur.

Cum itaque de limitibus Boiis et Avaris non conveniret et Avari,

13 38 *st.* 37 *B*

8 *Mon. Boic. XI, 101* 17 *M. B. XXX, a, 381; vgl. Oefele, Scr. r. Boic. I, 703* 22 *M. B. XXVIII, a, 227* 36 — perlitat, *S. 453, vgl. Ann. Einhardi zu 791; Einh. Vita Car., c. 13; Monachus Sangallensis II, 1 bei Jaffé, Bibliotheca, IV, 667 flgd. Zu der letzteren Quelle vgl. oben S. 419, Anm. zu Z. 19.*

gens efferatissima infestissimaque Boiis. templa, oppida, vicos, agros Boiorum in confiniis crudeliter depopularetur, Carolus illis bellum indicit, anno ab orbe servato septingentesimo super nonagesimum. ipsos Hunnos sive Avares Boiis, cum hi aduc multos deos colerent, societate militandi coniunctos fuisse et pulsis Romanis Noricum inter se divisisse, supra narravimus. porro Avari portionem suam novem segmentis ac circulis, quos rhingos et landoviras nuncupamus, tutandi causa cinxerant. distabant inter se huiusmodi tutelae circiter millia passuum quadraginta, unaquaeque circuitu millia passuum quinquaginta ferme amplectebatur et septa erat aggere militari sine fossa, qui murus a Varrone, a Teutonibus haga heccaque vocari solet. cuius ratio ita instituta fuit. crebri stipites truncique abiegni, querni, fagini in orbem in terra defixi erant; his item contrarii iungebantur e regione, vicenum pedum intervallo; id ubi aut silicibus constratum limove conpletum erat, cespitibus integris contegebatur. latitudo itaque huiuscemodi sepimenti extendebatur viginti pedibus, totidem altitudo eminebat. obseri solebat utrimque, intus et extra. hoc genus valli salicibus maioribus, ulmis, albis populis atque arboribus, quae putatae propagine sarciunt locum senescentium, hae enim ubi pullularunt vel maxime fructuosae sunt, sustinent sepem, frondem iucundissimam pecori atque bubus ministrant, virgas praebent sepibus, ligna foco ac furno. tam inexuperabile munimentum perangusta velut a latrocinantibus adibatur porta. intra hosce aggeres vici et villae, quantum vox humana hauritur, distabant; extra illa vero septa praedia et aedificia ita quoquo versum disposita sitaque erant, ut in unoquoque quodvis signum tuba datum in altero audiretur. proximi invicem quiritari poterant, ne procul repetendum esset mutuum auxilium. in haec tutissima, sive castra sive latibula adpellari libeat, per trecentos ferme annos omnium gentium latrones opes orbis congesserant, ipsi interim intacti omnino ab exteris populis.

Gravissimum hoc bellum secundum Saxonicum, quod unquam gessere reges Francorum, apparuit. ideo istud Carolus maiore apparatu, fortitudine et audacia gessit. unam expeditionem per se, alias per legatos, praefectos, duces et filium Pipinum fecit. octo annis magnitudine sua tractum est; incruentum pene militi nostro fuit. duo dumtaxat Francorum proceres desiderati sunt: Geroldus dux limitis Boiorum et Honoricus praefectus Foro Iulii. non extiterat in memoria hominum bellum, ubi tantum auri, argenti et divitiarum Franci comparassent. antea pauperes fuerant, bellum Hunnicum ditissimum

6 *s. S. 336, Z. 3 flgd.* 7 *Ringe und Landwehren (Verhaue).*

militem Francum reddidit. at e diverso hostium omnis nobilitas periit. plurima edita sunt praelia, multum sanguinis effusum est. omnis gloria, qua longo tempore Hunni clarissimi extiterant, extincta, gaza, thesauris, praeda omni nostri potiti sunt. terra ita ferro, caedibus, flamma adtrita, ut ne vestigium quidem regiae adpareret, nomen Avarorum, Hunnorum simul cum gente excisum evanuit.

Hisce igitur cum Carolus, ut dixi, bellum indixisset, Boromatia, ubi hiemaverat, solvit, Reginoburgium (caput Boiorum est) cum uxore Fastocrata, cum liberis et filiis Pipino atque Litavico Caroloque, cum omni aulico famulicio migrat. huc undique copias contrahit, quae utilia fore tantae expeditioni putabat, comparat; pontem navalem, quo hoc bello uteretur et flumina traiiceret, confecit; is anchoris et funibus ita cohaerebat, ut et iungeretur et dissolveretur, quemadmodum tempus postulabat. re frumentaria provisa, conmeatu undique convecto, dimissis coniuge, liberis, filio Litavico Reginoburgii, cum omnibus copiis ad Anassum Magnus proficiscitur. primis ibi castris locatis supplicatio trium dierum decreta, militi ieiunium indictum est, aeternae maiestatis perlitandae gratia, ut omnia ex sententia succederent.

Partito deinde exercitu, Theodericus, nothus Caroli, et Magofridus, cubiculi praefectus, cum Saxonibus et Frisiis in aquilonari ripa, altera parte ipse cum Franconibus et Suevis, in medio Danubio Pipinus cum Boiis ac classiariis, qui annonam devehebant, secunda aqua vectus, infesta intentaque acie, pulsis praesidiis hostium ad fines Hunnorum usque Umuntedoriphos et ad Avarorum munimenta procedunt. unum super Cambum fluvium haud procul ab urbe Chremissa septentrionem spectabat, alterum iuxta Comagenos oppidum in monte Comobergo ad austrum vergens, vallo firmissimo (uti paulo ante explicavimus) erat cinctum. fusis hostium praesidiis, huiuscemodi munimentis captis, excisis omnia ferro, igne adteruntur, cuncta caedibus et cadaveribus conplentur. caeteri Avares ubi conspicati sunt utraque ripa exercitus et medio Histro classem, terrore subito ingenti divinitus velut dono dei (sicuti eius tempestatis scriptores credi volunt) exanimati ac stupefacti fuga comparata finibus suis ultra Arrhabonem fluvium excedunt seque in solitudinem ac sylvas abdunt notasque latebras quaerunt.

Carolus incolomi milite, nemine resistente, usque ad Arrhabonem et ad confluentem eius et Danubii cum triplici exercitu castra movet. ibi aliquot dies stativa habet et, cum non essent, qui vincerentur, eam regionem, quam Marte coepit, praesidiis validis firmat. hostes vallis fixis, congestis aggeribus excludit. deinde Boiorum colonias Geroldum Boiariae praesidem deducere iubet, templa extrui imperat,

BSB

agros, prata, vineas inter praefectos, equites, monachorum magistros pontificesque Boiariae, sicut vetera testantur diplomata, distribuit; in ditione ecclesiastica Bathavensi subdit episcopo. eaque regio Austria, hoc est, orientalis Boiariae limes tum vocata, aduc nomen retinet. peculiaribus iam subdita principibus, progenitrix regum et imperatorum nostrorum. eaque pars Norici nuncupatur a Romanis Noricum Ripense, deinde Rugilandia a Rugiis, Longobardia a Longobardis, eadem Hunnia et Avaria, post orientalis Boiaria, id est, nostro sermone, Austria dicta. saepius mutatis cultoribus varia cognomina accepit. plura infra referentur.

Incruenta haec expeditio Carolo fuit; equorum iacturam fecit, nam lues in iumenta saeviit. decimus quisque equus de tot millibus aegre superstes fuit. caeterum Magnus dimissis legionibus Saxones et Frisios cum legatis Theoderico et Maegefrido per Boiemiam domos redire iubet. ipse Sabaria Reginoburgium in hiberna ad uxorem, liberos, filium Litavicum concedit ultimo Decembri paschalibusque rite more christiano perlitat. Avares ubi audivere Carolum procul abesse, ex latebris prodeunt, cum Boiis pugnam conserunt, sed victoria penes Boios fuit. hostes in traiectu Danubii intercepti, caesi, fusi, magna strage necati sunt. continenter per octo annos belligeratum est a Boiis adversus hanc gentem ferocissimam.

Sub idem tempus Irena augusta imperatorem Constantinum quintum, filium suum, a quo a gubernaculis deturbata in ordinemque redacta fuerat, capit Constantinopoli, captum luminibus privat solaque mulier habenas romani arripit imperii mordicusque tenet, pacem cum Francis exuit. eius milites Beneventanos agros foede vastant, qui ducatus olim Longobardorum, tum vero Francorum erat. rex Pipinum Litavicumque filios cum exercitu e Reginoburgio in Italiam mittit. ipsi coniunctis copiis vicere imperatorias partes Italiaeque regno, quod et Longobardorum, extrudunt.

Carolum in Boiaria eodem tempore Reginoburgiique biennio toto habitasse, eo concilium sacerdotum, rerum divinarum ecclesiasticarumque procurandi gratia eiusdem iussu congregatum fuisse reperio. Orgellorum urbs est in Pyreneis saltibus. huius episcopus Felix, consultus ab Elipando Toletano pontifice, Christum dominum deumque nostrum, quatenus is homo est, filium dei optimi maximi esse adoptivum, literis ad superiorem episcopum scriptis censebat; editis quoque libris id ratiocinatiunculis probare connitebatur. contra scita maiorum religionis nostrae in Christo servatore nostro sicuti duas naturas, ita

21 — exuit *Ekkehardi chronic. un., M. G. Scr. VI, 168* 33 *Zum flgd. vgl. Ann. Einhardi zu 792.*

duplicem personam asserebat, nimirum personam filii veri et personam filii adoptivi. quamobrem deductus in Boiariam ad Carolum, Reginoburgii in conventu celebri pontificum, quos ex omni Germania, Italia, Gallia rex convocarat, impietatis condemnatus, recantavit errorem. libri eius conbusti sunt. ipse deinde Romam missus, per Angilobertum quendam monachorum praesulem eo deductus, coram Hadriano pontifice maximo in aede divi Petri denuo herbam porrigit caeditque opinioni pestiferae.

Plaeraque (quae, si bene dicuntur, uti est apud divum Hieronymum, pura confessio est) velut impia patrum decreto explosa lego ob fraudem decipulasque nebulonum pestilentissimorum; latebat sub melle venenum. huiuscemodi namque impostorum genus fraudulentissimum, simul arrogantissimum, captiosis nominum ambiguitatibus insidiari, retia tendere mentibus hominum solet, verborum strophis simplicitati christianae eiusque professoribus quasi fatuis ac pueris inludere gestit. olere partim Nestorium, partim Arrium videtur error superior. eum enim, qui adopticius est filius, aliquando non fuisse filium, ut adoptaretur, necesse est. quemadmodum nos, cum nascimur filii irae, fimus per fidem et adoptionem filii dei. at Christus servator noster nunquam non fuit filius dei. et sicut idem divinitate est filius virginis ipsaque theotocos, hoc est, deipara vocatur, natura et nexu unionis, non adoptione, eodem pacto Christus secundum humanitatem filius dei non propter adoptionem, sed ob unitatem personae in duabus naturis. verum istaec nihil ad historiam; liceat quaedam (authore Hieronymo Romanorum doctissimo) cum Paulo ignorare et scientiae dei concedere, secreta secrete, sancta sancte tractentur. Gregorius Nazianzenus inquit: cum omnibus mysteriis silentii fides debeatur, sacris literis proditum est, perscrutator maiestatis opprimetur a gloria. proinde sanctius et reverentius est credere et suscipere, quam temere inquirere facta supremae illius maiestatis.

Quae nisi regem servasset, pessimum facinus Reginoburgii istac aestate patratum foret. adeo nihil pensi is habet, quem cupido regni per praeceps abire cogit et violare iusticiam, pietatem flocci facere impellit. non est cuiquam mortalium credibile, quae animus imperii avidus ambitioneque ebrius moliatur. erat Carolo filius naturalis, pulcher quidem facie, gibbo tamen deformis, nomine Pipinus, natu maximus. is simulata aegritudine contra parentem coniurat cum

36 pulcer *A u. B*

11 latebat — venenum *Ovid. Am. I, 8, 104* 24 *Hieron. Ep. 36, 15* 35 — transfertur *Ann. Einhardi l. c., Vita Caroli c. 20, Monachus Sangallens. bei Jaffé Bibl. IV, 683—685.*

quibusdam proceribus Francorum, quí regem uxorium esse neque se iam impotentis naturae foeminae imperia iniusta, superba, crudelia, barbara, saeva perpeti posse causabantur. consilium igitur opprimendi regis coepere Pipinumque rebus imponere antea decreverant. Magnus iam dimissis copiis conventuque ecclesiastico soluto securus sui cum paucis agebat. aula mulierculis dumtaxat referta erat, quae obsequia reginae filiabusque et liberis regis praestabant et pro officio apparebant. ea prorsus opportuna coniuratis videbantur. nocte igitur, quae praecessit diem paricidio destinatum, coniurati omnes in templum divi Petri conveniunt, obsecrandi gratia pro salute regis filiorumque se frequentes coire simulabant, verum de modo invadendi regis consultant. forte fortuna sacrificulus quidam, genere Longobardus, egenus, ipsi nomen Fardulpho erat, haud scio quamobrem, forsan ibi (ut mos gentis est) dormitarat, in angulo templi delitebat. is ubi intelligit, quantum periculum regi inmineat, propere nocte intempesta ad praetorium se proripit (id fuit in orientali urbis parte, pone coenobium divae Clarae, ubi aduc platea regia portaque, obstructa tamen, nominatur) crebris ictibus pultat fores; aegre utpote ignotus, praecipue id temporis ad regem admissus, tragoediam conspirationis detegit. mox conscii sceleris, nihil mali suspicantes, in vincula coniiciuntur. Pipinus nothus in ordinem monachorum redigitur, ad Suevos in coenobium divi Galli deportatur.

At Pipinus rex Italiae et Litavicus rex Aquitaniae, ubi audivere de coniuratione, ex Italia in Boiariam revertuntur. Saleburgii a parente excipiuntur, inde Reginoburgium cum patre divertunt; ibi aestatem, autumnum et hiemem exigunt. paucis in diebus Carolus, posteaquam indicium ad se delatum est, interrogatum de animadversionis in conscios sceleris genere, quosdam amicos ad Pipinum nothum proficisci iubet. qui hunc hortum forte repurgantem, steriles herbas eligentem, excrementa et gramina vellentem, quo seges adolescat, offendunt; statim mandata parentis aperiunt. quibus auditis, subiungit Pipinus: ‚si rex me meumque consilium sectatus fuisset, ego hac aerumna hocque crimine carerem‘ nilque aliud prorsus respondit: oratores eius dicti ambiguitatem non intelligebant; instant, urgent, ne se absque responso ad genitorem dimittat. conmotus Pipinus cum stomacho: ‚nihil opus est verbis‘, inquit; ‚herbas inutiles radicitus exstirpo, ut fruges bonae crescant. ite et renunciate regi, quae ego facio‘. illi reversi ad Carolum, superbiam Pipini accusant; nihil respondisse referunt; quae egerit, sicut ipse iusserat, narrant. Carolus

36 extirpo *A*

astutior mentem filii intellexit; continuo de caeteris coniuratis supplicium sumptum est; partim capite multati, partim in cruces acti sunt. unum, qui in Francia celsissimum sibi collem ad habitandum, unde longe lateque omnia prospiceret, delegerat, eodem in monte in altissima trabe suspendi rector Francorum iussit. index huiusce coniurationis coenobio divi Dionysii praefectus istocque praemio remuneratus est. Pipinus deinde ad Prumiam, ditissimum tum monachorum templum in agro Treverensium situm, ut lenius foret exilium, transfertur.

Cap. 5. Cum talia in Boiaria fierent, quidam regi adseverabant fieri posse, ut a Danubio in Rhenum navigaretur, si inter Rhedonessum et Alemanum, flumina Nariscorum, ubi uligo palustris erat, fossa duceretur, quae navium capax foret, in quam palustres aquae subsidentes utrimque flumini committerentur. nam Rhedonessus Babobergomi Moeno hicque Rheno Mogonciaci miscetur. Alemanus vero millia passuum octo a patria mea in Danubium profluit, iuxta oppidum Chelamorum, patriam Leonardi Aequi, qui licet claris crepundiis ortus sit, iureconsultorum facundissimus et eloquentissimorum iureconsultissimus est. fit igitur iussu regis ab maximo Boiorum, Francorum, Suevorum numero fossa lata trecentos pedes, longa millia passuum duo. totum autumni tempus in tam praeclarum opus utileque insumptum est, quod a pago Pubenaemorum ad pagum Graben, inde Visseburgium versus tendebat. sed invidit fortuna labori, qui invito coelo coeptus erat, prodigiis portentisque iram suam natura rerum ostendit. inmensi acervi frumentorum et omnis generis granorum reperti in campis, quae, si pecus gustarat, e vestigio peribat; farina inde facta sub manibus evanescebat. noctibus auditi sunt voces mugientium et lascivientium, confusi strepitus circum superiorem fossam. accedebant continui imbres in loco alioqui palustri. ideo quicquid terrae interdiu egerebatur, noctu humo relabente subsidebat. nemini mortalium fortuna perpetuo bona est.

Saxones inter haec, qui octo iam annis ab armis quasi respirandi gratia abstinuerant, deleto Theoderico cognato Caroli iuxta Visurgim cum copiis, quas per Frisiam ducebat, ab obsequio et religione Francorum deficiunt, ad avitum deorum cultum revertuntur. Saraceni quo que fines Septumanorum, quae ét Gothia, pars Galliae Narbonensis,

1 suppliciis *A u. B* 7 Prunniam *B* 10 Rhedonessam *in A durchstrichen, daneben steht:* Räzan, Raetum 13 utrique *A* 16 *In A übergeschrieben:* Echii.

9 — pervenit *vergl. Ann. Laur. u. Einhardi zu 793* 16 iureconsultorum — iureconsultissimus *vergl. p. 72, 35 u. Hieron. ep. 57, 12. L. Eck war Kanzler H. Wilhelms IV.*

ubi Rhodanus cum mare confluit, incursant, caesis limitum ducibus multisque Francorum interemptis vastata regione cum ingenti praeda incolomes domos redeunt. quamobrem Carolus Decembri Reginoburgium exit Saloveltas et ad fossam superiorem navibus per terram tractis progreditur. inde navibus in Rhaedonesso delatus in Moenum, Virzeburgium (caput est antiquae Franciae, divi Chiliani sepulchro insigne) ultimo Decembri pervenit. unde Francophoron migravit ibique reliquum hiemis exegit. huc frequentes coire pontifices Galliarum, Italiae, Germaniae imperat. adfuere romani pontificis legati Theophilactus et Stephanus episcopi. tercio ibidem condemnata est haeresis Feliciana Elipandanaque de adoptione filii dei. omnes subscripsere sacerdotes; Elipando agnoscenti errorem venia, itidem Felici data; dignitas ambobus servata. scita Graecorum de imaginibus adorandis rescissa sunt. Fastocrata regina quarto idus Augusti tum fato concessit; humata est Mogonciaci in templo divi Albani.

Carolus post haec bino exercitu Saxoniam, quam quietam octo fere annos habuerat, adoriri parat. eius filius Carolus Agrippinae Rhenum copias traducit et ab occasu Saxones invadit. Magnus per Turogorum fines ab austro in hostile solum tetendit. convenerat omnis Saxonum multitudo, omnes puberes armati quodam in loco, ubi Caroli adventum expectare et cum ipso aperto Marte confligere decreverant. Francorum imperatores, pater et filius, coniunctis copiis eo infestis signis propere castra promovent. comprobat consilium fortuna. hostes deterriti maiestate regis, et quod duobus exercitibus interceptos se esse videbant, armis abiectis satisfaciundi causa legatos ad Carolum mittunt. is cum omnes proceres ad se venire praecepisset, dicto audientes fuerunt, christianam simularunt religionem fidemque regi dederunt.

Magnus hisce peractis in hiberna ad Aquas Graneas exercitum deducit. cumque compertum haberet Saxonum ferocissimam gentem non facile in officio contineri et temere arma resumere, ex usu reipublicae fore putavit ad eorum fines quam proxime accedere. ex hibernis igitur mature prodit ac se Mogonciacum confert; ibi traiecto Rheno e regione urbis in pago Cuphostono in ripa Moeni amnis conventum totius regni vernum (uti tum solenne Francis erat) agit mense Maio. inde in Saxoniam arma promovet; ad Albim flumen castra facit. Bizo Abroditorum (Megaloburgensem ducatum esse quidam tradunt) regulus, dum ad regem contendit, in traiectu Albis fluvii a

7 — deducit *l. c. zu 794* 14 *Tagesangabe nach dem Mainzer Epitaph oder aus Ann. Fuld. ant., M. G. Scr. III, 117*?* 31 — petit *l. c. zu 795* 33 Cuffinstang *Ann. Lauriss.*; Cuffesstein *Ann. Einh. [Kostheim].*

Saxonibus interceptus interficitur. Zotan, Thuduni maximi Avarorum rectoris orator, deditionem gentis Carolo facit, in philosophia christiana institui et imbui petit. hoc anno, qui fuit christianae salutis septingentesimus quintusque nonagesimus, Atto Fruxinensis episcopus Maeginardum Tigurinorum monachorum praesulem ob quatuordecim decimas interceptas in ius trahit ad regem. dictus utrique dies in contubernium Tigurini lacus; Arno Saleburgensis episcopus et Elleno-dus primarius sacerdos iudices a Carolo dati, cognita causa, iussere monachos templa decimasque suo pontifici reddere. porro Magnus graviter adflictis Saxonibus, qui conscii caedis erant, accepto maiore obsidum numero, in Franciam remigrat, in urbem inferioris Germaniae, quam Aquas Graneas nuncupant et ubi imperatores nostri sacro oleo inungi solent.

Eadem tempestate Hadrianus episcopus urbis romanae decessit terrasque cum vita reliquit. Leo tercius genere Romanus in demortui locum communi sacerdotum populique romani suffragio cooptatur. is continuo legatos ad regem nostrum proficisci iubet; eidem claves sacras, insigne pontificiae dignitatis, et aquilam, signum sacrosancti romani imperii urbisque terrarum dominae mittit; se et Romam caput mundi in eius fidem conmendat postulatque, ut aliqui vicissim Romam legentur, qui populi romani fidem sacramento Carolo astringant. missus est Angilobertus praesul divi Richarii.

Interea Pipinus filius cum Boiis, Bonomarus Venedus tribunus Honorici, quem rex Foro Iulii praefecerat, iunctis copiis arma in Avaros, qui ultra Arrhabonem ad eurum vergebant et inter se quoque tumultuabantur ac civili bello dissidebant, promovent. Iringus et Iugurro cacani, hoc est Hunnorum reguli, interempti sunt, rhingus, praetorium eorum et caput Abarum munitissimum, ubi gaza regia, captum, direptum, solo aequatum est. Thudunus rex Avarum, uti superiore anno pollicitus erat, se nobis dedit cum magno popularium numero et ingenti thesauro, ad Carolum ire iussus, caelesti lavacro cum omnibus lustratus est amplissimeque acceptis muneribus, in Hunniam infra Arrhabonem remittitur. paulo post tamen fidem frangit, sed statim a Pipino et Boiis, qui firmis praesidiis provinciam tenebant, pugna interficitur. is Thudunus ultra Danubium in ea regione, quam Ptolemaeus Iazigas habitare tradit, supra Tibiscum amnem occidentem versus regnavit; eius regionis caput Bormanon, praetorium Thuduni, qui et ibidem sepultus est, haud ita procul ab Agria.

1 *Am Rande in A:* In epistola Eugenii 2. fit quoque mentio Tudun *[vgl. Jaffé, Reg. pont. Nr. 1946].*

1 Zodan *Ann. Einh. zu 803* 4 — reddere *vgl. Mon. Boic. VI, 151* 9 — recipit *vgl. Ann. Laur. u. Einh. zu 795, 796* 35 *Ptol. p. 204, 205.*

BSB

Avares, qui reliqui erant, rursus vires reparant, Chaiam quendam regem creant. qui postquam videt copiis hostium se clausum, neque fugae neque praesidii ullam spem fore, optimum factu ratus aut vincere aut succumbere, statuit fortunam belli tentare atque quam primum cum Pipino et Geroldo praeside pugnis contendere. animis igitur suorum ad praelium concitatis erectisque in aciem procedit. nec nostri certamen detrectant. acriter utrimque et diu ancipiti praelio conflictatum est. Hunni tandem amisso rege terga vertunt. victor Pipinus et Boii omnia ab Arrhabone et Peisone sive lacu Oedenburgensi usque ad Dravi fluenta et ad eiusdem atque Histri confluentes vi et armis subigunt; cuncta in ditionem et obsequium cogunt, resistentes caedunt, Avaros fugientes, qui se tradere recusabant, ultra flumen Tissam submovent, reliquias in fidem accipiunt, firmissimis valentissimisque Boiorum Venedorumque praesidiis provinciam muniunt.

At Carolus vastata eodem anno Saxonia ad Aquas Graneas solito more hiematum revertitur. quo et Pipinus victor ex Avaria Boiariaque cum ingenti thesauro et praeda se recipit. huc quoque Zatunus ex Hispania venit. Barcinen in limite Hispanico, coloniam quondam Romanorum Faventiam nomine, dedit Carolo (quam alii Barcinonam, vulgo sunt qui Barcilonam vocitent, Pomponio Melae et Claudio Ptolemaeo Barchino est). Litavicus inde filius Caroli cum exercitu in Hispaniam contendit, Oscam urbem, cuius Ptolemaeus meminit, obsidet ac capit, multa praeclara ibi gerit. Pipinus quoque in Boiariam atque Hunniam revertitur. ipse Carolus cum navibus maximis per terram tractis in Saxoniam proficiscitur; omnes recessus, omnes angulos perreptat, paludes, invia loca, saltus, flumina usque ad oceani oram superat atque penetrat. omnes Saxonum nationes ad obsequium officiumque cogit. inde ad Aquas Graneas redit, ut legatos exterarum gentium audiret, qui ibi eius adventum operiri nunciabantur.

Inter quos erat Abdella Saracenus, filius Ibinomaugae regis, a fratre regno pulsus et profugus, a rege opem poscens; Theoctistus etiam, Nicetae Siciliam tum auspicio romani imperii procurantis legatus, cum literis Irenae augustae, quae filium, ut dixi, excaecarat, adfuit. auditis igitur legationibus rebusque omnibus compositis Carolus mense Novembri hiemandi causa cum copiis in Saxoniam contendit, ad Visurgim amnem castris, simul urbi condendae locum capit iubetque nuncupari Haerestallum, quod est Franca ac Teutonum lingua exer-

9 Oedoburgensi *A*

1 *Kagan (so Ann. Lauriss.) ist Titel, nicht Name* 17 — concelebravit *l. c. zu 797* 20 *Mel. II, 90; Ptol. p. 120* 22 *Ptol. p. 131.*

cituum statio sive stativa atque stabulum. revocat eo ad se ex Hispania Litavicum filium, Pipinum ex Italia. ibi Avari quoque ac Hunni cum muneribus adparent. inde Abdella Saracenus cum filio Litavico in Hispaniam mittitur; parebat Hispania citerior Francis Germanoque regi usque ad Iberum amnem, quempropter universas Hispanias Graeci adpellarunt Iberiam. Pipinus ad Boiariae orientalem limitem et postea in Italiam perrexit. Magnus totam hiemem ad domitandam ferocissimam gentem in Saxonia iisdem castris resedit; ibi natalem et triumphum servatoris nostri, sacris ritu christiano perpetratis, concelebravit.

Hisce diebus Callecorum, id est, Galleciae et Asturum rex Haldefonsus nomine per Florum legatum suum papilione praeciosae artis, antea apud nos incognito, regem Germanum donat. Saxonum quoque natio quaedam trans Albim sedem tenens (Nordolites, hoc est aquilonares populos nuncupant) consultos Caroli, iuri dicundo intentos, tumultu conmoto in vincula coniiciunt, quosdam occidunt, quosdam tanquam salutis pignora, quibus connitentibus facilius veniam conmissorum impetrarent, servant. reliqui fugam ad Carolum in castra capessunt. qui continuo motis castris Haeristallo in desertores bellum et arma convertit. nil intactum ferro et igni citra Albim relinquit; ultra Trasacho Venedorum Abrotridarum regulus, Heborisus Magni legatus Nordolitos invadunt, caedunt, fundunt, millia hostium quatuor trucidant; caeteri obsides nobilissimi cuiusque liberos ultro offerunt, pacem supplices petunt et impetrant.

Hisce rebus confectis rex Francus ad Aquas Graneas se recipit. legatos Irenae augustae (cuius filius imperator Constantinus quintus ex vulnere mortem iam obierat) Michaelem Phrygiae praesidem patricium et Theophilum a sacris audit, epistolam legit et pacem ac amiciciam, ut petebatur, cum augusta romanarum rerum gubernatrice ex veteri more confirmat. Sisinnium etiam fratrem Tharasii Neorhomae episcopi captum pridem in Italia diusculeque apud se captivum detentum libere redire in patriam permittit. insulas Baleares, quas Maioricas Minoricasque vocant, Mauri et Saraceni foede crudeliterque depopulantur. insulani oratores opem postulatum ad Carolum in Franciam proficisci iubent. Haldefonsus rex, cuius iam supra mentionem fecimus, Ulisypponem, quam nos Lisbonam, maximum Europae emporium, quo Indiae, austri atque orientis merces convehuntur, Saracenorum tum caput, coepit, diripuit. septem mulos, totidem Mauros

25 confectus *A u. B* 36 Ulissypponem *A* Lisibonam *A*
11 — mittit *vergl. Ann. Laur. u. Einh. zu 798.*

BSB

captivos et loricas ad Aquas Graneas, dono regi nostro gratificandi causa per Froiam et Basiliscum amicos suos mittit.

Magnus duodecim proceres iuris divini prudentes in Italiam Romamque legat, qui controversias cognoscant, supplices audiant, causas absolvant, lites dirimant iusque dicant. illorum principes erant Paulinus Aquileiae, Arno Saleburgensis pontifex. cumque eo tempore Valdoricus archimystes Laureacensis, qui et Bathavensis episcopus, vita defunctus et (sicut Agapetus secundus pontifex maximus Geroldo secundo Bathavensi episcopo literis refert) Boiorum regnum apostolico vicario orbatum esset, Leo pontifex romanus iussu Caroli Arnonem Iuvavensem eiusque successores perpetuo archiflamines posthac fore Boiariae sanxit, pallio christiani philosophi insigni decoravit. ita archiepiscopus de Bathavia Laureacoque, ubi a primordio christianismi hactenus sedem tenuerat, Iuvaviam anno restitutae salutis septingentesimo nonagesimo octavo translatus est, ubi aduc existit. verum maximum inde discordiae incendium paucis post annis inter hosce sacerdotes suscitatum exarsit, quod vix per romanos pontifices et imperatores, non sine ruina et detrimento Boiariae extinctum est.

Anno subsequenti Romae tumultuatum est, ubi solenne est in demortui episcopi amicos saevire, itidem vicissim hosce invidere successori. cognati Hadriani Leonem pontificem criminantur scelerumque scaena insimulant et excitata vulgi mobilis turba eundem in supplicatione septimo calendas Maii capiunt, genas novacula incidunt et in divi Erasmi monasterio in cathenas coniiciunt. verum Leo Albini cubicularii ope liberatus, noctu per moenia dimissus ad Virundum praesulem et Vinogisum Spoletanorum ducem legatos Caroli, qui tum forte ad templum divi Petri diverterant, fuga evasit.

Inter haec Carolus more solito ex hibernis in Saxoniam cum copiis transsitum facit, Badobrunnae, quo concilium regni indixerat et Litavicum filium ex Aquitania evocarat, considet. Carolum filium cum parte exercitus circumire Saxoniam et ad Albim ad conventus Saxonum Venedorumque agendos progredi iubet. at episcopus romanus cum urbis senatoribus amplius ducentis in Boiariam venit Reginoburgium, ubi aduc templa monstrantur, quae tum dicarit. inde per Nariscos Noreiobergamque in Saxoniam ad Magnum contendit. pontifex senatusque Romanus Magnum Romam invitant; nunquam a malis hominibus quietum fore caput mundi conqueruntur, nisi Carolus, urbis

9 *Boczek, Cod. dipl. Moraviae, I, 83* 10 *Bulle von 798; Zahn, U. B. v. Steiermark, I, 1* 19 — succubuit *vergl. Ann. Laur. u. Einh. zu 799* 34 *Wohl Verwechselung mit Papst Leo IX.*

aeternae consul et tribunus perpetuus, praesens operam det, ne quid ipsa detrimenti capiat, et authoritate sua statum reipublicae componat. in foemina nullum praesidium fore, quae rebus romanis incubaret; tantum imperium capite orbum esse. rex benigne respondit; se quamprimum per hostes liceat fieri, Romam profecturum pollicetur. pontificem et patres conscriptos mandato eius Hyldevalda archiflamen palatinus et Arno archiepiscopus Saliburgensis per Boiorum rursus fines in Italiam domum deducunt Romamque restituunt. Magnus Badobrunnae adventum filii operitur, qui, cum compositis rebus Saxonicis Venedicisque ad parentem rediisset, imperator Francorum, comitatus duobus filiis regibus, ad Aquas Graneas cum copiis se recipit; ibi Danielem legatum Michaelis Siciliae praefecti augustaeque audivit atque absolvit.

Eadem tempestate Avarorum fortissima natio magis victa quam domita et tot antea triumphis clarissima ab imposito resilit iugo, desciscit ab imperio Francorum; gens bellandi cupida hactenus leges dare, non accipere, nemini parere, sed aliis imperare consueverat. armis igitur correptis contractisque suorum copiis confligere cum nostris decernunt. eo tumultu Geroldus signifer et intimus Magni, Boiariae praeses, frater Hylderici reguli Suevorum et Hyldegardae reginae, quae fuerat uxor prima Caroli, dum aciem instruit cum Hunnis desertoribus pugnaturus ac obequitans strenuissimum quemque nominatim hortatur in perfugas, incertum a quo missa sagitta cum duobus comitibus interfectus est. Honoricus quoque, quem rex Venetiae et Histriae praefecerat, insidiis hostium succubuit. Geroldi cadaver in Richaviam Sueviae monasterium, quod ipse multum collocupletarat, defertur ibique humatur et pro martyre colitur (ita apud Strabonem nostrum lego). Arno archimystes Iuvavensis, qui iam ex Italia redierat, et Pipinus filius Magni, iussu regis cum exercitu in orientalem Boiariae limitem quam maturrime infesta intentaque acie contendunt, Hunnos ac Avares ulciscuntur, gentem excindunt, nomen delent et reiectis Avaribus fines Boiariae usque ad Dravi fluenta promovent; ibi colonias Boiorum Venedorumque deducunt. caepere itaque in eo tractu, unde Hunni extrusi fuerant, multiplicari Boii atque Venedi,

20 *Am Rande in A:* Hyldericus tempore Caroli Magni Alemanorum rex 33 cepere *B*

14 magis — domita *Flor. 119, 1* 19 — succubuit *vergl. Einh. vit. Car. 13 u. oben p. 418, 11* 27 *Walafridis Strabonis Visio Wettini; Canisius, Lect. ant. ed. Basnage, II, b, 218* 28 — Iuvavensibus *vergl. Conversio Bagoarior., M. G. Scr. XI, 9—11.*

qui aduc ibi mixti Ugris habitant. atque is Boiariae orientalis limes firmis praesidiis utriusque gentis munitur. Boiorum praefecti fuere Goteramus, Vaeronero, Albericus et Godofridus. sed Venedorum ex ipsis rectores fuere Prebissolaus, Cemicas, Stomarus, Otogerion. post hos duces et huiusmodi Venedorum natio et qui inter fontes Savi Dravique consident, cum finitimis gentibus Boiariae nobilitati conmissa est. porro in rebus divinis religioneque procurandis eam omnem provinciam a Dravo flumine Anassum versus, unde Hunnos et Avares exactos diximus, Arnoni pontifici Iuvavensi eiusque successoribus perpetuo addixit Carolus. idcirco ab Arnone rex sacrificulus creatur Theodericus, qui in ista nuper parta regione templa quidem dedicet, sacerdotes cooptet, populum instituat, rerum caelestium curam gerat, ritus colendi summum deum eiusque voluntatem condoceat, verum ipse tamen subditus sit et pareat pontificibus Iuvavensibus.

Confectum itaque est octavo tandem anno bellum Avarorum, quod et Hunnorum adpellant, non sine magno (ut verbis divi Litavici Pii caesaris augusti, filii Magni, quae refert Raeginaerio Bathavensi episcopo, utar) praeliorum labore Boiariaeque regnum usque ad Dravum flumen eiusque hostia prolatatum est. unde ea regio Osterricha Austriaque, id est orientale Boiorum regnum ac limes posthac cognominata est. cuius pars etiam nunc supra Litham flumen ad occiduum solem vergens teutonice Osterricha et facto nomine Austria latine vocari solet, peculiaribus subdita principibus, qui iam diu romano potiuntur imperio. infra Litham nunc pars Ungariae est. divus enim Honoricus secundus caesar augustus, regulus Boiorum tercius, Stephano regi, Gisalae sororis suae marito, quo facilius gens effera religionem nostram reciperet, quasdam urbes Boiorum regnique Boiariae, quae infra Litham sitae sunt, quasi dotis nomine tradidisse legitur, nempe Pisonium, Vratissolaoburgium, Sempronium, Oedoburgium et alia huiusmodi oppida; alioqui ipsi Ugri in principio quoque regnum Boiariae invaserant ibique sedes locarant. istaec omnia ex vetustis imperatorum et pontificum nostrorum diplomatibus et epistolis excepimus, maxime divi Pilegrimi Laureacensis archimystae et imperatoris Otonis secundi. complura in subsequentia relego volumina, ubi conmodior fuerit narrandi locus.

Sub idem tempus insulae Baleares in Hispanico mari sitae, im-

3 ex Venedorum ex ipsis *A* 5 huiuscemodi *A* 31 ipsi *fehlt B*

17 *Unächte Urk. v. 28. Juni 823 bei Oefele, Scr. rer. Boic. I, 703* 36 — Romae hiemavit *vgl. Ann. Laur. u. Einh. zu 799 u. 800.*

BSB

petrato et recepto abs rege nostro praesidio, a Maurorum incursatione defensae et liberatae; signa adempta hostibus in certamine Carolo exhibita sunt. Vido quoque dux limitis Britanici Britanorum totam regionem, quae nova moliebatur et rebelles sumpserat spiritus, in ditionem cogit; arma ducum inscripta ipsorum nominibus regi ad Aquas Gráneas mittit. ubi adfuit cum sacris plaerisque orator ab Hierosolymitano patriarcha et Azanus Oscae urbis Hispaniae praefectus claves oppidi et munera regi Franco misit. qui anno ab orbe restituto octingentesimo hibernis ad Aquas Graneas peractis et Palestino legato absoluto ac Zacharia a sacris cum magno pecuniarum, quae egenis et pauperibus distribuerentur, numero Hierosolyma misso, mense Martio Aquis Graneis exit. progressus omnem oceani Gallici oram perlustrando percurrit, classes adversus Nordomanos instituit. hi piraticam exercebant Gallicumque litus infestum reddebant. paschalibus deinde rem divinam in coenobio divi Richarii facit. inde iterum litus oceani peragrando Rhotomagum pervenit. ibi Sequana amne transmisso, comprecandi gratia ad divum Martinum in urbem Turonum pergit. ubi aliquot dies conmoratur ob adversam Litogardae coniugis suae valetudinem, quae pridie nonas Iunii defuncta ibidem humatur. post haec Magnus per agrum Aurelianorum atque Luthetiam Parisiorum ad Aquas Graneas revertitur pridie nonas Iulii. item septimo idus eiusdem mensis contra aestatis naturam proprietatemque pruina ex rore gelidissimo genita fuit, citra iniuriam tamen praeterque damnum frugum et arvorum, alioquin perniciosior, ut quae lapsa persidet gelatque, ne aura quidem ulla omnino depellitur, quia non fit Aristoteli (quod et experimur quotannis) nisi inmoto aere et sereno.

Mense Augusto Mogonciaci rector Germanus totius regni conventum delectumque agit, exercitum lustrat, profectionem in Italiam Romamque parat. ad se Litavicum filium ex Aquitania evocat, sed rursus missis obviam nunciis, ne quid absentibus regibus in limite occiduo turbae excitaretur, domum redire iubet. filius interim in Hispaniam usque Oscam urbem vi et armis penetravit. parens vero cum aliis filiis, Pipino et Carolo Mogonciaco profectus, Ravennam pervenit. ibi septem dies conmoratus, Anconam transsitum facit. ibi dimisso Pipino et in Beneventum Campaniamque partem exercitus ducere iusso, cum altero filio Carolo Romam versus iter facit. cui pridie, quam eo venit, duodecimo ab urbe lapide ad Nomentum oppidum Leo

7 Ostae *B*

25 *Aristot. Meteor. I, 10* 36 *Zum flgd. vergl. auch Vita Leonis III. papae; Muratori, Script. rer. Ital. III, a, 198, 199.*

primarius sacerdos urbis, senatores occurrunt venientemque regem nullo non honoris genere adhibito, uti gentis mos est, excipiunt. ipsi vicissim regio convivio accipiuntur. posteaquam mensae epulaeque remotae, eodem die pontifex Romam praecedit; postridie eius diei summus sacerdos per vicos, regiones, per omnia loca, qua iter foret, subornat non solum civium, sed peregrinorum quoque choros, qui advenienti regi laudes dicant, virtutes triumphosque eius canant et romano more faustis adclamationibus prosequantur; parietes, pavimenta, solum omne auro, ostro, tapetibus contegi atque insterni iubet. ipse cum episcoporum, flaminum, sacerdotum, sacrificulorum cohortibus cumque praesulum et monachorum gregibus ante fores aedis divi Petri adventum Magni praestolatur. porro Martia Roma triplex equitatu, plaebe, senatu populus equitesque patresque certatim obviam procedunt. urbis aeternae signa sacra, divinas effigies, sacrorum geruli progerunt; passim plateae, regiones, fora, templa occupantur; pueri, puellae, foeminae gratulantes tanto hospiti obviam exeunt. exceptus itaque est Caroli adventus octavo calendas Decembris, nunc pridie divae Catharinae ferias, incredibili honore atque amore. nihil relinquebatur, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorum omnium, qua rex iturus erat, excogitari posset; cum liberis omnis multitudo procedebat.

Carolus expectatissimus tanta magnificentia opulentorum et cupiditate humiliorum ad fanum divi Petri iter capessit hicque equo descendens a pontifice maximo curiaque mystarum et sacerdotum ceremonia rituque solenni reverenter excipitur. summus sacerdos de literis, de libro fausta, laeta praefatus et lustricis supplicamentis bene praecatus, cuncta prospera principi magno ominatur. ipsum in templum, sacricolis divina carmina perstrepentibus et populo, quod felix, bonum siet, adclamante, deducit. gratiae deinde superis actae gratesque habitae deo optimo maximo; per omnium fanorum pulvinaria supplicatum est. at Carolus septem diebus Romae consumptis in aedem divi Petri concionem advocat, causas adventus sui aperit ostenditque sibi placere de controversiis iure apud se potius quam inter se armis disceptare. nihil sibi charius, antiquius esse refert, quam ut sua opera urbs, terrarum dea, cuius consul et patricius ac dictator perpetuus sit, pristinam recuperet maiestatem bonaque concordiae colat, discordiae mala, quibus huccine imbecillitatis pessundata sit, eradicet atque pastorem animorum divinitus datum ut nuncium supremae maiestatis veneretur et observet; quo religionis nostrae divinaeque sapientiae antistes mundum pascat caelesti pabulo absque impedimento et fretus tranquillitate summa ac securus oves ad ovile aeternum per virtutum calles dedu-

cat. proinde si quid perperam actum est (inquit), iure licebit, agatur, testibus comprobetur; nos iudicium reddemus iusque dicemus. turpe est in ea urbe, quae orbis domina et legum parens est, quicquam temere per tumultum et seditionem, quemadmodum apud barbaros fieri solet, conmitti. sapienti et prudenti viro omnia patienda sunt, quoad spes sibi aliqua relinquitur, iure potius disceptandi quam belli gerendi aut tumultus excitandi.

Post haec episcopus romanus, in quem nefanda crimina improbi quidam confinxerant, adparet, legitime et sub iudice Carolo de sceleribus sibi obiectis sese purgaturus et iure disceptaturus cum accusatoribus rationemque omnium actorum redditurus. cum autem nemo omnium praesto esset, qui negocium pontifici exhiberet aut accusationem intenderet, pontifex maximus huiuscemodi verba (sicut extant in bibliothecis et pars in iure pontificio refertur) fecit: ‚audistis, opinor, fratres, nempe longe lateque per conplures regiones fama divulgatum est, quas turbas quidam pessimi mortalium adversus me concitarint atque ut me sugillare conati fuerint et gravissimis criminibus falso insimularint. ob quod negocium cognoscendum iste clementissimus ac inlustrissimus princeps et dominus rex Carolus cum sacerdotibus et purpuratis suis hancce urbem accessit et celebre concilium in augustissimam orbis terrarum aedem congregari iussit. atque hic locus, hic dies ac conventus huic rei constitutus est, ubi ego a nemine iudicatus nec coactus, sed ultro ac sponte volensque praesto sum in conspectu vestro. coram deo, cui patemus et cuius oculis conscientia nostra pervia est, coram divo Petro, in cuius templo consistimus, coram omnibus denique superis, a quibus desuper quasi in theatro omnibus momentis spectamur, meme iuramenti sacramento de sceleribus falso mihi ab improbis obiectis expedio persancteque deiero nihil mihi conscium esse eaque facinora, quae in me falso conficta sunt, neque conmisisse neque iussisse. aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem, sanctius quam iusiurandum id pollicerer, nos insonteis esse. testis est deus, qui omnia scit, in cuius conspectu vivimus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum, qui et iudex et testis ipse futurus, cui rationem vitae exposcenti actus suos inficiari non licebit. atque istaec facio, ut imperitos errore, me suspicione exolvam, non quod ius fasque siet aut quo necessitatem cuiquam actuum suorum rationis reddendae cuilibet sycophantae imponam. lege naturae iureque civili sancitum est, actori incumbere probationem et accusatore non probante, nedum nusquam gentium quopiam, qui accuset, existente reum absolvi oportere‘.

14 *Mon. Germ. Leg. II, 15.*

Eodem die Zacharias, domesticus sacerdos Caroli, et duo monachi, legati pontificis Hierosolymitani, Romam ad regem veniunt et adferunt claves et hastam, signa urbis et monumentorum Christi authoris et servatoris nostri, quae honoris et boni ominis causa missa Carolo, ipsi omnia patescere subdique cuncta significabant. monachos aliquot menses secum detinuit Magnus; Aprili demum eos amplissime remuneratos domum dimisit; ipse Romae hiemavit. incubabat per idem tempus romano imperio foemina; adeo virtus italica Romaque victorque gentium populus, rerum domini, degenerarant. per trecentos amplius annos imperatores omnes neglecta Roma, sacrario imperii augustorumque parente, apud Graecos Constantinopoli consederant nec unquam Romam accesserant, occidentis principes titulotenus vocabantur, quo fere Carolus, inclytus iusticia virtutibusque regiis ad unguem praeditus, bene de republica romana et religione meritus potiebatur. eius maiores popularesque, Germani, gens simplex, aperta, fidei patientior, libertatis avida, armorum studiosa, Europam, Africam imperatoribus romanis aduc invalidiores abstulerant, Romam saepius coeperant, vastarant, diripuerant tum, cum florentissima potentissimis domicilium esset augustis. hisce causis permoti, pontifex, senatus populusque romanus, etiam offerendum ultro rati, quod forsitan omissuri erant, imperium transferre iure sud in Germanos Carolumque tacito senatus consulto plaebisscitoque decernunt.

Cum igitur octavo calendas Ianuarii, augustissimo christianorum festo, rector Francorum Magnus in templo divi Petri ad aram, quo se supplicandi gratia inclinarat, consisteret, eius capiti, dum nihil minus speraret, pontifex maximus diadema caesareum imponit, cuncto populo romano adclamante (quae consuetudo Italiae est): ‚Carolo, augusto a deo coronato, magno et pacifico imperatori Romanorum vita et victoria'. posthaec ab eodem pontifice ut caeteri veterum principum more maiorum adoratus est Magnus, subsequentibus aliis; statuae eius ante aram divi Petri conlocatae; praetereuntes capite adoperto genua submittebant. statuas enim et imagines imperatorum adorari solitas refert divus Hieronymus. adorare autem longe aliud, ac vulgus putat grammaticorum, valet. nec ab ore compositum est estque praestare honorem magis corporis gestu quam aut animo aut verbis. agere enim veteribus significabat teste Festo, et iuxta Marcellum ab ador, id est farre, venit, sive adorea, quod gloriam significat. gloriam ipsam a

15 — patientior *Tac. H. III, 5* 23 — subsequentibus aliis *vergl. Ann. Laur. u. Einh. zu 801* 33 *Hieron. comm. in Dan. 3* 36 *Fest. p. 19 M* et — adhibebant *Fest. p. 3.*

farris honore veteres Romani adoream adpellabant; nam ador atque far epulis et inmolationibus sacris adhibebant. varius vero adorandi mos apud diversas nationes fuit. Persae in humum corpora sternebant mentoque osculove solum contingebant, quemadmodum monachos quosdam facere vidi. Romae capite velato adorantes circumvertebant se, deinde procumbebant. antiquiores in adorando dextras ad osculum referebant totumque corpus circumagebant, quod in levam fecisse Galliae religiosius credebant. solum nunc pontificem romanum accidendo eius pedibus hosque osculando adoramus, caeteris principibus adoperto capite, poplite flexo dumtaxat inclinamur et porrigentes dextram, aut si quid aliud ad osculum prius referimus.

Sed ad Carolum revertor. qui abdicato patricii nomine, quo antea usus est, imperator et augustus Romanorum adpellatus est. de hac re ita Hadrianus quartus pontifex maximus in epistola, quam supra in tercio libro citavi, ad archiepiscopos Germaniae hisce refert verbis: ‚ipsum teutonicum regnum dum esset minimum omnium regnorum, abs romano pontifice promeruit, ut vocaretur et esset regnum Romanorum et caput omnium regnorum. ideo imperium a regno Graecorum translatum est in Alemanos, ut rex Teutonicorum non ante, quam a pontifice romano consecraretur, imperator vocaretur et esset augustus. pontifex romanus promovit Carolum, fecit ei nomen grande, ut esset imperator et ut ab eo usque tempore posthac perpetuo rex Teutonicorum foret imperator et patronus saedis apostolicae'. in pontificalibus decretis scriptum quoque legimus, imperium romanum a Graecis translatum esse ad Germanos per Carolum Magnum. potiti sumus Roma annos septingentos undeviginti; a Carolo enim Magno usque in saeculum nostrum tot numerantur anni. quibus partim inertia caesarum ignaviaque principum, partim, si dicere fas est, factione romanorum flaminum quasi consenuit atque decoxit tantum imperium, nisi quod sub Carolo maximo moturum lacertos speratur, sub quo utinam senectus reipublicae christianae quasi reddita iuventute revirescat.

Cap. 6. Quis non, deus bone, obstupescat, qui tantam rerum vicissitudinem considerarit? terrarum domina potiuntur Germani, gens infestissima quondam romano nomini et perpetui Italiae vel ex professo hostes, quos Romani barbaros, infami apud se cognomine, vocitare solent tamque barbariei obnoxios fuisse referunt, ut pacem non

37 tanque *A*

14 *Fälschung; Pertz, Archiv IV, 431; vgl. oben S. 394, 7.*

intelligerent. adpellabant olim et Romanos Graeci barbaros. at nunc Tiberis in Rhenum Danubiumque fluxit. nostro aevo Apollinem cum Musis Heliconem Parnassumque deseruisse et amoenos Hercyniae saltus occupasse videmus. migravit Graecia in Germaniam. Epicurus haec casui fortunaeque tribuit, Stoici fato, astrorum periti syderum conversioni fluxuique astrorum adscribunt, nos maiestati aeternae, cui cuncta accepta fieri oportet. breves et mutabiles vices rerum sunt. deus optimus maximus ita ordinavit, ut romanum imperium, quod secundo cursu per mille et centum annos ad summum fastigium evexerat adeo, ut aeternum ac firmum fore putaretur, deinde varietate fortunae iactatum, magno motu concuteret ac quadringentos annos Constantinopoli adfligeret et demum in Germaniam transferret. nos admonet pater indulgentissimus huiuscemodi rerum florentissimarum casu et ruina fragilitatis humanae, cuius nimia in rebus prosperis est oblivio. non forte casuque rectores terris dantur, sed divinitus a supremo numine constituuntur. neque occulta fatorum potestate principes hominibus imponuntur, abs deo optimo maximo, sicuti divus Paulus, christianae philosophiae antesignanus, docet, eliguntur. virtutis ergo Germani Carolusque aucti sunt iure Quiritium.

Ipse Carolus natali Christi servatoris nostri dona dei fecit auri puti purique pondo quingenta. item calendis octavoque idus Ianuarii, quos festos dies nos circumsectionem et epiphaniam vocare solemus, in templo coronam auream librarum quinquaginta variis et praeciosissimis distinctam gemmis dedicavit, quae tholo cathenis adfixa ante aram divi Petri pependit. item ad monumentum divi Petri consecravit tres calices, duos pro liberis, unum pro se, librarum binum quadragenum, cum operculo, quod duo et viginti pondo ponderasse in literas relatum est. egenis vero ac pauperibus libras argenti ter mille elargitus est. paucis posthaec diebus in ius vocat eos, qui in pontificem conspirarant. quaestio de ipsis habita, ut participes sceleris indicare cogerentur. ipsi iuxta legum romanarum scita crimine laesae maiestatis condemnati, supplicia luerunt. capita et authores factionis Paschalis, Nomenclator, Sacellarius, Campulus securi percussi sunt. caeteri, quos trecentos fuisse quidam produnt, depraecatore Leone salutem impetrant ab imperatore. vita quidem donati, in exilium acti sunt.

Compositis itaque romanis italicisque rebus, divinis atque humanis negociis rite confectis, misso rursus filio Pipino cum exercitu in Beneventanum agrum, Magnus septimo calendas Maii Roma excedit,

17 *Rom. 13, 1* 20 — elargitus est *vgl. Ann. Altahenses, M. G. Script. XX, 783* 29 — nititur *vgl. Ann. Laur. u. Einh. zu 801.*

in Spoletum pervenit. dum ibi versatur, pridie calendas Maii, hora noctis secunda terra graviter tremuit. tectum templi divi Petri Romae corruit. in Italia, Germania, Gallia circa Rhenum urbes plaeraeque et villae adflictae sunt. ob hiberni temporis clementiam subsecuta est pestilentia. imperator Spoleto relicto Ravennam contendit; aliquot ibi diebus consumptis Ticinum pergit. ubi certior fit, legatos Amaromurmuli regis Persarum et Abrami admirati Saracenorum, hoc est regis Africae, in portu Pisano appulisse, quos missis continuo nunciis, qui eos deducerent, inter Vercellas ac Eporediam sibi occurrere iussit. hi nunciarunt Isacum Iudaeum, quem ante quadriennium caesar ad regem Persarum cum Landofrido et Segifrido legarat, reverti cum elephanto et amplissimis muneribus, Landofridum et Segifridum naturae concessisse. donum adferunt Persae simias, cercopithecos, nardum, opobalsamum, odoramenta exotica, Afri leonem Marmaricum, ursum Numidicum, ferruginem Hiberam, Tyrium muricem, peculiares Aegypti et Africae opes. Carolus auditis oratoribus externis Erchinovaldam scribam ad Liguriam ad comparandas naveis, quibus elephantus et dona Persica Africanaque subveherentur, proficisci iubet. ipse solsticium aestivum Eporediae egit, deinde Alpes transgressus, in Gallias divertit.

Hac aestate in Hispania Italiaque res prospere gestae sunt. Barcinon Hispaniae biennio et amplius circumsessa a nostris capta est. Zatuno urbis praefectus, alii conplures Saraceni in vincula coniecti sunt. in Italia Theate, urbs quartae regionis Italiae, in ora sinus Hadriatici, a Caroli milite incensa est, Rothelinus, qui urbis imperium obtinuerat, captus. caetera castella, quae huic parebant, in deditionem recepta sunt. Zatuno et Rothelinus uno die ad Magnum deducti, ambo in exilium deportati sunt. mense Octobri Isacus Iudaeus cum gaza Persica de Africa in portu Veneris adplicuit. Vercellis totam hiemem consumpsit; nives Alpeis transsire prohibebant. at imperator ad Aquas Graneas hiemavit eoque conventum principum convocavit, sacramenta renovavit, annum totum ibidem conmoratus est. oratores, qui ius dicerent, aequitatem administrarent, controversias cognoscerent, lites diminuerent, omnia imperii menbra perlustrare et peragrare iubet. Saxonas quoque transalbianos, qui, dum Carolus Romae abest, rebelles spiritus sumpserant, per duces et legatos ferro, flamma devastat, ad obsequium redigit, in officio continere nititur.

Inter haec Irena, quae Graecorum et orientis principatum ob-

13 — opes *vgl. Monach. Sangall. II, 8, 9; p. 676, 677* 38 — conmorantur *vgl. Ann. Einhardi zu 802.*

tinebat, ubi a Romanis Carolum augustum salutatum esse accepit, metuens, ne et orientem is adsereret sibique praeriperet, ad eundem legatos ad amiciciam ac pacem confirmandam Leontem militiae praefectum mittit, cum quo caesar et suos, Iessen episcopum Ambianensem et Helmogaudum purpuratum proficisci iubet, qui connubium Irenae peterent, ut simul cum occidente oriens, qui quadringentos annos divulsus fuerat, coniungeretur atque romani imperii prisca maiestas resurgeret. Irena quidem benigne legationem audivit annuitque postulatis; verum Graeculi suspectam habentes potentiam Caroli, authore Aetio patricio Irenam capiunt, imperio abdicant, in Lesbon insulam relegant in ordinemque sacratarum foeminarum redigunt, Nicephorum rebus orientis imponunt. atque haec omnia facta sunt, dum aduc legati caesaris romani Constantinopoli commorantur.

Quos Constantinopolitanus princeps ubi audivit, eosdem deinceps rogat, quidnam rerum Carolus filius suus agat et num satis pacatum regnum eius siet. cui princeps legationis Helmogaudus respondet: ‚abunde pacata sunt omnia; una dumtaxat Germaniae natio, quam Saxonas vocant, crebris latrociniis fines Francorum infestat'. suscipit imperator orientalis: ‚cur filius meus contra hostes paucos numero, virtute et fama ignobiles frustra tanto tempore laborat? ego, qui imperium orbis terrarum teneo et, caelesti numine electus, rerum sum dominus ac, quos volo, ex humillimo loco ad summam dignitatem iure meo perduco, te ducatu harum gentium dono.' quod cum Helmogaudus reversus domum in Franciam imperatori renunciaret, is subridens ait: ‚melius tecum actum fuisset, si te faeminalibus rex graecus condonasset'. idem legatus cum autumno Neorhomam venisset et hospicio iussu rectoris graeci a quodam episcopo, cuius parsimonia temperantiaque, iusticia sanctitasque ab omnibus praedicabatur, exceptus esset ac per totam hiemem crebris ac intempestivis ieiuniis, pontifice indulgente, fame ac inedia pene extinctus esset, vere ad Nicephorum admissus ab eoque, quidnam de pietate tanti patris referret, interrogatus: ‚sanctissimus est vester pontifex', inquit, ‚quatenus adverso deo fieri licet'. admiratus ambiguitatem dicti graecus princeps rogat, quinam fieri possit, ut quispiam sanctus absque numine caelesti siet. ‚literis sacris', ait ille, ‚proditur: deus est charitas, cuius istum episcopum omnino expertem esse nostro periculo sensimus.'

Eadem tempestate tercio decimo calendas augusti pervenit ad Aquas Graneas Isacus Hebraeus cum elephanto et donis Medorum,

14 — sensimus *vgl. Mon. Sangallens. II, 5, 6; p. 669, 670* 22 quos — perduco *Caes. VII, 39* 37 — utrumque imperatorem *vgl. Ann. Einhardi zu 802, 803.*

Persarum, Saracenorum et Africanorum eaque imperatori exhibuit; nomen belluae Abulabaz erat. Ortona tum urbs Italiae maritima, in sinu Hadriatico cubans, in secunda regione Italiae pulsis Graecis expugnata validoque Francorum praesidio firmata. Vinogisus praefectus Spoletanus urbi rector datus et Francis praepositus est, quem adversa valetudine laborantem Grimoldus Longobardus, Beneventanus regulus, regii adfectator nominis, nec nostris nec Graecis fidus, obsedit in potestatemque coegit. verum animo volvens, quodnam incendium suo periculo excitasset et quas vires haud impune incessisset, mutato rursus animo, ut in pace bellum, ita in bello pacem quaesivit, Vinogisum incolomem imperatori honorifice reddit seque et omnia Carolo dedit, annua tributa pendit.

Inter haec Boii Avarorum regionem inter se partiuntur iunctique Venedis Danubio proximis et Noricum incolentibus Pannoniam, quae inter Danubium, Savum Dravumque amnes iuxta romanam descriptionem includitur, invadunt et in Daciam, alteram ripam Danubii pertinentem, arma hostili animo movent; Avarum Hunnorumque reliquias caedunt, fundunt, superant, in deditionem cuncta terrarum usque ad Savi hostia subigunt. colonias ibi Boiorum Venedorumque deducunt, utramque provinciam utriusque gentis firmis praesidiis muniunt. regnum Boiorum usque ad Savum amnem promovent. atque hae gentes aduc conmixti Ugris in hisce regionibus habitant. Capanus Hunnorum Avarorumque rex se cum suis dedit sacroque fonte ablutus, Theodorus cognominatus et in fidem acceptus est aerae christianae anno octingentesimo super tercium.

Imperator Carolus caesar augustus de Aquis Graneis ex hibernis progressus, Mogonciaco in Boiariam Reginoburgiumque pervenit; unde in limitem Boiariae orientalem contendit; ad Savum usque amnem et hostia eiusdem fluminis percurrit; cuncta perlustrat eumque omnem tractum Boiorum nobilitati in fidem ac tutelam tradit. rem divinam Arnonem archimysten Iuvavensem ibidem procurare iubet. a Vulgaribus arma abstinuit, qui trans Savum in Moesiis habitabant. excisis enim Hunnis atque Avaribus (ut ait Eginardus scriba) Vulgares quietos fore existimabat nihilque Francis noctturos opinabatur, cum Graeciae et orientalis principis cervicibus inminerent. ordinatis itaque et compositis divinis humanisque negociis Saleburgium, quae et Iuvavia quondam romulae genti dicta fuit, mense Octobri revertitur.

Ibi Michael episcopus, Petrus monachorum magister, Callistus

2 Abulabazi *A*

33 *Vielmehr Monachus Sangallensis, II, 1; Jaffé, Bibl. IV, 668.*

candidatus, legati Nicephori Constantinopolitani imperatoris et Georgii Hierosolymitani patriarchae, praesto fuere. actum est de pace et foedere inter utrumque imperatorem. atque ita inter eos tandem convenit atque haec divisio facta est. decretum est, ut Carolus eiusque successores perpetuo sint et adpellentur posthac romani, latini occidentalesque imperatores, Nicephorus cum posteris vero Constantino politanus, Graecorum et orientis caesar vocitetur. caput mundi Roma, tota Italia ad Aufidum Vulturnumque amnes (quorum hic in inferum, ille in superum mare profluit) et usque ad terminos, ut nunc vocant, ducatus Calabriae et regni Neapolitani romano imperatori, quam alioqui tenebat, addicta est. possedit idem Pannonias, Daciam, Histriam, Liburniam, Dalmatiam, praeter perpaucas urbeis maritimas, quae orientali imperatori ob amiciciam traditae et concessae sunt. Norici, Vindeliciae, Rhetiarum, Boiorum, Suevorum, Germaniae, Galliarum, insularum Balearicarum, Hispaniae ad Hiberum amnem principatum iam pridem nostri reges Carolusque tenebant. caetera Europae orientem et meridiem spectantia Constantinopolitanus imperator retinuit haeque societatis conditiones imperiique divisio tabulis inscriptae et a Leone pontifice romano subsignatae sunt.

Hisce perfectis rector romanus e Saliburgio Utinum, Boiariae oppidum, Oeno conterminum, aucupiis, piscationibus venationibusque maxime opportunum concessit ibique aliquandiu conmoratus visco, amite, laqueis, retibus, hamo, avibus, piscibus insidiatus est. sylvas indagine cinxit, vulpes, linces, lepores, cervos, meles canibus urget et manet sub Iove frigido, seu visa est catulis cerva fidelibus seu rupit teretes Boius aper plagas. sub idem tempus Atto Fruxinensis pontifex Litofridum conlegii monachorum divi Benedicti magistrum (quod Augiam, intra Chiminum lacum Noricorum Boiariaeque maximum situm, vocabant) apud Carolum accusat in iusque trahit; tria templa sibi intercepta a monachis conquerebatur. imperator rem Arnoni pontifici Saliburgensi, Erchinovaldae praefecto, Otoberto et Alberico praetoribus conmittit hique in conventu Boiorum celebri, quem in superiore Boiaria in vicum Amblicorum inter Isaram Oenumque amnes, ubi fiscus publicus aerariumque regium erat, iubente Carolo coegerant, monachos Chimenses avaritiae condemnant, tres aedes sacras instructas, nimirum Villicam, Hegioliam, Bergen, pontifici Fruxinensi reddunt.

30 conquaerebatur *A*

21 *Vergl. Ann. Einh. zu 803, Handschrift 9b* 25 — plagas *Horat. C. I, 1* 26 — reddunt *vgl. die Berichtigung Meichelbecks, Hist. Frising. I, a, 96.*

BSB

Subsequenti anno, tercio nempe ac tricesimo, posteaquam bellum Saxonicum coeperat, Saxones, maxime qui trans Albim colunt et orientem spectant, sollicitati per Cimbrorum regem a Francorum societate ad Danos deficiunt. Nordomanis suspecta erat potentia et vires imperatoris nostri. iactabatur vulgo augustum avidum imperii orbis terrarum ferre parem non posse excisurumque regium nomen ex Germania, qua latissime patet, hanc totam cum Sarmatia in obsequium ditionemque coacturum. proinde Godofridus rex septentrionalis Germaniae (unde Nordomanorum cognomen inditum) potentissimus, qui Danis, Suionibus, Fennis, Nordovicis, Gotis, nationibus ferocissimis imperitabat, qui Cimbricam et Scandiaviam inconpertae magnitudinis peninsulam, Scandiam, Gotolandiam, caeteras insulas sinus Codani Venedicique longe lateque possidebat, adseverabat sibi iure deberi regnum Germaniae; se enimvero genuinum Germanum vetustissimumque Germaniarum regem esse, qui tenax disciplinae patriae avitos deos, fines, mores nunquam deseruerit. Carolum degenerem ad Gallorum Italorumque et eorum, quos vicerit, vicia, superbiam atque avariciam descivisse, habitus peregrinos recepisse, natale solum, instituta maiorum, religionem avitam iuxta fastidire, victos victoribus imperare. quod si Saxones Danorum finitimorum consanguineorumque suorum amiciciam et societatem servituti Francorum Carolique, desertorum patriae et ritus aviti proditorum, praeferrent et secum foedus facerent (iactitabat rex Nordomanus), in animo sibi esse, conmunibus armis conmunique consilio Germaniam, conmunem patriam vindicare, a sceleribus et criminibus Italorum Gallorumque in libertatem pristinam adserere.

At caesar, ubi istaec agitari comperit, cum exercitu propere in Saxoniam contendit; in ripa Albis castra facit. Carolus filius augusti Neomagi Rhenum superat, vires suas cum parente coniungit. Litavicus quoque ex Aquitania evocatus cum haud contemnendis copiis Novesii Rhenum traiicit, ad castra fratris genitorisque quam maturrime progreditur. Saxones undique armis circumventi imperata faciunt et redacti in potestatem, quicquid oneris imponatur, se ferre recipiunt. omnes resistentes profligati; cuncti Transalbiani cum liberis, uxoribus, mancipiis in Franciam translati; eorum sedes Abotridis, Venedis antiquissimis et coniuratissimis Francorum sociis, adtributae sunt; perpauci ad Cimbrorum regem perfugere. citra Albim decimus quisque

2 *Am Rande in A:* qua *(sic)* Carolus instituit Premensem episcopatum ad Visurgim. Willehadus primus episcopus Neomagi factus 788. Mindinam ad Visurgim 22 iactabat *B*

8 *Zum flgd. vgl. Einhardi Vita Caroli c. 14, Ann. Einh. zu 804.*

BSB

transmigrare iussus est decemque tum millia Saxonum liberorum cum parvis pignoribus, coniugibus, servis per caeteras passim Germanias distributa sunt. in quorum domicilia gravissimi quique delecti, vitae et morum probitate insignes ex omni Germania translati, penes quos foret arbitrium et potestas animadvertendi etiam indicta causa in pacis et fidei violatores religionisque desertores. inde ius, ut vocant, Bestophalense derivatum, silentio et taciturnitate sacrosanctum. iudices, quos conscios nuncupant, nescio quibus ceremoniis iniciati, se invicem agnoscunt. porro prophanis ritum prodere religio est et pro piaculo habetur. neque quisquam omnium aduc inventus est, qui huiuscemodi mysteria evulgarit. parentum avorumque memoria cum sordidae conditionis quique in album huiusmodi consultorum describuntur hique passim per caeteras Germaniae regiones, ut collibitum fuit, quosvis licentius, quam boni ferre possent, furti perfidiaequae alligant, indemnatos necant, laqueo et suspendio infamant, huiusmodi licentia antiquata cohibitaque est a principibus nostris, etiam in publico procerum imperii conventu. extat divi Friderici tercii augusti, proavi Caroli maximi caesaris, publicum decretum, quo cavetur, ut in posterum, quemadmodum a Carolo Magno institutum, morem observent huiusmodi iudices.

Saxones quidem hac saeviendi libertate animadvertendique libidine in officio retenti, explosa avita et longinqua superstitione, sacra christiana receperunt ipsique in amiciciam et societatem Francorum adsciti, unus cum eis hactenus censetur populus, pacis ac pietatis amore praeter caeteros Germanos egregie insignes. et licet cum Saxonibus continenter per tres et triginta annos Magnus belligeratus sit, bis tamen dumtaxat et uno mense, quod admirari subit, aperta acie depugnavit hisceque duobus praeliis in tantum fracti sunt animi hostium, ut posthac nunquam aequo Marte congredi nostris ausi fuerint. reliquum belli tumultuariis, parvis, levibus pugnis et excursationibus latrocinantium et ex aequis locis insidiantium modo productum.

Caeterum Godofridus rex Danorum cum classe ingenti, cum copiis omnibus equitatuque septentrionis ad peninsulam Cimbricam in confinio Saxoniae regnique sui adpellit. legati ultro citroque missi, de pace actum est. rex Cimbricus ab imperatore ad conloquium, ubi de conmunibus utriusque rebus consultaretur, invitatus, adventaturum se promisit iamque proficisci, ut destinarat, meditatur. at amicorum

16 que *fehlt B* 23 adsiti *A u. B*

18 *V. Jahre 1483; Seibertz, U. B. Nr. 989* 25 — ausi fuerint *vgl. Einhardi Vita Caroli, c. 8* 32 — concelebrant *vgl. Ann. Einhardi zu 804.*

quidam regem adeunt, ipsum periculose plenum opus aleae inceptare docent; dolosam esse referunt Francorum societatem, quibus imbutis levitate gallica perfidiaque Italorum familiare sit ridendo fidem frangere. inculcant praeterea ipsum, dum obsequi augusto studet, satis pericli et discriminis adire, qui relicto genitali solo, ubi plus posset, ad imperatorem, tot exercitibus munitum, opibus et viribus, numero et robore alioqui praestantem accedere ac se et suos fortunae et libidini eorum, qui iam a germanis patriisve degenerarint virtutibus, exponere paret. debere Francos ad Nordomanos, si quid velint, venire. his conmonefactus deterritusque Danus, inmutata adpellandi conveniendique caesaris voluntate, Silesovici (urbs est primaria Cimbricae cherronesi) consedit. Magnus certior de consilio eius factus, legatos ire iubet postulatque sibi omnes captivos transfugasque reddi pacemque offert Cimbris et foedus; veniam, si resipiscant, praeteritorum dat. inter principes his postea conditionibus foedus ictum est: captivi et perfugae redditi sunt; utrique suis legibus, ut libet, vivere permissum; caeterum eosdem pro amicis ac inimicis habendos, sancitum est. Carolus aestate maximis bellis confectis, maturius paulo, quam tempus postulat, medio Septembri ad Aquas Granеas redit, in hiberna exercitum deducit.

Sanguis Christi, domini deique nostri, Mantuae tum inventus ferebatur. Leo pontifex romanus, ut exploraret veritatem, Mantuam proficiscitur reque comperta ad imperatorem iter facit. caesar filium Carolum obviam pontifici usque ad divum Mauricium, Allobrogum urbem in ripa Rhodani sitam, officii ac honoris causa proficisci iubet. ipse eundem in Rhemorum urbe honorifice excepit. servatur aduc ille sanguis sacrosanctus Mantuae et est nota aerei nummi. vidi ego, dum praelucentibus caereis inlustri principi nostro Arionisto duci Boiariae monstratur; nam nos a literis eiusdem reguli tum cum eo studii causa in Italiam abieramus. imperator et pontifex romani natalem Christi Carisiaci, maximum Ianuarii festum, quod epiphaniam vocant, ad Aquas Graneas concelebrant.

Eodem anno Avarorum regulus Theodorus nomine, de quibus supra scripsimus, ad imperatorem proficiscitur aperitque Venedos, inter quos versetur, ob veteres simultates inimicos sibi esse suaeque virtuti invidere nec posse diutius inter inimicos habitare. unum a caesare petere ac depraecari, ut pro sua clementia ac consuetudine reliquias Hunnorum, quos conservare statuisset, in eam regionem, ubi

2 inbutis *B*

3 familiare — frangere *Hist. Aug. Bonos. 13* 32 — Matthaeo *vgl. Ann. Einh. zu 805* 34 — statuisset *Caesar, bell. Gall. II, 31.*

Boiorum dumtaxat municipia essent, transferret. Carolus postulatis annuit ipseque Theodorus cum reliquiis Abarum locum inter Sabariam et Caruntum supra Arrhabonem fluvium, occidentem versus, ubi tum tantum Boii habitabant, nunc vero est confinium Ugrorum et Austriacorum, in domicilium delegerunt ibique iussu imperatoris sedes acceperunt. in paucis tamen diebus Theodorus moritur, Abaramo principatum Avarorum relinquit. is continuo ad caesarem legatos ire iubet, se suaque omnia potestati Caroli permittit petitque, ut eius authoritate liceat more maiorum gentis suae imperio potiri; se quoque pietatem christianam recepturum pollicetur. voti itaque compos ex animi sententia factus, ultra flumen Noricorum Phischa lustralibus aquis expiatur undecimo calendas Octobris, qui dies festus est divo Matthaeo.

Interim, dum haec fiunt, Carolus filius copias Boiorum ac Suevorum contrahit, cum valida manu arma in Venedos atque Sclavos, qui lingua romana et Teutonum Boiemi, sua Zechi sunt, arma movet. Zechonem gentis regulum aditu Hercynei saltus nostros prohibere connitentem, praelio occidit. inde nemine resistente per nemus Orcinium in Boiemiam penetrat; totam regionem ferro, flamma vastat; nationem ferocissimam ad obsequium redigit, victor cum triumpho ad parentem revertit. qui anno restitutae salutis octingentesimo sexto Theodoviam concilium procerum imperii indicit. quo Billaerus et Beatus, duces Venetiarum, Paulus, Iaderae praefectus, et Donatus, eiusdem urbis pontifex, legati Dalmatarum cum muneribus missi sunt; se et omnia imperatori romano, perosi Graecorum ignaviam, tradiderunt.

Rebus Dalmaticis absolutis imperator consilium principum habet, in quo, imperium ne qua discordia turbave post mortem suam (uti fere fieri solet) concitaretur, ita inter treis filios dividi placuit, ut ipse quidem summam eius, quoad viveret, obtineat, caeterum post fata demum parentis suam quisque filius haereditatem adeat. Hispania citra Iberum amnem, Vasconia, Aquitania a Ligeri amne praeter Turones, Narbonensis Gallia, Alpes litoreae et Cottiae, ubi sunt Tarantasia et vallis Segusiana, Litavico destinata sunt. Italiam vero cum Histria, Liburnia, Dalmatia, Pannonia atque Noricum, cum Rhetia, Suevia, excepta Augusta tractuque Lyci, cum Vindelicia, Boiaria usque ad Danubii fluenta, cum Angilostadio et Lutrovia, quae

3 Caruntum *sic A u. B* 15 *Am Rande in A:* Zeacho, schwebisch E.

16 *Die Handschriften Einhards, dessen Annalen zu 805 Aventin hier folgt, haben teils Bechonem, teils Lechonem* 20 — subscripsit *vgl. Annal. Einh. zu 806 und Mon. Germ. Leg. I, 840.*

in ulteriore Danubii ora sita sunt, Pipinus obtinere iussus est. caetera, nempe Gallia Lugdunensis, Celtae, Belgae Germaniae, Francia, Turogi, Saxonia, Frisii, Venedi, Suevia ultra Danubium, aquilonem spectans, cum Augusta Rhetiae, itidem Boiariae pars septentrionalis ultra Histrum (Nordge imperatores, vulgus Narca, Tacitus Nariscos vocat) praeter Angilostadium et Lutroviam, Carolo, qui maximus natu erat, cesserunt. eidem in finibus Litavici ager Turonensis, Pipini vero Augusta Rhetiae data, sicut Pipino in regno Caroli Angilostadium et Lutrovia adtributa sunt. cuique enim fratrum in alterius parte urbes et agri dati sunt, quo commodius alius alii auxilio esse possent, cum vicissim aditus pateret et quisque in fratris sui finibus domicilium, quo se reciperet, possideret.

Eodem concilio fratris absque liberis maribus defuncti superstites germani haeredes constituti sunt. at si reliqua soboles mascula defuncto, eidem idem ius, quod parenti fuerit, fore decretum est. imperatum insuper fratribus, ut invicem fideles sint, pacem servent, amiciciam mutuo colant, mutuo opem ferant, cum hostibus et externis iurgia, discordias, simultates, pugnas exerceant. vetitum quoque, ne quisquam alterius aut regnum ingrediatur, transfugas recipiat retineatve, quin continuo remittat; aut quicquam agri emat donove accipiat in fraterno solo; incolis etiam transmigratio interdicta. filiabus potestas facta cum quovis Germanorum, quemadmodum collibeat, degendi; sive caelibes ipsae manserint sive nubere voluerint, iussi sunt fratres instruere sumptus ac dotem dare. et ut omnis occasio discordiae de dividendo imperio omnino tolleretur, istaec praeterea distributio portionis cuiusque, si eius dominus absque liberis maribus naturae caederet, hoc modo praescripta est. Carolus, qui maximus natu est, cum obierit, Pipinus Germanias, Litavicus Gallias recipiat; si quidem Pipinum fata tulerint, Augusta Rhetiae, quicquid infra Lycum, Vercellae, Ticinum, Mutina, cuncta citra Padum, laeva Italiae, sinus Hadriatici ora cum ducatu Spoletano Carolo cedat; supra vero Lycum, Rhetiam, Italiae dextram portionem cum insulis maris Tyrrheni Litavicus obtineat. quod si Litavicus ante Germanos absque maribus haeredibus decaedat, Pipinus Galliam Narbonensem, Hispaniam usque Iberum amnem, Carolus Aquitaniam et Vasconiam accipiat. atque haec omnia in libellos redacta sunt, quibus missis Romam pontifex maximus subscripsit.

30 leva *A*

17 cum — exerceant *Sallust. Cat. 9, 2.*

Cap. 7. Posthaec imperator Pipinum in Italiam, Litavicum in Aquitaniam, Carolo, ut consuevit, secum retento, remittit. inde naveis Theodoviae conscendit, Mosella in Rhenum, Rheno Neomagum, Bathavorum tum urbem, in hiberna defertur. ibidem concelebratis paschalibus ad Aquas Graneas pergit. Carolus filius adversus Venedos (qui Sorabi eo tempore dicti, nunc Moesia est) valida manu, hostili animo contendit atque ad Albim cum Sclavis ferro decertat. hostium regulus Miloduchus nomine eo praelio cecidit. duo deinde castella Francorumque praesidia genti imposita, unum ad Salam, alterum ad Albim. his perdomitis, Boiorum Suevorumque copiae in finitimos Venedos atque Sclavos, quos Boiemos nuncupamus, arma movent Boiemiamque rebellem invadunt, tota regione devastata, nullo accepto damno nationem fortissimam ad officium imperatoris cogunt.

Hisce et superioribus adversus Venedos, Avares Hunnosque bellis cum Suevis et Boiis interfuisse gigantem equoque sub Carolo meruisse reperio. nomen ipsi Aenothero, quod exercitum aequipararet, fuit; ortus ex Durgia, pago Sueviae. flumina, quae pontibus iuncta non erant, post se equum suum trahens, superare solitus fuit, adiecto in reluctantem sonipedem hoc ioco: ita meus deus adiuvet, me vel ingratus sequare necesse est. is Venedos Avaresque in modum foeni demetebat et in morem avicularum hasta velut cuspide fixos humeris suspendebat. cumque domum reversus a popularibus (uti fit) de successu eventuque belli et de conditione ac viribus hostium quaereretur: ‚quid multa de istis ranunculis', indignabundus inquit, ‚conmemorem? ego interdum septem octove, interim et novem hasta mea transfixos, nescio quid coaxantes ultro citroque tuli. neutiquam operae precium fecimus nec quicquam augustus et nos ingenti impendio adversus huiuscemodi vermiculos arma promovimus. tantulum bellum, quod nobis sumpsimus, minoris multo constare potuisset'.

Iisdem temporibus trepidatum est in Corsica insula adventu Maurorum latrocinia agitantium. Pipinus contra hosce classem armis instructam ex Italia misit. hostis ubi de nostrorum adventu certior factus, fugam capessit, insulam deserit. unus Hadomarus, Francus satrapa, praefectus Genuae et litoris Ligustici, dum incautius fugientes persequitur, interiit. in Hispania Navarri Pompelonenses, qui superioribus annis ad Saracenos defecerant, recepti sunt. Nicephorus Graecorum imperator foedere fracto Nicetam patricium cum classe ad recuperandam Dalmatiam adversus nostros ad Veneticum sinum mittit.

1 — nunciabatur *vgl. Annales Einhardi zu 806* 14 — potuisset *vgl. Monachus Sangallens. II, 12, l. c. 686, wo der Thurgauer Held Eishere heisst.*

oratores Magni, qui ante quatuor annos ad regem Persarum legati fuerant, graecarum navium stationem, nullo hostium sentiente, praetergressi in Taurisiano portu incolomes adpellunt. imperator ad Aquas Graneas non praeter solitum hiemat; Medorum atque Persarum legatos operitur. nam Abdella, Medorum atque Persarum satrapes, orator regis sui advenire cum legatione Palestinorum nunciabatur.

Tantus terror Caroli, is nominis eius armorumque metus, ita nomen ac fama, maximum in bellis momentum, non solum Graeciam, verum Asiam, Africam et Persiam quoque penetrarat atque invaserat, ut Aegypti, Africae Persarumque reges per tam longissimi itineris spacia et dispendia, per tot ferocissimas gentes, linguis et moribus ac religione dissonas, missis legationibus ac muneribus ultro amiciciam Magni ambire non gravarentur; suspicabantur homines Carolum omneis provincias orientis adserturum pristinamque romani imperii maiestatem instauraturum. ipse vero amiciciam illorum adfectabat, ut barbarorum ingenia mitiora tractabilioraque christianis, qui sub ditione eorum degebant, forent. lego de praediis regiis denarios per Germanias tributos huiuscemodique christianis, quo redimerentur atque alerentur, viritim distributos. ultro citroque ex Germania in Persiam, a Parthis ad Teutonas conmearunt legati. Medus Rhenum, Alemanus Euphratem bibit, id, quod vates omnium nobilissimus haud unquam fieri posse existimavit hisce carminibus:

Ante pererratis amborum finibus exul;
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim.

Is Arar, de quo hic Maro doctissimus mentionem facit (Germaniae Celtarum fluvius nomen servat) Rheno confunditur, apud Suitonas, olim Helvetios profluit. nam de Arari flumine, quod per fines Heduorum et Sequanorum fertur ac Saona nunc vocatur et Rhodano conmittitur, nihil penitus ad mentem Vergilianam, quamvis et huius fontes oriantur in germanico imperio.

Atque ipsis Persis non Graeciae parentis literarum aut Galliae Hispaniaeve, non clarissimarum urbium nec Italiae omnium gentium victricis aut Romae terrarum deae magnopere conspiciendarum cupido incessit. quacunque ipsi pergebant, sola Germania, genitale solum Caroli, in ore fuit; incunabula tanti imperatoris dumtaxat videre desiderarunt. per Germaniam igitur deducti ad Aquas Graneas, ubi tum Carolus more suo degebat, ultima quadragesimae septimana pervenerunt. admissi sunt ad conspectum imperatoris in celeberrime paschalium

23 *Vergil. Eclog. I, 61. Vgl. Monach. Sangall. II, 9, l. c. 678* 36 — orbis terrarum *vgl. Monachus Sangallens. II, 8, l. c. 674—678.*

festo die, quo de industria crebrior provolarat atque coierat populus; frequentes pontifices, sacrificuli, magis cultu gravi, severo ac decoro quam nimio aut luxurioso adparebant. milites, equites, proceres plus ferro quam auro fulgentes dedita opera passim sursum deorsum itabant et magis decoris armis conspicui quam luxu culti ad praetorium incaedebant.

Persae maiestate imperatoris eiusque vultus terribili severitate pavefacti, quasi nunquam antehac regem vidissent, diutius ipsum admirabundi contemplati sunt. tandem, corporis habitus nequaquam, inquiunt, famae repugnat. terreos antea dumtaxat mortales vidimus, nunc aureum cernere hominem licet. imperator benigne ac hospitaliter legatos adpellat facitque, quicquid animo eis sedeat, sciscitandi conlustrandique copiam. convivio deinde regio in frequenti purpuratorum corona excepti sunt Parthi. ipsi Germanorum arma, ornatum, corporum habitum curiosius conspicati sunt. caesarea supellex vasaque convivalia magis ad usum quam ostentationem luxus comparata erant. posthaec imperator Persas venatum deducit in nemus, ubi iubati bisontes urive alebantur; genera boum ferarum sunt excellenti vi et velocitate. sola Germania haec gignit. vidi, dum Cracoviae, quae Sarmatarum caput est, mathematicis disciplinis operam dedi. Persae inmani nec prius visarum belluarum magnitudine territi, terga vertunt. Carolus equo insidens, cominus uro caput ense amputare destinabat, verum bellua declinato ictu imperatori tibias summo cornu leviter perstrinxit ocreasque discidit. Isenobardus, filius Varini tetrarchae dynastaeque Suevorum, eminus misso iaculo, feram inter guttur atque armum letali vulnere traiecit in terramque dedit.

Legati itaque Medorum familiarius indulgentiusque tractati, audaciuscule conloquendi cum caesare sibi sumpsere confidentiam per ludumque dixere, sibi videri maiorem apud orientis nationes quam pro magnitudine imperii Caroli terrorem esse. interrogati, cur ita opinarentur, respondent: ‚proceres vestri, ut nobis compertum est, praesentem caesarem quidem summopere observant ac venerantur, verum absentis apud eosdem parum valet authoritas. Graeci, Armenii, Asiatici, Syri, omnes ‚orientis nationes, quacunque nobis iter fuit, neminem mortalium, ne deorum quidem praeter Carolum formidant. et ubi nos ad eundem contendere accepere, nullo non honoris benignitatisque genere adeuntes exceperunt, abeuntes prosecuti sunt. at posteaquam imperii Francorum fines adtigimus, praefecti urbium, praesides regionum, pontifices, parum abfuit, quin nos, licet ex longinquo ad eorum imperatorem properantes,

13 regio *in A berichtigt in:* caesareo.

tecto moenibus arcerent, ne dum indigentibus et poscentibus, obtestati etiam amore principis sui, pro iure hospicii atque reverentia caesaris quicquam concederent'.

Carolus cum haec audisset, omnes praefectos, duces, per quorum provincias iter fecere Persae, magistratu movet, in ordinem privatum redigit, pontifices ingenti pecuniae numero mulctat. legatos omni cura, officio summo, pietate domum deducendos curat regique Persarum dona vicissim mittit, Asturcones equos, mulos Hispanicos, quibus non vulgatus in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, item paludamenta Frisia alba, caerulea, proprium Germanorum vestimentum, et canes nobiles ad venandum, quos Germania gignit velocitate et ferocia insignes. atque hos feris omnibus infestas esse et tantam in illis animalibus ad venandum cupiditatem ingenerasse naturam, ut in vulnere praedae dentes moribundi quoque infigant, Teutones, qui simul in Persiam legati a Carolo fuerant, regem Persicum sciscitantem de indole canum docent, et ut illorum vim Persis ostenderent, iussi una cum rege venatum proficiscuntur. protinus ubi in conspectu leo fuit eximiae magnitudinis, canibus copula detrahitur ipsique celeriter feram occupant. Germani, qui adsueverant talibus ministeriis, equis desiliunt, leonem cominus ense interficiunt, canes inhaerentes leoni avellunt. tum dixisse maximum regem regum memoriae proditum est: ‚felicem Carolum fratrem meum, felices populares eius Teutonas. equidem audivi saepius, et ut video, non est vana fides, vos esse a teneris unguiculis in venationibus ac huiuscemodi quotidiana exercitatione adsuefactos, vires et ingenium alere; in hosque artus atque in eam corporis et animi magnitudinem pergliscere, ut haud inmerito pares ac capaces sitis imperii orbis terrarum'.

Delectatus itaque munere illo Medus, ut imperatori nostro gratificaretur, Palestinam, cuius imperium obtinebat, eidem reddidit. verum quoniam Carolus aberat longius, quam ut eam provinciam facile administraret tuereturque, ipse quidem Parthus eam retinuit atque pro praetore gubernare decrevit. caeterum vectigalia, redditus fisco Caroli adtribuit Carolusque in illam quaestorem misit, cui ex fide omneis fructus Palestinae Hierosolymorumque Persa tribui iussit. hinc fabulam, quae Carolum Asiae arma intulisse, Palestinam vi subegisse, Hierosolyma expugnasse et plaeraque alia factitasse, quae magis credunt quam sciunt homines, temere vulgavit, ortam esse credimus.

24 ac *st.* at *B*

25 in — pergliscere *Tacit. Germ. 32* 29 — iussit *wohl gefolgert aus Einhardi Vita Caroli, c. 16* 35 *Ueber die Sage von Karls Fahrt in den Orient vgl. Paris, Hist. poétique de Charlemagne, 337 flgd.; Ekkeh. chron. un. 215.*

Carolus namque nunquam Italia, Hispania, Galliis Germaniaque excessit. legati quidem Thomae patriarchae Hierosolymitani et nuncii Palestinorum, Felix atque Georgius, monachorum montis Olivarum antistes, genere Germanus, a parentibus Angilovalda dictus, iussu regis Persarum ad Aquas Granèas supervenerunt imperatorique nostro se et regionem dediderunt. hosque Carolus cum satrapa Medorum aliquot diebus secum retinuit, inde in Italiam deduxit, ubi navibus impositos domum remisit. elephantos, simias, cercopithecos, cynocephalos, satyros, papiliones, tabernacula, vestes Persicas, horologia, candelabra maioris artis quam usus, item ingentem vim atque copiam peregrinorum succorum ungentique exotici, quae illico expirant ac suis moriuntur horis. munera regis Parthici, Asiatici luxus Persicaeque opulentiae ostentationem superstitiosius narrare supersedi; conmemorare anxie supervacuum est nihilque operae praecium.

Eadem tempestate Saraceni ex Hispaniis solvunt, in Sardiniam insulam adpellunt; verum Sardi correptis armis quatuor millia hostium pugna occidunt, caeteros in fugam vertunt insulaque vi exigunt. ipsi in Corsicam retro aufugiunt in portumque subeunt. Burgardus insulae praefectus a Carolo datus cum classe Saracenis occurrit, cum ipsis manus pugnamque conserit. victi Saraceni a nostris, tredecim navibus et compluribus sociorum amissis; perpauci fuga sibi consuluere. ita mare Tyrrhenum a pyratis purgatum est. at in sinu Hadriatico Niceta, imperatoris Graeci legatus, inducias cum Pipino filio caesaris nostri ad Augustum mensem facit; Venetiis cum classe Constantinopolitana solvit, Neorhomam cum copiis revertitur.

Eodem anno ob decimas opesque sacras inter monachos et sacerdotes in Boiaria litigatum est. iussu Magni Saliburgium concilium indictum est ad septimum decimum calendas Decembris. interfuere episcopi et monachi atque sacerdotes Boiariae et maxime, quorum intererat, Arno archiflamen Boiorum et pontifices, Atto Fruxinensis, Adalovinus Reginoburgensis, Honoricus Sabonensis, Hato Laureacensis. decretum iuxta legis christianae instituta maiorumque ecclesiae placita, donaria templorum, bona ecclesiastica in quatuor dividenda esse portiones atque unam sortiri episcopos, alteram sacrificulos, quorum quidem munus accuratius pascere oves esset; recipere terciam pauperum esse; quarta sacras aedes refici instaurarique oportere. monachi quoque iussi sunt decimas suis episcopis pendere. pontificibus imperatum

2 — praecium *vgl. Ann. Einhardi zu 807, p. 194* 8 — Parthici *vgl. Monachus Sangallens. II, 8, l. c. 676* 15 — revertitur *vgl. Ann. Einhardi zu 807* 26 — administrent *vgl. das Salzburger Synodaldecret v. 807, Mon. Germ. Leg. III, 479.*

est, id quod in iure pontificio praecipitur, ut egenos, valetudinarios, vicio membrorum obnoxios, qui ob valetudinem adversam aut vicia corporis manibus laborare non queant, quoad fieri liceat, pascant vestiantque illos iure suo, victum et amictum administrent.

Istoc anno deliquium lunae ter, solis semel factum esse literis traditur. subsecuta est hiems clementissima pestilensque. imperator Aquis Graneis relictis Neomagum petit. huc Ariodulphus rex Angliorum, qui Britaniam insulam incolunt, pulsus regno ad Magnum exul venit, adventus sui causam aperit. inde Romam pietatis ergo proficiscitur. ubi Roma redit, per legatos imperatoris Hardofridum monachorum patrem, scribam caesaris, Nantharium, captorum divi Otomari pastorem, et per Aldulphum, diaconum pontificis maximi, genere Anglium in regnum reducitur. Magnus paschalibus more patrio Neomagi celebratis, ad Aquas Graneas rursus concedit.

Inter haec Dani, qui et Nordomani et Cimbri, piraticam exercere et litora Galliae Germaniaeque depraedari soliti, copias contrahunt coguntque ex omni aquilonis ora. Godofridus rex gentis imperium totius Germaniae ambire coepit animoque invasit. iam Frisiam ac Saxoniam Venedorumque regiones non aliter atque suas provincias adpellabat. minabatur rumoreque dissipabat, se brevi atque propediem ad Aquas Graneas pro praetorio Caroli castra facturum in amoenissimaque Mosellae valle legatis responsa, popularibus iura redditurum. potentissimo regi et antiquissimorum fortissimorumque Cimbrorum haeredi turpissimum esse, pati Germaniam, patriam suam, consanguineosque suos Teutonas et Venedos servitute opprimi. quemadmodum una domus duos gallos aut mundus duos soles ferre nequit, eodem pacto Germaniam duobus maximis regibus salvo reipublicae statu gubernari nequaquam. posse. Carolum Gallorum Italorumque ditione, in quorum vicia, mores, habitum, superstitionem, longinqua victus consuetudine, contemptis patriis institutis transsisset, oportere contentum esse et relinquere sibi liberas Germanias omneis; se aduc sincerum Germanum, Germanis integris imperaturum.

His et huiuscemodi aliis fama iactatis, minacissimus primum finitimos sibi Venedos, Vilizos proprie dictos, statim adgreditur. ipsi, quod male Francis obsequentes erant, protinus Danos recipiunt et iunctis copiis cum Godofrido in confines Abotridos, Francorum socios, arma et omnem impetum belli convertunt. Godolaebum gentis regulum

1 valitudinarios *B* 2 menbrorum *A* valitudinem *B* 8 Britanniam *B* 34 proprie *fehlt B*

5 *Ann. Einh. zu 807* 6 — relicta est *vgl. Ann. Einh. zu 808* 15 — castra facturum *Einh. Vita Caroli, c. 14* 26 — posse *vgl. Curt. IV, 11.*

Danus rex pugna captum in crucem agit aliquotque castellis expugnatis maximam regionis portionem in obsequium ac ditionem redigit stipendiariamque facit. Trasichonem alterum regulum filium obsidem sibi dare cogit. nec tamen incruentam victoriam adeptus est; strenuissimum quemque et manu promptissimum, inter quos Reginovaldam fratris filium, desideravit, qui in oppugnatione cuiusdam oppidi cum primoribus Cimbrorum interiit.

Carolo ubi haec renunciata sunt, filium cognominem sibi quam celerrime cum exercitu contra Godofridum contendere tutarique Saxoniae fines ab impetu hostium iubet. atque is celeriter ad Albim pontem erigit, flumen cum copiis superat, Linonum et Simelodicorum, qui ad Danos desciverant, agris vastatis, incolomem militem in Saxoniam transducit. Vilizi, socii Danorum, domos se recipiunt. aquilonis rector Rericum, maximam in oceani litore urbem, quo frequentes mercatores conmeare solebant, unde magna portoria vectigaliaque ad fiscum redibant, excindit; mercatoribus cum civibus et rebus omnibus secum translatis inde solvit; ad portum Silesovici classe reliquas copias subducit; ibi aliquot dies stativa habet. Cimbricae peninsulae cervicem, limitem regni sui, qua Saxoniam adtingit, aggere et vallo munire statuit. quicquid loci inter oceanum occidentalem et sinum Codanum orientalem in longum tenditur, per ripam Egidurae borealem munimento destinat, et, qui extruendae tutelae praeessent, ducibus relictis interque ipsos opere diviso, interiora regni petit. adgesta igitur terra, truncis et stipitibus arborum compacta, ingens sepimentum surgit. unica porta, quo equiti carroque sive rhedae aditus pateret, relicta est.

Subsequenti anno, ut variae sunt regum voluntates et sibi saepius adversae, rex Nordomanus mercatores ad praetorem, qui Frisiam pro caesare administrabat, proficisci iubet; atque hi referunt, regem Cimbrum quidem audisse, irasci imperatorem, quod is arma lacessitus, ultum iniurias, in Abotridos vertisset; at falso ipsum et inmeritissimum accusari foederis violati. proinde abs caesare postulare, ut aliquem locum medium amicorum conloquio deligeret, qui de republica et summis utriusque rebus agerent et cognoscerent; velle iure potius illum disceptare, si quid peccatum sit, quam bellum gerere. hisce ad Magnum relatis, amborum principum amici trans Albim in confinio utriusque regni die constituta conveniunt. Franci postulant iuxta amiciciam et

23 aggerata *statt* adgesta *A*

26 — Venetiae redditae sunt, *S. 489, vgl. Ann. Einh. zu 809 u. 810* ut — adversae *Sallust, Jug. 113, 1* 31 abs — cognoscerent *Caes., bell. Gall. I, 34* 33 velle — gerere *Hirt. bell. Gall. VIII, 55* 34 detrimento *l. c. I, 35, 36 u. 44.*

societatem iampridem verbis initam primum, ut Dani, Godofridus Abodritis ablata restitueret, obsides redderet, stipendium remitteret, deinde ne amicos imperatoris et socios amplius iniuria lacesseret, Vilizos hostes et perfugas reciperet neve deditios imperio subtraheret. quod si ita fecerit, perpetuam gratiam amiciciamque imperatoris cum Danis futuram. ad haec Francorum postulata Dani responderunt, regem suum iniuriam propulsasse, non intulisse, Venedos illi, quoniam belli aleam tentassent et armis congressi et superati essent, stipendiarios iure belli esse; licere victoribus iure suo agere, cum victis his tributumque imponere nec posse principem optimum deserere eos aut ipsorum iniuriam negligere, qui ad suam fidem ac tutelam confugissent; amiciciam imperatoris regno Danorum, Nordomanorum ornamento et praesidio esse oportere, non detrimento. contentionibus itaque irritatis utrimque dumtaxat animis, conloquium direptum est legatique re infecta discessere.

Trasicho regulus Abotridarum contractis raptim populariumque reliquiis, accitis Saxonibus auxiliaribus copiis, finitimos sibi Vilizorum agros populatur, praeda ingenti potitur. Simelodicorum maximam urbem expugnat, omnes, qui ab eo defecerant, absque cunctatione ad ditionem et officium rursus ac imperata obedienter facere cogit. in paucis post diebus a Danis ad conloquium invitatus, dolo vir bellicosus et insignis amicicia imperatoris interficitur. at Carolus quam maturrime hisce rebus occurrendum putabat. ipse enim Godofridus tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur. quamobrem imperatori placuit Coloniam praesidiumque Francorum Cimbrorum cervicibus imponere; conscriptisque atque coactis ex omni Germania, qui nomina sua dederant, Egoberto principi proceribusque Saxonum deducendae coloniae capiendique soli datur potestas. qui comparatis armis, re frumentaria caeterisque omnibus provisis, novos colonos per Frisiam deducunt; trans Albim ad Sturiam amnem locum Eisovelta nuncupatum occupant idibus Martii, deinde moenibus, fossa, vallo celerrime muniunt. veteranis agros dividunt et novam civitatem praesidio Francorum adversus incursationes Nordomanas validissimo firmant.

Dum haec ad septentrionem geruntur, ad austrum orientemque, in Italia et Dalmatia trepidatum ac tumultuatum nonnihil est. Paulus, praefectus classis graecae, in Dalmatiam classiarios exposuit, verum victus a nostris, Venetias adpulit ibique hiemavit. et dum (quemadmodum in mandatis se habere adfirmabat) pacem et foedus confirmare cum Pipino et imperatore romano operam navat, Venetiae duces

22 quam maturrime — videretur *l. c. 33.*

Villaerus et Beatus, qui nec orientali nec occidentali caesari magnopere obtemperabant, pacis conditiones interturbant, se in libertatem vindicare connitebantur. Paulo Graecorum duci insidias ponunt; quibus compertis, Paulus Constantinopolim cum navibus revertitur. Saraceni ex Hispania solvunt, Corsicam invadunt in sabbato paschalium, civitatem quandam expugnant, omneis cives captivos abducunt. in occidente Litavicus rex Aquitanorum, filius Caroli, in Hispaniam cum exercitu contendit. Dertusam urbem, quam praeterfluit Iberus, frustra obsidet, soluta obsidione, cum urbs expugnatu difficilis esset, incolomi exercitu in Aquitaniam se recipit. Aureolus, citerioris Hispaniae legatus, naturae concedit. Amorozus eius ducatum occupat mittitque oratores ad imperatorem, eidem se dedit et in fidem commendat.

Caesar mense Novembri conventum sacerdotum ad Aquas Graneas indicit; de processione spiritus sancti Ioannes monachus Hierosolymitanus pontificibus, patribus negocium exhibuit. huiusce rei causa Veronardus Vangionum episcopus, Adolardus Corbiensium monachorum pater, missi sunt Romam ad Leonem pontificem maximum. in eodem concilio de vita et honestate sacrificulorum, quorum mores a disciplina maiorum lapsi ad luxum libidinemque plus, quam prophano licet, tendebant, leges latae sunt.

Saraceni rursus primo vere primum Sardiniam, deinde Corsicam, cum nullo tenerentur praesidio hae insulae, depopulantur. Pipinus, filius augusti, perfidiam Venetorum, qui Graecis magis quam Francis favere dicebantur, ulturus, urbem terra marique obsedit ad deditionemque coegit; ducibusque et populo in fidem receptis, iureiurando a singulis futuros in potestate Francorum exacto, classem ad vastanda Dalmatiae litora misit. Paulus Graecus dux cum Constantinopolitana classe ad opem ferendam Dalmatis provolat. nostri caedunt domosque se recipiunt. inter haec ducentae Nordomanorum naves de Cimbrica peninsula in Frisiam hostili animo feruntur; cum quibus Frisii ter pugna congressi, ter superati, inferiores abiere; victisque non solum ab hoste tributum impositum, sed talento quoque argenti a victore pacem mercari coacti sunt. Hochobochorum quoque oppidum, Albi conterminum, quod Odo legatus imperatoris et orientalium Saxonum praesidium tenebant, captum expugnatumque est a Vilizis, sociis Danorum.

Carolus postquam de his cladibus certior factus, absque cunctatione undique, qua latissime patet imperium, copias militares evocat ad seque quam primum properare iubet. ipse nihil cunctatus absque mora de Aquis Graneis progreditur, Rhenum celeriter transsit, ad Luppiam

9 pugnatu *B* 26 in potestatem *B*

amnem tabernacula figit ibique aliquot dies, veritus, ne paucitas sociorum sperneretur, maiorem manum expectare statuit. quo cum ex Galliis, Germaniis, Italia militares cohortes equitumque turmae provolassent, imperator infesto intentoque exercitu acieque instructa ad confluentes Alarae et Albis fluminum contendit; ibi castra ponit statuitque quam primum cum Godofrido confligere ipsumque domi suae armis lacessere omnemque belli impetum in Daniam transferre. nec ante pacem sibi cum huiuscemodi ferocissimis populis, alienis a religione nostra fore censebat, quam totum eum septentrionis tractum, omnes eiusdem cardinis nationes, Danos, Cimbros, Suionas, Fennos, Nordovicos, Gotos, Getas subegisset atque sub imperium obsequiumque vi et armis redegisset et coegisset. legiones, equitatus, auxilia, conmeatus, annona, pecuniae, stipendia militibus, impedimenta, tormenta, arma, machinae bellicae, cuncta denique ad tantam molem necessaria utiliaque adfatim comparata erant. verum omnis conatus frustra fuit; ira caeli, pestis gravissima in iumenta bovesque primum desaevit. uni monachorum praesuli una nocte centum boves dira lues abstulit, omen haud dubie copiis nostris infaustum. augustus, ne contra stimulum calces neve invitis superis levoque numine quicquam casurum in caput suum moliretur, a proposito destitit. nam et classis Cimbrica, audito imperatoris adventu, ex Frisia excesserat et Godofridus, dum Halietis anates venatur et aquilam a praeda avellit, a filio, cuius matrem pellice subinducta repudiarat, interficitur. Hemingus, nepos ex fratre, rex a Cimbris salutatur. isque primus de nece patrui ad imperatorem scripsit et missis legatis pacem et foedus a caesare supplex petivit et impetravit. duodeni utriusque aulae purpurati ad flumen Aegiduram coeunt, foedus feriunt; utraque pars solennibus ceremoniis ritu patrio religione iurisiurandi societatem sanciunt.

Eodem anno, qui fuit christianae aerae octingentesimus et decimus, Rhothruda, filiarum Caroli natu maxima, octavo idus Iunii moritur; sororis fatum in paucis post diebus subsequitur Pipinus. nam post mensem octavo idus Iulii regnum simul cum vita amisit. Magnus compositis rebus Saxonicis finitoque bello Cimbrico Octobri Aquas Graneas petit. ubi diversi exterarum gentium legati, Nicephori Constantinopolitani imperatoris, Abulazonis Hispaniae ulterioris sive Beticae ac Granatae regis, eius adventum praestolari nunciabantur. cum utrisque pax facta foedusque ictum. Hispanus Honoricum purpuratum a Saracenis iam pridem captum imperatori remisit. eius filius Ab-

16 coeli *B* 18 calces *sic A u. B*

15 verum — interficitur *Mon. Sang. II, 13* 26 duodeni — sanciunt *Ann. Einh. zu 811.*

BSB

diromanus Caesaraugustae praeficitur. Amorozus Oscae, at Nicephoro Venetiae redditae sunt.

Atque cum eius tribuno militari Arsaphio, Haedo, monachorum Richaviae magister et pontifex Basiliensis, ingenio et corpore eximio, qui iter huiuscemodi memoriae literarum conmendavit, Hugo, Turonum dux nobilissimus, Aego Foro Iulii oriundus, Byzantium legantur. cum ipsis Leo Siculus transfuga et Billaerus dux Venetus, dignitate ob perfidiam motus, Constantinopolim deportantur. sub idem tempus imperator Nicephorus a Vulgaribus a se saepius victis improviso noctis impetu ultra Saum in Moesia opprimitur, cum toto exercitu ad internecionem caeditur. filius Nicephori Stauracius saucius humerum vix Hadrianopolim evasit ibique imperator a Graecis salutatur. is iniquior nostris fuit. Populonium Tusciae urbem, Hetruscorum oppidum, dolo magis quam vi captum diripit; quamobrem nostri legati haud benigne hospitaliterque accepti, sed separati, Graecis ludibrio fuere. tandem contumeliose accepti, contumeliosius dimissi, cum magna rerum iactura difficultateque in Germaniam redeunt.

Interea apud Graecos Michael Curoplates, cognomento Rangabes, cui Nicephorus Procopiam filiam in matrimonium dederat, fratrem coniugis suae Stauracium a fastigio rerum perturbat, contubernio captorum includit; habenas orientalis imperii cum uxore arripit ab hocque in paucis inde diebus Michael episcopus, Theognostus praefectus equitum legati profecturi ad Carolum, qui Aquas Graneas habitabat, superveniunt in fines nostros. forte fortuna Haedo et Hugo, quorum iam paulo ante mentionem feci, apud imperatorem nostrum versabantur ipsique narrabant, quo pacto accepti a Graecis fuissent. vetus dictum est: ab alio expectes, quod alteri feceris. Magnus Graecos per longissimos maximeque devios anfractus Alpium sursum deorsum circumduci imperat, donec annona, pecunia, supellectile omni absumpta, egere inciperent. tandem ubi penuria omnium rerum adtriti, per sylvestreis calleis montium seducti ad Aquas Graneas perveniunt, ne hic quidem continuo et recta absque ludo in conspectum Caroli admissi sunt. siquidem cum per quatuor summorum aulae magistratuum conciones, quae ita ex industria subornatae erant, oberrarent et illos, quod corporis habitu cultuque caeteris praestarent, rati esse Carolum, suo more adorare et venerari conniterentur, verberibus ex composito pugnisque adfecti, extrusi sunt, ridiculo et ludibrio nostris fuerunt, proterve inludentibus nobilibus pueris ex caesarea cohorte et adclamantibus: non

3 — fines nostros *vgl. Ann. Einh. zu 811 und 812* 14 nostri — redeunt *Mon. Sang. II, 6* 24 — ominantur, *S. 491, vgl. Mon. Sang. II, 6, p. 671—673.*

est hic caesar. mos est proceribus nostris, adultos liberos principibus tradere ad munia haud multum a ministeriis servilibus abhorrentia. hi velut seminarium praesidum praefectorumque apud Germanos sunt. primum itaque Graeci in vestibulo regiae magistrum equitum in sublimi solio residentem, circumiecta ministrantium corona, offendunt. hunc suspicati esse principem, venerabundi salutant; in humum pronum corpus ritu patrio abiiciunt, sed, ut iam dixi, non sine ignominia propelluntur. deinde in praefectum praetorio in basilica inter aulicos concionantem incidunt atque, caesarem esse rati, protinus procumbunt, verum pari contumelia repulsi sunt. inde in archimagirum inter purpuratos et eos, qui ab epulis et a potu augusto erant, eminentem impingunt, ipsum itidem esse Carolum existimabant, at haud aliter hic, ac ab aliis excepti erant, tractantur. novissime ad palatia imperatoris et ad militarem cohortem ferro armisque nitentem et ad cubicularios eorumque praefectum devolvuntur. hi proximi foribus aedis, in qua Magnus versabatur, excubabant stabantque, ut egressum principem deducerent. Graeci pavefacti insolita rerum facie totque contumeliis saturi, iam oculis suis non satis fidentes, ne ipsi quidem augusto abunde fidem amplius habituri, incerti erant, quemnam pro principe ducerent, praefecti cubiculariorum pedibus, qui excellebat caeteros habitu ornatuque corporis, advolvuntur, ignorationem nunquam ante visi caesaris excusant. is eos manu allevat benigneque compellat; hic in praetorio augustum esse docet; ut quam primum admittantur, suam operam pollicetur. Magnus omnium rerum conscius, Graecis obviam proceres, qui illos honorifice ad se deducant, ire iubet. stabat augustus imperatorio cultu iuxta fenestram, innixus Haedoni Hugonique. dextra levaque Litavicus, rex Aquitaniae, Carolus filius, rex Germaniae et Galliae designatus, et Veronardus filius Pipini, rex Italiae. item caesareae puellae, reginae, filiae et neptes caesaris proxime adstabant. pone hosce ingens ducum, dynastarum, pontificum, praesulum et purpuratorum turba constiterat. quisque pro sorte sua, ut captus est Germanorum, cultus vestibus, auro, purpura, armis, gemmis fulgebat. Graeci insolita rerum facie, subito terrore perculsi, maxime quod Haedoni et Hugoni, quos ipsi ita contumeliis adfecerant, praecipuus honor haberetur, velut amentes et attoniti, non oculos tollere, non hiscere ausi, linquente animo in pavimentum incumbunt. Carolus eosdem allevari iubet, comiter excipit, benigne adpellat. ipsique paulatim recipientes spiritum ac vocem, cum iam dicturi viderentur, rursus Haedonem et Hugonem a se ita spretos in tanto honore esse conspi-

1 — Germanos sunt *vgl. Curt. VIII, 6.*

cati, conscientia delicti et periculi magnitudine corpora humi sternunt; nec prius surgere ausi, quam imperator persancte per supremam caeli maiestatem deierat, se peccato et errori ignoscere, veniam praeteritorum dare, ipsos impune absque omni maleficio incolomes abituros. ita accepta fide ubi animum resumpsere, legatione more gentis defunguntur, augusto genua ponunt, osculo mentoque humum contingunt, Carolum orbis terrarum rectorem (ut est gens adulandi prudentissima) mundique dominum sua lingua salutant. ipsi liberisque eius bene praecati, omnia fausta, cuncta prospera ominantur. pax inde, quae cum Nicephoro convenerat, et cum Michaele confirmatur legesque pacti in libellum rediguntur, qui Romae in templo divi Petri a Leone pontifice, senatu populoque romano, hisce Graecorum legatis domum repetentibus, traditur. atque ipsi Constantinopolim reversi, de caetero in Germaniam non venere.

At Magnus, ut solenne Francis fuit, conventum imperii ad Aquas Graneas celebrat. eo soluto in treis mundi cardines treis exercitus mittit. ipse interea ad classem contemplandam, quam superiore anno instrui imperarat, petit Bononiam, Flandrorum in ora oceani Germanici Belgicique sitam. in eius urbis litore turrim instaurat, cuius usus nocturno nautarum cursui ignes ostendere ad praenuncianda vada portusque introitum. ipse ignem incendit primus in vertice turris, quam pharon nuncupant a Pharo insula Aegypti adposita hostiis Nili, in qua Ptolemaeus secundus cognomento Philadelphus, rex Aegypti, huiuscemodi turrim maximam super quatuor vitreos cancros extruxit, navigantibus noctu lumen exhibentem; haec inter spectacula mundi recensetur. caeterum Pharos insula tempore Plinii Alexandriae ponte iuncta fuit, quae olim, Homeri nimirum aetate (quod mirari subit) noctis dieique velifico navigii cursu a continente aberat.

Sub idem, ut dixi, tempus ad septentrionem Linones, Vilizi, Velatabi, Sclavi atque Venedi, sinus Codani adcolae trans Albim, qui ad Danos desciverant, rursus in ditionem redacti sunt. Hochobochorum castrum superiore anno ab his excisum refectum est. idem impetus fortunae ab occidente Britanos cismarinos nova molientes domuit, in officio vi retinuit. orientali Boiariae limiti saevior procella impendebat. Michael Constantinopolitanus imperator infra Savum in Moesia cum Vulgaribus male pugnavit. victus ab hostibus et castris exutus, ob

2 coeli *B* 3 deieraret *A* 16 tres exercitus *B* 23 Ptolomaeus *B*

9 — deleverunt, *S. 493, 20, vgl. Ann. Einhardi zu 811, 812* 19 turrim — introitum *Plinius, nat. hist. 36, 83* 22 Pharo — aberat *Plin. n. hist. 13, 70; Hom. Od. IV, 354.*

res infeliciter gestas animo fractus, monasterio se abdidit. Leonti, Pardi patricii filio, orientis imperium concedit. victores Vulgares, a nobis dumtaxat Savo flumine separati, Boiariae metum incutiunt. nam in Boiorum regno reliquiae Avarorum et Venedi Histro contermini civili discordia laborabant videbanturque fenestram inrumpendi in Boiariam Vulgaribus aperire. missi sunt ab imperatore Carolus filius et duces cum copiis, qui cognitis rebus dissentientes ad concordiam revocarunt, controversias, lites diremerunt; atque hi cuncta strenue transegerunt. Canizaucus, Avarorum regulus, et Thuduno, Hunnorum rector, cum proceribus Sclavorum Venedorumque iussi ad Aquas Graneas se conferunt. ubi et Ancovinus et Hebbio, Hemingi regis Nordomanorum legati, cum muneribus adventum praestolabantur augusti. qui, posteaquam ei id renunciatum est, Bononia relicta, Scaldim fluvium, quem etiam Plinius Germaniae tribuit, Gandavosque petit. ubi classiariae naves parabantur materiaque caedebatur. medio deinde Novembri ad Aquas Graneas se recipit, legationes audit et absolvit. Carolus, filiorum Magni natu maximus, vita in Boiaria defungitur, pridie nonas Decembris, anno ab orbe servato octingentesimo atque undecimo.

Anno deinceps proximo ab aquilone bellorum turbo intonuit. Hemingus Danorum rector absque liberis mortem obiit; mox duo de principatu disceptare incipiunt. complacuit primum regnum dividi; sed cum inter eos de regni partitione non conveniret, scinditur studia in contraria populus Cimbrorum. pars Godofridi superioris nepotem Segifridum, pars Anylonem nepotem itidem Heroldi regis sectantur. ambo reges comparatis copiis armis decernunt ac eo praelio uterque regum periit. caeterum Anylonis pars superior fuit hique adversarios virium metu ad se trahunt. victi coacti sunt arbitrium victoris sequi, communi suffragio Reginofridum et Heroldum, fratres Anylonis reges, creant. cecidisse eo certamine super noningentos et quadraginta decem millia hominum proditum est literis. novi reges oratores ad imperatorem pacem petitum legant; Hemingum fratrem obsidem dant ultro. at imperator Hemingum fratribus remittit, sexdecim proceres Francorum in peninsulam Cimbricam foedus iureiurando solenni confirmatum proficisci iubet. reges tum aberant in ultimo septentrione, qua Britaniam et occidentem spectat; ubi nunc Nordovici nominantur, bellum gerebant. hisce gentibus perdomitis ad legatos imperatoris concedunt. in confinio Saxoniae Cimbrorumque utrimque sexdecim purpurati singulis, praeeunte scripto foeciali patreque patrato, iurant

8 dirimerunt *B*

14 *Plin. n. hist. IV, 98, 105* 32 at — exciderunt *vgl. Ann. Einh. zu 813.*

BSB

inter se pacem servaturos, eosdem pro amicis ac hostibus habituros. ita sacramento religionis ceremonia utriusque nationis foedus sancitum est, amicicia societasque inita. haec ubi fiunt, Godofridi regis filii et plaerique Danorum, qui pulsi patrio solo profugi apud Suionas iampridem exulabant, contracto coniuratorum undique haud contemnendo numero, multisque ad eos ex Cimbrica peninsula, quam Danomarchiam dicimus, provolantibus, cum iam speciem iusti exercitus haberent, aleam belli tentare, congredi praelio et acie cum Reginofrido et Heroldo certare statuunt. reges quoque absque cunctatione armati obviam procedunt, facultatem pugnandi faciunt. sed illi sine magno labore victi a regibus natali solo, penatibus, foco, aris exciderunt.

Interea dum haec ad sinum Codanum in extremo Germaniae Magnae angulo geruntur, ad mare Tyrrhenum in australi Italiae ora cuncta tumultu luctuque complentur. Saraceni Maurique ex Africa et Hispania cum conpluribus navibus solvunt, ad devastandam Italiam navigant. imperator cum valida manu ad defendendam Italiam Veronardum ex filio Pipino nepotem, item Vallonem Veronardi patruelis sui filium quam celerrime contendere praecipit. at Saraceni, pars Corsicam, pars Sardiniam insulas invadunt. Sardi fortiter se suaque tutati sunt; hostes pene ad internetionem deleverunt. Corsica ab altero Saracenorum exercitu foede crudeliterque devastata est; ingens praeda capta, magnus captivorum numerus abductus est. sed haud prospere haec victoria Saracenis cessit. nam redire domos conantes Irminogerion, Balearicarum insularum praefectus, ex improviso et insidiis adgreditur ac circumvenit; partem navium submergit, praedam excutit, octo navis capit, quingentos Corsicae insulae in hisce repertos captivitate liberat. caeteri Saraceni hancce cladem ulcisci, ignominiam abolere meditantur; Niceam Galliae Narbonensis, Centumcellas Tusciae urbes dolo captas diripiunt, incendunt. inde victores in Sardiniam adpellunt, sed a nostris victi pulsique multis amissis turpiter domos repetunt.

Vulgarum rex successu rerum impotens animi prosperitateque bellica inflatior, quod imperatores orientales saepius devicerat, Nicephorum occiderat, Michaelem castris exutum de Moesia exegerat, infesto intentoque exercitu ad Constantinopolim regiam orientis contendit, ante portam urbis castra locat. et cum moenibus incautius obaequitat, imperator Graecorum Leon, Pardi filius, eruptione facta ipsum graviter sauciat in fugamque vertit et retro domum ferre pedem in

11 foro *A u. B*
20 — magister *vgl. Ann. Einhardi zu 813 u. 814.*

Moesias compellit. ad hunc Leontem Byzantium missi sunt ab imperatore nostro ex more et longinqua consuetudine oratores. huiusce legationis fuere principes Amalarius archiflamen Treverorum, qui itinerarium conscripsit, et Petrus conlegii monachorum Nonantulensium magister.

Bella, quae Magnus per diversas orbis partes per septem et quadraginta annos (tot enim imperavit) continenter gessit, paucis et brevi impareque ingenio (fateor ingenue) exposui. quis enim ad alia festinans et tantulo spacio sibi ad vires conligendas concesso tanto oneri non succumbat? Homerum ista postulant; qui si revivisceret atque ab inferis rediret huicque ponderi manum admoveret, ludum iocumque prae hocce fuisse diceret unum bellum Graecorum, qui circa unam urbem decem continuos annos haesere. et licet eos victores faciat vatum antiquissimus, tamen si quis gentis dissensiones, altercationes, paricidia, homicidia, damna, caedes, exilia, naufragia conferat cum unius urbis direptione, similior sit victo, qui vicerit. Carolus regno Francorum, quod a patre accepit, tantundem et longe plura addidit. Francorum Germanorumque maiestas sub eo in summo stetit. Salam, Ligerim, Anassum amnes, Alpes maritimas, litoreas, Cottias, Iulias, Rhetias, Graias, Peninas, Noricas, extrema imperii Francorum, media fecit. antea sub ditione Franca erant Celtae, Narbonensis Gallia, Belgae, Germaniae, quae sunt in Gallia Celtica et Belgica, Suevi, Boii, Franci, Turogi, Frisii, Bathavi; subegit invictus armis Carolus in Franciam atque Germaniam transtulit hinc Aquitaniam, Longodocos, Vasconas, tractum omnem Pyrenei montis, Navarros, citeriorem Hispaniam usque ad flumen Iberum; illinc Italiam, regnum Longobardorum cum terrarum dea gentiumque Roma, Histros, Carnos, Liburniam, Venedorum marchiam, Dalmatiam, Sclavoniam, Noricum inferius, Pannonias, Hunniam, Avariam, Daciam, Saxoniam, Venedorum atque Sclavorum nationes ferocissimas et valentissimas: Sorabes, Moesos, Boiemos, Zechos, Moravos, Lusacios, Silesios, Bolios, Abotridas, Mechaloburgenses, Vilizos, Velatabos, Hammeloburgenses, Brandeburgenses, Pomeranos, Boruscos; atque hae gentes nunc intima Germaniae

23 Turogii *B* 32 Mecheloburgenses *B* *Am Rande in A:* Wilzi, qui et Liuticii; Odera a Pomeranis dividit; ad flumen Härelam Wilsenatum urbs 32 Brandenburgenses *B*

4 *Des Amalarius von Trier (809—814) Versus marini, gedruckt in Alkuins Werken, ed. Froben, II, a, 525. Vgl. auch des Amalarius Schreiben an Petrus v. Nonantula, Jaffé, Bibl. IV, 423* 6 — gessit *vgl. Einh. V. C. 15* 16 — Boruscos *vgl. Einh. V. Car., c. 15* 20 extrema — fecit *Florus p. 67, 9 (Jahn).*

BSB

Magnae a Sala et Albi atque sinu Codano usque Vistulam et Danubium incolunt; opulentissima ibi regna possident, quae loca quondam Suevi tenuere; imperio Francorum istaec omnia Magnus adiecit. tantum unius hominis virtus felicitasque valuit.

Cap. 8. Referam nunc, qualis fuerit erga exterarum gentium reges et in disciplina militari ac in rerum humanarum divinarumque administratione. deinde interiorem ac familiarem eius vitam, quibus moribus atque fortuna domi et inter suos egerit, paucissimis indicabo. ex quibus existimari licebit, longe alios mores, aliam vitam, alia instituta in prophanis et sacris maioribus nostris fuisse. ad quae si quis nostrum saeculum revocare contenderit, nihilo profecto plus agat, quam si det operam, ut cum ratione insaniat. extrema dementia est, cum inveteratis moribus pugnando nihil aliud quam odium sui quaerere. vulgatum apud Germanos proverbium est, canem vetulum esse indocilem. Hieronymus quidem se nequaquam deterreri adseverat, quo minus vera discat atque doceat et sibi ac suis canat, quamvis totus mundus errorum varietate sit repletus.

Caroli (inde enim digressus sum) amiciciam exterarum gentium orbisque terrarum maximi quique reges missis oratoribus atque donis ultro ambierunt. extant epistolae regum Britaniae, Angliorum Scotorumque et ulterioris Hispaniae. in his Carolum patronum nuncupant, se eius clientes profitentur. Persarum, Aegypti, Africae opulentissimi rectores peculiares et praeciosissimas suarum regionum miserunt opes. Persa vectigalia fructusque omneis Palestinae reddidit. imperatores romani Constantinus Copronymos, Leon quartus, filius eius, et nepos Constantinus quintus, pontifex, senatus populusque romanus sponte eidem perpetuam tribuniciam potestatem, morum legumque regimen aeque perpetuum detulerunt. Constantinopolitani principes, Irena augusta, Nicephorus, Michael, Leon Armenius, Pardi filius, praecibus crebrisque efflagitationibus foedus impetrarunt.

Disciplinam militarem severius exercuit; militibus, qui gnaviter fecerant, praemia constituit, negligentes ignominia notavit, ubique virtutis spectator extitit. in Saxonico bello cum duo gregarii milites facta testudine munitissimae urbis aggeres dissipassent ac portas effregissent, ambos ad se vocatos pro concione laudavit et ipsis praefecturam inter Rhenum Alpesque dedit. in eodem itidem bello duos tyrones, licet vulgo conceptos, fortiter in medio hostium agmine depug-

3 Tantum — valuit *l. c. 66, 8* 11 nihilo — insaniat *Ter. Eun. I, 1, 17* 12 — quaerere *Sall. Jug. 3, 3* 18 — impetrarunt *vgl. Einhardi Vita Caroli, c. 16* 33 in Saxonico — dedit *vgl. Mon. Sang. II, 2.*

nantes, inter cubicularios stipatoresque suos esse iussit. item duorum regulorum filii adolescentes, iussi ante praetorium noctu excubare, quod largius aequo vino indulserant, somno gravi opprimuntur. Carolus, ut eius mos erat, evigilat, noctu cum paucis clam castra circuit, explorat, num omnia rite fiant; ubi somno praepeditos offendit, praeterit quidem, ad tabernaculum redit. postridie tamen concilio vocato scisciatur, quidnam is conmeruerit, qui principem et caput Francorum hostium manibus prodiderit atque exposuerit. illi primi sententiam rogati suo se ense iugulant; huiuscemodi hominem capitali poena condemnant. Carolus illos graviter increpitos ignominiaque notatos exauthorat, caetera incolomes dimittit.

Milites datis nominibus sacramento adacti in eius verba iurarunt, se illi secundum deum devotissimos fore nec mortem pro eiusdem atque reipublicae salute recusaturos. vetuit, ne quicquam amicorum praeter herbam, ligna, aquam a militibus inter proficiscendum adtingeretur; neve alius alium ad bibendum provocaret aut cogeret, ebrium in exercitu de caetero aquam potare compulit. capitali animadversione eos punivit, qui absque missione castra atque militiam deseruissent. militiam sacramentumque detrectantes praediis, villis, agris, donis militaribus privavit, ea in alios contulit. censum (chunigosteuram et vanoleben vocant) quinque denarios modius frumenti quotannis pensitat; is, qui militiam detrectabat morbo aut senectute, aes illud mulcticium militareque pendebat. nam munia bellica censumque quam accuratissime exegit, quem germanicis vocabulis herischuldam, ipse et heribannum ab exercitu, vulgus raisogeltum, ab expeditione, nuncupat. et ut salubrem magis quam ambitiosum principem scires, ne templis quidem munia bellica, aes militare, utpote nervos, sine quibus respublica nequaquam salva esse possit, condonavit. Magnus non solum praedia stipendiaria, agros, prata, vineas, villas, molas, laterarias, calcarias et huiuscemodi reditus vectigaliaque, item iumenta, pecudes, mancipia, verum et propriam supellectilem praefectorum, praesidum, pontificum, faeminarum sacratarum et virorum descriptam habuit. iuxta multitudinem iugerum, agrorum, opum certus numerus militum, auri, argenti, iumentorum, boum, pecudum, rhedarum, vehiculorum, annonae, vestimentorum, paludamentorum, armorum, cataphrattarum, galearum, gladiorum, scutorum, hastarum, arcuum, sagittarum, pharetrarum, item ferramentorum (quae sunt palae, bidentes, ligones, rastra, cophini, dolabrae, secures, asciae, serrae) indictus et definitus est.

35 cataphrattarum *sic A u. B*

1 — dimittit *vgl. Mon. Sangallens. II, 3, l. c. 668* 34 — serrae *vgl. das in einer Niederaltaicher Handschr. erhaltene Capitulare v. 806; M. G. Leg. I, 145.*

BSB

Ea tempestate sacerdotes paucis victu, vestitu levi, parabili ac parco ad naturae desideria implenda contenti fuerunt, decimis victitarunt, de quibus nemini quicquam contribuerunt. at nunc misera est conditio imperitantium, qui expertes omnium vectigalium, universorum exortes tributorum sunt. cunctis opibus imperii praediisque regiis episcopi, duces, tetrarchae, dynastae incubant. hi ubi iniuria a quopiam adfecti fuerint, continuo officium caesaris, etiam illius periculo, implorant; ipsi interim nec reipublicae nec imperatori, etiamsi hisce procella ingruerit, quicquam penitus nisi grandi pecunia redempti praestant. eodem pacto cum ducibus fit et agitur. comites eorum, equites, monachi, mystae, quamvis beneficia populi et regulorum occupent, ipsi tamen huiusmodi munia a se in principem et egenos agricolas et cives (quibus nihil emolumenti, ne obulus quidem aut e fisco aerariove accedit) relegant. equites, quibus fiscus et aeraria serviunt, nisi auro oppignerati non parent. ita regna, regiones, urbes, pagi, oppida, principes caeteri omnes ad egestatem rediguntur; paucorum potentia divitiaeque in immensum subito crescunt. hisce moribus complura, quae maiores sanguine suo et multo sudore peperere, perdidimus, haud dubie et reliqua, quae aduc possidere videmur, nisi resipiscamus, amissuri. nullus delectus tyronum est, nulla praemia veteranorum; ultro militiam, non sacramento rogati religioneque adacti, levissimus quisque ac strenuus potator sectari solent nec de conditione moribusve aliqua quaestio.

Sunt autem nostro aevo militum Germaniae, quorum opera potissimum in bello Europei utuntur principes, genera tria. primos a Boiemia natali solo Boiemos adpellamus. hi clypeos, tormenta sive bombardas, gladios maximos, quos sarissas vocamus, ferunt; laboriosissimi sunt in castris, vallis, fossis, munimentis excitandis; in obsidionibus perferendis conmendantur plurimum. secundum genus collecticia manus est ex omnibus Teutonum regionibus. ipsi patria lingua sese landocnechthos, hoc est patriae ministros nuncupant. in conflictu, urbium oppugnatione praestant. tercium genus a pago Suitones nominantur; ipsi se Aedognothos alemanica lingua, quasi tu dicas foederatos, dicunt. liberi sunt et inmunes. omnis imperii. Basilea a Maximiliano caēsare mea memoria ad hos defecit. supra quam ea loca, quae olim Helvetii incoluerunt, non solum tenent, sed etiam implent. ex altera parte Rheni coniunguntur eis Rhetorum populi supra Comum, qui propriis vocabulis sunt Volturreni, Engadini, Graopyndi, Curiones; atque inter hos et medios internecinum odium est, licet eiusdem linguae

33 *Eidgenossen* 36 non — implent *Tac. Germ. 35.*

sint, eisdem armis, amazonia securi, hastis longioribus, pugione et bombardis utuntur. nequaquam simul stipendia factitare solent; diversos fere duces comitantur partesque contrarias sequuntur. Suitones quidem superbiae nobilitatis adversi, modestia, concordia, victus parsimonia, disciplina praeferuntur. verum vulgo male audiunt castiganturque, quod omnia auro posthabeant, nihil penitus praeter pecuniam spectent, ut apud quos omnia venalia sint, et fidem germanicam hactenus incorruptam, ab omnibus exteris conlaudatam concelebratamque ineluibili nota inusserint et macula labefecerint. verbis se membra imperii germanici profitentur, at factis pernegant, siquidem omnium bellorum et cladium, quas respublica christiana mea memoria perpessa est, ipsi fuere occasio. nempe magna mercede coempti a Galliae romanae rectoribus, qui iampridem vatibus insanis instigantibus (ut libenter homines id, quod volunt, credunt; huiuscemodi nugas publicatas in Gallia et Germania legi) orbis imperium invasere, bis Apuliam, regnum Neapolitanum subegere Celtis bisque inde cum Gallis ab Hispaniae regibus, caeterum militum Germaniae auxilio exacti sunt; atque ea regna aduc imperator Carolus maximus Hispaniarum princeps possidet. vetera praetereo; quae mea aetate contigere, brevissime paucis notabo. dum Carolus octavus rex Francigenarum morte repentina obiisset et Maximilianus Burgundiam regiam (nam duae sunt, imperialis et regia), quae iure et ex pacto ad se eiusque prolem redierat, recipere meditatur atque auxilia a Suitonibus promissa operitur, Litavicus, successor Caroli, longe maioribus ab illis copiis adiutus, Burgundiam intercipit, occupat, in qua, dum paucos ante annos iidem cum Hylderico duce Viridobergensi urbem Dison auspicio caesaris Maximiliani obsident atque iam urbs aut deditionem facere cogeretur aut expugnanda foret, licet ab augusto grandi pecunia conducti essent, nihilosecius tamen clamculum cum rege Celtarum paciscuntur, obsidionem solvunt, domum repetunt Hylderico deserto. qui ubi dolum sensit, clam cum paucis fuga sibi consuluit. ante haec quoque utrique Litavico Mediolanensi atque superiori belligerantibus auxiliares copias mittunt duceque cum rege aleam certaminis tentare parante praelium detrectant, ducem deserunt, ad Gallos deficiunt, regi Mediolanum subigunt, quasdam tamen urbes oportunas suis Alpibus intercipiunt.

7 et — avariciae esse, *in A u. B enthalten, fehlt in allen früheren Ausgaben. Von alter, aber wie es scheint, nicht Aventins Hand, steht am Rande in A:* Haec inter omissa. *In B ist die ganze Stelle eingeklammert* 9 menbra *A* 33 certamine *A*

14 ut — credunt *Caes. b. G. III, 18* 15 *In den Jahren 1495 und 1501* 27 *Im Sept. 1513.*

Mediolanensis praeses vivus in potestatem regis devenit, captivus in Galliam abductus ibidem mortuus est. eundem tamen regem empti a Venetis, licet hostibus imperatoris, eodem ducatu rursus vi et armis expellunt, Volturrenam vallem supra Comum, Larium lacum suo imperio coniungunt, Maximilianum, filium superioris Litavici Mediolanensis, a puero in Germania educatum, paterno principatui restituunt, cum liberis et uxoribus Mediolanum migrant, castella praesidio firmant. non longo post tempore quinto, antequam haec proderem, anno dum cum Arionisto regulo Boiorum studii gratia in Italiam, Mediolanum, inde Ticinum divertissemus atque coacti ob bellicum tumultum Mantuam ad Franciscum, urbis dynastam, amitinum Arionisti, fugam capesseremus, Franciscus Celtarum rex conlecticia aliorum militum germanicorum, qui ad ipsum contra intercessiones atque edicta imperatoris Maximiliani Lutetiam Parisiorum confluxerant, manu Italiam intrat, in agro Mediolanensi castra facit. pars Suitonum cum hoste paciscitur, accepta pecunia domum properat; reliqui a suis deserti non mediocri clade adficiuntur. sed haec omnia in duces exercitus praeclara Suitonum ingenia referunt. Maximilianus dux ut pater captivus abductus est in Galliam. subsequenti anno caesar evocatus a Mediolanensibus cum validis Suitonum copiis in Italiam arma movet, intento infestoque exercitu Mediolanum progreditur, castra ante urbem facit iamque irrupturus certior fit novem millia Suitonum ad hostes defecisse, urbem intrasse, cum Gallis se coniunxisse. imperator veritus perfidiam consilio caeterum militum Germaniae Rhetos supra Veronam Benacumque lacum petit, retro in Germaniam redit. rex Galliae Lugdunensis aduc Mediolanum possidet. idem Aedognothi superiore anno post mortem imperatoris Maximiliani Hyldericum ducem Viridobergensem in bellum impulerunt, sed ubi hostes audivere adventare, Hylderico deserto domum repetivere. verissimum est avaro nihil esse scelestius nullumque crimen avariciae esse.

Sed his omissis ad Carolum redeo. qui vetustissimae Francorum legi Salicae capita quaedam addidit, quasdam ex integro sanxit, ut de moneta, mensura, ponderibus, quae per totum romanum imperium ad aequalitatem redegit. item Galliam in quinos conventus divisit, Viennensem, Lugdunensem, Senonensem, Rhotomagensem, Rhemensem; his caetera oppida contributa; unumquodque ius in finitimo sibi conventu petere iussum. apud Germanos, quos Caesar vocat cisrhenanos, qui

16 properant *A* 24 caeterum *sic A u. B*

9 *vgl. Bd. I, S. 674* 17 *Bei Marignano, 13. u. 14. Sept. 1515* 31 — apud eum erat *vgl. Caroli M. capitularia, Mon. Germ. Leg. I, 106 flgd.*

in Gallia Belgica Celticaque habitant, iuridici conventus instituti sunt Vesontinus, Mogontinus, Treverensis, Agrippinensis, Cameracensis. sanxit Magnus, ut in primaria cuiusque regionis urbe, quam metropolim graeca voce dicunt, pontifex et praetor ter quotannis, Aprili, Octobri, Ianuario ius dicerent, responsa redderent et primum pauperes, viduas, pupillos, dato his prudentissimo patrono diligentissime audirent, inimicos reconciliarent. vetuit insuper Magnus, ne illi lites in diem differrent neve calumniis locum facerent, opulentos quidem ac locupletes, pontifices, praefectos, si qui in concordiam redire nollent, ad se, haud alio delegarent. sumptuarium decretum huiuscemodi iuri dicundo intentis promulgavit: quotidie pontifici quadraginta panes, gallinastras tres, porcellum unum, ova quindecim, de potu modios tres, de avena caballis modios tres, praetori panes triginta, modios duos, caetera tantundem statuit.

De portoriis singularique certamine complura sanxit, quae, quod nunc ludibrio sunt corruptis nostris moribus, prudens praetereo; illa iam vetera, sed optimi moris, quae nunc exoluerunt, utinam possent obtinere, referam. ebrietatem inhibuit, neve alius alii propinaret, sine discrimine universos ad evangelica oracula, ad placita Christi domini deique nostri sectanda coegit. nundinas diebus festis ademit. edixit quoque prophanum plus quam ter in anno de sacrosancto convivio, quod eucharistiam nuncupamus, vesci non placere. festos et solennes statosque dies Christo servatori nostro dicatos, nimirum natalem eius, calendas Ianuarias, quando more Iudaeorum circumsectus est, epiphaniorum sacrificium, ante octavum iduum eiusdem mensis solenne et lustrationis quarto nonas Februarii, annales vero ferias, quibus idem Christus revixit, mortem atque inferos superavit ac hisce triumphatis caelos conscendit et deinde in legatos suos spiritus aethereus inlapsus est, tantum celebrandas esse scivit; praeterea sacros religiososque dies in aestate, divo Ioanni Baptistae, divis Petro et Paulo; in hieme divo Martino (cuius sacra secum ferre consuevere reges Franci), Andreae, Stephano, Ioanni evangelistae et infantibus ab Herode contrucidatis adiecit.

Praecepit etiam, ut monachi, sacerdotes literis operam sedulo darent, emendate et recte scriberent, in omnibus contuberniis captorum et episcoporum aedibus pueros docerent. mendicis palantibus vetuit quicquam tribui, suos quamque regionem inopes alere; sanos, validos labore victum quaeritare ac desiderio sufficere manus iussit. idcirco opes ecclesiasticas in locupletioribus templis in tris divisit partes, duas

31 cuius — Franci *vgl. Mon. Sangall. I, c. 4, p. 633.*

BSB

egenis, terciam sacerdotibus adtribuit. in aedibus angustioribus donaria aequa lance inter egenos et sacerdotes bipartitus est. author et aliarum legum fuit, in quibus cavit, ne temere et passim sacrificiis interdiceretur neve cadavera in fanis humarentur neu sacerdotes avariciae Venerique dediti essent; ut pontifices officio publice in templo docendi plaebem fungerentur; ut sacerdotes avariciam, gulam, cauponas, negocia prophana, familiaritatem mulierum evitarent aut sacerdotio caederent aut tribu moverentur; ut fures, homicidae et huiuscemodi crimina conmittentes, si ad asylum templumve fuga elapsi forent, repeterentur atque vi eriperentur. quod si quis monachorum pontifexve praefectusve illos reddere recusaret, satisdaret damni infecti conpensandique praestaret, promitteret, si illorum quispiam aufugisset, id non sua opera esse factum, iuraret. ius assidue summa diligentia dixit, nonnunquam mane, dum indueretur, tanta temporis iactura apud eum erat.

Nulli plures ducatus praefecturasque aut sacerdotia concessit, dictitans, sibi et alios demerendos beneficiisque oppignerandos esse. in episcoporum senatum haud temere quempiam adlegit; eruditionem atque bonitatem in cooptandis illis potissimum spectavit. neminem nisi antea sibi probatum et cognitum creavit. nam eum ordinem ad pristinum modum et splendorem a divo Paulo praescriptum reduxit. curiose cavit, ne quis avarus aut ambitiosus luxuve perditus unquam pontificalem apicem adipisceretur. Hyltegardae reginae petenti pro sacrificulo suo, idem proceribus aulae rogantibus, respondit: ‚idoneo, etsi pauperi iam destinavi; imperatorem mentiri aut falli non decet, ut obtrudat superis, cuius vitam, mores, ingenium ignoret et tantone oneri par sit, conpertum non habeat'.

Episcopum Mogontinum, quod lituum aureum, distinctum gemmis, instar caesarei sceptri usurpasset, severissima coercuit oratione; eidem avariciam et superbiam pro concione propalam exprobravit indignabundus et clamitans: ‚en', ait, ‚pastores nostros, crucem Christi professos, qui spreta cura et pascendarum ovium sollicitudine, ostentatione, opibus, luxu imperatorem quemvis opulentissimum lacessant.' quemdam pridie feriarum divi Martini designatum episcopum, quod is auctus tanta dignitate, amicis coenam exhibens et, uti fit, mero sese nimium onerans, somno deinde oppressus, noctu divinis rebus non interfuisset, rursus sacerdotio movit, intolerabilem negligentissimumque fore ratus, qui primo die sibi non temperarit, ut sui compos deum ad iracundiam non

29 exprobavit *A u. B* 37 temperarat *B*

13 — indueretur *Einh. 24* 15 — habeat *vgl. Mon. Sangall. I, 13, 4, l. c. 642, 634* 27 — lacessant *vgl. Mon. Sangall. I, 17, l. c. 645* 32 — provocaret *vgl. Mon. Sang. I, 5, l. c. 635.*

provocaret. item alium laetiorem ob pontificatum donatum atque gestientem et ab humo in equum absque scamno sive subpedaneo uno impetu subsilientem revocavit: ‚vales', inquit, ‚ut video, viribus et eques haud malus es; tua opera in bellis, ubi tua virtus enitescat, indigeo; proinde ignobili et imbecillo oves et gregem pecudum relinque'.

Publica opera plurima fecit. ex quibus praecipuum est templum deiparae virginis, aduc toti Europae venerabile, ad Aquas Graneas, ex adverso palatinae domus, cui et porticus et procerum aedes ita circumiectae, ita extructae fuerant, ut undique paterent ex praetorio prospectanti. columnae marmoreae Roma Ravennaque devectae. Tanco monachus Suevorum, divi Galli consecraneus, tintinabula fudit. aedes sacras vetustate conlapsas aut alio quovis modo absumptas reficere pontifices et patres finitimos praecepit et, ut maturius quaeque perficerentur, praetores praefecit. veteres pontes, naves, portus, vias et huiusmodi minora monumenta praetoribus suis reficiunda distribuit, maiora et nova conmuni omnium episcoporum, monachorum, equitum impensa construxit. neminem, qui beneficia fisci, aerarii populive possideret, inmunitate donavit. Mogonciaci Rhenum ponte iunxit, cuius longitudo erat quingentorum passuum; tanta ibi est latitudo amnis. decem annis per vices opera Europae extructus est, perpetuus fore visus. anno, antequam decederet, de caelo tactus, tribus horis conflagravit, adeo ut ne vestigium quidem relinqueretur; pro ligneo lapideum restituturus, prius ex hac vita migravit. excitavit a fundamento duas regias: unam haud procul Mogonciaco apud Angilaemos, alteram Neomagi (urbs est inferioris Germaniae). viam quoque ab Agrippinensi Colonia Parisiorum Luteciam tenus munisse atque stravisse vulgo refertur.

Ad tutelam Germaniae, Galliae, Italiae classes reparavit, binas instruxit, adversus Nordomanos et Saracenos. naves iuxta flumina, quae ex Germania atque Gallia, Italia in Oceanum mareque Tyrrhenum defluunt, fabricavit. in omnibus portubus et hostiis fluminum, qui navium patientes erant, stativa classiariosque habuit tutasque Germanias, Italiam, Gallias, quantum praevideri humana ratione potuit, etiam in posterum praestitit. Nordomani, qui nunc Dani, a veteribus Cimbri dicti, assiduis incursationibus Gallicum litus infestum reddebant, Saraceni sive Mauri Italiae Galliaeque crebro inminebant. Carolus captivos horum pueros atque infantes ad ensem metiri solebat; quicunque excedisset ensem, capite obtruncabatur. ideo nullum grave detrimentum

37 excedisset *sic A u. B*

1 — relinque *vgl. l. c. I, 6, l. c. 637* 6 — depraedati sunt *vgl. Einh. V. Car. c. 17, 26; Mon. Sangall. I, 28, 29 l. c. 659 flgd.*

neque Italiae a Mauris neque Germaniae et Galliae a Nordomanis adiunctum est; dumtaxat Centumcellae, Ethruriae oppidum, ac Nicea, Galliae Narbonensis civitas, a Saracenis proditione capta atque vastata; et in Frisia quasdam insulas proximas litori Nordomani depraedati sunt.

Quatuor habuit uxores. adolescenti mater eius Bertha Irmogardam filiam Desiderii regis Italiae conlocavit; verum cum ea divortium fecit. deinde Hyldegardam Suevam in matrimonium accepit, ex qua tulit tres mares, Carolum, Pipinum et Litavicum totidemque filias, Ruthrudam, Bertham, Gisalam. defuncta Hyldegarda Vastocratam Franconum genere procreatam duxit. ea duas filias peperit, Hyldrudam et Ruthaidam. post mortem Vastocratae Litogardam Alemanam connubio sibi iungit, ex qua nihil liberorum tulit. habuit et plurimos liberos ex concubinis. nam Glariovinda de Saxonum progenie oriunda Adalodrudum, Reginopyrga Drugonem et Hugonem, Adalolitha Theodericum progenuit. Gisalae sorori matrique praecipua officia praestitit, maximos honores tribuit. matrem in coenobio divi Dionysii, ad sextum a Luthecia Parisiorum lapidem, apud Pipinum patrem condidit. eorum monumenta inspexi, dum in urbe Parisiorum philosophiae ante annos duodeviginti operam dedi.

Maxima cura liberos educavit, nunquam domi sine ipsis coenavit, nunquam iter fecit, quin filii adaequitarent, filiae vehiculo extremo agmine claudente subsequerentur. ipsos liberalibus studiis, quibus ipse operam dabat, institui iussit. mares, simulac per aetatem licuit, more Germanorum equis, armis, venationibus exercuit, foeminas vero etiam lanificio, colo fusoque, ne ocio torperent, adsuefecit. atque hae cum admodum pulchrae essent, nullam earum nuptum dedit usque ad mortem; causabatur se earum consuetudine carere non posse. in hacque re fortuna eum destituit. nam filiae probro impudiciciae notatae, vulgo male audierunt; sed ea sive crimina sive maledicta patienter tulit dissimulavitque. duos filios, Carolum et Pipinum, unam dumtaxat filiam Ruthrudam amisit. filium Pipinum gibbosum ex concubina, cuius nomen non traditur, supra commemoravimus. Pipini liberos ut suos educavit. Veronardo paternum Italiae regnum concessit. Adolaedam, Haedulam, Gunthradam, Berthaedam, Theodoratham inter filias enutrivit.

Amicicias romanorum pontificum et adfinium constantissime retinuit; peregrinos et hospites humanissime (qui vetus est Germanorum

21 adaequitarent *sic A u. B*

5 — enutrivit *vgl. Einh. V. Car. c. 18, 19* 18 *Im Jahre 1503; vgl. Bd. I, S. 660* 28 & 29 *Suet. Aug. 71* 36 — nanciscerentur *vgl. l. c. c. 21, 27.*

mos, sicut inter inlustris annalium authores constat) excepit. multa in eos beneficia effusius contulit. eorum multitudo non solum aulam, verum totum Francorum quoque regnum praegravare videbatur. at Carolus fisci detrimentum fama genuinae hospitalitatis benignitatisque gloria conpensabat. in pauperes et egenos munificentissimus fuit; in Syriam, Aegyptum, Aphricam et, ubicunque christianos in egestate et inopia vivere accepit, pecuniae ingentem numerum misit. Asiae et Aphricae regum societatem ambivit, ut inde christiani, qui illis parerent, quicquam emolumenti nanciscerentur.

Cibi potusque parcissimus erat; in potu tamen temperantior, ut qui ebrietatem in quolibet, infimae etiam conditionis homine, nedum suis, velut mali ominis abhorreret; lege data eam prohibuit. coena quotidiana quaternis dumtaxat ferculis praeter assam, qua maxime delectabatur et quam venatores verubus inferre solebant, constabat. in coena non amplius ter fere neque temere interdiu bibit. aestate pro potione sumebat aliquid pomorum et semel dumtaxat bibit. convivabatur rarissime et hoc celeberrimis tantum diebus festis, magno convivarum numero. inter comedendum lēgebantur ei historiae et antiquorum regum gesta.

In quadragesima ob ministeria octava coenabat; quum hora nona demum prandere consuetudo esset, post rem divinam vesperi factam. quod et Prudentius hisce carminibus docet:

Nona submissum rotat hora solem,
Partibus vixdum tribus evolutis,
Quarta devexo superest in axe, Portio lucis,

Episcopum, qui gulae causa anteverti horam calumniabatur, ieiunium servare praecipit nec quicquam vel gustare permittit, donec ipse, hinc duces, dynastae, ministeria cuncta deinceps comedissent; ita episcopus demum post multum noctis fame tabefactus coenitare permissus, re ipsa doctus est, quamobrem imperator anteverteret horam. non hic horae aequinoctiales, sed cuiusque diei, quas inaequales et planetarias vocant, significantur. fraus nunc fit a sacrificulis decreto, vespertinum sacrum sacrificio iungunt, ut perpetrata re divina vesperi fieri solita eodem tempore comedere videantur. id enim ieiunium primum dumtaxat sacerdotibus solenne fuit, sicuti in pontificalibus libris legi et Ausonius testatur hoc carmine: Et devota pii celebrant ieiunia mystae.

12 caena *B* 22 *in A von Aventin nachgetragen:* in hymno post ieiunium, qui incipit: Christe servorum rex 23 sumissum *A* 33 sacrarum *B*

10 — aperuit *vgl. l. c. c. 24* 12 velut — abhorreret *Suet. Aug. 83* 20 — factam *vgl. Mon. Sangall. I, 11* 22 *Prud. Cath. 8, 9* 26 — horam *vgl. Mon. Sangall. I, 11* 36 *Auson. Idyll. 1, 2.*

BSB

Noctu dum in cubili cubaret, capiti pugillares supponebat; si quippiam utile (ut fieri in lectulo solet) in mentem veniebat, adnotabat, ne memoria laberetur. somnum quater aut quinquies non solum expergiscendo sed surgendo etiam interrumpebat. aestate interdiu binis aut ternis pomeridianis horis condormiebat. mane dum amiciebatur ac calciaretur, non solum amicos salutatum, sed et litigantes admisit et eorum decidit negocia iusque dixit, tanta parsimonia temporis erat. eo quoque tempore officia et quicquid fieri tota die placeret, breviariis aperuit.

Corpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quae tamen iustam non excederet, quam Eginardus scriba eius septem pedum fuisse tradit. caput habuit more Germanorum rotundum, oculos itidem, ut Germani, caeruleos, praegrandes et nitidos. vultu erat tranquillo et sereno. nasus paululum mediocritatem excedebat. in senecta canicie pulcra fuit, cervice obesa et breviore, ventre proiecto, sed qui conmoditate et aequitate menbrorum occuleretur. incessu fuit firmo et tota corporis habitudine virili, voce clara, minore tamen, quam quae proceritati conveniret. authoritas dignitasque plurima sedenti ac stanti non defuit. usus valitudine prosperrima, tempore vitae pene toto inlaesa, nisi quod per quatuor annos, quam ex hac vita migraret, crebra febri corriperetur, ad extremum uno pede claudicaret. et tum quidem valitudinem suo arbitratu rexit, sine adiumento medicorum, quibus infensior erat, quod assis, quibus delectabatur, interdicerent et elixis uti suaderent.

Vestitu, calciatu et caetero habitu, patrio, hoc est teutonico, utebatur, non multum a vulgari abhorrente. subucula, tunica artus singulos exprimente, quae serico limbo ambiebatur, thorace pellicea tibialibusque lineis muniebatur, amictus insuper sago Veneto, ense semper accinctus, cuius capulus, ut balteus, aut aureus aut argenteus erat. celebri festo aut quando exterarum gentium legati venissent, veste, gladio, diademate aureis atque gemmatis prodibat; peregrina atque exotica vestimenta, praeciosa quamquam, omnino contempsit. Romae bis dumtaxat Hadriano, item Leone pontifice maximo enixius orantibus togam, chlamydem calceosque more romano sumpsit. etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit, qui is, quem describam, erat. pagus Boiariae in Norico est, ad Maticham flumen, inter Iuvavum Oenumque amnes cubat; Murocircum vocant; ibi in templo

19 & 22 valitudine, valitudinem *B* 32 preciosa *A*

1 — laberetur *vgl. l. c. c. 25* 10 — suaderent *vgl. l. c. c. 22* 25 — sumpsit *vgl. l. c. c. 23.*

duo equites, gypso cocti, positi conspiciuntur franco vestitu. calceamentis utrimque lora trium cubitorum innexa sunt; tibialia, foeminalia linea ac vermiculata fasciolis eiusdem coloris constringuntur. atque haec omnia lora superiora cancellatim intendebantur. extremum vestimentum paludamentum quadrangulum, caeruleum et duplex, quod humero iniectum, lateribus utrimque patet; ore eius priores posteriosque usque ad calcem plantamque perveniunt.

Franci inter Gallos militare soliti, eorum sagis virgatis breviori-busque uti iam coeperant. at Carolus visa quondam bracchatorum turba indignabundus exclamavit: ‚en liberos Francos, qui eorum, quos vicere, vestimenta haud bono omine et inauspicato usurpant; quid ista pittaciola prosunt? totum non operiunt corpus, maxima ex parte nudum relinquunt neque a pluviis ventisque defendunt, quin etiam ad naturae necessaria secedenti tibiae congelascunt'. edixit denique, ne de caetero huiusmodi gallica saga in Germania aut venderentur aut emerentur a quopiam.

Hieme ut est Germaniae mos vetustissimus longinquaque consuetudo, rhenone ex pellibus lupinis ovillisve muniebatur. cumque apud Forum Iulium hibernaret ac videret Francos exoticas pelles, peregrina vestimenta a Venetis mercatoribus magno emptitare huncque sericatum, illum gemmatum, istum armillatum, alium manuleatum cycladatumve procedere, omnes, uti vestiti erant, secum venatum pluvia inminente proficisci imperavit vestibusque hisce imbre corruptis, spinis atque fruticibus, dum feras insequuntur, conficiunt, dilaniatis cruore atque sanguine oblitis, domum revertit iussitque universos mox secum in praetorium coire atque eodem habitu secum coenare. ob frigus tum omnibus ad focum certatim considentibus convivium ad multam noctem protraxit. postridie iisdem indutos amictibus cunctos apparere iubet. tum ubi huiusmodi indumenta partim imbre, pluvia, sentibus dilacerata, cruore oblita, partim igne, rugis constricta, proinde rapta discissaque conspexit, lupinas pelles, quas, uti fieri solet, aere siccarat, integras ostendit; ‚stolidissimi mortalium', inquit, ‚quod vestimentum nunc utilius preciosiusve est, meumne drachma comparatum an vestra tot libris atque integro patrimonio coempta?'

Exercitationes equestres, venatorias, quae illi gentiliciae erant,

35 venatoreas *B* gentilicia *A u. B*

1 *Ueber die zwei Reiterstatuen von Mauerkirchen vgl. Sighart, Geschichte der bild. Künste in Baiern, I, 122* 1 *Zum flgd. vgl. auch Mon. Sangall. I, 34, l. c. 666* 8 — quopiam *vgl. Mon. Sangall. l. c.* 9 visa — Francos *Suet. Aug. 40* 17 — coempta *vgl. Einh. V. C. c. 23 u. Mon. Sangall. II, 17, l. c. 693—695* 35 — lavit *vgl. Einh. V. Car. c. 22.*

nunquam omisit. Germani enim a puero illis ita exercentur, ut nulla gens alia eis aequari possit. animi laxandi causa lavacris oblectabatur; saepius calidis utebatur lavandoque crebro natatu se exercebat, adeo ut omnes nando superaret. ideo ad Aquas Graneas (quibus Serenus Granius legatus Germaniae cisrhenanae Hadriano imperante tam celebre apud posteros nomen dedit) regiam extruxit; ibi extremam aetatem egit. ad balneum non modo liberos, sed proceres etiam ac amicos admisit. nonnunquam et caeteros aulicos custodesque corporis invitavit; interdum plus quam cum centum hominibus lavit.

Eloquentissimus fuit, copiose simul ac perspicue et ornate de quacunque re dicturus erat; perorabat usque ad extemporalitatem. utraque lingua, romana atque germanica, iuxta facundus ac promptus; nam linguam latinam iuxta patriam, hoc est teutonicam calluit. graecas quoque literas adtigit, quas tamen melius intelligeret quam pronunciaret. arteis liberaleis studiosissime coluit. audivit in eis Albinum genere Saxonem Angliumque virum optimum, eius tempestatis undecunque doctissimum, quem fere secum, ubi a bellis feriae erant, in aula magno honore detinuit. habeo rhetorica dialecticaque, quae Albinus rogatu Caroli scripsit. cosmographiam et descriptionem orbis terrarum in mensa argentea caelatam habuit. astrorum disciplinae plurimum operae navavit; abaco exercitatissimus, caeli syderumque meatus atque naturam curiosissime rimatus est. rem quoque musicam apud Latinos auxit, cum apud Romanos, nempe ecclesiasticos, quatuor dumtaxat tropi sive modi, Phrygius, Dorius, Lydius, Mixolydius, quos vulgus cantorum tonos autentos (ἀυτέντους, id est clamosos, ἀυτή enim clamor, ἀυτέω voco, resono graecum est) vocat, hactenus in usu fuissent. ne Latini ulla ex parte Graecis caederent, ducem a comite divisit, quatuor subditicios modos a quatuor primariis distinxit, octo tropos fecit; illos cantores plagios, id est, obliquos graeco vocabulo nuncupant.

Admodum delectabatur libris divi Aurelii Augustini, praecipue iis, quos de civitate divina inscripsit. ingenia saeculi sui omnibus modis fovit. artium liberalium doctores praeter caeteros egregie veneratus

5 *Vgl. oben S. 204, 21* 10 *zum flgd. vgl. l. c. c. 25, 29* 19 *jetzt Cod. lat. Monac. 13034, früher in der Stadtbibl. Regensb. Die Handschr. enthält den Dialog Alkuins über Rhetorik und Dialektik, Stücke aus den latein. Feldmessern und des Hyginus Poeticon astronomicon. Aventin hat diesen Schriften viele Noten beigeschrieben und am vorderen Deckel einige Zeilen eingetragen, deren wesentlicher Inhalt in folgenden Sätzen des obigen Kapitels:* rem quoque musicam — tropos fecit; artium liberalium — beneficia conferens; carmina sacra — Warnefridum a sacris *wiederkehrt. Vgl. W. Meyer, Ein Bruchstück von Avcntin; Forschungen z. deutschen Geschichte, XIX, 240* 19 — habuit *vgl. l. c. c. 33* 30 — inscripsit *vgl. l. c. c. 24.*

est; magnis illos adficiebat honoribus, plurima in illos beneficia conferens. constat quosdam celebres e ludo literario in aulam receptos, sacerdotia locupletissima et pontificatus consecutos fuisse. o si mihi, inquibat, fata duodecim Hieronymos Augustinosve concederent. subiunxit stomachabundus praeceptor eius Albinus, suavis homo: qui duodecim postules, cum suprema illa atque aeterna maiestas tanto temporis spacio duos dumtaxat habuerit?

Linguam patriam, hoc est teutonicam, locupletavit. mensibus et ventis germanica vocabula a quatuor mundi partibus imposuit. Subsolanum Osten et Oster, Austrum Suden et Sunder, Aquilonem Norden, Favonium Besten, Bester nuncupavit. ex hisce caeterorum vocabula, uti a Graecis factum est, composuit. mensibus quidem istaec nomina fecit: Ianuarium ab hieme Bintermen, Februarium a cessando Hornum, Martium a torpore Lenzinmen, a paschalibus Aprilem Ostermen, Maium a gaudio Bunnenmen, Iunium ab arando Brachomen, Iulium a foenisecio Heumen, Augustum a messe Aerenmen, Septembrem a satione Bitonmen, Octobrem a vindemia Beinomen, Novembrem ab autumno Herbistmen, Decembrem a natalibus Christi Haeligenmen appellavit. scripsit et grammaticam patrii sermonis, quam extare aiunt; conatus est regulis ac praeceptis cultiorem et elegantiorem ad aemulationem Graecorum Romanorumque linguam teutonicam reddere omnique barbarie exuere. teutonica et antiquissima carmina, quibus heroum, sicuti mos est Germanorum, gesta canuntur, scripsit et memoriae mandavit.

Liberalia literarum studia, poene iam, ut ipse ait, incuria maiorum obliterata instaurare summopere connisus est. et ut sui exemplo ad ea amplectenda caeteros invitaret, ex Hibernia duos Scotos, Clementem et Albinum, accivit, ut tum erant tempora, eruditissimos. item ex Anglia alterum Albinum evocavit. Albinum Scotum Ticinum misit ibique ludum literarium aperire iussit. conmilito huius Clemens mandato Caroli in Lutecia Parisiorum consedit eique Magnus annonam, stipendia e fisco tradit. procerum pauperumque pueros, ingenuos modo, erudiendi causa tradidit, conmisit, ut nostro aevo imperator Maximilianus Viennae Noricorum factitavit. Albinum Anglium secum detinuit, inde divi Martini coenobio in agro Turonum sito, ubi doceret, cum in aula non esset, condonavit. Valdonemque Richaviae magistrum ad divi Dionysii templum in agrum Parisiorum ex Suevia docendi ergo trans-

14 tempore *st.* torpore *B* 15 Bunnomen *B* 18 Herbstmen *B*

3 — habuerit *vgl. Mon. Sangall. I, 9* 26 — transtulit *vgl. Einh. V. Car. c. 25; Mon. Sangall. I, 1 u. 2, l. c. 632.*

BSB

tulit. et cum longo post tempore in Galliam divertisset, pueros, quos Clementi conmiserat, epistolis, versibus, carminibus, orationibus, panegyricis, scriptis, ut periculum de eorum ingenio atque indole faceret, sibi exhiberi iubet. ubi tenuiores praeter spem profecisse, nobiles vero gaudiis corporis deditos, cultum animi neglexisse depraehendit, illis ad dextram segregatis: ‚vos quidem macti virtute', inquit, ‚estote, filioli pientissimi, qui nostro imperio naviter defuncti estis, vestra erunt sacerdotia locupletissima et pontificatus maximi. ego vos in aulam adscisco; ex vobis senatores cooptabo; vos in album praetorum et patrum curiam adlegam'. deinde ad nobilium liberos, quos a leva conlocarat, vultu haud iram dissimulans, ait: ‚at vos, comatuli et delicatuli, freti opibus et splendore parentum, nostram maiestatem conspre-vistis, vicia, ocia, luxum et inertiam bonis literis virtutibusque, contempto decreto nostro, praetulistis; iubeo et Deum inmortalem testor, nihil penitus commodi, honoris, ne obolum quidem ab imperatore vestrō, cuius iussa aspernati estis, expectate; faxim, ut omnibus mortalibus ludibrio vivatis, et in vos exempla edam, nisi resipueritis et negligentiam diligentia expiaveritis'.

Universos quoque veteris ac novi instrumenti libros, librariorum imperitia lectorum oscitantia, interpretum inscicia et incuria temporum depravatos ad amussim et veritatem fontis correxit. extat publicum decretum. nec sivit, ut tanti imperatoris verbis utar, in divinis lectionibus templisque inter sacra officia inconditos solaecismos barbarismosque inconcinnos obstrepere; in quibus quidam religiosuli nostra memoria sanctitatem conlocant, quasi vero erroris aut insciciae turpitudo, praestigiosae atri genii tenebrae iraque superum deo optimo, scientiae et sapientiae largitori fabroque complaceant. atque illi crabrones iniquissimo ferunt animo, quod nostro demum felicissimo Christo propicio saeculo, Erasmus Roterodamus (quo nemo multis iam aetatibus utilior christiano contigit orbi) iussu Leonis decimi pontificis maximi novi instrumenti sacros libros ad Graecorum fidem, hoc est veritatis fontem, emendavit.

Ad Carolum revertor. pietatem christianam reverentissime a teneris unguicalis coluit. rei divinae, quacunque hora solitae fieri, interfuit. omnem gravitatem severitatemque procul omni levitate in templis prae se tulit. carmina sacra et ritum cantandi, quo propitiari superos credimus et, quemadmodum nostro aevo aduc in templis fieri

2 cum epistolis *B*

1 — expiaveritis *vgl. Mon. Sangall. I, 3, l. c. 633* 33 -- Saliburgium, *S. 511, 24, vgl. Einh. V. Car., c. 26, 30—33.*

solet, instituit per Paulum Varnefridum a sacris. qui etiam, malo actus genio, Sexti Pompeii Festi viginti prolixa de verborum significatione volumina in compendium, quod venale circumfertur, redegit, Carolo dicavit. cum Graeci apud Aquas Graneas patriis ceremoniis rem divinam facerent et psallerent, Magnus, occulte subauscultans et captus dulcedine cantus, iussit, ut sui sacrificuli eiusmodi numeros exciperent. indicto conventu principum supra modum avariciam in sacerdotibus detestabatur. conventus episcoporum, sacerdotum per regnum, Mogonciaci, Turonis, Rhemis, Cabillone, Arelatico egit; de vita, moribus, honestate sacerdotum plaeraque statuit; ne hisce legibus fraus ulla fieret, summopere cavit.

Mortem eius, de qua dehinc dicam, evidentissimis ostentis praecognitam fuisse, Eginardus quidem author est. verum quae superstitiosiora levioraque, quam ut huic operi a me inserantur, philosopho atque christiano homini videantur, qui est devotus persuasioni, cuncta a supremo numine administrari. anno igitur ab orbe restituto octingentesimo super tercium decimum, cum morbo senectuteque praegravatus, extremum finem haud procul abesse praesentiret, ut omnem discordiae ansam praeriperet, Litavicum filium suum ex Aquitania ad se vocatum consilio principum augustum adpellat. Aquas Graneas regni Francorum caput regiamque perpetuo fore statuit; ubi hactenus ex more imperatores nostri inungi atque coronari solent. dimisso inde in Aquitaniam filio non praeter solitum reliquum autumni venando exegit. unde calendis Decembribus ad Aquas Graneas reversum ibique hiemantem gravis febris mense Ianuario invasit. morbum abstinentia, ut solebat, aut mitigare aut pellere conanti laterum dolor accessit. quem dum inedia temperare conatur et corpus dumtaxat potu refovet, septimo, posteaquam succubuit, die defecit et excessit ad superos, hora diei tercia, 5. kalendas Februarii, anno vitae secundo atque septuagesimo, potestatis septimo et quadragesimo, restitutae salutis octingentesimo atque quarto decimo, indictione septima.

Ipse de sepulchro funereque nihil mandarat. humatus est in templo deiparae virginis, quod ad Aquas Graneas condidit. ubi aduc religiose colitur et eius sepulchrum reverenter aditur atque monstrari solet. nam anno Christi servatoris nostri 1166, indictione 14, impera-

15 *Am Rande in A*: addictus.

3 *Ueber diesen Auszug des Paulus vgl. Teuffel, Geschichte der römischen Literatur, 492* 4 — exciperent *vgl. Mon. Sangall. II, 7* 7 — cavit *vgl. Ann. Einh. zu 813* 24 Novembr. *Einh. V. C. 30* 35 *Nach unserer Zeitrechnung vielmehr 29. Dez. 1165; vgl. Hermann. Altah., Mon. Germ. Scr. XVII, 384.*

tore Friderico primo caesare augusto imperante in numerum caelitum relatus est.

Testamentum ante triennium, quam decederet, fecit. gazam omnem atque regiam supellectilem, caesareum cultum, aurum, argentum, gemmas, vestimenta, stragula praeciosissima rerum et vestium, vasa praeciosae artis universa, aedium palatinarum instrumenta, aeramenta, ferramenta, arma, discos, pocula, pateras, cantharos, trullea, pollubra in duodecim partes more veterum divisit. nam, ut ait Varro, multa antiqui duodenario numero finierunt. liberos dumtaxat ex uncia haeredes instituit. itidem unciam legavit aulico famulicio; pauperibus atque egenis dextantem, nempe reliquas partes largitus est. auream quoque mensam, item tris argenteas, in quarum una Neorhoma, in altera vetus Roma, in tercia orbis terrarum descriptus erat, quas multo conparavit, vendi, praecium pauperibus distribui iussit per archiflamines, iuxta quorum numerum legata paupéribus in unam et viginti portiones divisit. quippe tot primariae urbes, quas Graeci metropoleis vocant, in imperio Caroli erant, quarum nomina subtexui: in Italia Roma, Ravenna, Forum Iulii, Gradus. Mediolanum censebantur; Alpium maritimarum et Cottiarum Ebrodunum et Tarantasia; in Gallia Narbonensi (quae verius Italia quam provincia, ait Plinius) erant Vienna et Arelas, quae et Arelate; Aquitaniae Burdigala et Bituriges; Celtarum Senones, Turones, Lugdunum, Belgarum Rhemi, Rhotomagus, Vesontio; Francorum Agrippinensis Colonia, Treveri, Mogonciacum, Iuvavia, quae et Saliburgium.

Cap. 9. Imperator Litavicus Pius, filius Caroli, vivente aduc patre, superiore anno, quam is decederet, conmuni principum decreto caesar designatus, nuncupatus est continuoque in Aquitaniam rediit, ubi degens de morte parentis fit certior, crebris legationibus in Germaniam invitatur. Valo pronepos Pipini consanguineus plurimum in aula apud Carolum potuerat. huius potentia et authoritas formidolosa Litavico erat. aliud quoque accedebat malum. sorores eius, uti supra conmemoravi, vulgo male audiebant, quod sub patre licentius, quam maiestas domus caesareae postularet, et liberius, quam necesse est probis, vixissent; nam sunt nonnulli, qui ita existimant, eas parum honeste pudiciciam habuisse atque cuilibet etiam infimae conditionis prostituisse. has ob causas Litavicus, ne se absente aut seditio aut tumultus abs novarum rerum cupidis sceleratis exciıaretur (quemad-

35 etiam *fehlt B*

8 *De lingua latina, V, 4, p. 36 Sp.* 20 *Plin. n. h. III, 31* 25 — interiit *vgl. Vita Hludovici imperatoris, c. 21, Mon. Germ. Scr. II, 618.*

modum fere fieri solet, ubi capite orbatum est imperium) maturandum putabat, alioquin patientius mortem quam decora suorum ferre consuetus.

Primum ad Veronardum regem Italiae, nepotem suum ex fratre, oratores mittit postulatum, ut is patruo ad Aquas Graneas occurrat. deinde cum copiis Valam, Varonerium, Landobertum, Iungobertum praefectos et amicos suos praemittit, quam maximis itineribus Aquas Graneas properare iubet mandatque, ut operam dent, dissimulando observent, ne quid interim flagicii conmittatur neve stuprorum conscii fuga elabantur praecipiántque exteros et populares adventum novi principis praestolari eique cuncta integra servare. ubi hi ad Aquas Graneas venere, Varonerius conmunicato consilio cum Landoberto, caeteris conlegis Vala et Iungoberto ignorantibus nec consultis, Hodoenum quendam, quem libidinosissimum esse et stupri consuetudinem in aula fecisse constans erat opinio, ad se venire imperat. is conscientia scelerum, se vocari, ut compraehenderetur, ratus, venit quidem, sed armis et pravo animo instructus; nam admissus Varonerium nihil mali suspicantem interficit, Landoberto crus frangit, ipse a ministris Varonerii gladio confossus interiit.

Litavicus interea per Aurelianorum, Parisiorum, Haristalliorum agrum cum uxore et liberis tercio calendas Martii, tricesimo post Caroli obitum die ad Aquas Graneas pervenit. ibi a Germanorum principum, pontificum maximo numero honorificentissime excipitur, ritu patrio inungitur et secundo senatusconsulto plaebisque scito imperator et augustus adpellatur. testamentum deinde parentis aperit recitatque in senatu caesareo solvitque legata fide germanica, hoc est, summa; sororibus quoque testata repraesentat. verum coetum foeminarum maximum aula exigit praeter paucissimas, probitate et castitate insignes, quarum ministerio regia carere nequibat. postea (licet natura in ulciscendo lenissimus esset, ut eidem cognomen tum Pii merito inditum sit) consortes flagitiorum, participes caedis superioris omnes in vincula coniicit, nulli eorum ignoscit. vita quidem donatos luminibus privat, fratres suos tondi in monasteriisque concludi praecipit; multitudinem principum sibi reipublicaeque perniciosam fore arbitrabatur.

Deinde legationes exterarum nationum, maxime Leontis imperatoris Constantinopolitani absolvit, cuius oratores Christophorus ab ense et Georgius a sacris cum Hamalario et Petro, quos a Carolo ad Graecos legatos fuisse diximus, advenerant. cum Graecis suos quoque Nordobertum episcopum Reginensem et Richovinum praefectum Patavinum,

19 — deducit, *S. 514, vgl. Einh. ann. zu 814, l. c. 201; Vita Hlud. l. c. c. 21—24.*

ire iubet, qui solenni ex more foedus inter principes, orientalem occidentalemque initum de integro renovarent. eodem anno conventum procerum imperii ad Aquas Graneas cogit, sacramenta apud se dicere maxime praetores, prorsus nihil munerum accepturos, iubet. ipsis pauperes summopere conmendat. vetat insuper, ne populum extraordinariis tributis novisve servitutibus expilent. nulli delegavit officium, ut non adiiceret: ‚vide, quid agas; non hominis, sed dei optimi maximi minister es, eidem sacramento authoratus es; et agamus, ne quis popularium nos accuset. quodcunque iudicabis facturusve es, in te redundabit. ita tecum agetur, quemadmodum cum alio egeris. non est enim apud dominum deum nostrum iniquitas aut cupido acceptiove personarum. rex deus omnibus idem, qui nos ad rerum humanarum fastigium provexit, ut inopes plaebemque suam ab iniuria potentiorum servituteque divitum defendamus et adseramus, non ut populi labore atque sudore partis abutamur ditemurque. cardo et summa religionis christianae in amandis, promerendis egenis consistit. hi caelos possident, ab ipsis locupletes et potentissimos quosque mercari oportet. exiguo conceditur misericordia, potentes potenter tormenta patientur. honoratissimus atque maximus titulus, quem deus peculiariter sibi vendicat, usurpat, pauperum propugnator, pupillorum tutor, viduarum curator. huic administrati imperii sui reddemus rationem‘.

Posthaec Grimoldo duci Beneventano grave tributum depraecanti, inopiam et mediocritatem rei familiaris excusanti, annuum vectigal diminutum. antea vicena quina millia nummum, quos solidos vocabant, fisco reddebat; iussus est septena dumtaxat millia quotannis pendere. Veronardus quoque in Italiam revertit iussu augusti, qui eodem tempore Saxonibus patrias leges, ius testandi, quae pater ademerat, restituit. haec quidam maligne, alii benigne interpraetabantur, ut nemo omnium est, ne deus quidem optimus maximus, cuius cuncta facta inculpata sint apud universos; hi clementiae, illi imperitiae tribuebant. eadem tempestate Reginofridus et Heroldus reges Danorum a filiis Godofridi, qui vires recuperarant, armis invaduntur ad fortunamque praelii irritantur. nec illi certamen detrectant, sed victoria penes Godofridi liberos fuit. Reginofridus bello occidit, vitam simul cum regno amisit. Heroldus fratre amisso rebus suis diffidens, ad imperatorem aufugit, se illi in fidem conmittit opemque ab eo postulat.

Caesar Veronardum ex Italia ad se revocat; filios reges nominat. Lutharium filium regem Boiorum nuncupat, Boiorum illi regnum (quod a Lyco ad Savum amnem protendebatur, hinc Boiemiae, Venedis, Franciae antiquae, illinc Italiae conterminum erat) conmittit, in

Boiariam eundem migrare iubet. Boiariae orientalis limitibus Helmovinum, Albogerionem, Pabonem et Geroldum praeficit. Pipinum alterum filium in Aquitaniam dimittit, Litavico aduc puero secum retento. Heroldum regem Nordomanorum in Saxoniam deducit. ibi Badobrunnae substitit hucque conventum totius imperii indixit. adfuere legati orientalium Sclavorum primores. caeterum Heroldum per Valdoricum legatum suum et Saxonas Venedosque reducere in Cimbricam peninsulam frustra conatur. nam filii Godofridi validissimis praesidiis, classe insuper ducentarum navium comparata regnum mari terraque tenebant. nostri nulla re memorabili gesta ad imperatorem in Saxoniam revertuntur.

Rumor tum erat sine certo authore, romanos proceres in Leonem pontificem conspirasse huncque authores coniurationis contrucidasse. aegre ferebat imperator, id in urbe sua absque suo iussu fieri. idcirco compositis Venedis Cimbricisque rebus, Heroldo Saxonibus commendato in Saxoniaque dimisso, soluto concilio Francophoron proficiscitur. inde Veronardum nepotem, regem Italiae, domum remittit; Romam eundem ad inquirendum et cognoscendum, quae temere audierat, proficisci iubet. Veronardus ubi Romam venit, aegritudine praepeditur, verum Geroldum praefectum suum, item Ioannem episcopum, Theodorum a commentariis Sergio duce legatos pontificis romani ad satisfaciundum augusto in Germaniam ire imperat. interim Leo pontifex morbo corripitur. atrox oritur tumultus Romae. imperator, ne quid respublica detrimenti caperet, Romam, ut urbis suae turbas sedaret, profecturus, comperit negocium a Veronardo rege, missis eo cum Vinogiso praeside Spoletano copiis esse compositum; quamobrem ex Germania excaedendum sibi haud quaquam existimavit.

Porro Lutharius rex Boiorum, quorum regnum a Lyco flumine ad Savum amnem protendebatur atque hinc Francis, Turogis, Venedorum nationibus, Sorabis, Boiemis, Moravis, illinc Italiae continuabatur, in orientali Boiariae limite, sicut parens mandarat, Albogerionem, Helmovinum, Pabonem, Geroldum quatuor limitum praefectos ex Boiorum nobili prosapia oriundos instituit. hos tutari terminos contra Vulgares iubet. ipse in superiore Boiaria in pago Lycatiorum, Therobetham contubernium divo Benedicto, item alia duo divo Aurelio Augustino conlegia instituit. unum apud Damasiam et propter lacum Ambronem

26 excedundum *B* 31 Helmovinum, Albogerionem *A*

1 — praeficit *vgl. Conversio Bagoar. et Carantanor., M. G. Script. XI, 11* 4 — existimavit *vgl. Einh. Ann. zu 815, l. c. 202* 28 — instituit *wiederholt; s. oben S. 513, 37 flgd.* 34 *Thierhaupten* 36 *Diessen am Ammersee.*

iussu et mandato Lutharii regis Boiorum mystis Augustinianis construitur, architecto Rathardo sacerdote ex nobilissimis Boiariae proceribus procreato, cuius frater Hanto pontifex Augustae Rhetiarum templum inauguravit. alterum eiusdem regis mandato Hitto pontifex Fruxinensis condidit, nempe aediculam divi Stephani in monte, qui proximus Fruxino inminet; Aurelianis consecraneis tradidit; sex in conlegium sacrificos cooptavit, septimum magistrum, qui caeteris praeesset, constituit. post ducentos annos imperante divo Honorico secundo Romanorum principe, duce Boiorum tercio, idem templum traditur ceremoniis Benedictinis, sacerdotes in aedem divi Viti ad radicem eiusdem montis migrant, ubi aduc habitant.

Saxones Franconesque in Sorabes, Schlavos, qui ab imposito iugo resilire conabantur, excercitum ducunt unoque castello dumtaxat expugnato gentem ad obsequium redigunt. Vascones quoque, qui trans Garumnam circa Pyreneos montes considerent et ob Segivinum ducatu ab imperatore motum rebellarant, domiti sunt. tum Romae Leo pontifex urbis defunctus est. Stephanus quartus ei sufficitur. is continuo ad imperatorem, ut author fieret, legatos misit seque ad eum venturum aperuit. caesar Rhemorum urbem petit, ibi episcopum romanum, missis ante obviam, qui eundem deducerent, honorifice et reverenter excepit sacrisque veteri more perpetratis consecratus est anno christianae salutis 816, mense Octobri. hisce confectis Stephanus Romam, Pius Conpendium se confert; consumptis hic viginti diebus ad Aquas Graneas in hiberna pergit auditque exterarum gentium oratores, qui pacem et foedus petebant, Abdiromanum, filium Abulazi regis Saraceni Hispaniae, Nicephorum a Leonte orientali imperatore ob Dalmatiam dividendam missum. certamen erat de finibus utriusque regni; Cadalo limitis Dalmatici dux, Albogerion nepos Ungerochi cum quibusdam Italis Schlavisque Dalmatiae finitimis illuc in rem praesentem ire iubentur iureque potius quam armis disceptare. reges quoque Cimbrorum, filii Godofridi, ob crebras Heroldi incursationes legatos de pace ad imperatorem mittunt, dolo tamen; qui ubi patuit, Heroldo auxilium contra eosdem decretum est.

Inter haec Stephanus quartus primarius urbis Romae sacerdos moritur; Paschalis primus succedit. qui missis legatis ad Pium cum munere et epistola se confirmari petit. nam pontificem maximum ante

2 — inauguravit *vgl. De fundatoribus monast. Diessen, M. G. Scr. XVII, 329* 4 — migrant *wohl nach Arnpeck de gestis episcop. Frising. bei Deutinger, Beyträge, III, 485* 12 — pergit *vgl. Einhardi Annales zu 816* 24 — interiit, *S. 517, 25, vgl. Einhardi Ann. zu 817, 818; Vita Hlud. imp. c. 26—30.*

populus romanus creabat, augustus author fiebat; illum nunc flamines, lege a se lata caeteris exclusis, sufficiunt. Adalovinus quoque Reginoburgensis episcopus tum obiit et Bathuricus ab imperatore sufficitur.

Subsequenti anno dum Pius Aquis Graneis tercio die ante paschalia e templo redit, porticus lignea corruit; imperatorem et viginti homines ruina operuit; augusti auris dextra vulnerata, femur dextrum iuxta genitalia trabe collisum, pars sinistra imi pectoris capulo gladii adflicta; sed cura medicorum intra vicesimum diem curatus est Pius. qui inde Neomagum profectus, venationi operam dedit. post ad Aquas Graneas reversus, conventum primorum regni more Francorum agit. interfuere filii eius Pipinus rex Aquitaniae, Lutharius rex Boiorum. de sacerdotum ibi luxu imperator leges tulit, quibus pontificibus, monachorum patribus, universis denique sacerdotibus vestimenti praeciosi, serici, gemmarum, auri, argenti etiam in balteis, cultris, vaginis, faleris, calcaribus et huiusmodi usus interdicitur. dicere solebat Pius, portentum abominabileque inferum ludibrium, aris addictum devotumque sacris, qui paupertatem Christi amplecti, crucem eius portare deberet, ad gloriam luxumque prophanorum aspirare. sed episcopi, praecipue Galliarum, iniquissimo haec acceperunt animo. eodem concilio Litavicus eum quoque diem, quo deipara virgo terris relictis in senatum caelitum adlecta est, fastis addidit celebrarique praecipit.

Conventu soluto postea in praetorio Angilaemorum prope Mogonciacum Graecanici caesaris legatos audit absolvitque. inter haec Abrotridae, Venedorum natio trans Albim, veteres Francorum socii ab imperatore ad reges Cimbrorum, filios Godofridi, deficiunt Saxoniamque vastant. post mortem Trasichonis reguli Abrotridarum Schlomarus ducatu eius gentis donatus est a Carolo, Caeadrogo filio Trasichonis aduc impubere inmaturoque rebus. is ubi adolevit, a Pio partem paterni regni impetravit. Schlomarus iussus cum eo dividere regionem, nimis impatienter tulit; iuravit se nunquam in imperatorum conspectum aut aulam posthac venturum. nec hoc contentus, foedus atque societatem cum regibus Danorum init; exercitum terrestrem navalemque accipit. classis igitur Nordomana per Albim ad Eisoveltas usque navigat, Sturiae flumini contermina loca depopulatur. Gelomus dux Nordomanici limitis pedites cum Abotridis ducens, ad superius castellum terrestri itinere processit; verum cum nostri fortiter se defenderent et copiae missae ab imperatore praefectique limitis Saxoniae (quibus mandatum erat, ut terminos sibi conmissos tuerentur) ad auxilium obsessis provolarent, hostes domum retro discessere.

In Italia Veronardus, nepos imperatoris ex fratre, quorundam

BSB

pravorum consultorum consiliis obsequens, omnis aditus in Italiam patruo praecludit, universas urbes in sua verba iurare cogit. authores huius conspirationis episcopi erant, Anthelmus Mediolanensis, Volipholdus Cremonensis, Theodulphus Aurelianensis; proceres vero aulae, Eggideus, amicorum regis primus, Reginardus, cubiculi praefectus, Reginardus, Meginaerii filius, cuius avus Harthradus olim in Germaniae Francia cum multis ex ea regione nobilibus adversus Magnum conspirarat; Celtae et Itali Veronardo, Belgae et Germani augusto favebant. ad hos motus conprimendos imperator ex omni Germania Galliaque comparato quam celerrime exercitu in Italiam contendit. Veronardus a suis desertus, rebus suis diffidens, armis abiectis apud Cabillonum Haeduorum urbem Burgundiae patruo se dedit. quem caeteri secuti, non solum se tradunt, sed ultro etiam, non admoti quaestionibus, omnem technam huius rebellionis detegunt. augustus omnibus adversariis in suam potestatem redactis in annum sequentem, qui fuit restituti orbis octingentesimus duodevicesimus, ad Aquas Graneas, cum ibi hiemasset, in Maium mensem conventum imperii indicit. ubi procerum sententia iuxta leges romanas salicamque rex cum sociis omnibus et consciis adfectatae tyrannidis lesae maiestatis reus peragitur capitalique supplicio condemnatur. verum imperator nepotem vita donatum, luminibus dumtaxat privari, monasterio concludi iubet; bona publicata confiscataque sunt. episcopi decreto tribu sacerdotum moti sunt in coenobiaque relegati. Veronardus in paucis post diebus sive ex vulnere sive, quod verosimilius est, ignominiae dolore atque moesticia interiit. reliquit filium Pipinum, qui tres liberos procreavit, Veronardum, Pipinum, Haeribertum.

Eodem anno Moromanus Britonum praefectus regem se adpellat, totam Britaniam citeriorem occupat. imperator cum omnibus copiis Britaniam petit, in Venedorum urbem concilium primorum convocat, adversariorum munimenta expugnat, Moromanum tyrannum praelio interficit. quo caeso tota Britania, ne uno quidem refragante, ad imperatorem redit, obsides dat, obedienter imperata facit. caesar subactis Britanis dimissisque copiis in Andium urbem revertitur ad uxorem Irmogardam, filiam Ingerami, quam ibi aegrotantem reliquerat. ipsa altero die, quam Pius advenerat, mortem obiit, quinto nonas Octobris. reliquit tres filios reges, Lutharium, Pipinum, Litavicum.

Imperator Rhotomago, Ambianis, Cameraco, Haeristallo in hiberna

3 Vilopholdus *B* 24 *Das erste* sive *fehlt in B* 25 tris *A* 34 *Am Rande in A:* Ingermani. 36 Heristallo *B*

25 reliquit — Haeribertum *Regin. chr. zu 818* 27 — committit *vgl. Einh Ann. zu 818; Vita Hludovici c. 30 u. 31.*

ad Aquas Graneas maturat. ibi Beneventanum ducatum mortuo Grimoldo Sigoni conmittit. Schlomarum regulum Abrotridarum captum a praefectis limitis Saxonici atque sibi exhibitum a popularibus ob perfidiam graviter accusat, in exilium deportat. itidem Lupum Vasconum procuratorem, quod pacem intertŭrbasset, cum Berinogerione Tolosatium ac Varino Arvernorum praeside pugnasset, eo certamine fratrem Garsandum amisisset, in exilium agit. post natalem Christi deinde conventum ad Aquas Graneas cogit. pontifices, monachos, sacerdotes vitam Christi, authoris nostri, legatorum eius aemulari, spretis negociis prophanis literis operam dare, sacrae philosophiae studere, pueros docere, libros omnium professionum scribere iussit, scivit; ne sacratas quidem foeminas ab hoc labore liberavit. extant passim in bibliothecis cuiusvis generis libri in membranis, quos virgines sanctae scripserunt. monachos, captas ad unum vestitum ritumque vivendi Pius redegit. legibus quaedam capita addidit. festum omnium caelitum diem in calendas Novembris transtulit. hisce confectis Iuditham, filiam Veliphonis dynastae Suevorum, sororem Chunradi et Rudolphi, quorum posteritas potita est Boiaria, quemadmodum in sexto narrabo libro, matrimonio sibi iunxit.

Interea, dum haec fiunt, Litavitus Schlavus ob negata, ut prae se ferebat, stipendia rebellat, magnum incendium in orientali Boiaria excitat, tractis in suas partes Vulgaribus, Carnis et quibusdam Charionibus. Pannoniam inferiorem occupat, eam igne, ferro vastat. ingens exercitus abs Pio adversus eundem mittitur. mandatum Bornae duci Dalmatiae, Cadalocho praefecto Foroiulii, Valdorico et caeteris Boii limitis procuratoribus, ut darent operam, ne quid maleficii hostis nobis inferret. hi copias Litaviti in ripa Dravi fluminis contra Charinos missas adsecuti caedunt, fundunt, delent, ex regionibus nostris hostes propellunt.

Cum ipso Litavito Borna dux Dalmatiae, Dramagosus socer Litaviti, sed fidem genero praeferens, propter Colampium amnem confligunt, sed victi fuga sibi consulunt. Litavitus victricia signa in Dalmatiam transfert, cuncta depopulatur et caede incendiisque complet. Borna cum impar viribus esset nec aperto Marte cum hoste congredi auderet, in castellis et locis munitis se continet; ex insidiis pugnans opportuneque erumpens, vires hostium paulatim carpsit. tria millia tandem uno praelio interfecit, trecentos equos coepit; impedimenta di-

1 Granias *A* 6 Avernorum *B* 20 *Am Rande in A:* Liutweit [Liudewitus *Einh. Ann.* 22 Carionibus *B* 25 *Am Rande in A:* Waldreich 28 missos *A u. B*

2 — coegit *vgl. Einh. Ann. zu 819.*

ripit; praeda magna potitus est; Dalmatia denique hostem excedere coegit.

Hoc bello scriptus est codex, qui ex membranis conpactus, monstratur in Monachorum monasterio, quod a patria mea decem millia passuum occidentem versus hiemalem, in ripa Ilmi conditum extat. sunt in illo libro descriptae vitae divorum a Paschasio e graeca lingua in romanam translatae; item Hilarion divi Hieronymi, adeo antiquis literis, ut mihi repuerascendum et ad prima elementa redeundum fuerit. haec ad verbum in calce leguntur: hic liber fuit inchoatus in Hunia in exercitu, anno domini 819 4 nonas Iunii et perfinitus apud sanctum Florianum pridie idus Septembris, in hebdomada quinta decima.

Dum haec in oriente geruntur, in occiduo sole Pipinus filius caesaris Vasconas, sublatis seditionis authoribus, vi et armis in officio continuit. Heroldus rex Danorum ab imperatoriis copiis in septentrionale Germaniae regnum reductus, a Godofridi filiis consors imperii recipitur. caesar soluto conventu, quem Angilaemis Iulio mense egerat, primo Cruciniacum, inde Bingium petit; ibi naves conscendit, Rheno secunda aqua ad Confluentes Mosellae navigat, ubi in Arduenna sylva more solenni venationi indulget. postea in hiberna ad Aquas Graneas concedit; quo in Ianuario frequentes proceres, cives, sacerdotes coire iubet. adfuit et Borna Dalmaticus praeses; huius consilio Litavitus hostis iudicatus atque proscriptus. eidem bellum indicitur decretumque fit tribus exercitibus perfidum hominem compescendum atque eradicandum esse. praeterea Bero praefectus limitis Histriae accusatus, quod cum hostibus sentiret, capitis supplicio condemnatus est. at clementia principis servatus, in exilium agitur.

Tres sub idem tempus iussu Pii exercitus congregati, diversis itineribus contra Litavitum Schlavum procedunt, intra Savum Dravumque coniungere vires iussi. primus ex Italia per Alpes Noricas magna difficultate, renitentibus hostibus, sero ad definitum locum pervenit. alter quoque Franconum ac Saxonum per Danubii ripam ad Dravum amnem pervenit; in transseundo flumine et profluvio ventris graviter adflictus est. Boii vero secundiore usi fortuna per Charionum regionem ter hostibus victis, Dravo amne superato, in Pannoniam penetrarunt; ibi tum superiores exercitus operiunt; qui cum serius venissent, coeunt, vires coniungunt, ferro, igne, quicquid hostium fuit,

3 menbranis *A* 10 IIII N Jun. *A u. B*

4 *Mönchsmünster. Die Handschrift ist nicht in der Münchener Hof- u. Staats-Bibliothek* 13 — concedit *vgl. Einh. Ann. zu 819* 21 — subsequitur *vgl. l. c. zu 820.*

devastant. nullo detrimento accepto, Litavito nusquam adparente (qui in quodam munitissimo castello, in arduo monte sito, sese abdiderat) domos abeunt. Carni, qui circum fontes Savi sedes habent, et Charionum pars, qui ad Litavitum defecerant, a nostris recepti sunt.

Abulazaro quoque regi Hispaniae Saraceno bellum indictum. octo naves mercatorum a Sardinia in Italiam navigantium a latronibus mare infestantibus interceptae. piratae Nordomani tredecim navibus Flandrensem oram invadunt, sed a limitaneis ducibus fortiter repulsi sunt; paucae casae incensae, non magnus pecorum numerus abactus incuria et negligentia praesidentium. inde ad hostia Sequanae delati latrones similia tentantes eadem a milite litora custodiente perpetiuntur. tandem in Aquitania appellunt potiunturque vico, cuius praeda ditati ad naves discedunt. hoc anno iuges pluviae corrupere fruges prohibuereque eas maturescere; ipsae in arvis conputruere. eluvies aquarum in autumno sementem fieri inhibuit. atrox pestilentia hominum boumque subsequitur.

Imperator Februario ad Aquas Graneas rursus conventum principum cogit, de belli gerundi in Hispania et orientali Boiaria ratione consultat. placuit triplici exercitu vastari hostes. mandatum limitum praefectis ulcisci ferro, flamma perfidiam rebellantium. interim mense Maio frequentes proceres Neomagi conveniunt. Arno archiflamen Boiorum tum obiit. Adoloramus a Pio nonis Iunii in eodem oppido eius sacerdotio donatur. is mortuo Theoderico sacrifico Charionum (quem Arno constituerat) Otonem Venedis Illyricum, Noricum, Pannonias, Liburniam incolentibus pontificem sacrificulum creat, quem chorepiscopum illi, nos suffraganeum vocamus. caesar soluto conventu Treverorum Augustam, deinde Mediomatricum urbem petit. in Vosegi saltu more gentis venatur. inter haec Borna Dalmatiae legatus vita defungitur. nepoti eius Ladae Venedo genere ducatus ab imperatore conmittitur. Fortunatus patriarcha Gradensis amicissimus Litavito, ob hoc ab augusto accersitus, Constantinopolim aufugit. medio Octobri celebris tercio principum conventus fit Theodoviae. solenne fuit quondam nostris regibus et imperatoribus quotannis concilia cogere, praecipue Maio mense, ubi a singulis exactum iusiurandum, futuros in potestate principis. apparuere tum cum amplissimis muneribus Theodorus ac Florus, legati romani episcopi.

Pius socios Veronardi ab exilio revocat, ipsis praedia reddit. Adolardum praesulem, eius fratres Valonem, Veronardum, cognatos et

23 sacrificio *B*

17 — conficit *vgl. Einhardi Annal. zu 821.*

propinquos suos, quos in Corbeiense monasterium deportarat, restituit. publico piaculo saevitiam, quam in nepotem eiusque factionem et sectam perpetrarat, luit. cum fratribus, quos invitos sacris iniciarat, in gratiam redit.

Lutharium filium caesarem adpellat, consortem imperii legit; eidem Irmogardam Hugonis filiam despondet. inde ad Aquas Graneas cum filio et nuru remigrat; ubi nuptias maximo apparatu conficit anno christianae aerae octingentesimo vicesimo primo, uti hoc Bathavensis templi diploma significat, cuius inicium: in nomine domini dei et salvatoris nostri Iesu Christi, Hludovicus et Hlotarius, divina ordinante providentia imperatores augusti ob petitionem (inquit ille) dilecti filii nostri Hludovici regis Baioariorum et Geroldi comitis dedimus monasterio nostro Chremisa in pago Troungeu, ubi Sigehardus abbas, dono territorium in pago Grunzwiti iuxta montem Sumerberch, ab oriente a Summerberch usque Dreisina, ab Hohogepleiching inde sursum usque territorium episcopi Bathavensis, inde ad austrum usque Heribrunum, in occidente usque ubi Flinspach exit de sylva, ab aquilone, ut sylva pergit ad dictum locum. signum Hludovici serenissimi imperatoris. signum Hlotharii gloriosissimi imperatoris. Durandus diaconus ad vicem Fridagisi recognovi anno Christo propicio 15, imperii domini Hludovici serenissimi imperatoris et Hlotharii 6. actum Aquisgrani palacio regio.





Cap. 10. Eodem anno Lutharius in urbe Vangionum, Litavicus Aquis hiemavit. Caeadrogum rumor fuit pacem fecisse cum regibus Danorum. quocirca inimicus eius Schlomarus ab exilio revocatur, Abotridis praeficitur. qui cum in Saxoniam venisset, morbo correptus, lustralibus aquis expiatus, decedit. sequens annus, qui est Christi 822, prodigiis portentisque nobilitatus est. apud Turogos cespes sesquipedalis subito in aera sublatus, ab eo loco spacio pedum quinque et viginti integer reperitur. in confinio Saxoniae et Moesiae terra intumuit in modum aggeris surrexitque iuxta lacum Arnoseum quasi vallum tribus millibus passuum in longitudinem. hiems solito longior fuit; altissima Galliae et Germaniae flumina, Danubius, Rhenus, Albis, Sequana gelu constitere acutissimo per glaciem quasi in continenti trecenis amplius diebus; plaustra ultro citroque et vehicula conmearunt.

8 christiano *B* 15 a *fehlt B* 23 Hlutharii *B* 32 Arnoseon *A*

2 — redit *vgl. Einh. Ann. zu 822* 9 *Urk. v. 828, 22. März; Sickel, Acta Karolinorum, Ludw. d. Fr. Nr. 257* 25 — decedit *vgl. Einh. Ann. zu 821* 28 — lustravit, *S. 523, vgl. l. c. zu 822, 823.*

Proximo anno Litavicus Francophori conventus agit aestivatque. ab eodem Rabanus Franco, eiusdem tempestatis poeta, theologus nulli secundus, Fuldensi monasterio praeficitur. scripsit is inter plaeraque alia ad Litavicum augustum de caelesti inmortalis imperatoris nota carmen insigne, aemulatus Porphyrionem, qui ad Constantinum Maximum idem factitavit, cuius divus Hieronymus non sine laude mentionem facit. eum nostro aevo Ioannes Stabius caesareus historiographus, praeceptor meus, in Austria invenit et Viennae mihi ostendit. literae carminum singulae ita conpositae sunt separatim, ut calces, media capita versuum sursum deorsum, in orbem quoque lecta quoquoversum metra referant. idem Rabanus conmentaria, quae in librum Iudithae scripsit, Iudithae augustae dedicavit.

Sub idem tempus Boii cum ingenti exercitu ad tutandum orientalem limitem Dravum amnem adversus Litavitum Schlavum traiiciunt. is impar viribus in Dalmatiam aufugit, ibi a Litomusalo, avunculo Bornae legati Dalmatarum, interficitur. Pius in matrimonium dat filio suo Pipino filiam Theodoperti dynastae Matricensis. eundem confectis nuptiis in Aquitaniam redire, Lutharium ad ius reddendum in Italiam proficisci iubet; ipse ad Francophoron ad conventum agendum in hiberna concedit. interfuere cum muneribus omnium orientalium Venedorum oratores, Abotridae, Sorabes, Vilizi, Boiemi, Bolii, Moravi, Gepidae, qui et Praedenecenti, Daciam adversi Moesiis incolentes, interfluente Danubioque contermini et Avari, qui in Pannonia inferiore sedes inter Boios Venedosque receperant. sacramenta in eodem concilio renovantur; leges parendi de integro feruntur. adparuere et Heroldi regumque Nordomaniae, aquilonaris Germaniae legati.

Hocque anno crebro insolitaque prodigia terruere mentes mortalium. apud Aquas Graneas palatinae aedes contremuerunt. in Tullensi Leucorum sive Luthareorum agro puella nacta duodecim annos integros decem menses omni cibo potuque abstinuit. in Frisazio pago Saxoniae tres et viginti vici fulmine adflati conflagrarunt. fulgura tranquillo aere serenoque delapsa, praeter solitum domus de caelo tactae, homines ac pecora extincta sunt, lapidibus grandinavit. circa solstitium aestivale in Burgundia crusta glaciei, longitudine pedum quindecim, latitudine septem, altitudine binum de caelo ruit. secuta est dira lues. in Maio more Francorum solenni Francophori concilium procerum totius regni cogitur. ibi Millegastus et Caelogragus Vilizorum reges, filii Lybi, de regno dividendo iure disceptant. eorum

4 immortalis *A* 29 nacta *sic A u. B* 31 conflagarunt *A u. B*

2 *vgl. Sigeberti chr. zu 824* 30 Firihsazi *Einh. Ann. p. 211. Die Deutung ist unsicher* 33 circa — ruit *vgl. Einh. Ann. zu 824* 37 Cealadragus *Einh.*

pater praelio ab Abotridis interfectus erat. Vilizi Millegastum maiorem natu regem adpellarant; sed cum is adversus morem gentis, voluntatem popularium regnum administraret, eundem gubernaculis sumovent, fratrem eius minorem rebus imponunt. ambo reges ad imperatorem venere, qui ibi eos audivit; minorique natu regnum a popularibus delatum, quod animos nationis proniores ad eum esse comperit, confirmat. caeterum ambo fratres in fidem acceptos domum dimittit. Caelodrogus Abotridarum regulus ad hoc concilium non venit. missi ad eum legati sunt; ipse se hieme venturum pollicetur.

Lutharius rebus in Italia expeditis Romam proficiscitur paschalibusque a romano episcopo consecratur, a senatu populoque romano augustusque adpellatur. inde Ticinum pergit, Iunio ad parentem venit. qui Drugonem fratrem suum Mediomatricibus designat episcopum. sub idem tempus renunciatum est imperatoribus nostris, Theodorum atque Leonem generum eius, Romanos, quod principibus nostris fidem servarent, pontificum ambitui intercederent, consilio et iussu Paschalis episcopi romani interfectos esse. idcirco Pius Adalungum antistitem monachorum divi Vedasti, Hunofridum praefectum Rhetiae Curiensis Romam proficisci imperat. inter haec Paschalis pontifex maximus per Ioannem episcopum et Benedictum diaconum sese de hoc crimine apud imperatorem in Germania purgat. ipse Romae coram superioribus legatis iurat, se non solum non iussisse, sed penitus ignarum quoque huius caedis esse, et missis rursus aliis in Germaniam legatis satisfecit imperatoribus.

Qui per Vangionum agrum Conpendium Galliae (quo ad kalendas Novembris comitia indixerant) sese conferunt. huc Caelodrogus venit tandem, licet eius adventus suspectus esset, quod antea ad augustum accedere contempsisset nec suae cunctationis satis causae adferre posset; ob merita tamen parentum remissus est ad avitum regnum. praesto fuit et Heroldus rex Danorum, auxilium adversus Godofridi filios postulavit. ideo ut pax inter reges Nordomanos componeretur, missi sunt in Daniam Theodarius et Ariomundus praefecti, Ebbo episcopus Rhemorum, qui complures Cimbrorum philosophiam christianam recipere persuasit aquaque sacra lustravit.

Omorotagus etiam Vulgarum rex legatos ad augustos misit. hi foedus a nobis et, ut certi termini inter se ac Boios constituerentur, petebant. Litavicus admiratus insolitam legationem (nam Vulgares ad orientale imperium spectabant) Machelmum Boiariae dynastam in Vulgariam legat perscrutatum, quidnam sibi rex Vulgarum huiuscemodi

8 Caelodragus *B*

35 — permissus est *vgl. l. c. zu 824.*

inconsueta legatione velit; Vulgares exploratum regiones venisse mussitabatur. dum haec fiunt, Paschalis Romae moritur. duo a discordi populo pontifices deliguntur; nobilitatis tamen pars vicit, a quibus Eugenius cooptatus consecratur obtinetque sacerdotium. caesares ubi de hac re certiores facti sunt, Romam adeundam esse decernunt. ideo Lutharius eo contendit; statum reipublicae, quem superiorum pontificum ambitio immodica, insatiabilis avaricia versutiaque improba conturbarat, componit, intercepta direptaque fraude a flaminibus dominis iustis antiquisque possessoribus reddit.

Litavicus interea divisis copiis triplici exercitu Britaniam invadit rebellem. unum Pipinus filius, alterum Litavicus alter filius, ipse tercium ductabat. perdomitis itaque Britanis, acceptis obsidibus, Rhotomagum ad uxorem, quam ibi reliquerat, quintodecimo calendas Decembris revertitur. legatos Michaelis Balbi imperatoris Graecorum (qui Leonte Armenio, Pardi filio, caeso orientale imperium arripuerat) audit; pacem et foedus veteri more Graeculi petebant et nescio quid ultra de simulacris colendis locuti, Romam ad pontificem maximum relegati sunt. Fortunatus patriarcha Venetiae (nos Aquileiae appellamus), quem supra fugisse diximus, reversus imperatori fugam suam purgare connisus est. posthaec Pius ex Gallia in Germanias ad Aquas Graneas transsitum facit. natalem Christi ibi celebrat; Vulgarum legatos, qui in Boiaria erant, ibi, donec vocentur, detineri iussit. Gepidae, qui vulgo Predenecenti dicti sunt, Daciam, ut dixi, incolentes, adversus Vulgarum incursationes latrociniaque conqueruntur opemque ac praesidia postulant. augustus utrisque diem in Maium ad Aquas Graneas dicit. Elbus et Asinarius cum valida manu Vasconum in Hispaniam ad Pompelonem acie infesta progrediuntur, incolas armis in obsequio continent; inter redeundum in Pyrenei montis iugo astu incolarum in insidias delati capiuntur, copiae eorum caeduntur. Elbus captivus Cordubam ducitur, Asinarius ad proprios redire lares permissus est.

At imperator Litavicus post paschalia, quae ad Aquas Graneas peregit, Neomagum venandi causa pergit. inde medio Maio ad Aquas Graneas, quo proceres regni convocarat, revertitur auditque Vulgarum Gepidarumque, insuper et Boiorum legatos. horum princeps erat Hitto episcopus Fruxinensis. actum est de limitibus designandis inter Boios atque Vulgares. Lutharius mense Augusto ex Italia ad conventum

23 Praedecenti *A. Dort am Rande:* Praedesensi, Praetz, Pradentz, Prätzen, Praedesen, Praedasensi Ptolemaeo *[p. 206]*, a Tibisco nuncupantur.

32 — auspiciis fieret, *S. 526, vgl. l. c. zu 825—827.*

a parente coactum redit. Gotofridi filiis, regibus Danorum petentibus, pax datur. Litavicus filius Pii a parente postulantibus Boiis rex declaratur, qui anno ab orbe liberato octingentesimo vicesimo quinto cum uxore Hemma in Boiariam migrat Reginoburgiique habitare coepit. imperatores soluto conventu Neomagum ad venandum se recipiunt, deinde in hiberna ad Aquas Graneas redeunt.

Litavicus autem rex Boiorum iussu parentis Berithoricum praefectum praetorio per Charionum regionem deducit ad Geroldum et Valdoricum, Avarici limitis duces, ut simul explorarent res Vulgaricas. nam Vulgares, qui Savo amne a regno Boiariae dirimebantur, tumultuari et in armis esse rumor erat. eadem tempestate regis Boiorum mandato Urolphus Bathavensis pontifex Avares et Hunnos in Pannonia et Norico considentes, ubi nunc Austria et Ungaria nominantur, in religione Christi instituit (nam illi partim Christum dominum deumque nostrum, partim avita numina aduc colebant) falsorum deorum superstitionem radicitus extirpat. Tutundum regulum Avarorum atque Hunnorum sacris christianis lustrat et Rathofredum ipsis consecrat episcopum Viennaequae inter eos habitare iubet, ubi et tempore Romanorum episcopus consedit; a quibus Favium vocatum reperio. transgressus inde Urolphus Danubium, Moravos, Venedorum populum, itidem sacra nostra recipere persuadet. Moemarum ducem cum popularibus et tota gente ad agnoscendam veritatem cohortatur. pontifices, qui eos sedulo doceant, Methodium Iuliomontanum, Aldovinum Nitravensem esse iubet. hae urbes nomina aduc servant. et dum Suevi et Gepidae ea loca incolerent, pontificum fuere domicilia. haec ubi ad Eugenium secundum pontificem maximum delata sunt, Urolpho episcopo Bathavensi archimystae dignitatem honoremque cum Moravia, Pannonia, Hunnia, Avaria restituit; praecepit superiores pastores cum grege et ducibus Urolpho archiflamini Laureacensi sicut parenti non quidem corporis, sed animorum, nuncio dei et a se misso obtemperare. extat huiusmodi diploma.

Dum vero haec ad orientem geruntur, ab occiduo sole Pipinus ex Aquitania cum praefectis et ducibus limitis Hispanici calendis Februarii transsitum facit ad augustos. consultatum est decretumque de ratione belligerandi adversus Saracenos Hispaniam incolentes. Pipinus in Aquitaniam rediit. Pius autem Maio de Aquis Graneis egressus, calendis Iunii Angilaemos devenit. ibi celebri conventu diversarum nationum oratores audit: pontificis romani, Dominici praesulis

11 — diploma *vgl. vornehmlich die wahrscheinlich von Piligrim von Passau gefälschte Bulle des Papstes Eugen, gedruckt bei Dümmler, P. v. P., S. 115.*

Palestini a monte Olivarum, item Danorum, Schlavorum, Abrotridarum, Sorabum. Heroldus rex Danus cum liberis et uxore, cum magno Cimbrorum numero Mogonciaci lustralibus aquis expiatur domumque redit per Frisiam, ubi praefectura donatur, quo se reciperet, si regno pelleretur a liberis Godofridi. Valdoricus et Geroldus praefecti orientalis limitis a Litavico rege Boiorum missi docent imperatorem, nihil omnino sese de bello Vulgarico comperisse nec Vulgares hostili in nos animo esse. Georgius tum sacerdos Venetia oriundus musicae hydraulicum instrumentum, quod organon vocant, ad Aquas Graneas conflat. unde Pius Salissam petit; kalendis Octobribus Francophoron, inde Angilaemos Rhenoque Moenoque navigat. Caelodrogum, Tunglonem, Venedorum regulos, perfidiae insimulatos audit; acceptis ab eisdem obsidibus, domum redire permittit.

In Hispania res male a nostris gestae sunt. Azo Gothus ex aula fuga elapsus ad Saracenos in Hispaniam se contulit. acceptis copiis a Baderomano rege Saraceno Gerundensium atque Barcinensium agros vastat, graviter ferro, flamma adterit. exercitus noster, qui adversus Saracenos ad Hispaniam citeriorem tutandam missus fuerat, ignavia ducum serius advenit. iam hostes cum ingenti praeda incolomes abierant. ad septentrionalem Germaniae angulum Heroldus rex Danus a suis regno pellitur, fraude Hochorici filii Godofridi, cuius adventum, ut pollicitus fuerat, frustra diutius Pius Neomagi expectavit. ab ora orientis Vulgares pacem exuunt, regnum Boiariae invadunt et navibus per Dravum flumen delati Pannoniam vastant, occupant, subigunt. pulsis nostris rectoribus Vulgares duces regioni inponunt. ad austrum Romae Eugenius episcopus obiit. Valentinus a populo cooptatus consecratusque quadragesimo die occubuit. huic Romani Gregorium quartum substituunt. is non ante consecratus est, quam legatus augustorum Romam venit, ut si dignum, qui vicem Christi servatoris nostri praesidendo rebus divinis fungeretur, populus creasset, author caesaris auspiciis fieret.

Februario frequentes proceres ad Aquas Gráneas coeunt; legati et praesides Hispanici limitis, itidem Geroldus et Ɣaldoricus Boiorum orientales termini duces, ducatu amoti, pecunia multati, ignominia notati, quod eorum negligentia atque desidia fines nostri ab hostibus devastati essent, in ordinem privatum redacti. in paucis diebus nacti stolidum Pipini et turbulentum ingenium, grave incendium excitarunt imperatori. qui soluto concilio Angilaemos Iunio accedit, inde Francophoron pergit. ibi paucis diebus consumptis, Borbetomagum se confert,

32 — iniecit *vgl. Einh. Ann. zu 828.*

deinde Theodoviam transsitum facit. unde Lutharium et Pipinum filios suos contra Saracenos in Hispaniam arma movere imperat. porro Saraceni adventu nostrorum territi, domi se continuere nec quicquam maleficii Hispaniae, quatenus nostris principibus parebat, iniunxere. Pipinus in Aquitaniam, Lutharius ad parentem in Germaniam, ad Aquas Graneas, quo se iam ille contulerat, revertitur.

Inter haec grave vulnus in septentrione accepimus. totius Saxoniae reguli, duces, praefecti, tetrarchae, praesides, dynastae in confinio Cimbrorum iussu Pii convenerant seduloque de pace inter Heroldum et inimicos eius reges Danorum agitabant. Heroldus impatiens irae paci arma temere miscet; inconsultis nostris Cimbrorum regnum invadit, aliquot exustis villis ad Saxonas regreditur. at filii Godofridi subito correptis armis raptimque copiis contractis tranatoque Aegidura amne nostros in altera ripa desidentes nec quicquam mali suspicantes, inopinatos de improviso adoriuntur, castris exuunt, in fugam vertunt cunctisque direptis ad sua castra cum ingenti praeda redeunt. e vestigio tamen ad imperatorem Litavicum legatos ire iubent, factum excusant, culpam in Heroldum conferunt, qui bellum amiciciae inseruerit; se necessitate coactos vim vi repulisse. ablata postea restituunt, pacem supplices et veniam praeteritorum petunt, pollicentur se satisfacturos atque responsuros, quemadmodum augustus imperaverit.

Prosperiore ad austrum orientemque usi sumus fortuna. Bonifacius Corsicae praefectus, cum fratre Veronardo et Tyrrheni litoris classiariis mare Tuscum a peiratis purgaturus, Corsicam, Sardiniam circumvehitur. nullo latrone invento in Africam inter Uticam et Carthaginem appellit navibusque egressus cum multitudine Aphrorum Saracenorumque provolantium quinquies confligit, quinquies pari victoria hostes in fugam dedit; trucidatisque multis ad naves incolomi exercitu, paucis admodum desideratis se recipit, domos abiit; ingentem terrorem Afris incussit et scrupulum iniecit.

Litavicus rex Boiorum cum copiis contra Vulgares proficiscitur, hostes Pannonia, Boiaria expellit. Rathobodum ducem orientali limiti dat custodem. Brynonem, qui et Privina, quoque Moravorum regulum, qui trans Danubium in aquilonari ripa habitabat, cum filio Hezilone ad se venientem benigne suscepit, eundem in religione christiana instituit, Traismae (vicus est in Austria episcopi Saliburgensis) in templo divi Martini sacro fonte abluit et Rathobodo legato suo conmendat. erant Brynonis urbes Nitrava, Pisonium, quae et Vratissolaoburgium, et Brynna, quae aduc ab eo nomen servat. Adoloramus archiflamen

31 — dedicat *vgl. Conversio Bagoarior. l. c. p. 11, 12.*

Iuvavensis Nitravae templum dedicat. insequenti anno imperator Litavicus in Augustum Borbetomagum conventum indicit; Lutharium filium in Italiam abire iubet. cumque quorundam insidias comperisset, Veronardum Hispanici limitis antea ducem, spectatae fidei et fortitudinis expertae, contra voluntatem procerum Galliae cubiculo praefecit. dimisso postea conventu ad venandum Francophoron, inde Novembri ad Aquas Graneas hibernatum revertitur.

Hoc anno cum Urolphus pontifex Bathavensis, archimystes Laureacensis, obiisset, Bathavensi templo Reginaerius pontifex capitur. is litem movit Adoloramo archiflamini Iuvavensi ob regiones, quae ultra montes Comagenos cubant. dicebat hic Arnonem decessorem suum ibidem religionis mysteria aperuisse; ille Bathavensi Laureacensique templo subditas esse comprobabat. rex Boiorum Reginoburgium utrumque ad se accersit, episcopos discordes ad pacem revocat, inter utrumque ita superiorem regionem partitur. aquilonarem occidentalemque oram, qua Spiraza amnis exoritur et cum altera Spiraza atque Arrhabone confluit, Bathavensi adiudicat, reliqua orientem austrumque spectantia in rebus divinis procurare Saliburgenses iubet pontifices. extat haec tabula; eius inicium est: ‚in nomine domini dei et servatoris nostri Iesu Christi Hludovicus divina ordinante providentia rex Baioariorum etc.‘ finis eius is est: ‚actum Reganesburch anno Christo propicio 829, anno 17 Hludovico imperatore, filio eius Hludovico regnante in Baioaria anno 5, 14 kalendas Decembris, luna 16, indictione 8. Angelmarus ad vicem Gozbaldi scripsi et subscripsi.‘

Interim, dum haec fiunt, imperator Rhenum in Germaniam Magnam transsit. Francophori toto autumno conmoratus, venationibus operam dedit. medio deinde Novembri Aquas Graneas accessit, ibidem hiemavit. anno postea proximo, qui est aerae nostrae octingentesimus super tricesimum, circa quadragesimam in Galliam migrat, oram Gallici oceani peragrat. Galliarum proceres, monachi, episcopi rerum novarum avidi, aliorum detrimenta sua conmoda existimantes, nacti occasionem adversus imperatorem conspirant, populares suos Celtas in eum concitant. duces multitudinis atque authores coniurationis (qui tum in Francorum imperio sapientissimi et Gallicae rei columen censebantur) Hyldovinus Dionysianus, Vala Corbeiensis antistes, monachi, Ebbo archimysta Rhemensis, Hugobertus Lugdunensis, Veronardus Vien-

23 Boiaria *B* 36 Haigobertus *A*

1 — revertitur *vgl. Einh. Ann. zu 829* 9 — subscripsi *vgl. Mon. Boic. XXXI, a, 56* 25 — interpraetabantur, *S. 532, 27, vgl. Einh. Ann. zu 829; Vita Hludovici, c. 44, 45, l. c. 632—634.*

nensis, Iesse Ambianensis, Helias Tricassiorum pontifex hique Celtarum dynastae: Machofridus, Hugo, Landobertus, Godofridi, pater et filius, Richardus, Hugobertus, Bergaretus, venatorum augustalium quondam praefectus, invidia, quod conmune malum aulicorum est, irritati sunt, propterea quod Veronardus, praefectus praetorio atque cubiculo, plus quam ipsi apud imperatorem authoritate valeret et quod cum Veronardo rege Italiae clamculum sensisse suspecti essent poenasque metuerent. primum quidem inter se conmunicato consilio coniurationem faciunt, ut a gubernaculis rerum subdole deturbent Pium. deinde alios minis et potentia territant, alios partim fraude atque pecunia, partim ingentibus pollicitationibus lactant; hosce confictis, ut erant astutissimi, in caesarem criminibus ab eodem alienant et, ut conciliarent sibi animos vulgi Gallici, quod alioquin mobile est et semper novi principis faciundi percupidum, tributa, vacationem militiae, admodum hactenus gravia, remissum iri promittunt, factionem quoque suam indulgentia et largitionibus confirmant. plaerique omnes, qui antea sententia principum ob perfidiam et scelera sua damnati exilio aut ignominia notati, praetorio magistratibusque moti erant et beneficio clementissimi imperatoris vita donati, praecario vivebant, ultro nemine magnopere alliciente provolant.

Coniurati igitur pontifices, primores, Galliarum alioqui columnae, freti multitudine, titulum solennis officii sceleri prae se ferentes, Pipinum, filium Litavici, adolescentem stolidi ingenii imperitumque doli adeunt. se maxima imperii membra esse, quibus principis reipublicaeque salus et cura incumbat, inculcant primo; iactitant deinde se imperatori non esse inimicos, dolere se vicem eius, immo etiam, quae credidissent utilia esse, suasisse et, quia fidele consilium dedissent, se contemni et in periculo capitis versari. dolere se conmunem calamitatem, miserorum praecipue Gallorum, qui imperiosioris, quam boni ferre possent, foeminae et alienigenae mancipia essent; neque placere imperium Veronardi, qui hanc gratiam authoritatemque stupri consuetudine conparasset apud impotentem mulierem, quae novercali odio privignos eorumque fideles persequeretur, quae stupris, libidinum probris, homicidiis, incestu se et caesaream domum contaminaret omnesque aula, quos suis flagiciis adversarios fore suspicaretur, exturbaret, proponunt. inde Litavicum ex amore dementem flagrare, inlecebris blandiciisque captum, addictum uxori non principem, sed ministrum agere; eundem coniugis conpendio, studio ac libidine honores, exercitus, provincias, impunitates, supplicia largiri et quidem inscientem plaerumque et ignarum. postremo con-

3 Haigobertus *A*

memorant, caeteros fratres longius abesse, quam ut huic malo mederi queant; solum Pipinum restare, ad quem boni omnes tanquam ad tutissimum portum naufragii confugissent. oportere bonum filium dolere vicem parentis nec pati paucorum flagiciis ac dedecore tantum imperium collabi et patrem infamem fieri. imperatorem ab huiusmodi probrosa foeminae servitute libertati mentique suae restituendum imperiumque Francorum a dominatione muliebri asserendum hocque factum famam virtutum secuturam. perfacile istaec sine vi et armis fieri, modo tot principum, episcoporum sapientissimorum religiosissimorumque monachorum consiliis obtemperet.

Pipinus, ut adolescens fraudis humanae imperitus, credulus illis, cum coniuratis et suis copiis Aureliam petit. Machofridum amoto Otone urbi restituit; inde Berimbriam procedit. augustus ubi conperit, illos contra se et uxorem atque Veronardum inimico obstinatoque animo viam adfectare, Veronardo, ut fuga sibi consulat, suadet. augustam Lauduni in contubernio sacratarum foeminarum deiparae virgini dedicato consistere iubet, ipse Conpendium petit. porro, qui cum Pipino Berimbriam venerant, misso Varino et Landoberto aliisque conpluribus, augustam ex monasterio ad se deduci imperant; eidem mortem intentant, nisi iuret se persuasuram imperatori, ut quam primum armis abiectis imperio se abdicet, capillis detonsis cum uxore in contubernium captorum se includat, ubi ambo instar voluntariae mortis praecariaeque salutis, difficiliore religionis obsequio, castimoniarum abstinentia satis ardua scelera flagiciaque expient.

Augusta metu necis perculsa, etiam maiora promissura, ad maritum a coniuratis deducta secretiusque conloquendi copia data, iussa aperit. Pius, quo ab inminenti morte uxorem eriperet, ut ipsa quidem monasterio includeretur sacerdotissaque caperetur, annuit; at de se deliberandi spacium paucis diebus postulat; se in potestate principum imperii fore respondit. illud aegre a coniuratis impetratum est. nam qui supplicio capitali condemnati, beneficio imperatoris clementissimi vivebant et quos lege iureque occidi fas erat, stimulante conscientia cogitati sceleris salutem Pio, quam ab ipso acceperant, invidebant. porro Iuditha ubi rediit ad coniuratos, clamore insani vulgi ob scelera, stupra, adulteria ad poenam deposcitur, verum in exilium ad monasterium divae Radegundae, ubi flagitiorum notam victu duriore, temperantia, parsimonia vitae elueret, deportatur.

Inter haec Lutharius Maio mense ex Italia in Gallias venit, parentem Conpendii offendit. mox ad eum omnis illa sentina nebulonum

16 Lugduni *B*, Lauduni *A u. Vit. Hlud. 44.*

confluit, turba sceleratorum coit, quae pridem Pipino et huic inculcant, ipsum ad supremum imperii fastigium pertrahunt. Lutharius acta quidem horum non rescindit, genitorem tamen nullo dedecore alio vel maleficio adficit. connivente eo Haeribertus, frater Veronardi aulae moderatoris, qui aufugerat, renitente frustra Litavico, luminibus orbatur, Oto consobrinus illius, Aurelianensis quondam urbis praefectus, in exilium agitur, tanquam criminum, quae Iudithae et Veronardo imponebantur, conscii et fautores. in tali igitur ludibrio periculoque imperator titulotenus inter spem et metum dubius in Galliis aestatem exegit. cum iam autumnus appeteret, adversarii, ut concilium universi imperii in Gallia convocaretur, summa ope nitebantur. imperator diffisus levibus Gallorum animis magisque Germanis credens, astute clamque renitens obtinuit, ut conventus Neomagi (urbs est inferioris Germaniae) indiceretur. metuens quoque suorum paucitatem, inimicorum vero multitudinem, imperavit, ut sine armis atque cum paucissimis quisque appareret. Landobertum praefectum et Helisacharum praesidem iubet itinera armis obsidere, fines tutari, ius reddere.

Posteaquam haec in Germania de imperatore nunciata sunt, universi Germaniae populi auxilio caesari futuri arma corripiunt. Litavicus quoque rex Boiorum cum delecta suorum manu ad augustum in Gallias quam celerrime contendit. Pius acceptis auxiliariis copiis Germanorum filioque Litavico Neomagum ad diem praefinitum, quo et alii filii Pipinus et Lutharius et conscii coniurationis frequentes coeunt, se confert fretusque robore Germanorum primo Hyldovinum monachorum Dionysianorum in agro Parisiorum praesulem, authorem conspirationis, qui cum pluribus, quam iussum erat, advenerat, laesae maiestatis condemnat, Badobrunnam in Saxoniam relegat; ut ibi militari tabernaculo hiemet, praecipit. deinde alterum ducem multitudinis et caput huiusce mali Valam specie pietatis, calvicie et bardocucullo insignem percellit; eundem ad Corbeiense monasterium deportat et arctiore studio servari iubet. Pipinus quoque, alioqui instabilis atque minus firmi animi, facile Germanorum fortitudini cessit. hisce perterriti caeteri coniurati desperantesque rebus suis et vincula, scelerum conscientia exagitante, formidantes, tota nocte sursum deorsum ad praetorium Lutharii properant; ignaviam suam accusant, Lutharium et se proditos, actum esse vociferantur, nisi mature caverint; suadent et hortantur, antequam inulti omnes pereant, aut bello confligendum aut aliquo secedendum esse. eam noctem in huiuscemodi consultatione insomnes paricidii cogitati conscientia ducunt.

At caesar, ubi quam primum illuxit, ad filium legatos cum man-

datis ire iubet. hi admonent Lutharium, ne conmunibus inimicis credat hostibusve dei et reipublicae fidem ullam habeat, sed omissa flagitiosissimorum paricidarum sentina atque versutissimorum perfidorum prava cohorte ad dominum et parentem indulgentissimum, etiam inimicis clementissimum, qui eum genuerit, educarit, ad supremum generis humani fastigium provexerit, quam maturrime veniat, ibi de rebus conmunibus cum parente et reliquis fratribus consulturus. Lutharius postulata non iniqua censens, non refragatur, licet purpuratis suis dissuadentibus, ad parentem pergit, a quo magis paterno adfectu benigne quam aspere increpitus, in gratiam recipitur. dumque Lutharius vestibulum regiae iam adtigerat, civilis seditio vulgi ignobilis excitatur in seque mutua caede saevire parabat. hic filii, ille parentis tutabatur partes; ille Lutharianus et caesarianus, hic augustalis erat pessimumque flagitium perpetratum foret, nisi imperator cum filiis in conspectum processisset, feralem tumultum sua praesentia conposuisset.

Posthaec caesar universos coniurationis conscios diligenter custodia militari, ne quisquam elaberetur, circumdat servarique imperat. inde iure peritissimos quosque, item proceres, pontifices convocat; eosdem considere ad causam coniuratorum cognoscendam iusque dicendum iubet; suam vicem filios suos Lutharium, Pipinum, Litavicum regem Boiariae praesidendo pro tribunali defungi mandat. omnium sententia socii conspirationis, paricidii, laesae maiestatis accersiti, extremo supplicio condemnantur. verum Pius ne unum quidem eorum occidi passus est. prophanos in ordinem captorum, adtonso et deminuto capite relegat; sacerdotum atque pontificum turbam itidem in monasteria abdit. hanc quidem clementiam lenitatem illi, alii levitatem pro suo quisque ingenio interpraetabantur.

Caeterum augustus hisce rebus confectis, sumpto leni animo de coniuratis supplicio, ad Aquas Graneas hibernatum proficiscitur. Lutharium secum, aliis filiis subsequentibus, studiosius semper retinuit. coniugem postea ex Aquitania, fratres eius Chunradum et Rudolphum cum sorore augusta in exilium actos revocat. nec ipsa ante ad thalamum caesareum recipitur, quam legitime, ritu solenni, in celeberrimis deiparae virginis feriis, quas quarto nonas Februarii cereis incensis celebramus, sese iureiurandi religione testibusque ab obiectis purgaret criminibus. filii deinde augusti domos abeunt, Lutharius in Italiam, Pipinus in Aquitaniam, Litavicus in Boiariam revertitur. imperator

22 lesae *A u. B; ebenso A S. 531, 26.*
28 — discedit *S. 533, 20 vgl. Vita Hludovici, c. 46.*

BSB

per totam quadragesimam atque paschalia in superiore urbe, ubi fere habitabat, conmoratus est. post paschalia Angilaemos accedit.

Cap. 11. Mitigatus coniuratoribus et nil magis quam iniuriae oblivisci consuetus, in exilium actos de integro restituit. detonsis et in monasteria relegatis, in ordinem captorum redactis ad patrios lares vitamque pristinam quasi postliminii iure redeundi copiam facit, eundem illis amiciciae gradum patere apud se pollicetur. inde piscationibus, venationi, aucupio indulget. autumno conventum regni Theodoviam cogit, quo legati Saracenorum odoramenta, succos, vestes, paludamenta, Arabicas opes imperatori dona ferunt. huc quoque Veronardus, praefectus praetorio, qui in Hispania fuga sibi consulens delituerat, se contulit; ad singulare certamen (quod genus purgandi tum solenne maioribus nostris fuisse invenio) accusatores provocat et nemine vires conferente, religione iureiurandi sese ab obiectis criminibus exolvit. Pipinus huic concilio non interfuit, sed iam soluto conventu demum advenit. Pius, ut contumaciae filii et corruptis moribus a consultoribus pravis mederetur, eundem secum Aquis Graneis detinuit usque ad Ianuarium. verum Pipinus iniquo ferens animo, sua facta a quopiam observari ac notari, insalutato patre, offensarum minime dissimulans, in Aquitaniam clam discedit.

Circa idem tempus, dum imperator ad Aquas Graneas hiemat, gravis ei motus ex Boiaria nunciatur. Langobardonaemis Litavicus rex Boiorum cum quibusdam principibus Germaniae convenerat, unde nata suspicio est rumorque dissipatus, quasi rex Boius desciscere a patre Austriamque, hoc est regnum orientis, nempe Germanias, Rhetias, Vindeliciam, Illyricum, Noricum, Pannonias, Liburniam sibi vendicare tentasset. augustus cum exercitu Augustam Rhetiae (quam quidam olim caput Boiorum fuisse autumant, ego Augustam Tiberii, quam nunc Reginoburgium vocamus, sive Augustam Vindelicorum, quae supra Monachium in ora Isarae interiit, arbitror deceptosque imperitos similitudine nominum existimo) petit. ibi Boius parenti arguens rumorum de se temeritatem satisfecit. pacata igitur Boiaria augustus Gallias adit. Aureliam frequentes proceres filiumque Pipinum coire iubet; ipse cum valida manu Germanorum eo contendit. Pipinus timens vires parentis invitus adest; ob pravum ingenium a patre Treveros in Germaniam relegatur arctaque custodia observari iubetur.

15 consilio *B* 22 *Am Rande in A:* Lanchkem *(sic)*, Langbardhaim.

21 — cogeretur *vgl. Annal. Altah. maior., M. G. Script. XX, 784 u. Vita Hludovici, c. 47* 30 *vgl. oben S. 156, 23 flgd.*

Pius in Aquitaniam transmisso Ligere procedit. Veronardum, cuius consilio uti Pipinus consueverat, aula, magistratu, honoribus abdicat. inter haec Pipinus negligentius custoditus noctu aufugit; profugus et vagabundus, quacumque licuit, delitescit vitatque conspectum parentis, qui in Novembrem alium conventum in Aquitaniam, quo ad se fugitabundum retraheret filium, frustra indicit. asperrima hiems tum incubuit repente graviterque exercitum imperatoris primo iuges pluviae, hinc gelu acutissimum adflixit; adtritae ungulae equorum, perpauci equis usi sunt. accessit et Aquitanorum improvisa et crebra incursatio. his fiebat, ut imperator cum copiis suis et ab intemperie caeli et incolis terrae male acceptus, Ligerim tranare, ex Galliis in Franciam ad Aquas Graneas maxima cum difficultate nec citra ignominiam et dedecus retro referre pedem cogeretur.

Dumque talia fiunt, pessimi mortalium proceres quidam ac pontifices, qui omnia utilitate et ambitione metiebantur, ut erant astutissimi, ex industria inter se operas partiuntur, ad filios imperatoris ultro citro conmeant, illis persuadent, parentem addictum uxoriis illecebris et iustae novercae praestigiis captum, insidiari vitae liberorum omniumque, quos amare eosdem intelligeret. filii ob odium in novercam, quod eam alioqui mulierem versutam et vulgo male audire parentemque uxorium esse agnoscebant, conmunicato consilio, coniunctis viribus in Elisatio apud Lugioveltas coeunt. Gregorius quartus pontifex maximus, ubi hoc incendium inter parentem atque liberos pravorum consiliis excitatum esse accepit, quod ad detrimentum reipublicae christianae maximum procul dubio pertineret, ad restringendum id ad filios in Germaniam proficiscitur seduloque operam navat, si qua aequitate hominum perniciosus paricidialisque tumultus ad ocium et quietem reduci et filii parenti reconciliari possent.

Imperator mense Maio cum valido militum germanicorum robore in Vangionum urbem se confert. ubi tempus diutius consultationibus tractum, placuit tandem nec quicquam salubrius visum est, Veronardum pontificem cum aliis optimis quibusque ad filios et romanum pontificem proficisci, qui primum filios, ut redirent ad genitorem, cohortarentur, deinde pontificem maximum conpellarent rogarentque, cur ipse more maiorum augustum evestigio et recta non adiret. rumor erat ideo eundem advenisse, ut caesari et amicis episcopisque eius, nisi obtemperarent filiis augusti, sacris interdiceret. Germaniae pontifices, maxime Drogo Mediomatricum pastor, respondere: si romanus sacerdos nobis male praecaturus advenit, ipse quoque male audiet et diris

39 audit *B*

14 — Conpendium producit *vgl. l. c. c. 48.*

BSB

devotus abibit. quid plura? frustra ultro citro legati conmearunt, sursum deorsum nuncii cursitarunt. invaluerant pessimorum consultorum doli, qui pacem contra ius gentium citra sanguinis rationem interturbabant et filios cum patre armis conmittere summopere laborabant, omnia misceri atque turbari cupiebant, salvo isto rerum statu, augusto amicisque eius se incolomes fore diffidebant. Pius igitur intento exercitu ad Lugioveltas proxime filios octavo calendas Iulii, divo Ioanni Baptistae dedicato, procedit.

Stabant utrimque acies infestae, iam iamque paricidiali praelio cognatoque sanguine se contaminaturae. intercedit pontifex romanus ad augustumque se demum confert, quem ille in acie consistens sine ullo honore indignabundus (causatus, quod contra maiorum decreta, patrum sanctissimorum, praeter solitum iniquo insuper animo accesserit) excipit. ductus tamen primarius sacerdos in praetorium, docet imperatorem, se ob nullam aliam omnino causam adesse, quam ut filios atque parentem in gratiam redigeret, bellum nefandissimum populi christiani, cuius pastor esset, cervicibus averteret. mitigatus hoc responso Pius pontificem ad filios remittit; facit eidem conprimendi tumultus, pacis et amiciciae redintegrandae confirmandaeque potestatem. verum nequaquam Gregorius, posteaquam ad filios revertit, ad caesarem, ut iussus fuerat, redire permittitur. nam dolo fraudeque coniuratorum iactabatur Litavicum a pontifice maximo ob novercale in filios odium inferiis devotum esse. qua de causa saevit ignobile vulgus gregariique mystae, apud quos semper superstitio conmentaque humana et cassae cerimoniae speciem pietatis prae se ferentes efficaciores sunt quam iusta religio, plaerique donis adlecti, alii promissis inescati, pars minis territi, quidam suopte ingenio depravati novarumque rerum cupidi, deserto imperatore ad filios catervatim provolant.

Ita hac fraude subtractis copiis caesari in dies magis atque magis adversariorum factio invaluit, vires imperatoris authoritasque deminutae sunt adeo, ut pridie calendas Iulii vilis plaebecula gratificatura, ut rebatur, filiis, in imperatorem inruere impetumque facere destinaret. quae cum Pius agitari sensisset, haud parem se furori multitudinis instar diluvii furentis ratus, filios certiores facit admonetque, ne parentem ab omnibus destitutum contra fas legesque naturae praedam fore direptui atque ludibrio insani vulgi et inimicorum sceleri patere permittant. filii, ut castris relictis ad se properet, se quam maturrime obviam processuros remandant. imperator igitur necessitate rerum, iniquitate fati adactus, castris excedit, ad filios contendit. itidem filii

19 reintegrandae *B*

faciunt et licet quibusdum (ut plures sunt mali quam boni) dissuadentibus, obviam ire parenti festinant. ubi ambae partes in conspectu fuere atque convenere, mox filii equis desiliunt osculoque ab augusto excipiuntur; inde simul ad castra filiorum proficiscuntur.

Tum absque cunctatione Iuditha augusta, quam causam omnium malorum esse vociferabantur, ab imperatore separatur, ad tabernaculum Litavici regis Boiorum deducitur. Lutharius patrem cum filio Carolo aduc impubere, ad suam papilionem abducit ibique consistere iubet. interim omnes, qui aderant, in verba filiorum iurant imperiumque a fratribus in tris dividundum partes esse decernunt. augusta Dertonam, quae urbs est nonae regionis Italiae, relegatur. Gregorius episcopus Romam, ubi improbitatem paucorum plus quam aequitatem valere videt, non sine maximo merore petit. Litavicus quoque pertesus impotentiam coniuratorum Galliae, sero intelligens, quo conatus illorum pestiferi tenderent, fugitans incendium, quod restingere non poterat, in Boiariam, Pipinus in Aquitaniam revertitur. Lutharius vero atque coniurati, cunctis ex sententia confectis, conventu dimisso, Gallias peragrare constituunt, populum sacramenta Luthario dicere iubent Luthariusque ita rerum potitus, parentem destitutum a suis et privatum, filiorum suorum captivum venaleque inimicorum suorum mancipium, velut ludibrium fortunae cum Carolo infante circumducit; paucis custodiae eius destinatis equitibus, in Mediomatricum urbem, inde Verodunum, postea in Suessionum Augustam procedit. ibi in monasterium divi Methardi patrem abdit. Carolum necdum puberem Brumiam relegat nec tamen tondi iubet. conventum post haec regium Conpendium, Galliae Belgicae urbem, in calendas Octobris indicit. ipse interim venationibus indulgens, post patrem secum Conpendium producit, ubi legatos et munera imperatoris graeci ad Pium missa audit, suscipit, absolvit.

Iam pedetentim, ut animis hominum perinde ac fortuna nihil versatilius est, indignatio, invidia temporis spacio lenita in conmiserationem convertebatur. miserabantur universi, praecipue Germani, fortunam Pii, qui ab his, quos servarat, proditus a summoque rerum fastigio deiectus, indignis modis paucorum scelere tractaretur, et, dum miserescunt, favere incipiunt. purpurati, quorum consilio huiuscemodi fiebant, sero sibi metuere caeperunt, ne, si imperator restitueretur, ipsi poenas darent; quosdam episcopos, quibus charius erat aurum ac

8 suum *A* 15 restingere *sic A u. B* 24 Brunnam *A* 27 venatoribus *A u. B* 27 Compendium *A*

11 *Plin. n. h. III, 49* 28 — eripiendi caesarem *vgl. Vita Hlud., c. 49.*

honor quam fides aut iusticia, impulere partim fraude, partim donis, ut denuo caesarem absentem indictaque causa velut indignum apice rerum summo ob flagitia, quae ipse confessus esset, publico iudicio condemnarent et consessu patrum celebri ad sacra divi Methardi atque Sebastiani armis exuerent atque ante aram maiestate caesarea exaugurarent, imperio exauthorarent, deinde pulla veste indutum, atratum in arctam custodiam obtruderent. conplures consensere; maxima pars, ne primores, qui rerum habenas tenebant, offenderent, subscripsere. perpauci, quorum princeps erat Drogo episcopus Mediomatricum, frater augusti, huiuscemodi consilio refragati sunt hique protinus in Germaniam et Boiariam ad Litavicum regem Boiorum, qui inter fratres prudentior atque ad mansuetudinem pronior censebatur, fugam tendunt persuadentque facile regi Boio, ut ad liberandum ex iniusta servitute pudendaque parentem fraude iniquorum circumventum operam navaret. mittuntur igitur a Germania et Boiaria, a Litavico rege Boio et Drogone, patruo eius, et ab his, qui eo confugerant, passim in Gallias: Hugo abbas in Aquitaniam, qui Pipinum ad liberandum genitorem instiget, Veronardus et Varinus in Burgundiam. hique populum ad eripiendum imperatorem concitabant.

Interea, dum talia fierent, Lutharius cum patre ad Aquas Graneas in hiberna se confert istacque hieme Galli, Burgundi, Aquitani, Germani frequentes coeunt, graviter de paucorum potentia conqueruntur, quorum flagitio augustus pientissimus in servitutem redactus sit. nec deerat illis animus vi eripiendi caesarem. Lutharius primo vere, vim Teutonum metuens, in Gallias redit, Lutetiam Parisiorum petit, populum cogit atque sacramenta sibi dicere iubet. Egobardus partium imperatoris cum armatis obviam Luthario tendit, eum ad certamen provocat. verum Pio adnitente ab huiusmodi nefario praelio abstinuere manus. inde Lutharius ad monasterium divi Dionysii se confert.

Iam Pipinus ex Aquitania, Litavicus ex Germania et Boiorum regno cum validis copiis et his, qui ad eum confugerant, in auxilium augusti properare nunciabantur. Lutharius igitur omnium fluminum pontes rescindit, naves omnes submergit; nihilominus tamen caesariani fama adventantium virium erecti, passim armati prodeunt atque conveniunt. Pipinus cum Aquitanis ripam Sequanae insederat. Varinus et Veronardus ex Burgundia ad Matronam amnem pervenerant. erat tum quadragesimae septimana prima diesque quintus. Radovalda praesul, Ganzelinus praefectus ad Lutharium a caesarianis mittuntur. atque hi: ‚ad te oratores venimus‘, inquiunt; ‚Litavicus rex Boiorum,

24 — insecuta *vgl. l. c. c. 50—52.*

Pipinus rex Aquitaniae, fratres germani tui, universa Germania, omnes denique boni postulant, ut nobis augustum, illis genitorem reddas. quod si fiet, cuncti erroris depraecatores, veniae atque salutis authores tibi apud imperatorem erimus; sin repulsam patimur, armis deo iusto iudice impetrabimus, quod praecibus nequimus; bellum et pacem tibi offerimus; utram vis conditionem, ut libet, accipe'.

Lutharius cum aequa postulari censeret et, quo periculo esset, animadverteret, remotis arbitris legatis benigne respondet: nemini omnium magis cordi esse quam sibi parentem; displicere admodum, quae iniqui in illum perpetrassent, nec esse quemquam omnium, qui ita diu noctuque cogitet, quonam pacto iniuriam illi inlatam, qui et vitae et potestatis suae author sit, vindicet. non potuisse hactenus id rite sapienterque fieri; sacerdotum suffragiis, adhibitis superis, patrem suum de solio regio detractum, se ibi conlocatum esse; decere eundem iisdem sacris auspiciisque provehi. si quid perperam actum sit, non in se culpam transferendam esse, sed in eos, qui patrem suum destituissent atque plane prodidissent. proinde placere sibi, ut celebris totius imperii conventus, quo libeat, indicatur, ubi parens suus auspicato et quasi iure postliminii libertatem reciperet. his auditis legati ad suos redeunt, in conmune consultant, quonam die rursus coeant. interea Lutharius versutorum callidorumque amicorum (qui, si is in gratiam cum parente rediret, sibi timebant) consilio usus, relicto patre in aede Dionysiana cum huiuscemodi maliciosis veteratoribus et scelerum fabris Burgundiam Viennamque petit; ibi stativa facere, vires ad resistendum conparare et sese munire decrevere isti obscuri vafri, fallaces magis quam ingenui, iusti bonive consultores. caeterum augustus iudicio episcoporum capite diminutus, eorundem sententia arma, augustalem cultum legitime ritu solenni resumit, die solis, quam mediam quadragesimam nuncupamus, dum sacrificii exordium est hoc carmen: Letare Hierusalem, quod feliciter prospereque evenire significavit populi adclamatio insecuta.

Cap. 12. Imperator postea cum Lutharium, licet amicis suadentibus, persequi nollet, Carisiacum se confert. ibi maximo omnium gaudio excipit filios, Pipinum regem Aquitanum et Litavicum regem Boiorum, qui maximis itineribus cum his, qui ad se confugerant, ad parentem liberandum properavit. hymni deo optimo maximo dicti honosque habitus est. Pius Pipinum in Aquitaniam dimittit, cum Litavico in Germaniam ad Aquas Graneas redit. ibi augustam ex

5 bellum — accipe *vgl. Liv. 21, 18* 32 — atque necat *vgl. Vita Hlud., c. 52.*

Italia ab exilio revocatam, a Ratholdo episcopo et Bonifacio adductam recipit; concelebratis paschalibus, venationibus deinde se exercet.

In occidenti Galliarum regno Luthariani Landobertus et Machofridus cum sociis omnia tumultu conplent. provinciam sibi a Luthario traditam vi retinere conabantur. caesariani, quorum princeps Oto, praefectus Aurelianorum, et Theodo, antistes fani divi Martini Turonensis, incautius cum illis manus conserunt. caesi sunt Oto, frater eius Vilelmius atque Theodo cum conpluribus a Lutharianis; caeteri fuga elapsi sunt. Luthariani, quamvis victores, tamen, quod hostes vires recuperabant eosque acriores hac clade exasperatos fore suspicabantur, rati utrumque sibi iuxta periculosum et manere et aufugere, nuncios ad Lutharium ire iubent; ut suppetias perditis rebus ferat, postulant. Lutharius ergo suis periclitantibus opem laturus a Varino et caesarianis, qui firmo praesidio Cavillonum, Burgundiae oppidum, tenebant, praepeditur; armisque lacessitus et irritatus urbem obsidet, expugnat, diripit, incendit; Gothelmum, Hamilum, Mathelmum dynastas capite truncat. Gariopyrgam uxorem Vilelmii quasi veneficam in flumine submergit atque necat. his perpetratis Augustodunum se confert, inde Aureliam, post Coenomanum pagum petit.

Contra augustus, ubi in Germania accepit, cum filio Litavico rege Boiorum persequi Lutharium statuit et Lingonum urbem accedit. Lutharius receptis suis haud procul a castris genitoris castra facit eodemque loco quatuor dies legatis ultro citro, qui de pace ac concordia agitabant, conmeantibus, conmoratur. quinto die retro in Galliam ulteriorem ad Ligerim amnem in Aquitaniam transsiturus, copias fratris Pipini sibi coniuncturus, contendit. imperator conpendio filio antevertit ad Ligerimque considet, ubi et Lutharius vires suas explicat proxime Blesense castrum, ubi Cissa Ligeri confunditur. Pipinus tum rex Aquitaniae cum auxiliaribus popularium copiis ad parentem pervenit. Lutharius posteaquam se circumventum undique, spe destitutum, nec in fuga nec pugna salutem esse videt, attonitus moestitia simul et desperatione, inter spem et timorem haesitans, tristium specie abiectis armis ad parentem venit, preces, supplicia admovet, veniam erroris atque stultitiae impetrat. nam Litavicus natura simplex et mitis gratiam facit deprecanti pecasseque confitenti ignoscit, contentus, filium, eius proceres in potestate sua futuros, iurasse. inde incolomes omnes cum filio in Italiam migrare iubet; custodes tamen in angustiis

2 exerceret *B* 31 moesticia *A*
18 — indicit *vgl. l. c. c. 53.*

conlocat, qui scrutarentur conmeantes atque observarent, ne quispiam sine conmeatu aut adire redireve queat.

Inde cum rege Boio Germaniam versus tendit; per Aurelianum Parisiorumque agrum in hiberna ad Aquas Graneas proficiscitur. in subsequentis anni vernum tempus conventum procerum Borbetomagum indicit. Decembri Theodoviam, inde Mediomatricum urbem accedit; cum Drogo fratre natalem Christi servatoris nostri peragit. Februario rursus Theodoviam petit; pontifices, quorum scelere fraudeque captus fuerat, condemnat, sacerdotiis et dignitate movet, proscribit, in exilium agit. Ebbonem Rhemensem archiepiscopum in Saxoniam Hyldesaemos relegat. Agobertum Lugdunensem, qui vocatus praesto non fuit, nihilosecius curia pontificum movet. caeteros quoque in Italiam elapsos per omnium sacerdotum religiones devovet.

Posthaec primo solis die quadragesimae, velut nondum ab iniusta sacrificulorum execratione solutus, rursus a septem archimystis solenni ritu bene precantibus, lectis de libro supplicamentis, faustis bonisque omnibus cum maxima omnium, qui aderant, laeticia, populo adclamante, feliciter expiatur, quasi vero in potestate hominis sit, in arcaque sive vitro, sicuti ater genius magico susurro clausa teneatur aeterna illa maiestas, ut nutu nostro vel claudat vel aperiat caelos. Litavicus superis itaque conciliatus cum filiis Pipino et Litavico regibus ad concilium Borbetomagum se confert; illo soluto Theodoviam, hinc Aquas Graneas petit ibique hibernat.

Eodem anno, qui est ab humano genere servato annus octingentesimus tricesimus sextus, Adoloramus archiflamen Boiorum pridie idus Ianuarii ex hac vita migrat. Liopramus hoc sacerdotio ab imperatore regeque Boiorum donatur. is Venedis Illyricum, Noricum Pannoniamque incolentibus pontificem sacrificulum creavit Osovaldam, ad quem in pontificalibus scitis extant binae epistolae scriptae a pontifice maximo; in quarum una sacerdos, qui cultorem falsorum deorum, licet se defendendo, occiderat, de curia mystarum classibusque sacrorum movetur iubeturque in turba prophanorum consistere, in altera itidem presbyteros a sacris arisque arcetur, quod diaconus ab eo leviter dumtaxat verberatus, equo cadens cervicem fregerit, ex hoc vulnere obierit. satius enim esse, ait romanus episcopus, in humiliore religionis gradu servari quam alta petentem perire.

18 quasi — caelos *in A u. B eingeklammert; in A am Rande:* inter omissa.

6 — hibernat *vgl. l. c. c. 54* — relegat *vgl. Ann. Altah. mai. zu 835* 24 — Osovaldam *vgl. Conversio Bagoar. l. c. p. 10, 11* 29 *Dieselben scheinen sonst nicht bekannt zu sein.*

BSB

Subsequenti anno imperator, quod adversarii in Italiam aufugerant et a Luthario reciperentur, expeditionem italicam meditatur; quae necessaria fore opinatur, parat. at Nordomani Frisiam, insulam quondam, oceani Germanici oram armis invadunt: Hanthoryphos, Bicolam emporium iuxta hostia Rheni incendunt, Dorostadium expugnant, caesis praefectis Egardo, Hemingo, Halpodani filio, cum conpluribus, cuncta sibi armis parere cogunt in ditionemque subigunt. Britones quoque foedera rumpunt duce Muromano. copiae, quas augustus adversus hosce proficisci iusserat, parum profecere virtute. fortuna quidem caesarem non deseruit. Muromanus paulo post vitam simul cum regno finivit. in orientali Boiariae limite Moravi (Venedorum Schlavorumque natio est, qui tum aquilonarem Danubii ripam, qua Noricum inferius sive Pannoniam superiorem praeterfluit, insidebant) regi Boio rebellant. authores tumultus Rastizolaus Brynoque cum filio Hezilone ad ulteriores Venedos, qui Ratomaro parebant, a Rathobodo, duce limitis boiarici, iussu Litavici regis submoti sunt. Venedorum tum urbes Prynam, Pisonium, Nitravam, reliqua castella rex Boius occupat in Boiariamque transfert.

Augustus omissa expeditione italica Romam Fulconem et Adrovaldam, monachorum magistros, Richardum praefectum in Italiam ad Lutharium legat. hic reddi transfugas, illi rebellibus sacris interdici a romano pontifice postulant. ingrata legatio Luthario eiusque amicis fuit. Romam vero missi benigne auditi sunt. pontifex romanus duos episcopos, Petrum et Georgium eius rei gratia ad imperatorem in Germaniam proficisci iubet; qui cum Bononiam, in Germaniam transsitum facturi, pervenissent, ultra procedere arcentur. Leo purpuratus a Luthario illo missus, vetuit eos verbis Lutharii, ne usquam pedem ex Italia ad imperatoremve ferrent. illi minis territi inviti parent Romamque redire coguntur Adrovaldaque epistolam ab eis ad augustum scriptam occulte accipit atque cuidam, qui eam habitu mendici trans Alpes ferret, tradidit. ita diligentia Lutharianorum vestes, sinus, vulgas, calcimenta scrutantium excutientiumque elusa est. inter haec imperator in Frisiam adversus Danos movet. Cimbri audito imperatoris adventu, exacto a Frisiis tributo incolomes domum redeunt. quod ubi Pio nunciatum est, dimisso exercitu Angilaemos revertitur. Humeio

4 Bitolam? *A* 14 Hesilone *B*

3 — subigunt *vgl. Enhardi Fuldensis Annales zu 836, 837, M. G. Scr. I, 360, 361* 7 — finivit *vgl. Reginonis Chronicon, M. G. Scr. I, 567* 11 — transfert *vgl. Conversio Bagoar. l. c. p. 11; Annal. St. Ruodberti Salisburg. zu 838* 19 — disputat *vgl. Vita Hludovici, c. 55—58.*

Britanorum ducatum in tutelam fidemque conmendat. lues dira Luthariauos consultores invadit, praecipue eos, qui coniurationis authores extitere; universi intra duos menses a Septembri ad Novembrem extinguuntur. Pius cum filio Litavico rege Boiorum Lugdunum pergit, in demortuorum episcoporum decurias alios adlegit. inde hibernandi causa ad Aquas Graneas discedit.

Sequentis anni tercio idus Apriles stella crinita per continuos quinque et viginti dies fulsit; errantium syderum modo ab occidentis ora in orientem movebatur. quam cum augustus, talium studiosissimus, conspexisset (quippe astronomiae deditus, de huiusmodi rebus cum eiusmodi disciplinae peritis confabulari solebat) astrorum peritum, qui in aula versabatur, accersit, eius sententiam de huiusmodi stella sive, ut verum fateamur, igneo nodo inquirit, cum illo de natura eius disputat; nam variae sunt de cometa philosophantium opiniones. Democritus et Anaxagoras errantium syderum, dum coeunt, fulgorem convolutum esse arbitrati sunt. Hippocrates stellam errantem esse tradit, pasci atque ali humore terreno; in hoc repercussu radios reddi, qui comae barbave videantur. sunt, qui et haec sydera perpetua esse credant, quemadmodum Pythagorici, suoque ambitu ire, sèd non nisi relicta a sole cerni. alii vero, sicuti Aristoteles, docent igneam vim esse, tracto alimento humoris et moveri cum aere, nasci nimirum ex humore fortuito atque halitu radiis solis adsumpto raptoque ex terris in supremam aeris partem proximam, igni, alimento tellure subinde tracto; terrificum magna ex parte sydus ac non leviter expiatum et maxime ad reges pertinere, ventos, aestus significare tradunt. qua de causa in hominibus fervens difficili bile tumescit iecur, licet quoque literis proditum sit salutare et faustum terris esse, portendere caedes, bella, conmutationes rerum, exitium principum, excidia regnis hocque veluti monstro, mortales ut resipiscant, a supremo numine, patre indulgentissimo admoneri, vulgo magis credunt quam sciunt. in hanc sententiam dum Viennae Austriae cultioribus literis mansuetioribusque musis operam darem et tum cometa ibi fulgeret, lusimus:

Vidimus ardentem, non certe impune, cometam,
Non premit incautos ultio iusta deum.

et profecto eodem anno, ut verum fateamur, Philippus rex Hispaniae, pater imperatoris Caroli maximi caesaris augusti interiit.

16 Hyppocrates *B* 25 ventus *A u. B* 36 *Am Rande in A:* adparuit *[cometa]* nostro aevo 1531 Augusto adsumptionis usque Bartholomaei *[15.—24. August].*

7 *vgl. Ann. Fuld. zu 837* 14 — tracto *vgl. Aristot. Meteor. I, 6—8* 23 terrificum — expiatum *Plin. n. h. II, 92* 26 fervens — iecur *Hor. C. I, 13, 4* 27 portendere — rerum *Sall. Jug. 3, 2* 31 *vgl. oben Bd. I, 663, Z. 10* 35 *1506, 25. Sept.*

Caeterum Litavicus (inde enim diverti) dum diutius de natura rerum philosophatus esset, paulo indulgentius vino pepulit curas et sollicitudines; caeteros, ut idem facerent, cohortatus est. tum Iuditha augusta, callida atque astuta mulier, ministerio palatino (ut mos aulae est et mutuum muli scabunt) adnitente, ab uxorio marito haud difficulter Burgundiam, Rhetias, Sueviam, unde ipsa oriunda erat, Carolo filio suo aduc impuberi ad Aquas Graneas celeberrimo loco extorquet. hanc ob rem caeteri caesaris filii de tanta re novercam, quae vulgo male audiret nec maioribus nec foeminae convenientibus negociis abstineret, imo magis aequas partes potentiae sibi vendicaret licentiusque, quam matrem familias deceret, cuncta ex libidine ageret, sententiam ferre perindigne ferentes, in valle Tridentina, ubi confinium est Boiariae atque Italiae, ad huiuscemodi acta rescindenda conveniunt.

Interim Moravi res novas moliuntur, Ratomarus regulus, ad quem supra Brynonem aufugisse conmemoravimus, Boiis praefectis obtemperare recusabat imperiumque Boiorum asperuabatur. rex Boius Rathobodum, Austriaci limitis ducem, quem marchionem vocamus, cum validissimo exercitu adversus Ratomarum proficisci iubet mandatque Rathobodo, ut perfidum caput non ante persequi cesset, quam aut occidat aut regione penitus exturbet. Ratomarus et Brynno Venedorum rectores haud imparati nostris obviam procedunt, cum Boiis pugna confligunt, verum amissis multis in fugam vertuntur atque rebus desperatis cum iis, qui evasere caedem, ad Vulgares in Moesiam trans Savum aufugiunt. Ratomarus ibi periit, Brynno taedio exilii, cum sine pignore, sine lare extorris patria erraret, fretus clementia Litavici regis Boiorum, Savum amnem, accepta publica fide abs Salachone, eius limitis procuratore, in Boiariae regnum transsit ad Litavicumque regem Boiorum, ab eodem praeside Reginoburgium mittitur atque non solum veniam praeteritorum impetrat et urbes Nitravam, Pisonium, Brynnam et alia perdita recuperat, verum etiam partem inferioris Pannoniae et Norici iuxta Seunam flumen, quae tum deserta erat, recipit. ubi cum filio Hezilone dirutas colonias et arces a Romanis quondam deductas et a Germanis solo aequatas instaurat, inter quas Celeia et Petanio et Mosaburgium numerantur. templa quoque de integro a Prynnone ibi aedificata a Leopramo Iuvavensi archimysta Boiorum consecrantur.

Nullus stat adversus inmodicas cupiditates terminus. avaro difficile

10 vindicaret *B* 31 Saeunam *A*

1 — conveniunt *vgl. Vita Hludovici, c. 59; Enh. Fuldens. Annal. zu 838* 5 mut. — scab. *Aus. Id. 12 praef.* 14 — consecrantur *vgl. Conversio Bagoar. l. c. p. 11; Annal. St. Ruodberti Salisburg. l. c. 770* 15 *Priwina.*

est sibi temperare et eo contentum esse, quod offert occasio; quippe sordere solent prima, cum maiora speraveris. non minus avidae rerum sunt quam mutabiles ac religiosae foeminae, praecipue ubi copia iudicium moratur. idcirco augusta spreta priore conditione regno imperii Francorum florentissimo inhiare coepit. dabat animos id tentandi mariti facilitas, qui obnoxius uxori nihil pensi habebat, nihil eidem deprecanti negare solebat. primo igitur Iuditha aulicos, quos opportunos esse videbat, partim muneribus et ingentibus pollicitationibus, partim blandiciis, quibus plurimum pollebat, suos facit atque suffragatores parat. deinde Pipinum regem Aquitaniae, socordis tardique ingenii, pari astu in suam trahit partem. postremo eo imperatorem illecebris pellicit, ut in Galliis Carisiaci celebrem conventum Celtarum cogeret. ubi praesente Pipino Carolum ense, diademate regio ornat regemque Lugdunensis Galliae adpellat.

Hisce confectis Pipinus in Aquitaniam redit; paulo post mense Novembri relictis duobus filiis Pipino et Carolo vita defungitur. imperator ad hiberna ad Aquas Graneas revertitur. augusta territa ob mortem Pipini adversamque Pii valetudinem, cui finem vitae in foribus adesse eundem propediemque moriturum animadvertebat, sibi filioque suo impuberi consulere, tutorem patronumque parare caute prudenterque operam navat. conmunicato itaque consilio cum amicis augusti, quos suis rebus studere sensit, quemnam privignorum ad hoc munus accersat, consultat. Lutharius magis opportunus, magis ex usu visus est. expugnato igitur astu, precibus, blandiciis animo Pii Iuditha partim iussu mariti, partim sponte sua perquam honorifice legatos ad Lutharium in Italiam mittit. qui primo dicunt mitigatum esse imperatorem, Luthario ipsi, eius amicis eundem amiciciae gradum apud caesarem non solum patere, sed et imperii successorem illum a parente indulgentissimo designatum esse. deinde suadent Luthario, ut quam celerrime ad augustum, maximam imperii partem occupaturus, contendat.

Quo autem haec, quae augusta constituerat, facilius ex voto sententiaque animi perficerentur, Litavico regi Boiorum publico decreto reliquis regionibus interdicitur. imperator eundem, victus techna coniugis, excedere Boiariam vetat et alio quovis gentium ferre pedem prohibet. at Litavicus rex Boiorum, cum haec fieri insidiis iniustae novercae paucorumque flagicio (qui amore ac aetate desipientem augustum morboque adfectum et valetudine minus sui compotem suo arbi-

3 atque *A;* sunt *nach* religiosae *wiederholt B* 10 secordis *B* 18 valitudinem *B* 37 valitudine *B*

11 — conmendat *vgl. Vita Hludovici, c. 59—61; Ruodolfi Fuld. Ann. zu 839, M. G. Scr. I, 361* 16 Novembri *Ann. Fuld. zu 838; dieselben vgl. zu S. 545, 1.*

tratu venumdarent) intelligeret, tercio calendas Decembris Francophoron venit, coacto Francorum Saxonumque senatu, iniurias iniustae novercae inimicorumque insolentiam conmemorat, qui augusti adfecti valetudine obnoxiique servituti uxoriae lenitate in communem omnium perniciem abuterentur. edictum tum ridiculum, tum iniquum adversus se proponit. quid ab huiuscemodi fumi venditoribus reliquis expectandum sit, cum filio et regi obsequentissimo genitorem praeripuerint, declarat; beneficia sua praedicat; orat ac postulat, rempublicam suscipiant, una secum administrent, in conmune rebus consulant nec patiantur genuinam germanamque Francorum sedem pravorum praedae atque avariciae patere. Germaniae primores, quod eis iam pridem cognita erat mansuetudo, prudentia regis Boiorum, pronunciant se in eius potestate fore. operam deinde suam certatim spondent et nequaquam se eum deserturos reipublicaeque defuturos pollicentur.

Pius, ubi haec ei renunciata sunt, omissa Aquitania, quo ire et defuncto filio regionem pacare constituerat, vires cogit, ultimo Decembri Mogonciaci Rhenum transsit, Triburiae castra facit, considet, maiores copias expectat. quae ubi convenere, adversus filium infesto intentoque exercitu Hodonnam procedit. rector Boius nefas ducens filium cum parente ferro decernere, sortem suam supremo numini conmendat in Boiariamque caedit, iubet eos, qui suis rebus favebant, sibi consulere ad augustumque redire. hisque ab Alberto caesarianarum partium dynasta, ingentibus pollicitationibus et spe veniae ad Pium reducuntur. proceres Francorum frequenter ad caesarem conveniunt, docent neque se neque reliquos Germanos pati posse Litavicum, regem Boiorum et augustae maiestatis haeredem, de omnibus et republica bene meritum, tantis rebus adversus Venedos imperii et religionis Francorum hosteis publicos gestis, oppidis moenibusque prohiberi ludibrioque fore impotentis naturae animali et soricibus pestilentibus. se primaria membra, nempe conditores et authores imperii Francorum esse; non posse quemquam sine suo consensu rebus imponi; rem sui iudicii esse, armis haud dubie muliebri audaciae pessimorum conatibus obviam ituros. proinde (inquiunt) augustus habeat rationem posteritatis periculique reipublicae; caveat, ne hancce dum flagitiosissimorum (qui omnia permiscere, cuncta ad suam potentiam dominatumque convertere, rem ad arma deducere studeant) temeritati obsequatur, pessundet atque perditum eat. admonent, ne quid raptim turbateque agat. postremo petunt atque iure suo postulant, ut cum filio omnium optimo ac sapientissimo in gratiam redeat. imperator hisce conmotus verbis, qui alioqui quippe tenuis,

1 venundarent *B* 3 valitudine *B* 22 caesarianorum *B* 29 menbra *A*

infirmi, ne dicam instabilis animi, vento et nutu consultantium circumferebatur, regi Boio gratiam facit isque ad patrem supplex venit.

His conpositis Pius Francophori hiemat; in quadragesimali ieiunio Confluentiae Rhenum transsit; inde in Sueviam pergit, paschalia propter lacum Brigantinum perpetrat. mense Maio Borbetomagum proficiscitur. huc ex Italia Lutharius, promissis, ut supra dixi, inescatus, evocatus a patre, venit; a quo honorifice et benigne praeter solitum excipitur. deinde imperium Francorum, relicta sola Boiaria Litavico, inter Lutharium Carolumque connitente augusta dividitur. a flumine Mosa orientem solem austrumque versus cuncta Lutharius animo invadit, regna occidentalia Galliarum Carolo relinquit; eius tutor augustaeque curator adpellatur. adsunt Aquitanorum quidam, qui de novo rege sententiam imperatoris expectabant. verum qui domi remanserant, regem nisi a se creatum aspernabantur Carolumque recipere detrectabant. Pipinum, nepotem imperatoris ex filio Pipino, rebus Aquitanicis imponunt ad regiumque solium sublevant. imperator quasi re bene gesta et ceu omnem discordiae de dividundo imperio fenestram praeclusisset, serio triumphabat; laetus hilariorem Lutharium in Italiam dimittit, ipse Aquitaniam petere adversus nepotem suum constituit; dictitabat, se non invidere nepoti, sed consulere, ne scilicet ferox eius ingenium aetasque tenera levibus atque protervis Gallorum, pertinacibus Aquitanorum moribus corrumperetur; eumdem apud se in Germania educatum iri oportere praedicabat. cum coniuge igitur ac Carolo secum ducto arma in Aquitaniam movet, proceres iurare Carolo adigit; refragantes in vincula coniicit, quaestionibus admovet, Pipinum nepotem in Germaniam mittit, educandum Drogoni pontifici Mediomatricum conmendat.

Interea, dum talia in occidente geruntur, Litavicus rex Boiorum impatiens doloris, quod aequa portione regni avitaque haereditate (quasi vulgo conceptus impareve matrimonio natus) exclusus esset, confisus Germanorum voluntatibus, Suevorum sibi animos primo conciliat, deinde Francophoron petit, quo frequentes ad eum Francorum, Saxonum, Venedorum duces, tetrarchae, dynastae, pontifices, sacrifici, monachi, item legati Cimbrorum coeunt. ibi rex Boius patientiam suam praedicat, inimicorum fraudem proponit, a fratribus bis captum genitorem, a se bis servatum esse conmemorat; egregiam sane hisce meritis gratiam referri, illis imperia ob paricidia tribui, se ob pietatem velut nothum, exhaereditatum esse et, si diis placet, Germaniae hactenus liberae dominum muliebri scelere imponi; se semper cum fratribus

28 — succubuit *vgl. Vita Hludovici, c. 62; Ruodolfi Fuld. Ann. zu 840.*

de virtute certasse; se, ut antea operibus studuerit, sic iusticia et aequitate velle superare; petit sui rationem haberi. fit patrum consultum, Germanis regem apud se educatum cordi esse, placere eius modestiam ac iusticiam, quas iam pridem sensissent ac experimentis cognovissent, non placere populo invicto, nationi orbis reginae principem, cuius vitam ac mores ignorent.

Hiemabat sub idem tempus apud Pictonas in Aquitania imperator Litavicus crebrisque nunciis, item literis fit certior, Litavicum filium universas Germanias occupasse in eiusque verba omnes Alemanos atque Venedos et Schlavos iurasse regesque Cimbrorum, Danos, Suionas, Nordomanos, Gothos, Finnos eidem operam suam pollicitos esse. hocque tristi nuncio accepto, languore et pectoris inflatione tentari, crebris singultibus concuti coepit, causam valetudinis ex moerore contraxit; pituita ac distillationibus, quae alias pulmonem et viscera huiuscemodi vitalia viciarant et auctae tum frigore hiemali levoque rumore, intumuere in suppurationem et apostema.

Relictis igitur uxore ac filio Carolo in Aquitania, Drogum archiflaminem augustalem, Albertum magistrum equitum ad tutandam occidentalem Rheni ripam et in officio continendos accolas praemittit. ipse inicio quadragesimae ex Aquitania egreditur, cum copiis, licet annis et morbo adfectus, subsequitur; ad Aquas Graneas ante paschalia cum exercitu pervenit. peractis ibi festis diebus Moeno Francophoron navigat, Heroveltas monasterium Turogosque, ubi filium considere, stativa habere fama erat, petit. cum fines Boiariae Nariscorumque nullo hoste obvio adtigisset, Litavicum filium per Boiemiam et aliorum Venedorum provincias magna difficultate atque haud mediocri discrimine penetrasse, in Boiaria meridionali incolomem degere audit. porro adgravata valetudine retro pedem refert, Salsam vicum regium devenit, ibi solennes supplicationes facit triumphumque Christi concelebrat. inde Rheni ora, insulis in agro Mogontino circuitis, dum secessu mediamnis proxime Angilaemos fixis papilionibus aegritudinem levare parat, succubuit. vocatis ad se Drogone fratre, archimysta caesareo, episcopo Mediomatricum, Hettone Treverensi, Otogerione Mogontino pontifice, cum omnibus mitis in gratiam redit, filio Litavico ignoscit, supellectilem imperatoriam distribuit. diadema, ensem gemmatum auratumque, sacra et insignia imperii Luthario legat.

Hisce peractis ad caelum conversus divinisque rebus intentus,

13 valitudinis *B* 28 valitudine *B*

23 Heroveltas *vgl. Ann. Altah. mai. zu 840* 32 — condidit *vgl. Vita Hludovici, c. 63, 64.*

nullo posthac negocio prophano animum accommodavit, duodecimo calendas Iulii, anno vitae 64, potestatis 27, Christi authoris nostri 840, animam efflavit et in hac voce defecit: ous, ous, quod non tam deminutae alienataeque mentis signum quam atros genios abominantis verba fuere. nam apud Germanos is sermo abigentis est declaratque: foras, foras, hoc est, abi, abi hinc in malam crucem. corpus Drogo in Mediomatricum urbem deportavit, in aedem divi Arionulphi, ubi genitrix eius humata erat, intulit mausoleoque condidit.

Supra quam cuiquam credibile est, mitissimus Pius fuit. quem si vere cognominavero, haud inmerito pilam fortunae dixero, in qua iocos lususque suos illa exercuit; aut ut veritatis placita sequar, in Litavico hoc rerum et naturae parens vim suam plane ostendit; quemcumque, utiuti libet, attollit in altum et de sublimi rursus praecipitat. nec est quisquam omnium, qui refragari audeat aut quaerere: cur nam ita agis? virtutem illam ac magnitudinem animi et fortitudinem parentis Pius non est adsecutus; vis illa inmortalis ingenii, quae in Magno extitit, in filio defecit. hic magis pervicax in secundis quam adversis fuit atque in prosperis pertinax, in angustis mollis ac minime resistens fuit. uxori animoque nimium indulgens, ad nutum tinearum aulicarum circumferebatur. minus caute, parum prudenter pericula cavit nec incolomitati reipublicae quam longissime post se consuluit. quod si factum parentis de dividúndo imperio aemulatus fuisset, haud tam cito imperium, vires Francorum occidissent nec tantum armis licuisset neque tantum sanguinis christiani paricidiali bello effusum aduc respublica lugeret. sed nihil versatilius fortuna. vulgatum apud nos proverbium est, summa quaeque tandem ad ima rursus relabi, quae si amplius intendantur, in nervum erumpent; habenis itaque laxatis sensim, donec occidant, remittuntur. quibusdam forte ac temere humana negocia volvi agique persuasum est; alii fato et aeterna constitutione nexuque causarum latentium et multo ante destinatarum suum quemque ordinem inevitabili lege percurrere arbitrantur. nos ita omnia aeternae supremaeque maiestati subiicimus, ut tamen animi nostri liberi sint motus et quisque suo vicio sibi malum accersat. inmortalis quidem illa providentia, cuius fortuna evertenda est, eius consilia corrumpit.

Cap. 13. Luthario ubi renunciatum est parentem obiisse, ex Italia in Germanias Galliasque mature, quam maximis potest itineribus, con-

3 diminutae *B* 26 habenis atque *B*

34 providentia — corrumpit *Vell. II, 57; 118* 35 — diversante, *S. 551, 38 vgl. Ruodolfi Fuldens. Annal. zu 840—842, M. G. Scr. I, 362, 363.*

tendit, Aquas Graneas, regiam et caput Franciae, occupat, Galliarum Germaniarumque primores accersit, sacramenta sibi dicere iubet. legatis Caroli et Litavici, fratrum suorum, qui aequam avitae paternaeque haereditatis divisionem postulabant, consilio Alberti praefecti praetorio (is plurimum apud Lutharium poterat et discordiam fratrum quam concordiam, bellum quam pacem sibi utiliora existimabat) respondet, se iam pridem a pontifice maximo senatu populoque romano imperatorem adpellatum ac Romae solenni ritu augustum consecratum, consortem imperii a parente adlectum, ab eodem insuper testamento haeredem et successorem augustalis maiestatis, imperii, qua latissime patet, missis eius insignibus declaratum; perniciosam esse reipublicae multitudinem principum; vulgo dici, negligi, quod a pluribus custoditur; quamobrem sibi ut maximo natu, summam rerum a parente conmuni procerum imperii consensu traditam esse; decere pios filios bonosque rectores acta parentis universique populi tueri; se quidem Litavico Boiariam, Carolo Aquitaniam, ubi uterque regio more degat, concedere, hac tamen lege, ut haec regna praecario possideant in fidemque a se accipiant atque sibi sicuti augusto orbis et urbis domino obtemperent, quemadmodum sub parente et avo factitatum sit.

Haec ubi ad reges Carolum et Litavicum relata sunt, conmuni consilio Luthario bellum indicunt, armis impetrare, quod iure nequivere, statuunt. Carolus a tergo, Litavicus a fronte fratrem adgreditur. is soluto conventu ex Aquis Graneis egreditur, coniuncto sibi Pipino nepote, qui in Mediomatricum urbe educabatur, cum magno exercitu Mogonciacum, primariam Germaniarum urbem, inde Germaniam Magnam, quatenus longissime latissimeque porrigitur, vendicaturus petit. rex Boiorum cum antiquorum Francorum non tam numerosa quam valida manu suburbanis Mogontinis fratrem occupat, retro pedem ferre cogit. quippe Lutharius timens robora Francorum caedit adversusque Carolum in occidentem arma convertit.

Interea Litavicus Francos orientales omneis, Saxonas, Hassos, Franconas, Turogos, Suevos, Venedos, Schlavos, proceribus multa largiendo, complura civitatibus promittendo, singulos benigne adpellando sibi conciliat in suaque verba iurare pellicit. orientalem Rheni ripam validis praesidiis confirmat. at Lutharius crebris legationibus eorum, qui suis rebus favebant, revocatus, omisso Carolo e Galliis rursus ad Germaniam iter flectit et proximi anni Aprili quam celerrime ad Rhenum procedit. iuxta Vangionum urbem cum exercitu clam flumen transsit. Litavicus a suis partim civile bellum detestantibus, partim principatum adfectantibus desertus et plane proditus ab hostibus,

de improviso circumventus, cum paucis vix evasit in Boiariamque aufugit. Lutharius dispositis praesidiis iuxta Rhenum, ne sibi a tergo bellum inmineret, partem ibi copiarum cum Alberto magistro equitum ad prohibendos Litavici conatus ad impediendumque, ne is vires cum Carolo coniungat, relinquit; omnem impetum belli in Carolum convertit, qui iam ad Mosam Litavico se coniuncturus pervenisse feretur. ab hoc rex Boiorum in auxilium per legatos evocatus, per Sueviam cum suis absque cunctatione armatus ad fratrem Carolum properat fratrisque alterius praefectos sibi resistentes et iter intercludere conantes gravi admodum clade adficit, Albertum magistrum equitum huiuscemodi belli nefandi authorem cum plurimis Lutharianis praelio occidit victorque nemine omnino prohibente Gallias petit, copias cum Carolo iungit.

Lutharius cum ingenti exercitu in Fontoniaco vico Antisiodori (quae civitas Galliae Lugdunensis terciae) consederat. rex Boius et Aquitanus armis coniunctis ad fratrem procedunt, oratores ad eum proficisci iubent, qui pacem offerant, si ille aequam portionem fratribus germanis, uti ius gentium est, redderet. at ille aviditate imperii excors, nullius salubris consilii patiens, summam rerum mordicus tenere connititur nec ullam aliam condicionem concordiae ne audire quidem, nedum accipere voluit. iam enim fatis admovebantur Francorum genti bella civilia. destinati igitur sorti suae fratres paricidiali praelio manus conserunt, se cognato sanguine contaminant septimo calendas Iulii. acriter diu pugnatum est; utrimque magna accepta clade, victoria tandem cruenta Litavico et Carolo cessit. Lutharius ad Aquas Graneas aufugit. concidere hoc certamine vires Francorum; centena amplius millia hominum hac pugna interiisse author est Iordanus Osinaburgensis Francique soliti hactenus fines regni proferre, elaboratos ac acquisitos a maioribus aegre posthac tutati sunt. Carolus et Litavicus castra fratris diripiunt, corpora occisorum humari iubent.

Deinde rex Boius dimisso fratre in Gallia, mense Augusto in Germaniam revenit, Salsam regium vicum accedit. Lutharius rursus reparatis viribus et undecunque suis conlectis, ea aestate Mogonciacum occupat, Lutharium filium ad Saxonas mittit, eos ad se Augustam Nemetum properare praecipit. ipse interim Rhenum traiicit, contra Litavicum intento infestoque exercitu procedit, exitium regi Boio

28 elaboratas ac acquisitas *A u. B*

27 *Bei Jordanus Osnabrug., De imperio romano, findet sich diess nicht, weder in der Ed. princeps, noch in der von Waitz, Abhandlungen der Göttinger Gesellschaft d. Wiss. 1868, XIV* 28 Francique — tutati sunt *vgl. Reginonis chron., M. G. Scr. I, 568.*

minatur, eundem non solum Francia Boiariave, sed etiam Europa exacturus, usque Boiariam Franciae antiquam pervenit. verum huiuscemodi minae in ludibrium versae, Boii et eorum rex fortiter se ac fines suos tutati sunt. Lutharius re infecta Borbetomagum redit; ibi filiae suae nuptiis confectis Gallias petit. tota hieme frustra adversus Carolum arma movit nullaque re memorabili gesta ad Aquas Graneas revertitur. inter haec Rabanus Fuldensis antistes, vir ea tempestate undecunque eruditissimus, vates, theologus insignis, quod nimis literis deditus, rem familiarem neglegeret, a monachis monasterio eliminatur; ipse ad Litavicum regem nostrum se contulit.

Primo deinceps vere, cum ne victus quidem Lutharius a pertinacia desisteret, Litavicus cum Francorum Boiorumque valida manu ad Rhenum contendit, urbes in occidua ripa sitas, quae Lutharianae erant, ad deditionem cogit. Carolus Argentorati ad regem Boium venit. ambo reges coniunctis viribus adversus Lutharium arma movent, 17 kalendas Aprilis eundem, cum metu superioris pugnae sui dilaberentur, in fugam vertunt. fama erat ipsum desperatis rebus Italiam petere. hac de causa Litavicus et Carolus imperium Francorum inter se partiuntur. Litavicus Germanias, Carolus occidentalia Galliarum ipsi sibi destinant. Lutharius vero reparatis de integro viribus apud Matisconem urbem Burgundiae castra locat, se vallo, fossa munit, denuo aleam belli tentaturus. quod ubi Litavico et Carolo renunciatum est, eo cum suis copiis procedunt. caeterum iam omnibus huiuscemodi bella paricidialia detestantibus et abominantibus (nam quibus bellum quam pax magis cordi fuerat, occiderant), amicis fratrum ultro, citro conmeantibus, reges reconciliati sunt. consilium deinde principum virorum habuerunt, in quo placuit, ut quadrageni cuiusque senatores, gnari regionum, locorum coirent, deinde imperium describerent et iurarent se absque fraude doloque malo illud inter fratres partituros. centum itaque et viginti proceres in Germania apud confluentes Mosellae Rhenique coeunt, totum hunc annum ibi conmorantur, urbes, oppida, castella, imperii membra in libellum redigunt, deinde in tetrarchias dividunt. interim eius anni aestate Litavicus in Saxoniam movet arma. servi atque libertini in dominos conspirarant. oppressa coniuratione, authoribus factionis capitali supplicio adfectis, Augusto ad Salsam, ubi regium praetorium erat, ad conventus agendos proficiscitur, inde Septembri ad Carolum fratrem Argentoratum pergit, Luthario tum Theodoviae diversante.

9 negligeret *B* 32 menbra *A*

7 *Vgl. oben S. 522, Z. 2* 9 *vgl. Dümmler,. Gesch. des Ostfränk. Reichs, I, 171* 18 *flgd. vgl. Regino zu 842.*

Insequentis anni Augusto, qui fuit ab servato orbe octingentesimus super quadragesimum tercium, Veroduni (urbs est caesariana Galliae Belgicae primae) reges et centum viginti principes viri coeunt, divisio imperii renunciatur. Aquitania Pipino datur; Luthario caedunt cognomen augusti, Roma, caput mundi, Italia, victrix quondam gentium, Alemani et Teutones, qui secundum Iulium Caesarem et veteres cosmographos Gallias, Belgicam Celticamque incolunt, Germania secunda, cuius partes sunt Agrippinenses, Tungri, Brabantini, Flandri, Toxandri, Hannonii, Cameracenses, Picardi usque ad Sonnam flumen, hi omnes quondam inferior Lutharea dicti, insuper Germania prima praeter Mogonciacum, Borbetomagum, Augustam Nemetum, Gallia quoque Narbonensis, quae et Provincia, Sequanique, Vesontio, Lugdunum, Haedui, Lingones, Burgundia, Gallia Belgica superior (cuius quatuor a romanis scriptoribus primariae censentur urbes: Trevirum Augusta, Mediomatricum urbs, Leucorum Tullum et Verodunum, haec aduc a Luthario Lutharia vulgo nuncupatur). caetera Galliarum, nempe Galliam Belgicam secundam, cuius urbes sunt Rhemi, Suessonum Augusta, Veromandorum Augusta (nobis Sanctus Quintinus est) atque Galliam Lugdunensem, quae et Celtica, Carolus accepit eaque pars aduc regnum Francorum et Francia occidentalis vocari solet, cuius caput est Lutecia Parisiorum.

Litavico destinata sunt universa, quae a Rheni fluentis orientem solem longe lateque spectant: Germania Magna, Rhetia, Suevia, Vindelicia, Illyricum, Noricum, Pannoniae, Liburnia, Boii et Venedi. additi ob vini proventum in ripa Rheni occidua Mogontini, Vangiones, Nemetes. hisce confectis reges iureiurandi religione pacem sanciunt; inde quisque in suum regnum discedunt continuoque a pravis consultoribus inter Carolum regem Celtarum et Pipinum regem Aquitaniae ob limites discordiae flamma excitatur. Carolus Aquitaniam crebris incursationibus infestat, Veronardum limitis Hispanici praesidem trucidat. caeteri Pipini duces septimo idus Ianuarii copias Caroli de improviso adoriuntur, fundunt, caedunt. interiit hoc praelio Rhabanus, signifer Caroli, et cum eo magnus nobilitatis numerus hique monachorum magistri: Richobotus, Hugo, patruus Caroli.

Inter haec Gregorius quartus pontifex romanus ex hac vita migrat, cui Sergius, ante Os Porci dictus, suffragio imperatoris, sacerdotum senatusque populi romani sufficitur. Saraceni ex Mauritania solvunt, Italiam invadunt, Beneventum capiunt. rector Germaniae

1 — petenti mittit *vgl. Ruodolfi Fuld. Annal. zu 843, 844; Reginonis chron. l. c. zu 842* 31 7. id. Junii *Ann. Fuld.*

orientali Boiariae limiti in Pannonia filium Litavicum praesidere iubet. ipse Venedos trans Albim considentes et ad orientem vergentes, qui res novas moliebantur, occiso eorum regulo Gozomuzilone perdomitat ducesque ipsis teutonicos, ne deficerent in posterum, imponit.

Rhabanus noster librum de sacrosancto domini deique nostri vexillo, ut supra narravimus, conscriptum, per Aschorichum et Rupertum monachos Romam Sergio pontifici maximo petenti mittit. quod opus laboriosum nostro aevo opera Ioannis Reucholini, hebraearum literarum instauratoris, ab Thoma Anthelmo diligentissime excusum est.

Nordománi latrocinii studio ex Cimbrica peninsula navibus delati, ducibus Ragonoerio et Borico regnum Caroli invadunt, secundum Sequanae ripam Parisios tendunt, monasterium divi Germani diripiunt. Carolum, qui cum Britanis male pugnarat amissisque multis cum paucis vix evaserat, gens ferocissima pacem a se mercari cogit. post haec Dani domum in oceano germanico navigantes, Frisiam invadunt, ter pugna cum Frisiis conflixere. primo inferiores praelio discessere, duobus nostros ingenti strage adfecerunt, inde victores reversi, in Saxoniae Cimbrorumque confinio Hammoburgium devastant; verum nostris ad auxilium passim evolantibus retro tulerunt pedem.

Porro Litavicus rex noster conventum procerum in Saxonia Badobrunnae cogit. adfuere fratrum et Horuci regis Nordomanorum legati, item Schlavorum omnium Vulgarumque oratores, cum quibus omnibus pax foedusque confirmatum est. Nordomani captivos reddidere, ablata restituerunt. Heroldus Danus, princeps inter suos, philosophiam nostram recepit in Franciaque manere maluit, in Saxonia sedes et domicilia a rege nostro accepit, praecipuo in honore apud nostros fuit. Boiemi quoque religionem nostram recepere. quatuordecim gentis dynastae cum popularibus suis sacra aqua lustrati sunt iussusque est Bathuricus pontifex Reginoburgensis Zechos (ita enim sua lingua Boiemi nominantur) instituere in philosophia christiana. nam Boiemia, quae ab occidente et meridie Boios spectat Boiariaeque finitima est, in rebus divinis paruit episcopis Reginoburgensibus usque ad divum Voliphogangem, cuius consensu de caetero proprios habuere pontifices, quos imperatores nostri dederunt, sicuti in quinto narrabimus libro.

8 Reicholini *A* 22 Sclavorum *B* 31 quae *fehlt B* 34 sicut *B*

6 *Vgl. S. 522, Z. 3 flgd.* 8 *Rabani Mauri opus de laudibus sanctae crucis. Pforcheim in aedib. Th. Anshelmi 1503 mense Martio. Bei Graesse, Trésor de livres rares, VI, 2, wird diese Ausgabe Wimpheling zugesprochen* 10 — vastant *vgl. Ruodolfi Fuldens. Ann. zu 845, 846* 11 *Bei Aimoin, Miracula st. Germani, der hier auch benutzt scheint (Acta Sanct. Boll. Mai VI, 796, 799): Ragenarius, Horich* 24 — fuit *vgl. Ann. Fuld. zu 852.*

Non solum externi hostes Francorum fines infestarunt, indigenae quoque civiles inter se dissensiones concitarunt. Lutharius Bolocratum ducem Arelatensem, Burgundionas a se desciscere parantes vi ad deditionem cogit armisque in obsequio continet. Gisalobertus Caroli praefectus filiam Lutharii rapit in Aquitaniamque profectus eam sibi connubio iungit. augustus id Carolo annuente faventeque factum esse existimabat. ideo par pari referre, expeditionem adversus Carolum, iniuriam iniuria compensare meditabatur. subsequentis igitur anni primo vere rex Germanus in occidentem ad Carolum proficiscitur. ibi in conventu procerum celebri uterque regum iuramento se purgant, inscios esse raptus neque placere hoc coniugium. inde Litavicus ad lacum Brigantinum revertitur; pridie nonas Apriles ibi paschalia celebrat, caesarem Carolo reconciliare frustra summa ope nititur.

In Augusto cum exercitu in Moraviam tumultuantem pergit, quae latissima erat. ab occidente Boiemiae continuabatur, orientis ab ora et meridie tum cum Danubio usque in Pontum ferme excurrebat atque cum Europa finiebatur. eius regulus summus Schlavorum princeps censebatur. Germanus rector compositis rebus genti Rastizolaum nepotem Moemari imponit. Nitravae, Brynnae eidemque tractui antea Brynnonem, itidem Venedum praefecerat. per Boiemiam Reginoburgium revertitur. ubi vita functo Bathurico Ariofridum eiusdem urbis summo sacerdotio donat. Saraceni, quos Mauros nominant, templum divi Petri Romae, cum urbem capere non possent, vastant. templum divo Ruperto dicatum Iuvaviae conflagravit.

Anno deinceps proximo, qui fuit aerae nostrae octingentesimus quadragesimus septimus, quies ab armis fuit. augustus regem nostrum invitavit, ipse vicissim ab eo invitatus est. huncque annum hi duo fratres mutuis conviviis, venationibus, sagittariis muneribus, equestribus spectaculis ac caeteris regiis voluptatibus transegerunt. attamen Litavicus, ut imperatorem Carolo regi Celtarum reconciliaret, frustra operam sumpsit. nimis impatienter ferebat Lutharius ignominiam sibi ob raptam filiam inlatam nec ab animo eius suspicio illa amoveri ullo pacto potuit, quin hanc technam Caroli esse opinaretur. eodem anno Otogerione pontifice Mogontino mortuo Rhabanus ille ob eruditionem a Litavico rege archimystes primarius Germaniae nuncupatur sexto calendas Iulii iussuque Litavici calendis Octobribus Mogonciacum coetum sacerdotum cogit, vivendi normam sacrificulis praescribit.

21 *Ann. St. Emmerami Ratispon. min., M. G. Scr. I, 93 setzen die Einsetzung Erchanfrids in d. J. 848* 23 — conflagravit *vgl. Ann. St. Rudberti Salisb., M. G. Scr. IX, 770* 25 — de caetero fuit *vgl. Ruodolfi Fuld. Ann. zu 847, l. c. p. 365* 33 — opinaretur *Ter. Eun. IV, 4, 50.*

quantumvis enim ager fertilis, solum foecundum sit, nisi assiduo cultu agricolae purgetur, spinas et lollium tibi germinat.

Fuit eadem tempestate in Suevia, agro Constantiensi, insana quaedam vates Theoda nomine, quae consilio cuiusdam sacerdotuli quaestus gratia, freta vilis plaebeculae credulitate, ut sunt animi imperiti vulgi superstitiosi magis quam religiosi, futura canere coepit ambiguisque dictis mortaleis stultos stultiores reddebat. contra scita divi Pauli muliercula publice concionabatur; de ministeriis divinis prophanissime philosophabatur et de his, quae soli deo nota sunt, temere pronunciabat. visus caelestes simulabat, congressus, collocutiones cum superis, a quibus cuncta disceret, ementiebatur. extremum fatum orbi terrarum et illum diem, poetis quoque alienis a religione nostra decantatum, impendere isthoc anno praedicabat. viri, mulierculae, pueri, puellae metu perculsi, sturnatim graculatimque provolant, munera deferunt, deprecatricem apud inmortalem praetorem parant. quidam Stoicidae obstipo calvoque capite, vultu tristi et sordibus notabilibus dumtaxat religionem prae se ferentes, eandem velut sibyllam caelitus demissam deoque plenam non solum venerabantur, verum etiam sectabantur. nam Pharisaeorum hoc genus irritabile aduc nostra quoque aetate, posthabitis sacrarum literarum fontibus clarissimis, coenosas lacunas potare solet; isti rabulae nugis humanisque conmentis ratiocinatiunculis sophisticis ac tumultu (uti ait pater omnipotens) carminum suorum, felicitatem conlocant inmortalitatemque in figmentis mortalium praeceptiunculisque consistere opinantur, quasi vero cogitationes hominum atque dei plus quam per diapason intervallum non distent aut non dictum sit, iusticia vestra pannus profluvii mensis muliebris. sed ad fatidicam illam revertor. ea iussu regis nostri Mogonciacum a Solomone episcopo Constantiensi deducitur, in templo divi Albani a Rhabano et caeteris episcopis diligentius audita, accuratius quaesita, scoenam omnem vaticinii sui detegit, se edoctam a quodam sacerdotulo lucri gratia haec conmentam esse fatetur. palo igitur et verberibus admota, silere posthac iussa, ludibrio de caetero fuit.

Fuere item in Germania ea tempestate poetae, historici, divinae philosophiae doctores clarissimi: in Suevia Strabo, qui et Valefridus druidum divi Galli antistes, Rhabanus archiflamen Mogontinus, Germaniae primarius pontifex, in Francia apud Fuldam Rudolphus. hi conmentarios in omnes sacrae historiae libros ediderunt, vulgo glossa ordinaria nuncupatur.

19 nam — muliebris *in B eingeklammert.*

7 *1 Cor. 14, 34, 35; 1 Tim. 2, 12* 26 — muliebris *Isaias 64, 6.*

Circa idem tempus imperator Lutharius caesar augustus bellum Carolo fratri, regi Galliae Celticae Belgicaeque secundae, indicit atque in eum arma movere parat. ne autem hoc ïeret, Litavicus rex Germaniarum apud confluentes Rheni Mosellaeque fratrem Lutharium convenit iureque suo intercedit. Boiemos eruptionem meditantes per Litavicum filium reprimit, ferocem populum legatos pacis gratia mittere et obsides dare cogit. calendis Octobribus concilium procerum Germaniae Mogonciaci celebrat. oratores imperatoris et Caroli, fratrum suorum, item Nordomanorum et Schlavorum audit et absolvit. Carolus metuens minas augusti, quo eidem satisfaceret, Gisalobertum, raptorem caesareae puellae, regno suo excedere iubet. is confisus clementia rectoris Germaniarum in Franciam orientalem aufugit; supplex Mogonciacum ad Litavicum venit regeque nostro depraecatore a Luthario, qui tum Theodoviae conventum agebat, in gratiam recipitur; cum Carolo quoque de pace convenit.

Eodem nempe Mogontino concilio Gothosalicus genere Belga, professione sacerdos, qui docebat homines quosvis inevitabili lege et necessitate providentiae divinae sive inferis sive superis destinatos esse, a decuriis pontificum nostrorum explosus, ad Hincomarum Rhemorum, unde oriundus erat, episcopum traducitur, prius sacramento dicto, ne ultra Franciam orientalem unquam regnumve Litavici adeat. qui se soluto conventu in Boiariam Reginoburgium hiemandi causa confert.

Boiemi rursus, gens belli praedaeque avida, rebellant. Arionistus, dux limitis Nariscorum, inter amicos regis principem obtinens locum, cum magno militum, equitum, praesidum, praefectorum numero arma adversus Boiemos movet nostrique castra hostium vallo munita vasto impetu invadunt, summa vi oppugnant, multi utrimque sauciantur. ex nostris Dachulphus, procurator Sorabici limitis, vir bellicosus, in genu sinistro sagitta vulneratus. hostes se viribus rati impares fore tanto exercitui, legatos de pace cum suppliciis mittunt; obsides, qui petantur, offerunt, imperata se facturos pollicentur copiamque conloquendi cum Dachulpho, cui magis, quod is linguam, instituta Venedorum callebat, fidebant, petunt. Dachulphus igitur, Moesiae praeses, dissimulato vulnere ac dolore, equo sedens, Boiemos pro castris audit; horum preces ad concilium procerum defert. at quidam ducum invidia conmoti, quod gloria pacatae Boiemiae in Dachulphum transferretur, armis correptis, dum caeteri cum Boiemis paciscuntur, contra fas iusque gentium in Boiemos nihil mali suspicantes, ut qui de pace cum nostris agebant, impetum faciunt. Venedi invocato deo perfidiae ultore fortiter resistunt,

1 — confert *vgl. Ann. Fuld. zu 848* 23 — effusum esse *vgl. l. c. zu 849.*

Teutonas caedunt, sternunt et quasi pecudes mactant, Francos in fugam vertunt atque in castra repellunt. nostris de castris spectantibus nec erumpere audentibus, spoliant occisorum cadavera; deinde castris undique circumsistunt, excidium Teutonibus minantur. nostri evadendi aut resistendi spe penitus destituti, supplices legatos mittunt, vitam dumtaxat petunt. Boiemi obsidibus acceptis, exutos armis, spoliatos bonis, caeterum incolomes via publica abire domos permittunt. iisdem debus Hochostadii (vicus est agri Mogontini) quidam instinctu atri genii percitus dementia efferebatur nocensque ille spiritus lingua insani abusus, gloriabatur se cum collegis suis bello Boiemico praefuisse, discordiam inter duces seruisse, Teutonas cum Venedis conmisisse authoreque se plurimum sanguinis humani effusum esse.

Dum haec in Germania Magna et regno Litavici geruntur, in imperio augusti Roracus Nordomanus (qui ad imperatorem Pium cum fratre Heroldo aufugerat, ab eodem Dorostadium in fidem acceperat et precario hactenus tenuerat) falso apud Lutharium perfidiae accusatur in vinculaque coniicitur. unde ope divina elapsus in Germaniam Magnam ad regem nostrum aufugit, innocentiam suam ostendens. ab illo benigne excipitur in confinioque Saxoniae et Daniae conlocatur conlectaque popularium haud parva manu peiraticam exercere et litus oceani Gallici, quatenus Luthario parebat, infestare coepit. tandem ad hostia Rheni fluminis delatus, Dorostadium rursus occupat ibique se adversus imperatorem munit. sed ultro citro conmeantibus amicis in gratiam cum imperatore redit ab eodemque adversus gentis suae latrocinia dux eiusdem orae constituitur; regia vectigalia fisco caesaris reddere iussus est.

At regnum Caroli Godofridus Cimbrus invadit per Sequanamque sursum adversus amnem proficiscens, circumcirca cuncta depraedatur. Carolus opem Lutharii imperatoris implorat cumque augustus adversus hostes suorum copias contraxisset et manus cum ipsis conserturus proxime Danos consedisset, Carolus pacem ab hostibus mercatur, Lutharius domum revertitur. fames tum admodum gravis Germanias, maxime circa Rhenum adtrivit. modius Mogonciacus tritici denis argenti siclis vaenibat. Rhabanus archiepiscopus tum in vico Mogontinensi Neocella dicto degebat, quotidie trecentos amplius pauperes undique provolantes pascebat praeter eos, qui in conspectu suo quotidie alebantur, venitque eo mulier quaedam inedia adfecta, infantem secum portans; vix limen aedis pontificiae adtigerat, conlapsa, efflat animam,

20 prava *B*
13 — vescitur *vgl. l. c. zu 850.*

fame perit. infans mortuae genitricis, quasi viventis papillam lingua morsuque sensim appetens, spectaculo diro miserabilique cunctos conlachrymare flereque coegit. apud Turogos quidam Graboveltis oriundus, dum esuriei rabie efferatus sylvas cum infante petit et filium interficere atque comedere meditatur, iamiamque paricidio manus admovet, subito, haud dubie divinitus, duos lupos cervam laniantes conspicit, e vestigio laetus, manus a suis visceribus abstinet, fera lupos abigit, cadavere ferae vescitur.

Accessit ad hoc malum Sorabum defectio, qui crebris incursationibus, igne, praeda Teutonum fines foedissime adflixerunt. Litavicus per Turogos, Moesiam hostili animo petit, segetes, fruges, agros, frumenta, vicos, horrea succendit, quaecunque victum administrarent, exurit, fame hostes ad deditionem cogit. ad occiduum solem Pipinus rex Aquitanus a Carolo rege patruo suo capitur in ordinemque sacerdotum redactus, in Augusta Suessonum monasterio divi Methardi includitur. frater quoque eius Carolus more monachorum tonsus in Corbiense coenobium conditur. unde fuga elapsus in Germaniam Magnam ad Litavicum alterum patruum evasit. eodem anno Irmogarda augusta ex hac vita migrat.

Subsequenti, hoc est, anno salutis octingentesimo altero et quinquagesimo, Heroldus, de quo supra memini, suspectus ducibus Cimbrici limitis proditionis esse coepit poenasque seu opinati seu cogitati sceleris dedit. per idem tempus Litavicus maximum concilium sacratorum et prophanorum Mogonciaci coegit. singulorum controversiae auditae, causae cognitae, lites diremptae sunt, pax per universam Germaniam iureiurando firmata. interfuere Vulgarum, Schlavorum legati. rex dimisso conventu in Boiariam Reginoburgium migrat; paucis post
b diebus ad augustum ad Agrippinensem Coloniam proficiscitur; inde in Saxoniam pergit. conventum iuridicum ad amnem Visurgim agit, praedia regia, quibus procerum quidam incubabant neque quicquam tribuebant, recuperat fiscoque addicit. leges Saxonum emendat, iudices avaricia notatos, iura venditare, munera accipere solitos, albo praetorum eradit, eosdem repetundarum peculatusque condemnat, bona eorum confiscat, institutorum veterum atque legum peritos, pecuniae contemptores, provinciis iuris dicundi praeficit. perlustratis Saxoniae finibus ad Turogos se confert. Hercynophori itidem concilium gentis cogit. ibi vetiti sunt magistratus patrocinia vendere aut cuiquam in

35 praefecit *B*

9 — coenobium conditur *vgl. l. c. zu 851* 17 — remigrat *vgl. l. c. zu 852* 21 *S. 553, 24.*

sua praefectura adesse. deminutae sunt causidicorum merces, quorum perfidia nihil venalius est. nec est quippiam, quod Teutonas nostro aevo magis ad summam aegestatem redigat, quam litium calumniae et leguleorum aurisuga turba, qui quasi Sardi venales fora constipant. hisce rebus legitime confectis Litavicus hibernandi causa in Boiariam atque Reginoburgium remigrat.

Insequentis anni vere Nordomani compluribus navibus oceano Germanico Belgicoque circumeunt. hostia tandem Ligeris subito occupant ac de improviso Nanetum urbem invadunt, caedibus, incendiis, rapina cuncta complent, episcopum civitatis pridie paschalium ex more sacrum fontem lustrantem in templo interficiunt, sacerdotes trucidant, omnem late circa regionem depopulantur. nemine resistente Andes primo, deinde Turonas capiunt; templum ibi divi Martini comburunt, omnia quasi turbo humi prosternunt. inter haec Pipinus rex Aquitaniae auxilio duorum monachorum e coenobio evadit, fuga sibi consulit. Aquitanorum legati ad Litavicum in Boiariam Reginoburgium veniunt, ignaviam atque discordiam regum suorum, saeviciam atque crudelitatem inminentium hostium conmemorant, regnum Aquitaniae offerunt petuntque, ut aut parens aut filius Litavicus illuc pergat, Aquitaniam haereditario iure possideat in medioque hostium Nordomanorum et Saracenorum sitam defendat; docent popularibus suis cordi esse Litavicum, fratres eius displicere ac, nisi postulata impetrent, se desertos a iustis haeredibus cogi, ut non absque detrimento reipublicae christianae ad externorum opem confugiant.

Litavicus igitur filius a rege Germaniarum in Aquitaniam, nationem in fidem accepturus, transsitum facit. verum cum eo pervenisset, longe aliter rem esse, quam legati narrarant, comperit timensque levitatem gentis semper rerum novarum avidae, in Germaniam revertitur. Pipinus rursus capitur a Carolo, apud Sylvanectum Galliae Belgicae oppidum arctissima custodia servatur. Nordomani devastato crudeliter regno Caroli cum ingenti praeda domum redeunt, ubi civile bellum ob gubernacula inter Horucum regem Danorum et Gudurinum, nepotem ex fratre, exarsit. Dani hactenus finitimos latrocinantium more depraedari soliti, in se manus victrices convertunt, mutuis vulneribus cadunt; vulgus infinitum interiit, regia stirps excepto uno infante radicitus excisa est.

2 quicpiam *B* 32 Gudurnum *B* 35 vulgum *A u. B*
7 — confugiant *vgl. l. c. zu 853* 25 — excisa est *vgl. l. c. zu 854.*

Apud Viridoburgium, caput antiquae Franciae, vicies terra tremuit, grandine, turbine, insolita caeli intemperie homines, pecudes, agri adflicti sunt. templum divi Chiliani nonis Iunii, defunctae lucis salutationibus horam nonam nunciantibus atque perstrepentibus sacerdotibus, subito fulmine adflatum est ignisque laquearia lambens et sensim invalescens, fenestram plaerisque evadendi aperuit, sacerdotes tamen quidam veste inlesa extincti sunt. caeterum aedes vix servatis ablatisque sacris igni concremata est. muros deinde sexto idus eiusdem mensis ventus evertit et solo aequavit. Gothovalda, urbis pontifex et Aldaechii inferioris in Boiaria monasterii antistes, vita defunctus. monachi excusso iugo divi Benedicti posthac populariter vivere coeperunt, ad mystarum decurias desciverunt usque ad imperatoris Honorici secundi aetatem.

Rastizolaus Moravis et finitimis Schlavis a rege nostro procurator datus rebellat, imperata facere detrectat, regem se adpellat. Rathobodus vir bellicosus, qui priore anno praefectura motus fuerat, rursus Austriaco, hoc est orientali limiti/Boiariae in Pannonia praeficitur. ipse rex Litavicus conparata undique valida manu Reginoburgio egreditur, infesto intentoque exercitu adversus Venedos pŗocedit, omnia incendiis, caede, direptionibus complet, Rastizolaum quodam firmissimo loco se continentem obsidione claudit. hostes dum castra nostrorum temere expugnare nituntur, a Teutonibus acriter excepti, ad internecionem deleti sunt. rector Franciae orientalis desperans tam munito loco absque clade suorum posse potiri, inde cum exercitu discedens, Reginoburgium revertitur. satis poenarum ab hoste se exegisse, ipsum ab armis huiuscemodique insolentia posthac sibi temperaturum arbitrabatur. verum longe aliter, ac rebatur Litavicus, evenit. quippe Rastizolaus ubi regem longius abesse audivit, hostili animo in Boiariam traiecto Histro transsit, Rathobodum praesidem in fugam vertit,/ iuxta Comagenum montem cuncta depopulatus est atque succendit.

Sub idem tempus imperator Lutharius reipublicae cura se abdicat; convocatis proceribus imperium tribus filiis in tris partitur parteis; Litavicum caesarem declarat, eidem urbem Romam Italiamque tradit. Carolum, qui minimus natu erat, Galliam Narbonensem, Burgundiam

1 *Am Rande in A:* Bercynthiam Eccardus Troius Franco — Bercynthia, beze, berze, gebyrze, burze radix, gebyrze aromata, wurzel, birzel 18 conparta *A u. B* 28 Ratizolaus *A u. B* 33 in tres partitur partes *B*

1 — quinquagesimo quinto *vgl. l. c. zu 855, wo die besseren Handschriften statt Wirtzburg Mogontiacum nennen* 32 — Octobris *vgl. Regino zu 855.*

obtinere, caetera Lutharii, cognominis sui, provinciam esse iubet. ipse Prumiae (monasterium id est in agro Treverensi) monachus capitur et in paucis post diebus morte obiit honesta, terras reliquit, caelum petiit, tercio calendas Octobris, imperii anno sexto decimo, servatoris nostri octingentesimo quinquagesimo quinto.

Cap. 14. Eodem anno Hyldesalicus episcopus Tridentinus (ut nihil avarius vulgato etiam proverbio inveniri sacerdotibus solet, qui quaestum, sicut ait Paulus, religionem putant) vineas episcopi Fruxinensis apud Pisonium, coloniam Boiorum ad Isaci et Athesis confluentes, occupat. Anno episcopus rem ad Litavicum regem defert; is pontificibus diem dicit, apud Amblicos in publico Boiorum conventu, vico superioris Boiariae, in ripa Magnovaldae iure disceptare iubet. qui causam cognovere iudices, vineas Fruxinensi templo addixere.

Defuncto Luthario (augusto) proceres et pontifices regni Luthariani ad Litavicum regem orientalem Francophori frequentes coeunt; Lutharium filium imperatoris ad patruum deducunt ibique regem salutant. Lutharius Theodopyrgam sororem Hugoberti uxorem ducit. sub idem tempus Rhabanus archiepiscopus pridie nonas Februarias ex hac vita migrat. Hatto quoque Fuldensis praesul decedit. Litavicus rex Mogontinis Carolum, nepotem suum ex fratre Pipino rege Aquitaniae, Fuldensibus Theodonem praeficit. in orientali Boiorum limite filium suum Carolomanum maximum natu Venedis, Moravis, Vulgaribus opponit. ipse comparatis copiis per Sorabas Albim transsit, Venedos trans Albim considentes (ubi quondam Suevi fuere) praelio superat, ad obsequium redigit et acceptis obsidibus tributarios facit. caecidere ex nostris cum conpluribus Bardo et Herpho praefecti equestres. Litavicus Boiemiam quoque percurrit; inde hibernatum in Boiariam Reginoburgium se confert.

Deinde Februario, ut adpellaret Lutharium nepotem ad confluentes Mosellae et Rheni proficiscitur. postea Vangionas ad conventus agendos petit. Roracus Nordomanus Dorostadii praefectus conmeatu accepto a Luthario rege honestaque missione exauthoratus, res suas navibus imponit, ad Horicum regem Danorum migrat, ab eo ducatu in cervice Cimbricae peninsulae inter mare et Aegiduram flumen donatur.

6 ut — putant *in A u. B eingeklammert* 12 superiore *A u. B* 14 augusto *fehlt B*

6 — addixere *vgl. Urk. v. 17. März 854 bei Meichelbeck, Hist. Frising. I, b, p. 350. Amblici = Aibling* 8 *Paul. 1 Timoth. 6, 5* 14 — percurrit *vgl. Ruodolfi Fuld. Annal. zu 855, 856, l. c. 369* 17 — ducit *Regino zu 856* 29 — comparuit *vgl. l. c. zu 857.*

Inter haec apud Schlavos, nationem Germaniae Magnae tum populosam, tum ferocem, tumultuatum est. Schlavitagus, Vizotrachi Boiemiae dynastae filius, cum fratre de potentatu contendit; fratrem Boiemia exigit, principatum occupat et regi nostro non est audiens dicto. germanus ad regem exul profugit ab eoque ducatum impetrat. Arionistus dux limitis septentrionalis Boiariae, Rudolphus praefectus praetorio, Otogerion episcopus Aechostadensis cum copiis in Boiemiam pergunt, exulem Boiemum vi reducunt popularibusque imponunt. Schlavitagus fuga sibi consuluit, ad Rastizolaum regem Moraviae elapsus est. Carolomanus filius regis nostri coactis copiis ex Boiaria, quatenus austrum orientemque solem spectat, cum Brynnone regulo Venedorum, qui Danubium accolebant, arma in Moravos movet, copias Rastizolai caedit, fundit, universam Moraviam (ubi quondam Quadi, Suevorum natio, ac Gepidae et Daci, qui Getae et Goti, consederunt) praeda, igne, ferro depopulatur, segetes succidit, agros, domos exurit, pecora abigit, captivos pueros, puellas, viros, foeminas, cives, (agricolas,) servos, nobiles abducit; usque ad Suarizam amnem cuncta luctu, caede, rapinis conplet. his denique coactus Rastizolaus legatos primum pacem petitum ad Carolomanum praemittit acceptaque fide deinde supplex advenit regioque nomine abdicato in verba Carolomani iurat. tributa imposita quotannis (pensitaturum) pollicetur. pacatis itaque Schlavis coepere rursus deserta Boiorum habitari, oppida et vici in Austria sive Pannoniis instaurari.

Litavicus in autumno concilium Mogonciaci habuit. iisdem diebus varia prodigia visa, in acta fastusque relata. septimo decimo calendas Octobris in Agrippinensi Colonia igneus draco in caelo apparuit. cives territi in templum ad propiciandam supremam maiestatem provolant. ibi tum tres simul diversis locis eodem momento uno ictu fulminis extineti sunt. apud Treveros in aede sacra et sella episcopi (ater) canis visus subito nusquam comparuit. calendis Ianuariis Mogonciaci maximus terrae motus extitit, templo divi Urbani et muris prostratis. Babyloniorum astrologorumve placita haec vi syderum existimant fieri. physici, maxime Aristoteles in causa esse tellurem naturamque exhalationum nec ad nos quicquam resque humanas pertinere arbitrantur. vulgus et historici deum emittere, praesagia inauspicata esse (et) ex

2 Vizotrahi *B* *Am Rande in A:* Schlabiza, Wiztracho, Schlavinzo, Schlavinzas, Schlabinski 7 Aechostadiensis *B* 12 accolebat *B*

29 — comparuit *vgl. Ann. Altah. maior. zu 857, M. G. Scr. XX, 784* 30 — evanuit in auras, *S. 569, Z. 9, vgl. Ruodolfi Fuld. Ann. zu 858; Reginonis Chronicon, p. 569—571 zu 858—863* 32 — exire *vgl. Plin. n. hist. II, 191, 192.*

fide iram superum aut leva fata mortalibus, praecipue principibus portendere, (sacris quibusdam tamen ac conpraecationibus cogi) credunt. unde procurationes lustrationesque huiuscemodi ostentorum ceremoniasque et ritus) ad deum optimum maximum placandum instituta a maioribus legimus, quorum plaeraque aduc a sacrificulis observari solent. sed haec equidem arbitrio cuiusque existimanda relinquo. illud secundum Aristotelica peripateticorum placita certum est, nihil aliud esse in terra tremorem quam in nube tonitrum. quippe utroque inclusus spiritus luctatur et erumpere atque ad libertatem exire a cardineque, ut natura exhalationis est, ad apsida sursum tendere nititur.

Hyltegarda filia Litavici nostri tum decessit. rector Teutonum Venedorumque mense Februario Variochamos accedit, inde Ulmam oppidum Sueviae ad conventus agendos pergit. ibi legatos imperatoris Litavici Nothingum episcopum, Eburonardum praefectum audit; cum augusto, nepote suo ex fratre, pacem, societatem renovat. in media quadragesima Francophoron divertit; ibi paschalia celebrat. inde ante diem octavum calendarum Maii ad confluentes Mosellae Rhenique amnium migrat, uti Lutharium alterum nepotem suum adpellaret; qui, uti condixerat, nec venit nec nuncios misit. Carolus enim germanus Lutharii, filius Lutharii caesaris et frater Litavici imperatoris romani, rex Galliae bracchatae sive Provinciae atque Burgundiae, absque liberis animam efflarat.

Carolus rex Celtarum nepotis regnum invadere conatur. Lutharius armis resistit. imperator quoque Litavicus fratri Luthario auxiliares mittit copias, de potentatu cum Carolo contendit eaque controversia hoc pacto composita est: Carolus ab hisce terris decedit, Lutharius cum Carolo adversus Litavicum Austriacum conspirationem facit et cum fratre augusto regnum dividit. caesar Galliam Narbonensem ultra Rhodanum, citra vero Lutharius Burgundiam possedit eiusque ducatum inter montem Iuram et Cottias Alpes (illae nunc Pelligardi, hae divi Veronardi nuncupantur) dat Hugoberto, fratri coniugis suae, quem Zaringiae longo post tempore cognominarunt. nunc sunt Ichtolandi, Sedunenses, Valesii, pars Suitonum.

Litavicus rex orientalis Francophoron redit; dumque ibi moraretur, unum illud propositum habebat interiora regni sui in pace continere, a finitimorum iniuria defendere. itaque limites validissimis firmare praesidiis instituit. ideo delectus habet, exercitus lustrat, tyrones legit, copias supplet. aquiloni et sinui Codano adversus Danos et Venedos transalbianos Litavicum filium, orienti contra Moravos et Vulgares itidem filium suum Carolomanum praesidere iubet. sic enim

26 decidit *A u. B*

existimabat Germanias regnumque suum tutissimum fore, si Cimbri, quorum maxima et eximia virtus erat, et Venedi atque Schlavi, quorum ob multitudinem authoritas summa esset, exercitus continerentur. ab austro imperator Litavicus in Italia amicus erat. ipse rex Franciae teutonicae in occiduo sole Francophori consedit eoque eiusdem anni Iulio Adolardus praesul, Oto dynasta cum conpluribus, qui in Germanias ex Galliis odio Caroli profugi abierant, ex occidentali Francorum regno ad Litavicum adveniunt; se de sua omniumque salute e conmuni totius Franciae Vestriacae consensu legatos esse docent. ubi data copia fandi primo calamitates, strages, miseriam, aerumnas popularium aperiunt, ignaviam deinde Caroli atque crudelitatem conmemorant. referunt eum superbe et crudeliter imperare, nobilissimum quemque tollere, in eos omnia exempla cruciatus levi admodum suspicione edere, si qua res non ad nutum aut ad voluntatem eius facta sit. hominem esse meticulosum, temerarium, imperitum, non posse eius imperia diu sustineri; Landobertum, qui ducatum inter Ligerim et Sequanam tenuerit, dolo interfectum, Iuvianum, virum potentem atque nobilem, simili fraude circumventum periisse, de Gothoberto quoque equestri praefecto et conpluribus aliis Caroli iussu capitale sumptum esse supplicium.

Hisce de causis Britanos, veteres Francorum inimicos, extulisse animos; e corpore suo sibi Nomenoium regem creasse, ab imposito Francorum iugo non solum resilisse, sed etiam traiecto Ligeri omnia usque Pictonas crudelissime incendiis, caedibus, praeda adtrivisse, vicis, aedificiis incensis cives occidisse, templa, oppida, agros, frumenta succendisse, virgines stuprasse, coniugibus vim intulisse atque cum ingenti captivorum numero onustos praeda domum incolomes reversos. Carolum accepto damno in Britaniam cum pluribus legionibus et auxiliariis Saxonum copiis (quorum ductorem Vitechundum itidem in Saxonia ortum Andibus praefecerit) hostili animo contendisse; Saxonas in prima acie conlocatos, ut primum impetum gens bellicosa exciperet, vim imbremque sagittarum nequivisse sustinere, sed retro pedem ad Francorum agmen retulisse propterea, quod Britani equis depugnant, sagittis plurimum valent et nunc subditis calcaribus equo, quasi perrupturi aciem atque homines iumentaque perculsuri, vasto impetu advolant, spicula plurima simul spargunt, rursus elabuntur, modo urgent, modo aufugiunt, cominus, eminus pugnant, adeo, ut caedendo an instando perniciosiores sint, discernere non sit in promptu. Francos

22 Homoneium *B*
12 eum — sustineri *Caes. b. G. I, 31.*

BSB

cominus strictis gladiis decertare solitos nec fugacem hostem persequendi ob gravem armaturam idoneos neque conglobatos in acie consistentes ab pluvia spiculorum tutos, facile superatos, gravissimum vulnus, maximam stragem accepisse, noctem praelium diremisse.

Carolus autem cum bis male pugnasset (pergebant legati) suis desertis, ipsis ignorantibus clam nocte intempesta aufugit, relicta omni regia suppellectile cum papilionibus. exercitus Francorum ubi se proditos, destitutos a rege vident, fuga dilabuntur; fugientes hostis persecutus plurimos trucidavit, plaerosque vivos coepit potitusque castris, opimis spoliis, regia gaza, opibus, armis, cultu Francorum in Britaniam victor revertitur. et licet haec detrimentosa sint, tamen domestica saevicia crudelitatem hostium superat. praeterea postremo legati deinde docent, se invitos cogi, ut aut ad hostes a legitimis haeredibus necessariisque suis desciscant aut domo emigrent, aliud domicilium, alias sedes remotas ab hostibus inimicisque petant. quippe futurum esse paucis annis, ut omnis nobilitas, omnis senatus, omnis equitatus tollatur, nisi quid auxilii in germanis cognatis parentibusque suis atque in Litavico eorum rege siet. Francos occidentales tot adversis defessos, ad orientales Franconas, fratres et consanguineos suos, confugere; illos a Germanis ortos antiquitusque ante aliquot annos ab Hylderico magno rege Germaniae transductos Rhenum, partim agri bonitate et loci fertilitate, partim bellandi gloria in Gallia consedisse, Romanos, qui tum ea loca tenebant, expulisse atque nuper a Germania divulsos esse. cupere in corpus Germaniae rursus redire ideoque ad Litavicum Teutonum Venedorumque regem propter iusticiam prudentiamque summam rerum omni voluntate deferri. orare igitur, ut is auxilium ferat, in occidentale regnum transseat; magnum eius nomen atque opinionem esse; authoritate sua, fama exercitus totque bellorum prospere gestorum in diversis locis, adversus bellicosissimas nationes triumphis, Galliam omnem ab iniuria inimicorum hostiumque posse defendi; rempublicam tot populis, tot regnorum salutem, tot egregios senatores, cives, equites, sacerdotes praeferendos privatae necessitudini uniusque homuncionis avariciae. decere eum imperare, qui caeteris sapientia, bonitate, fortitudine praestet. utilius fore imperito caedere et parere prudenti rectori, qui navem in tempestatibus et fluctibus gubernare et conservare calleat, quam adversis superis temere clavum arripere, se et alios perditum ire.

5 autem *fehlt B* 8 fugienteis *A* persecutos *B*

14 aut — rege siet *Caes. l. c.* 20 illos — expulisse *l. c. II, 4* 25 propter — deferri *l. c.* 27 magnum — esse *l. c. IV, 16* 28 authoritate — defendi *l. c. I, 31.*

Litavicus omnibus his rebus auditis spacium deliberandi sumit, diutius cum amicis consultat. animo fluctuabat, quidnam ageret. incertus erat in Galliam proficisci, miseris auxilium ferre, opitulari supplicibus; necessarios non deserere satis honesta ratio erat. at contra fratrem arma movere, eius haereditatem contra religionem iureiurandi praeter fas et aequum spreta sanguinis necessitate intercipere sceleratissimum ac plane impium videbatur. accedebant maligne cuncta interpraetantium crimina. quem enim fore, qui haec syncero animo, ntilitate reipublicae fieri credat ac non potius aviditati imperitandi tribuat? rursus tantam fortunae benignitatem ultro oblatam e manibus dimittere, eos, qui ad suam fidem confugerint, derelinquere ac deserere neque suae neque populi Germani dignitatis esse statuebat. devictus igitur tum praecibus oratorum, tum consilio senatus persuasus, in occidentalem Franciam proficisci decrevit.

In Augusto itaque apud Borbetomagum Vangionum urbem copias undecunque contrahit cumque valido exercitu per Elisatium Burgundiamque in regnum Caroli fratris sui procedit. civitatem Senonum, terciae provinciae Lugdunensis caput, dedentibus se civibus accipit. sunt autem Senones in Gallia Celtica, iuxta Ptolomaei, Iulii Caesaris, Antonini Pii augusti descriptionem proximi Belgis, Parisiis, Trecassibus atque Burgundionibus; ab illisque tercia Lugdunensis Galliae portio Senonensis provincia a Romanis cognominata est, qui in ea octo primarias urbes enumerant: ipsam metropolim Senonum, Agendicum Caesari et Agedecum Ptolomaeo, Carnutum oppidum, Genabum, Autricum, Antisiodorum, Tricassium, Augustobonam, Aurelianos, Parisiorum Luteciam, Meldos; hi sunt Melodunum Caesari. atque si Straboni credimus, Senones a Suevis Germaniae populis oriundi sunt, qui antiquitus et in Gallias et Italiam ex Germania Magna ob loci fertilitatem bonitatemque soli migrarint. de his satis superque pro necessitate rei dixi; ad historiam redeo.

Ponticone vico regio frequentes Francigenarum proceres ad Litavicum coeunt, in verba eius iurant; pauci admodum praesto non adfuere, nimirum illi, qui cum Carolo versabantur. is tum iuxta Ligerim amnem cum Britanis pacem fecerat, eos in societatem muneribus inlexerat. nam Nomenoius rex Britaniae animam efflarat; Heroboius filius eius, pacis quam armorum studiosior, se et omnia Carolo per-

24 Gebanum *B*

12 neque — statuebat *l. c. IV, 17* 19 *Ptol. p. 138, 16; Caes. b. G. II, 2* 24 *Caes. VI, 44; Ptol. l. c.* Carnutum — Luteciam *Ptol. p. 138, 19—25* 26 *Caes. VII, 58* *Strab. p. 290.*

BSB

misit, ei fidem, se in eius potestate fore, dedit. Carolus ducatum inter Ligerim et Sequanam adversum Britanos Ruperto viro bellicoso, quem nostri Iudae Machabaeo comparant et qui ex Saxonia cum patre Vitechundo in Galliam migrarat, conmendat. ipse ubi certior factus est, Litavicum fratrem haud fraterno erga se animo intra regnum suum considere, intento infestoque exercitu adversum eundem procedit in Briacoque castra facit.

Cum autem se robori orientalium Francorum et eorum, qui a se ad Litavicum desciverant, viribus imparem esse, proinde praelium sibi detrimentosum fore animadverteret, quasi modo pugnam conserturus, aciem instruit, verum cum paucis clamculum se subducit. exercitus ubi imperatorem, pro quo decertaret, abesse, se relictum sensit, continuo ad Litavicum transsit, eidem sacramentum dicit. saevit posthaec ignobile vulgus, Carolum persequendum censebat. vix Litavicus tumultum populi furentis authoritate sua compescuit, periculosam fore dictitans huiuscemodi insequendi temeritatem; prius missis speculatoribus, ubinam gentium hostis agat quidve rerum moliatur, explorandum, civilia negocia regni ante cognoscenda conponendaque esse regnique res in ordinem ac pacem redigendas esse.

Omnibusque hisce rebus confectis, consilio procerum Galliae Austriacum exercitum, certissima auxilia in Germaniam dimittit; nec quemquam timens nimiumque sui securus, fretus his imprudenter, qui suo fratri fidem non servarant, in Gallia hiemare decrevit ibique sex omnino menses conmoratur et Chunradi praefecti filios ad speculanda observandaque acta fratris proficisci iubet. atque hi, quod multo minus ipsis sub Litavico astutiore quam sub Carolo tardioris hebetiorisque ingenii licebat, ad hunc, ut ab eodem gratiam novo scelere inirent, deficiunt. Litavicum quemadmodum antea Carolum deserunt; muneribus et praemiis corrupti aperiunt, Litavicum securum sui cum paucis admodum ociose agere. Carolus ubi istaec accepit, quoscunque potuit, partim minis partim pecunia ac pollicitationibus, singulos denique benigne adpellando, veniam praeteritorum et emendationem promittendo, ad suas partes trahit sibique clam conciliat et Litavicum nil tale metuentem occupare meditatur. plaebes mobilitate et levitate animi novis imperiis studebat. potentibus, qui vulgo occupare regnum destinarant, praesentanea potestas, rex propinquus displicebat; longinquum accerserant, ut eo rursus in Germanias remigrante atque pacandis Venedis Danisque remotissime a Galliis in extremo terrarum angulo occupato interim alienis auspiciis, reiecta invidia dominationis

3 qui *fehlt B*

3 — conparant *Ann. Fuld. zu 867.*

in Litavicum regnarent, nutu suo omnia administrarent, amicos sublevarent, inimicos opprimerent.

Et profecto grande periculum Litavico iniunctum fuisset, quippe haud dubie desertus a suis in potestatem inimicorum venisset, nisi adversae res in Germania eundem servassent. forte fortuna Venedi, Sorabes dicti, rebelles spiritus sumpserant ac absente rege imperata facere detrectabant. Zistiborum ducem Litavico amicissimum praelio occidunt. inde finitimos Turogos, Saxonas, Francos, Boios crebris incursationibus adfligunt. hoc ubi Litavico enunciatum est, quam celerrime maximis itineribus ex Gallia occidentalique Francia, ubi hiemarat, primo vere in Germaniam ad tumultum hunc conprimendum contendit, reversurus, ubi hostes oppresserit ac Germaniam Franciamque orientalem pacarit. Carolus, ubi frater discessit, nemine omnino resistente cuncta recuperat facilius, quam amiserat.

Est in Germania Galliaque Celtica, haud procul a Bingio oppido, ubi Navas flumen Rheno miscetur, pagus Camonti (quasi tu dicas caput montium) vulgo dictus, quod ibi inicium montium, qui cum Rheno procurrunt inde aquilonem versus; inditum a Romanis loco nomen est, dum ea loca possiderent atque incolerent. ibidem hisce diebus desertor ac perfuga spiritus multa miracula edidit, circulatorias praestigias lusit, incolas infestavit. primo umbra feralis a nemine quidem conspecta, lapides in homines iactare, pultare fores coepit. mox sub humana effigie pestilens ac nequissimus ille genius delitescens responsa reddidit, furta prodidit. criminatus quoscumque nota infamiae aspersit discordias, simultates excitavit. paulatim horrea, casas omnes succendit atque exussit. sed uni molestior extitit, perpetuo eius lateri, quocunque diverteret, haerens atque domum conburens. et ut viciniam universam in necem innocentis concitaret, ob scelera illius hunc locum infamem ac devotum esse pravus mendaciorum faber iactabat. coactus est homo sub dio manere; ab omnibus enim quasi lemuribus nocturnis sacer tecto arcebatur. atque ut ille confinibus satisfaceret, candens ferrum manibus portavit ac, cum non violaretur, insontem se conprobavit. nihilominus tamen in agris frumenta eius in acervos conpositos idem lar contaminatus ac perditus conbussit. et cum odiosus in dies magis atque magis esse pergeret, coacti pagani rem ad pontificem Mogontinum deferunt. sacerdotes missi agros, villas sacris ac conpraecationibus solennibus, lustrali aqua saleque lustrico expiant atque conlustrant. prava ac conturbata mens primo quidem renitebatur ac lapidibus quos-

6 ac absente rege imperata facere detrectabant, rebelles spiritus sumpserant *B*
16 *Kempten bei Bingen.*

dam vulneravit, verum divinis carminibus incantatus efficacibusque supplicamentis adiuratus tandem conticuit nec usquam gentium adparuit. ubi discesserunt mystae, spiritus ater atque pestilens rursus adest. interim dum illi, inquit, calvastri sacrificuli, nescio quid, inmurmurarent, sub lineo amiculo sacerdotis (nominatim huncce notabat), qui meo suasu filiam hospitis sui superiore nocte conpressit, delitui. atque hisce relatis ingenti edito eiulatu umbra feralis ex illis migravit sedibus, loca rite lustrata reliquit tenuesque evanuit in auras.

Quoniam tempus admonuit, haud alienum fuerit a suscepti operis proposito de candenti ferro, aqua fervente et singulari certamine et huiuscemodi ceremoniis expiatoriis purgatoriisque paulo altius rem repetere. maiores nostri, religiosissimi mortales, magis deo quam sibi confidebant, plus divinae iusticiae eiusque promissis quam suo ingenio aut sapientiae inmitebantur potiusque caelestibus decretis quam suis opinionibus stabant. officiis omnibus atque actis supremum numen interesse voluerunt eaque demum rata haberi, quum divinum auspicium addixisset. cuncta quasi in theatro superum despectantium in conspectuque dei optimi maximi geri statuerunt. proinde in causis ambiguis, maxime criminibus, quae nullo humano testimonio conprobari poterant, ad caelestia beneficia, ad summam maiestatem, quae falli non potest, tanquam ad arbitrum honorarium et iudicem omnium confugiebant.

Senatus, populus atque sacerdotes, qui singulare certamen spectatum frequentes venerant, interim, sicuti in lege Salica lego, divinam opem implorabant, beneficia memoriter conmemorabant, quae in simili negocio deus inmortalis, Christus servator noster ipsis pro sua benignitate atque clementia contulisset. admonebant promissorum, exempla recitabant; conpraecabantur, ut summa potestas in re praesenti, pollicita re, sicuti hactenus semper factitasset, conprobaret et, quae sua esset iusticia, innocenti adesset victoriamque caelitus concederet. reo eligendi atque conducendi, quemcumque vellet, copia fiebat. criminator ipse pugnare cogebatur. candens ferrum, aquam ferventem istis supplicamentis consecrata esse a mystis, in antiquis sacrificiorum libris reperio; ea ad faciendam fidem subnecto.

Consecratio aquae calidae.

Deus iudex iustus, fortis et patiens, qui es author et amator

11 p̄toriisque *A u. B*

8 reliquit — auras *Verg. Acn. IV, 278* 9 — repetere *vgl. Sall. Cat. 5, 9* 12 maiores — mortales *l. c. 12, 3* 35 *Dieselbe Formel findet sich in Cod. lat. Monac. 14510 (Rituale des 9. Jahrh. aus St. Emmeram) und 10077, hieraus veröffentlicht von Rockinger in Quellen und Erörterungen zur bayer. u. deutsch. Gesch. VII, 323, 359.*

iusticiae, qui iudicas aequitatem, iudica, domine, quod iustum est, quia recta tua iudicia sunt, qui respicis super terram et facis eam tremere. tu, domine omnipotens, qui per adventum filii tui domini nostri Iesu Christi mundum salvasti et per eius passionem genus humanum redemisti, tu hanc aquam per ignem ferventem sanctifica, qui tres pueros, id est Sidrach, Misach, Abdenago, iussione regis Babylonis missos in caminum ignis servasti. tu clementissime praesta, ut, si quis innocens in hanc aquam ferventem manum mittat, sicut tres pueros supra dictos de camino ignis eripuisti et Susannam de falso crimine liberasti, ita, domine, manum illius salvam et inlesam perducas. at si quis culpabilis vel incrassante diabolo corde indurato praesumpserit manum mittere, tua iustissima pietas hoc declarare dignetur, ut in eius corpore tua virtute manifestetur et anima illius per poenitentiam salvetur.

Consecratio ferri.

Deus iudex iustus, qui author pacis es et iudicas aequitatem, te suppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad iustam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendam, benedicere et sanctificare digneris. ita si innocens (de praenominata causa, unde purgatio quaerenda est) hoc ignitum in manus acceperit, inlesus adpareat. et si culpabilis atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua, in eo cum virtute declarandum, quatenus iusticiae non dominetur iniquitas, subdatur falsitas aequitati, per dominum etc.

Atque haec, tantum abfuit, ut impia iudicarentur, ut sanctissimos pontifices, principes christianissimos, viros atque foeminas sacratas usurpasse istas purgandi ceremonias inveniam. istud tum erat sapere, fidem deo habere, omnem spem in ipso conlocare. nostro saeculo nihil minus, quippe nihil aliud est quam delirare deumque inmortalem irritando ad iracundiam provocare. solet idem factum, ut video, diversis locis et aetatibus, hic pietatis, alibi erroris nomen accipere.

Nec nobis supersticio sua impostoresque impientissimi desunt, quid ante paucissimos, nempe, ut opinor, duodecim haud amplius annos, Dominicani Veronae apud Suitones, dum morionem nobis adorandum factitiumque Franciscum conantur exhibere, moliti sunt, ab aliis abunde romana teutonicaque lingua enarratum est. equidem illud praeterire facinus non possum, quod opera Chunegundae prudentissimae atque nobilissimae foeminae, genitricis principum nostrorum, anno abhinc

6 iussionis *B* 11 cor induratum *A u. B* 29 locis *fehlt B* 30 — redeo *in B eingeklammert; in A ebenso von* equidem *an.*

15 *Aehnlich a. a. O. 348* 28 solet—accipere *vgl. Plin. Ep. V, 19* 32 *Der Berner Dominikaner Jetzer, der Geistererscheinungen zu haben vorgab, wurde mit drei Genossen am 31. Mai 1509 als Betrüger verbrannt. Vgl. unten Lib. V, cap. 11.*

BSB

quinto detectum est; non satis mirari possum, qui fiat, ut huiuscemodi praestigiis libentius quam Christi servatoris nostri atque comitum et legatorum eius vaticiniis admonentibus huiuscemodi pestes cavendas esse fidem habeamus. nullum est tam impudens mendacium, quin testes et fautores, maxime eos, qui sibi mataeologiae (hem, lapsus sum verbo, theologiae volui dicere) principatum vendicant, inveniat. et ut paucis fabulam narrem: Anna laminita Augustae (quae Rhetiarum caput est) multos annos cibo et potu omni se abstinere, caelitus spirituque dumtaxat vivere ementita est, insuper conloquia superum, nocturnos deorum congressus finxit, qui sibi quaedam divinitus revelarent. quae non solum stolidum vulgus, indocta plaebecula, sed etiam sanctuli illi magistri nostri credidere, novi theologiae professores (ut ipsi putant) omnium praestantissimos, qui illius belluae amiciciam ultro adfectarunt eamque pro dea coluerunt et eius testimonio in rerum divinarum disputationibus scriptisque libris utuntur. quid de socordia episcoporum, sacerdotum impietate conmemorem? hi veneficam meretriculam quotidie sacris aris christianaeque coenae convivam, quasi Iovis nunciam admovere et lupa tecta ovina pelle tamdiu (stultis ad eam pecudibus undique confluentibus et sanctitatem eius venerantibus haud tuto seque illi conmittentibus) in ovile dei grassata est et diutius scortum vilissimum orbi christiano (ea est diligentia pastorum) imposuisset, nisi impientissimum prostibulum vocatum Monachium a Chunegunda sanctissima foemina, matre principum Boiariae, sorore caesaris Maximiliani in conclavi seclusum, depraehensum atque admonitum foret, ut de caetero mentiri populumque fallere desineret. at scortillum egregium Augustam reversum pertinacius suos mores (ita sunt ingenia malorum) tutatur coepitque sanctissimam foeminam Boiorum primariam mendacii arguere. quamobrem Chunegunda omnem rem fratri imperatori literis prodit. huius igitur iussu laminita illa sanctissima, nectare et ambrosia tot annos pasta, finibus imperii eliminatur, ad Suitones cum ingentibus opibus, quas religione peperit, concessit militique robustissimo ob divitias in manum venit. nunc ob scelera submersam esse praedicant; taceo, quot stupra, quot incestus sub praetextu religionis in illius domo conmissa fuerint. faxit deus optimus maximus et meliorem mentem det pontificibus nostris, uti omisso luxu fastuque divitem principem tenebrarum sequi desinant, fallacissimi mundi huius caduca atque fragilia bona fastidiant, Christum pauperem aemulentur eiusque calicem bibere, eius crucem humeris portare tandem discant. ita fiet, ut vulgo male ultra non audiant atque castigentur, quod gregem christianum, populum dei peculiarem conpilent, venundent,

deglubant et tanquam escam panis devorent, adeo ut tolerabilior miseris foret condicio sub imperio Turcarum. sed male ominatis verbis parcamus; ad rerum ordinem redito.

Litavicus Germanus ex Galliis reversus, pacatis Venedis per duces, Borbetomagum venit; ad fratrem Carolum et nepotes, Litavicum augustum, Lutharium regem, legatos ad placandum fratris animum ire iubet. eiusdem legationis haec sententia fuit, se rogatum vocatumque in Gallias venisse, non oppugnandae sed conservandae Galliae concordiaeque firmandae ac sui muniendi causa exercitum eo transduxisse, ne quid ob intestinas simultates, civilia ac externa bella inminentibus saevissimis hostibus respublica Francorum detrimenti caperet; se temporis gratia auspicium et occidentale imperium occupasse, cum novis iniciis, novis hominibus, novo denique rege ad res stabiliendas opus esset. ideo conpositis rebus se in suum, nempe orientale imperium decessisse integrumque regnum iusto regi abscessu suo fiducia restituisse. petere igitur, uti dies constituatur, ubi conveniant et de communibus omnium rerum conloquantur in communeque consultent. postremo, si cuiquam iniuriam fecerit, se satisfacturum pollicetur. amicis deinde ultro citroque missis, die constituta tres reges, orientalis, occidentalis, medioximus, iussis caeteris in ripa Rheni consistere, cum admodum paucis, quos quisque de alterius regno nominatim delegerat, iuxta Antoniacum oppidum in insula quadam coeunt manusque iungunt. primus Litavicus excusare coepit potentum Caroli perfidiam, avariciam ambitionemque letalem; se, ut fratrem conservaret, in Gallias profectum, ne is bello Britanico occupatus, a suis desertus interciperetur atque Galliae (ea vulgi gentilicia est levitas) ab imperio Francorum ad hostes Franci nominis deficerent. Carolus acceꝑta excusatione ultro citroque multis verbis habitis, purgando tempus teritur; quisque regum de tinearum et soricum fraude doloque ac de primorum aviditate invicem conqueruntur. placuit tandem conmunem omnium Francorum conventum Basileam in autumno indicere.

Hisce peractis principes quisque domum suam discessere. Litavicus Theodonem Fuldensem antistitem ad imperatorem Litavicum nepotem suum et Nicolaum primum pontificem romanum legat petitque, ut ipsi quoque oratores suos ad superius concilium mittant. Theodo Romae honorifice excipitur defunctusque imperio regis cum epistola primarii sacerdotum in Germaniam redit. interea Litavicus Basileam proficiscitur, verum nec Lutharius nec Carolus, ut condictum erat, eo acces-

4 — redit *vgl. Ruodolfi Fuld. Ann. zu 859* 7 se — traduxisse *Caes. b. G. I, 44.*

BSB

sere. Litavicus e Basilea reversurus in Boiariam, ad lacum Brigantinum procedit; ubi Theodonem redeuntem ex Italia obvium habuit. lectis literis episcopi romani Reginoburgium in hiberna se confert; Theodo Fuldam redit.

Basilea, quoniam eius mentio incidit (quam et Basiliam in vetustis exemplaribus vocatam reperio) colonia quondam Romanorum in Gallia Germaniaque Celtica, nomen accepit a L. Minutio Basilio, legato populi romani. ab his, qui romanas descripsere provincias, Sequanis adtribuitur. regio eadem aduc ibi nomen vetus vulgo servat. Sequanorum autem novem a Romanis oppida numerantur: Vesontio; Colonia equestris et Rauriaca, quae et Augusta Rauricum, quam duo millia passuum supra Basiliam interiisse, in villas abiisse a peritis eius regionis accepi; Aventicum, Helvetiorum caput, Veronam esse autumant aut prope; Basilia; Vindonissa, ubi hibernacula romanorum militum exercitusque fuere; Argentuaria, Colomaria est; Helvetium, quod Silestadium esse aiunt; Ebrodunum sive Abutini. hasque urbes Burgundi, dehinc Suevi, utraque gens germanica, Romanis pulsis occuparunt. nam hae sedes, quas nunc Suevi tenent, non sunt eorum genitale solum, sed fuere domicilia quondam Rhetorum, Helvetiorum, Sequanorum atque Rauracorum. est etiam triplex Suevia, sicuti Strabo noster in Suevia ortus narrat, quae suo tempori et sexto libro serventur; nunc caetera exequi pergam.

Hiems praeter solitum longa acutaque fuit; nive sanguinea pluit. sinus Hadriatici maris, ubi Venetiae conditae sunt, congelavit; a continenti in urbem vehiculis, equis, plaustris onustis mercibus ultro citroque conmeavit mercator. Litavicus rex, Carolus frater eius et Lutharius, nepos illorum, reges Francorum, apud Confluentes inter Mosellam atque Rhenum conveniunt paxque inter tres duces in hoc foedus conponitur, quod iureiurandi religione conceptis verbis sancierunt, Litavico, qui maximus natu erat, praeeunte hoc modo: ita me deus adiuvet, ut ego posthac, quam diu vixero, istum fratrem meum Carolum et nepotes meos, imperatorem Litavicum et Lutharium amabo atque pro viribus adiuvabo, fautor et consultor adversus omneis homines ipsis adero. non regnum eorum prava cupidine adfectabo nec vitae insidiabor. dabo equidem operam, ut principatus, quos obtinent, perpetuo cum prole possideant, quoad per ipsos licuerit et ipsi vicissim erga me fecerint. atque istaec omnia syncero animo absque dolo malo

5 Basileam *st.* Basilea *A u. B* 16 Abucini *B*

21 *Walafrid Strabo v. Reichenau; vgl. dessen Prolog. vitae st. Galli; Mabillon, Acta Bened. saec. 2, p. 228* 23 — aeternum *vgl. Ruod. Fuld. Ann. zu 860.*

agam, at Christi domini deique nostri in omnibus rebus voluntati obtemperetur, eius scitis stetur, eius religio et pietas vera propagetur, bona pacis et iusticiae confirmentur, discordia, lites, controversiae minuantur et populus christianus a deo inmortali nobis conmissus, summa nobiscum perfruatur tranquillitate, ad ultimum una simul cursu nostro in hoc procelloso, saevo, turbulentissimo mari defuncti, portum contingamus aeternum.

Subsequenti anno, qui fuit christianae aerae octingentesimus sexagesimus primus, Litavicus post paschalia in Boiaria Reginoburgii conventum egit. ibi Arionistus, omnes amicos regis dignatione vincens et qui principem locum inter purpuratos et amicos regis hactenus obtinuerat, item Uto et Berinogerion fratres atque Segardus, praefecti equestres, Valdo monachorum antistes cum pluribus aliis tribu et decuriis moti, in ordinem redacti sunt, quod munera ab hostibus accepissent. Richerus quoque Boiorum dynasta, Rathobodus, Boiariae orientalis limitis praefectus, perfidiae condemnati, in exilium aguntur. Uto, Berinogerion, Valdo fratres ad Carolum in Gallias migrarunt, caeteri domi suae quieti manserunt nec usquam aufugere aut pedem retulere. Carolomanus filius regis natu maximus, orientali Boiariae a patre praefectus, duces limitis Pannonici Carnicique Angilosalicum, Vilelmium et Pabonem, quod inter se dissidentes occasionem Rastizolao rebellandi atque terram devastandi dedissent, dignitate abdicat, terris a patre conmissis exigit. illi hoc iussu regis Litavici factum suspicantes, ad Rastizolaum Moraviae regulum se conferunt. Carolomanus limitibus Boiariae, Carnis et Venedis suos amicos praeficit. unde nata suspicio, quasi desciscere a patre Austriamque, hoc est orientis regnum, sibi vendicare tentaret. et ut varia sunt in aula ingenia, plaerique omnia in maius tollere sueti, plane cavendum parenti filium dictitabant. quare Carolomanus Reginoburgium festinans contendit, rumorum de se temeritatem arguit, parenti actorum rationem reddit, eidem satisfacit, se in eius potestate futurum iurat, inde in Austriam redit. porro Litavicus accepta excusatione filii Mogonciacum, ut Lutharium nepotem adpellaret, petit; deinde arma in Venedos trans Albim Saxonibus conterminos movet. Tabomyzilonem regulum gentis ad officium redigit; eundem filium suum et alios plaerosque nobilissimi cuiusque filios obsides dare cogit; posthaec Reginoburgium se confert.

Hisce diebus Meginardus, Richaviae monachus, primus incola deserti Claranae, ubi vetus colonia quondam Romanorum, Turicum ad

19 tetulere *A u. B* 31 et aliosque *B*

8 — se confert *vgl. l. c. zu 861, 862* 37 — coit *nach Herim. Aug. chron. zu 861, M. G. Scr. V, 105.*

marginem lacus eiusdem cognominis tum dirutum cubat, duodecimo calendas Februarii a latronibus perimitur. postea solitudo ea in celeberrimum conversa est templum, quo frequens populus aduc coit.

Dum autem Litavicus Reginoburgii hiemat, rursus gravis tumultus in Boiariae regno excitatur. vehemens incendium inter filium ac parentem (adeo infida est societas regni) suscitatum, paucorum cum ruina restinctum est. Rastizolaus Venedorum regulus (qui, ut supra diximus, se in clientelam Carolomano dicarat) adversus Brynnonem amicum Litavici, itidem Schlavorum, qui Danubii oram aquilonarem tum incolebant, ducem, hostili animo cum exercitu procedit, eundem praelio superatum occidit. Angilosalicus et Vilelmius, qui pulsi a Carolomano fuerant, ad Litavicum se conferunt, publice graviter Carolomanum parenti criminantur, dominationis adfectatae, cogitati paricidii accusant; eius iussu Rastizolaum arma resumpsisse, Prynnonem fidelissimum regi occisum esse calumniantur. addunt in summo denique periculo omnium amicorum regis salutem ac dignitatem versari, quibus aut filius aut parens offendendus sit. Litavicus vocata concione fidem illorum laudat, milites, paganos sacramenta sibi denuo dicere iubet; filium hostem iudicat, contra rempublicam fecisse videri decernit. testatur homines deumque, quoad vivat, nunquam in gratiam cum filio rediturum, illum repulsam passurum nec unquam in aliquo apud se honore futurum. expeditionem deinceps ad Charionum regionem adversus eum meditatur. Angilosalicum et Vilelmium dignitati restituit.

Est genus hominum pessimum, qui cuncta utilitate et dignatione sui metiuntur et primi omnium esse volunt. apud hos nihil est nefas, modo libidinem animi expleant ac conpotes voti fiant. hi dum in amiciciam principis dolo ac fraude aliave quavis ratione irrepunt, frontem perfricant, cuncta sibi servire concupiscunt in suamque dominationem trahere nituntur, quasi tineae ac mures optimos quosque sibi dissimiles, quos suis conatibus obstaturos suspicantur, arrodunt eoque vecordiae procedunt, ut malis gaudeant atque ex incommodis aliorum sua ut comparent commoda. et quo scelera lateant, odiis, simultatibus, armis omnia miscent, fratres cum fratribus, parentes cum filiis conmittere haud erubescunt, fallaciarum fabri astutissimi. quantumvis bonus, cautus, prudens fuerit princeps, decipitur, fallitur, venditur. ab huiuscemodi fumi venditoribus istiusmodi, ut levissime dicam, conmenta non tam difficilia explicatu quam incredibilia imperitis sunt.

26 cum *st.* dum *B* 36 — sumptum sit *eingeklammert in A u. B*

3 *Kloster Einsiedeln* 4 — Litavico *vgl. Ruodolfi Fuld. Ann. zu 863* 5 — restinctum est *Sall. Cat. 31, 9* 6 adeo — regni *Liv. I, 14* 34 — venditur *Hist. Aug. Aur. 43.*

ipsi, qui experti sumus, vix oculis et auribus nostris credimus, quas insidias paucis ante annis in aula nostra atque regno struxerit, quos tumultus concitarit, quid turbae machinari, rerum moliri, quam nam discordiam inter fratres germanos serere studuerit Hieronymus Stuphius, praefectus praetorio, nulli procerum universae Boiariae, quod negari non potest, siquidem bonus esse voluisset, eloquentia, opibus, prudentia, natalibus secundus. vulgo notum est, ut de quo quarto abhinc anno in celebri atque frequentissimo Boiorum conventu Angilostadii supplicium sumptum sit.

Carolomanus (inde enim ablatus sum) omnium rerum ignarus, ex Charinis ad parentem Reginoburgium, de triumpho gratulaturus propere contendit. in itinere fit certior de inimicorum acerbitate et animo in se hostili parentis. insolito nuncio territus, quam maximis potest itineribus, Charionas petit; ibi se munire ac defendere, ibi obviam ire atque scelera animadvertere statuit, donec missis oratoribus ad parentem innocentiam suam conprobaret, scelera sibi falso obiecta in authores atque criminatores retorqueret. interea Litavicus conlecto exercitu, quasi adversus Rastizolaum profecturus, cum Vulgarum auxiliaribus copiis suas coniuncturus, Reginoburgio egreditur, verum omnem vim belli in filium convertit. Gundagrius, dux copiarum Carolomani, clam a Litavico corruptus (nam sibi ducatus Charinorum, si ad Litavicum deficeret, promissus fuit) missus, ut Murae fluminis Dravique vado regem arceret adituque prohiberet, cum omnibus copiis transsit ad Litavicum, a quo Charionibus praeficitur. Carolomanus cum videret se proditum, accepta principum fide, dissimulata perfidia suorum, fretus de innocentia sua testeque deo, intrepidus sane atque imperterritus, nihil haesitans, in conspectum parentis venit, regem reverenter salutat, caeteros benigne adpellat, hilarem ac lubentem se facit; ut nihil sibi conscius plus licentiae, nihil pavoris ostendit, laetus convivia agit, aleam exercet, spectaculis equestribus, sagittariis muneribus, venatibus indulget. nec conscientiae notas scelerisve indicium (cum difficile sit crimen non prodere vultu) quispiam adversariorum in ipso ore deprae-hendere quivit. iisdem diebus Carolus episcopus Mogontinus e vita decedit, Litopertus a rege adlegitur Litavico.

Qui ubi Carolomanum filium Boiariae regno excedere, in Francia antiqua consistere iussit atque is obaedienter obsequitur, impetum omnem belli in Rastizolaum Moraviae rectorem convertit, Augusto Da-

3 quid turbae, quid machinari *B; in A das zweite* quid *durchstrichen.*

5 *Hieronymus von Stauf, Hofmeister Herzog Wilhelms IV. von Baiern, ward am 8. April 1516 zu Ingolstadt als Hochverräther hingerichtet* 35 — movetur *vgl. Ann. Fuldens. pars tertia zu 864, 865, M. G. Scr. I, 378, 379.*

nubium cum omnibus copiis superat, in munitissimo castro Dovina dicto hostem arctissima obsidione claudit, pacem supplicem petere, obsides, quos imperaret, dare, eundem de integro sacramentum dicere, in clientelam se dicare atque idem proceres eius facere cogit. hisque ex sententia gestis victor in Boiariam revertitur. Septembri deinceps in oppido Tuisconis cum fratre Carolo conventum agit. ibi omnium rerum oblivio decreta est, foedus et amicicia denuo renovata. si quid posthac ambigi contigerit aut quippiam controversiae natum fuerit, iure potius quam armis disceptandum esse statuunt atque, cum arbitros, qui causam cognoscant, de negocio pronuncient, uterque regum de alterius regno, Litavicus Hincomarum Rhemensem virum eruditum, Galliarum primarium pontificem, Angiloramum praefectum equestrem, Carolus Litopertum Mogontinum, Germaniae summum sacerdotem, Aldofridum, sacrae philosophiae antistitem, capiunt.

Dum talia fiunt, Carolomanus perquam fidos amicos ad reges, patrem et patruum legat, innocentiam suam, pietatem, benefacta praedicat, invidiam omnem in adversarios convertit, inimicorum facinora, perfidiam conmemorat. huiuscemodi (inquit) nebulones concordiam regum exosam habent, armis omnia miscent, paci, ubi eorum opera supervacua est, praeferunt bellum, ubi enitescant ac ditentur, et saeviciam, latrocinia, peculatum, furta, alias facinorum pestes licentia armorum occulant. quippe ubi summa tranquillitate omnia pacata sunt, nihil huiusmodi impune licet. haec dum per legatos parenti aperit, Carolomanus, confisus Boiorum atque Charinorum voluntatibus, in Boiariam pergit transsitoque Anasso amne ad Charionas tendit. qui ubi de Carolomani adventu certiores facti sunt, omnes a Gundagrio, qui ob perfidiam invisus erat, deficiunt ad filium regis, certatim coeunt. Gundagrius e Charinorum provincia extruditur; exagitante eum scelerum conscientia ad Rastizolaum Moravum aufugit. Hezilon filius Brynnonis limiti Charionum a Carolomano praeficitur; ipse Moseburgium arcem construxit; templum ibi Adalovinus Saliburgensis episcopus dedicavit. Litavicus ope fratris cum Carolomano filio in gratiam redit eique post sua fata regnum Boiorum destinat.

Posthaec Francophoron proficiscitur, quo Arsenius episcopus, imperatoris Litavici, Nicolai pontificis romani nuncius venit. actum de foedere et societate redintegranda, sicuti pridem inter imperatorem, fratrem eius Lutharium atque inter patruos horum, Carolum Galliae, Litavicum Germaniae Magnae regem convenerat. hanc ob rem ad

15 Tum talia *A u. B* 20 enitescunt *A u. B*

29 — dedicavit *vgl. Conversio Bagoarior., M. G. Scr. XI, 14.*

Agrippinensem Coloniam concilium indicitur, cui Litavicus et Carolus fratres interfuere. Lutharius non venit. Arsenius cum Litavico Francophoron redit, leges foederis, quae Litavico, eius germano, cum imperatore et Luthario nepotibus suis constiterant, accipit, Romam ad augustum pontificemque refert. Veronaero, Francorum satrapes, quod a Rastizolao munera acceperat, ipsum a rege deficere, bella movere cohortatus fuerat, dignitate movetur.

Ecce mox aliud tibi impium bellum exardet. Litavicus, filius Litavici regis nostri, aegre ferens sibi praeferri a parente Carolomanum fratrem, sicut germanorum quoque gratia rara est, pravis usus consultoribus, quos ob flagitia rex capite deminuerat, in ordinem redegerat atque aula eliminarat, adversus genitorem conspirat. Veronaeronem, Utonem, Berinogerionem convictos, iudiciis, dignitate ob perfidiam abdicatos, socios adsciscit, restituturum se eos pollicetur. deinde missis nunciis ad Turogos et Saxonas adolescentes, inertiae ignaviaeque deditos, qui alea, libidine, ganea patria abligurierant bona, sollicitat; item obaeratos, inopes, egenos, quibus nullae divitiae et qui vetera oderant, nova exoptabant atque odio suarum rerum (quippe egestas sine damno habetur) omnia mutari studebant, sibi conciliat. praeterea quoscunque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credidit, per se aut per alios in partes trahit; postremo socios sibi quoque adiungit, pro factis iudicium timentes. posthaec Honoricum praefectum militarem ad Rastizolaum proficisci iubet, qui Moravo persuadeat, ut a tergo regem adoriatur, se a fronte occursurum.

Haec ubi parens rescivit, Carolomanum ad tutandum Boiariae regnum relinquit, ipse propere in Franciam transsitum facit. undique omnes, quibus charior fides quam pecunia erat, evolant ad regem, omnes scelus filii detestantur, factum abominantur. nemo in tanta rerum turba fuit, qui quidem arma ferre potuit, quin certatim procurreret Francophoron ad regem, adeo ut parens longe superior filio esset. et nisi indulgentissimus pater huic parcere maluisset, haud dubie praesentes poenas paricidialis conspirationis dedisset. Litopertus archimystes Mogontinus aliique pacis magis quam armorum studiosi profecti ad filium persuasere ei, ut armis abiectis, exauthorata pravorum sentina supplex ad patrem veniret. nam horum consilio obsequens Borbetomagum in Novembri ad genitorem pergit, se peccasse fatetur, veniam erroris praecatur et impetrat. Nicolaus quoque pontifex maximus, ubi haec ei renunciata sunt, ad filios Litavici dedit epistolam,

8 — pientissimo *vgl. Ann. Fuld. zu 866* 17 — studebant *Sall. Cat. 37, 3* 20 — tradit *ebd. 39, 6* 22 — timentes *ebd. 14 ,3.*

In qua iure suo philosophabatur de honore parentibus exhibendo, docebat atque hortabatur regios iuvenes, ut parenti obtemperarent; id esse voluntatem praeceptumque supremi parentis legemque aeternam naturae.

Interea in Boiaria Carolomano Gundovalda praefectus et ipse res novas molitus rebellat praelioque cum filio regis dimicat, sed victus amisso exercitu ipse vix fuga evasit. Litavicus rex in Boiariam hiematum Reginoburgium revertitur. oratores Vulgarum ibi regem depraecantur postulantque, ut sibi philosophiae sanctae periti mittantur, qui popularibus suis pietatis christianae elementa tradant religionemque interpraetentur. facile id impetratum est a rege pientissimo. iubentur illuc proficisci Irmenoricus pontifex cum mystis et diaconis. itaque ope regis nostri gens Vulgarum in Moesiis habitans, abdicata multorum deorum superstitione, ad ovile Christi reducti sunt. Avares quoque atque Hunnos, qui in Dacia trans Histrum infra Tibiscum, Moesis oppositi tum considebant, atque Pannonia, Norico a Boiis eiecti sub Carolo Magno erant, in Venedum nomen transsierant, tum Litavici opera Christi cultum recepisse invenio.

Circa idem tempus ecclesiasticus conventus Teutonum et Venedorum iussu regis apud Vangionas actus est. mystae et pontifices Germaniae Graecorum ineptiis, quas ad eos romanus episcopus retulerat, responsa reddiderunt. dumque talia fiunt, Carolomanus traiecto Danubio Moravos aliosque Venedos Rastizolao parentes invadit; bis cum hoste congressus, bis vicit; quicquid terrarum viginti diebus cum exercitu percurrere potuit, igne, ferro, rapinis devastavit. ingenti praeda potitus, cum nihil reliqui fecisset, in homines, pecudes, agros, aedificia iuxta saevisset, incolomi milite in Boiariae Austriacum regnum mense Maio revertitur. sed maiore rursus vi Schlavorum nationes plaeraeque instigante Rastizolao adversus regem resurgunt. Boiemi terminos Boiariae incursant, pagos quosdam incendunt, pecora, mulieres captivas abigunt, Sorabes, Suisoli Turogos vastant, plaerosque nostratium incautius resistere conantes interficiunt. Rastizolaus quoque in armis fuit copiisque suis Gundagrium perfugam, Austriaci limitis quondam ducem, praefecit.

Rex Boius atque Francus Reginoburgii quidem substitit, per duces Sorabes, Boiemos rebelles rursus ad obsequium coegit. Carolomanus filius eius exercitum Moravorum bis fudit, Rastizolao maximam stragem fecit. Gundagrium virum bellicosissimum, imperatorem eius, cuius

16 ab Boiis *B* 31 Suiosoli *B*
12 — revertitur *vgl. Ann. Fuld. zu 867, 868* 28 — conmugiere *vgl. l. c. zu 869.*

consilio Rastizolaus et Venedi toties ab imposito resiliebant iugo arma que resumebant, praelio occidit; caeleste auxilium adfuisse, divum Haemeranum, tutelarem Boiorum martyrem, huic bello interfuisse scriptores eiusdem tempestatis tradunt. nam antequam Gundagrius occideret, eum dixisse ferunt ad suos: ‚ite, conmilitones fortissimi; vos patriam, aras, focos, coniuges, liberos vestros defendite, meme mea fata trahunt; venit hora fatalis, nos caelestis ira urget.‘ divus Haemeranus, cuius sacris adhibitis Litavico regi eiusque filiis fidem dedimus, scutum atque hastam tenet, bracchia oculosque constringit; manus pedesque, omnes artus, omnia membra loris duriter conligavit, ut ne manum quidem ad os admovere possim. vix haec ille fatus erat, nostri aciem hostium perrumpunt, transfugam occidunt, caeteri more pecudum inulti a Boiis mactantur. Carolomanus potitus tanta victoria, regionem hostium nemine obvio peragrat, casas, horrea incendit; frugibus succisis nihil intactum reliquit. incolae in munitissima aufugere loca. ipse domum magno captivorum, pecorum aliarumque rerum numero repetit. ubi haec ad regem Reginoburgium filii literis delata sunt, supplicatio decreta, grates deo optimo maximo actae honorque habitus, omnia tintinabula urbis conmugiere.

Dumque talia in Germania Magna et finitimis regionibus fiunt, in Gallia Franciaque occidentali Heroboius rex Britonum interficitur a suis. Solomon vir bellicosus rerum potitur. Carolus arma in paricidas movet; nec segniores Britani fuere, armati obviam procedunt; amicis intercedentibus fit pax cum Solomone, quae cum Heroboio fuit. vix haec Carolus arma exuerat, alius belli ardor flagrat. Nordomani Hastingo duce oram Ligeris invadunt, Nanetes, Andes, Pictones, Turones crudeliter devastant. Rupertus, dux eius limitis, Ramulphus, Aquitaniae legatus, conlectis raptim copiis, hostibus obviam pergere contendunt. quod ubi Dani per speculatores explorarunt, ad classem, quam in litore reliquerant, retro referre pedem parant; sed intercepti ab exercitu Francorum, id, quod constituerant, facere nequeunt. templum igitur amplum et lapideum, quod viae haerebat, occupant. pars intus, pars foris, quoad licuit, se propere muniunt. Hastingus cum maximo suorum numero aedem tenebat. qui extra fanum erant, abs Ruperto et Ramulpho absque cunctatione trucidati sunt; reliqui circumsidentur. machinae, aggeres certatim fiunt a nostris. postridie templum undique summis viribus tota die oppugnatur. vesperi Rupertus

4 *Ann. Fuld. l. c. Den Anklang an Verg. Aen. V, 709 in Gundakers Rede hat jedoch erst Aventin hereingebracht* 20 — regno *vgl. Reginonis chron. zu 866, 867, 873, 874, M. G. Scr. I, 577—587.*

aestus de labore impatiens galeam et loricam exuit; dumque auram captat, interim hostes de improviso vasto impetu erumpunt. nostri correptis armis Cimbros repellunt. Rupertus inermis (subito uti fit periculo) galea et lorica nudatus, suis opem laturus provolat, hosteis fugientes incautius insequitur. dum templum cum agmine hostium inrumpere contendit, interficitur; corpore hostis potitur in fanumque trahit. Ramulphus quoque per fenestram sagitta vulneratus occubuit. exercitus Gallorum amissis ducibus obsidionem solvit, domum trepidus et tristis revertitur. Hastingus cum popularibus nemine prohibente ad naves progreditur. Hugo abbas, vir iustus, omni virtute praeditus, ducatum Ruperti administrare iubetur; nam filii Ruperti, Oto et Rupertus, aduc impuberes erant.

Nordomani vero rursus navibus egrediuntur, praedandi aviditate continentem invadunt. Andium civitatem incolis fuga dilapsis vacuam occupant ibique se muniunt, cum liberis et coniugibus perpetuo ibi habitaturi. inde finitimos depraedantur. Carolus urbem obsidione cingit. Solomon rex Britonum flumen, quo urbs muniebatur, ab alveo alio derivat. hoc conspicati hostes cum Carolo paciscuntur, pacem licitantur, si incolomes dimittantur, se Galliis excessuros nec unquam reversuros pollicentur. accipit Carolus conditionem, obsidionem solvit, copias dimittit. hostes ubi periculo liberati sunt, nihil eorum, quae cum Carolo pacti erant, servarunt. longe plura maleficia fecerunt nec finibus Galliae excesserunt, in Gallia sedes posuere. in paucis diebus Solomon rex Britonum a ducibus suis Pasticano et Urofando dolo interficitur. regnum inter se dum hi dividere tentant, quod minor pars Pasticano faveret, bellum civile excitatur. Nordomani Pasticano auxiliares fuerunt; Urofandus, licet victor, in praelio interiit. Pasticanus paulo post naturae concedit. eius frater Alanus et Iudichilo, nepos ex filia Heroboii, Britaniam inter se bifariam partiuntur. plura inter eos quoque fuere praelia. Iudichilo a Nordomanis occisus est. posthac Alanus solus potitur regno.

Cap. 15. In Gallia Germaniaque Belgica Lutharius Theodopyrgam reginam odio habere coepit, captus amore et inlecebris Valdoradae, cum qua adolescens sub patria potestate constitutus consueverat. hanc, repudiata Theodopyrga, iustam uxorem, si liceret, ut libebat, habere avebat. Theodopyrgam igitur, ut nunquam desunt regibus, perniciosissimum genus hominum, assentatores incesti falso accusant, quasi

32 *Zum flgd. vgl. Reg. zu 864—866, Ruodolfi Fuld. Ann. zu 863 und Ann. Fuld. pars tertia, M. G. Scr. I, 375 flgd.*

viciatam ac constupratam a fratre germano praetextato divulgant, ut tantum scelus diutino severioris religionis iugo expiet, in monasterium redigundam vociferantur. Guntherus Agrippinensis Coloniae episcopus, archymistes regius, primo per alios, deinde a rege de hac re consulitur. Lutharius ei omnem rem detegit, neptem eius se ducturum promittit, si eius ope caeterorumque conlegarum authoritate Theodopyrga careret. Guntherus his promissis lactatus, operam suam pollicetur, rem cum Theodoguthone Treverorum archiepiscopo non admodum docto communicat. indicitur conventus ecclesiasticus in Mediomatricum urbem, coeunt omnis regni Luthariani pontifices praeter Hungarium Traiectensem, qui tum aegrotabat. iure suo illi reginae diem dicunt, eam in media corona circumsistunt; subornati prodeunt testes, qui praeter alia gravia crimina incestus reginam alligant; ita eam confessam esse testantur. continuo de huiuscemodi flagiciis scita maiorum, quibus huiusmodi sceleribus pollutis matrimonium interdicitur, recitantur; Theodopyrgae deinde sententia episcoporum libellus repudii datur; interdicitur alterius cuiusquam viri connubio; poenae, qua huiusmodi crimina lueret, destinatur.

Rex voti conpos, rursus aliud mystarum suorum concilium ad Aquas Graneas cogit. pro concione verba facit, confitetur primo adolescenti ob furorem aetatis caelibem vitam (quae potius aeternarum mentium quam mortalium sit) periculosam esse, praeterea proponit ob regni publicum bonum, ne id se sine haerede defuncto discordiae malis adteratur, se continere non posse, quin det operam liberis. neque enim cuivis esse adolescentiae succiplenae frenos imponere aut vitam superum ducere; proinde petere, uti sibi uxorem liberum procreandorum causa auspicibus sanctissimis patribus ducere liceat. fit deinde hoc sacerdotum consultum: quoniam Theodopyrga incesti polluta, nunquam iusta uxor clarissimi regis nostri fuit ac ne esse quidem unquam ob crimina, quae ultro confessa est, potest, principum pientissimo religiosissimoque iuxta divi Pauli et magistrorum religionis nostrae placita aliud matrimonium indulgemus. dicto citius confestim Valdorada apparatu regio incedit, regina solenni ritu salutatur in manusque Lutharii datur.

At fratres Theodopyrgae omnia ad Nicolaum pontificem maximum referunt, qui Haganonem et Rutholdum symmystas percontatum in Lutharii regnum ire iubet. quibus rex respondet se sanctissimorum patrum consulto paruisse. illique Romanenses hortantur quidem regem,

15 indicitur *B*
31 *Paul. 1 Cor. 7, 9.*

ut Agrippinensem Treverorumque pontificem satisfaciundi gratia ad romanum episcopum ire iubeat. verum acceptis muneribus Theodopyrgae nequaquam copia adpellandi facta, ab rege ditati, onusti auro Romam redeunt inscitiaeque omnes Galliae, Germaniae episcopos incusant. in paucis post diebus Guntherus et Theodogutho archimystae, ut se cum omnibus synmystis rite sapienterque fecisse, Lutharium insontem esse adseverarent, Romam proficiscuntur; libellum, ubi gesta scripta erant, sacro concilio Nicolaoque exhibent. illo publice ab eo, qui scriptum faciebat, recitato, rogati a romano episcopo, num haec ita esse confiterentur, ‚non tam insani sumus', inquiunt, ‚ut autographa pernegemus'. postea nec collaudati nec confutati, iussi abeunt, reversuri, quando vocarentur. non longo post tempore pontifex romanus senatum, episcopos, sacerdotes, diaconos cogit. Luthariani pontifices accersuntur. tum consensu omnium acta eorum velut impia, scelerata rescinduntur. Theodogutho et Guntherus curia pontificum moventur, albo sacerdotum eraduntur, socii exaugurantur.

Illi tam insigni contumelia Romae accepti, ad imperatorem Litavicum, fratrem Lutharii, qui tum Beneventi morabatur, veniunt, procacitatis atque temeritatis pontificem romanum accusant, qui imperatoriam maiestatem, concionem totam christianam spreverit eaque facta perpetraverit, quae, nisi princeps atque caeteri templi Christi servatoris archimystae omnes authores fiant, rata esse non possint. imperator frustra operam sumpsit, uti sacerdotes reconciliaret. nam pontifex maximus per orbem christianum missis literis, quae egerit, iure se fecisse adfirmat pluribusque verbis et testimoniis comprobare nititur. itidem episcopi Luthariani acta sua tuentur romanumque sacerdotem iniusticiae, protervitatis, arrogantiae carpunt, arguunt. verum operae precium est huiuscemodi epistolarum sententiam verissime quam paucissimis subtexere.

‚Nicolaus servus servorum dei, reverendissimis et sanctissimis fratribus nostris archiepiscopis in regno Hludovici regis Germani constitutis. scelus, quod Lutharius rex (si modo, qui libidini servit nec sibi imperare potest, qui stupris, adulteriis regiam maiestatem polluit, rex dicendus est) perpetravit, vulgo notissimum est, satis quoque liquet atque huiuscemodi flagitiorum authores Guntherus et Theodogutho, sanctissimi scilicet archymistae, existunt. quod de episcopis credere nunquam omnino in animum induxissem meum, nisi iidem non modo ultro confessi coram nobis Romae, verum scriptis quoque tan-

14 omnium consensu *A* 17 accepti *sic A u. B*
30 *Ann. Fuld. l. c.*

quam benefacta impudentissime perfricata fronte tutati fuissent. quid multis opus verbis? veritas rustica, aperta, simplex mundiciis est, non eget lenocinio; mendacium vafrum, obscurum, ut verum videatur, fuco et ampullis sublevari solet. nos, qui dei optimi maximi vicem ovili eius praesidendo defungimur, conmuni sacri coetus sententia ritu solenni acta episcoporum (qui sub pientissimo imperatore Litavico indictione undecima, mense Iunio in Mediomatricum urbe convenérunt) velut impia, nefanda, christianae philosophiae adversa rescidimus, Guntherum et Theodoguthonem duces caecorum a curia pontificum amovimus, albo iniciatorum omnino erasimus. nemo omnium posthac eosdem in classibus sacerdotum censeat. caeteris episcopis, qui istis impientissimis actis subscripsere, si resipuerint et se peccasse confessi fuerint veniamque supplices petiverint, gratiam facimus hocque piaculo resolvimus. quod si quispiam aliter factitare ausus fuerit aut illis (quibus a nobis sacris interdictum est) dicto factove consultor, fautor adfuerit, diris devotus esto, a supremo numine proscriptus, beneficiis divinis exors, reipublicae christianae extorris, transfuga caelo cum perfugis, laribus, caelesti patria perpetuo exulato.'

Contra haec episcopi Belgarum ita rescripsere: ‚Nicolao pontifici Guntherus ac Theodogutho. patres, episcopi et fratres coepiscopi nostri nos ad te misere; ipsi quoque sponte Romam venimus, acta tibi obtulimus, ut, si quid in his peccatum erratumve videretur, tu tanquam parens pientissimus benigne conmonefaceres atque, uti praeceptorem decet, modeste discipulos doceres. tu vero accepto libello nostro, conpluribus diebus nullum omnino responsum vel per internuncios reddidisti; tantum abfuit, ut in conspectum tuum admitteres. nos inter haec ociosi Romae sedimus, post mensem pene demum nos accersitos et absque cunctatione advolantes, nihil mali suspicantes more latronum oppressisti. nempe ubi in aedem recepti sumus, pessulo foribus obdito comites nostros sacratos, prophanos exclusisti. expoliatos itaque omni ope humana, turba paganorum et sacrificulorum, tuae factionis cohorte, sine coetu ecclesiastico, contra fas, contra decreta moremque maiorum nos circumstetisti. nemo archiepiscopus, nemo conlegarum, nemo pontificum adfuit neque tu aut de errore nostro quicquam disseruisti erroremve testimonio, ratione aliqua arguisti, sed subito et de improviso, cum lateri tuo haereret Anastasius monachus, ambitus condemnatus, sententiam iniustam, temerariam, nefandam, christianae religioni repugnantem de carthula effutisti, satis proterve tuis fatribus atque conservis inlusisti. inmortalis imperator augustam

19 *Ann. Fuld. p. 377.*

et sponsam suam clara aeternaque supellectile instruxit, dote non fragili ac caduca condonavit, sed perpetuo diademate ac sceptro ornavit; fecit eidem potestatem deditque copiam, ut vivos consecraret, caelo adsereret, aegrotos curaret, mortuos inmortalitate donaret. quae beneficia tu veluti latro intercipis, templo dei praeripis in teque transfers. his factus fucus, ovibus abuteris, vivos occidis, fortes superis detrahis, vulneribus gladium melle litum condis, mortuos, quibus per te reviviscere non licet, ad inferos extrudis. tu pontificis quidem personam prae te fers, at tyrannum agitas; sub habitu et cultu pastoris lupum sentimus. titulus parentem mentitur, tute factis Iovem ostentas, cum sis servus servorum, dominus dominorum esse contendis. iuxta disciplinam Christi servatoris nostri infimus eius omnium minister templi dei, tu vero libidine dominandi in praeceps abis; quicquid tibi libet, licet. fucus factus es christianis. hisce de causis nos cum conlegis nostris neque edictulis tuis stamus neque vocem tuam agnoscimus neque tuas bullas tonitruaque timemus. tu eos, qui senatus consultis impiis non parent, impietatis condemnas, iisdem sacrificiis interdicis. nos tuo te ense iugulamus, qui edictum domini deique nostri conspuis, concordiam conlegii discindis, pacem inmortalem, caelestis principis tesseram, violas. spiritus sanctus author est omnium ecclesiarum, qua longissime; latissime terrarum orbis porrigitur. civitas dei nostri, cuius municipes sumus, ad universos cardines pertinet, maior est urbe, quae Babylonia a sacris vatibus adpellatur, ut quae divinitatem usurpet, caelo se aequet, se aeternam fore iactitet, perinde ac si esset deus inmortalisque sapientia, nec unquam errasse neque errare posse mendaciter gloriatur.'

Huiuscemodi conviciis sursum deorsum iactatis, imperator romanus, reges Francorum Carolus et Litavicus frustra sibi operam reconciliandorum pontificum Luthariique sumpsere. Guntherus et Theodogutho in Italia obierunt. Lutharius ut fulmen pontificis maximi evitaret, reiecto scorto vilissimo legitimam coniugem recipere coactus est. iuravit se ut iustam uxorem habiturum; idem duodecim proceres iurarunt. verum haec concordia non mansit diutius. Lutharius inlecebris concubinae captus, et cum satis alioqui sua sponte insaniret, ab assentatoribus magis instigatus, Theodopyrgam subornatis testibus adulterii condemnare, deinde de ea quasi adultera poenas sumere sive eandem ad singulare certamen provocare statuit. quod ubi ipsa rescivit, clam

27 — undeseptuagesimo, *S. 587, 16, vgl. Ann. Fuld. zu 865—869 u. Reginonis chron. zu 865—869.*

in Galliam ad Carolum fuga elabitur. pontificem maximum adpellat, se regno, marito, opibus caedere, caelibem vitam et privatam de caetero in contubernio sacratarum foeminarum, si modo liceat, degere pollicetur. quod Nicolaus mulieri, nisi idem faciat maritus, pernegat. scribit igitur imperatori, scribit regibus Francorum, scribit Luthario, obsecrat, petit, admonet, minitatur, territat, ut aut Lutharius Veneri bellum indicat aut uxorem recipiat. Valdoradam in numero sceleratorum impiorumque haberi praecipit; iubet, ut omnes ab ea discedant, aditum, sermonem eius defugiant, ne quid ex contagione incommodi accipiant; vetat petenti ius reddi ullumve honorem conmunicari.

Proverbium vulgo protritum apud Germanos est: omnia fert aetas. quae tum crimina maxima fuere, nostro aevo, modo senatus romani consensu fiant, pia censentur. Litavicus duodecimus Celtarum rex, nuper, cum Carolus octavus, eius decessor, obiisset, uxorem, sororem Caroli, repudiat indulgenteque Alexandro sexto pontifice maximo viduam Caroli ducit uxorem. romani pontifices cum aduc pauperes cum Christo essent, modestiores fuere nec os suum in caelum ausi ponere, tantam sibi solvendi legibus, ut libet, permisere potestatem. haud alienum fuerit de hac re Hormisdae pontificis romani verba referre. ‚ego me', inquit', in hoc periculo inmittere non audeo, quia nec talia sunt merita mea, ut aliorum peccata in me excipere praesumam, nec tantam eloquentiam habeo, ut ante tribunal Christi contra tales et sanctos sacerdotes, qui decreta statuerunt, causam dicere possim'. haec Hormisda. ego ad historiam redeo.

Hugobertus frater Theodopyrgae Luthario rebellat, coacta latronum haud contemnenda manu latrocinia exercet, regnum Lutharii infestat, pulsis, occisis Lutharii praefectis loca finitima occupat, praedia, agros, villas suis conmilitonibus distribuit. frustra contra hos saepius a rege missus exercitus. nam illi fauces, sylvas, valles, cacumina Alpium Cottiarum Iuraeque montis inaccessa occupabant, quae intrare exercitus expavit. tandem tamen Hugobertus a Chunrado praefecto occisus est.

Lutharius dum Romam purgandi se causa proficisci parat, Nicolaus primus decedit, cui Hadrianus secundus ab imperatore, sacerdotibus, senatu populoque romano substituitur. apud hunc Lutharius innocentiam suam praedicat, pertinaciam Nicolai conmemorat, eundem plus credidisse mendaciis inimicorum quam insonti causatur; se tanquam

30 inacessa *A u. B*

7 in numero — conmunicari *Caes. b. G. VI, 13* 11 *Vergil. Ecl. 9, 51* 14 *Ludwig XII. v. Frankreich vermählte sich 8. Jan. 1499 mit Anna, der Wittwe Karls VIII.* 19 *Papst Hormisdas 514—523.*

filium Hadriano obtemperaturum promittit. inter haec Saraceni Italiam, Campaniam, ducatum Beneventanum et, ut nunc vocant, regnum Neapolitanum invadunt. imperator quo facilius hostibus resisteret, ne paucitas suorum contemneretur neve viribus impar foret, in auxilium fratrem evocat. Lutharius cum robore regni sui undecunque conlecto milite ad imperatorem in Italiam quam celerrime contendit. fratres coniunctis copiis Saracenos superant, ex Italia proturbant, Lutharius a Benevento reversus victor Romam ingreditur; ibi honorifice ab Hadriano pontifice excipitur. nihil more gentis praetermissum, quod ad ornatum adventus eius spectare videbatur. dumque ibi laetum se ac hilarem facit, subitaria pestis in eius exercitum grassari coepit. catervatim milites equitesque sub oculis eius cadunt. infamem igitur locum relinquere parat; amissis pene omnibus, cum paucis Placentiam octavo idus Augusti pervenit. ibi die solis, hora nona obmutescit subito, animam agit, postridie eius diei fato concedit, anno christianae salutis octingentesimo undeseptuagesimo.

Cap. 16. Eodem huius anni mense Litavicus, Germaniae Magnae rector, treis exercitus, quibus filios praefecit, adversus Venedos toties rebelles arma movere praecepit. ipse morbo correptus Reginoburgii decubuit desperataque salute omnem regiam supellectilem gazamque pauperibus elargitus est. interea Litavicus, filius eius, cum Saxonibus et Turogis Sorabes et socios eorum adgressus, Sorabes bis pugna victos ad deditionem rursus cogit, Boiemos ab illis mercede conductos occidit. Rudolphus dux limitis aquilonaris Boiariae, Boiemiam invasit, cuncta igne, ferro, praeda, luctu conplevit, Boiemos ad obsequium redegit. Carolus minimus natu cum Franconibus atque Suevis Moravos et Schlavos Rastizolao parentes sibi deposcit, hostes praelio fusos in fugam dedit, urbes incendit, moenia diruit. incolae in sylvas se et res suas condunt. Rastizolai munimentum, quod firmissimum ac inexpugnabile credebatur, vi expugnatum. Rastizolaus fuga sibi consuluit, in obscuris sylvis Hercyniae delituit. nam Moraviam et universas eius cardinis genteis, raras urbibus, frequentes vicis obumbrat munitque Orcynium nemus. nostri quosdam lucos ingressi, defossa in agris, abscondita in sylvis reperiunt, magna praeda potiuntur. Carolomanus cum Boiis Suatobogum, nepotem Rastizolai, debellavit, ipsum sub iugum, a quo resiluerat, misit. Suatobogus se fidem regi, filiis eius

10 — concedit *vgl. Hincmar. zu 869* 17 — augusta recipit, *S. 593, 13, vgl. Ann. Fuld. zu 869—872; Reginonis chron. zu 869—872, Hincm. Rem. Ann. zu 869—872, M. G. Scr. I, 480 flgd.* 35 *Zwentibald.*

servaturum, quae imperentur, facturum iurat. hisce perfectis Carolomanus et Carolus germani fratres victores in Moravia conveniunt, grates deo optimo maximo, reliquis caelitibus agunt, inde domos incolomi milite abeunt.

Rastizolaus ubi nostros finibus excessisse accepit, prodit e latebris. erat ipsi molestum, quod nepos suus regnum a Carolomano in fidem acceperat. quamobrem Suatobogo (ita enim nepos illius adpellabatur) insidias tendit, ipsum in vincula coniicere tentat. convivium instruxit, nepotem invitat. Suatobogus ignarus fraudis dolique securus advenit; rem ibi omnem resciscit. quidam partim conmiseratione et indignatione facti, partim iure hospicii, spe praemiive inlectus, conmotus technam omnem detegit. Suatobogus naviter dissimulato indicio, dum epulae, dum coena adparatur, simulat se venatum anates cum aquila proficisci nec rediit; ita servatus est. ubi Rastizolao insidiae non processere, ad vim conversus, aperto Marte nepotem perdere contendit. Suatobogus accitis a Boiis finitimis auxiliaribus copiis, haud imparatus Rastizolao occurrit. fit pugna, Suatobogus ut causa sic et fortuna superior fuit. Rastizolai exercitus caesus est, ipse vivus in manus hostium devenit et Boiis vinctus traditur et ab iis ad Carolomanum, ab eo ad regem Reginoburgium deductus est. ibi in concilio Francorum celebri Boiorum, Schlavorum perfidiae, lesae maiestatis fit reus; iuxta legis Salicae decreta supplicio capitali condemnatur. verum Litavicus rex poenam levat, vitam condonat. nam oculi Rastizolao eruti, postea caecus monasterio inclusus est. Boiemi quoque tum Carolomano se tradunt.

Qui transsito Danubio regnum Rastizolai nemine prohibente resistenteve cum exercitu peragrat; cuncta oppida, castella deditionem faciunt. quibus Carolomanus suos praesides imponit rebusque ex animi sententia compositis, regia potitus gaza, in Austriam atque Charinos se confert. inter haec Carolus rex occidentalis nuncio de Lutharii morte, de fratris adversa valitudine Venedorumque rebellione accepto Lutharianum regnum invadere meditatur. Sylvanectum igitur, a Favonio inde Attiniacum procedit; ibi ad eum conveniunt Luthareae Litavicique fratris sui legati postulantque, ne fines regni Carolus intret, donec frater eius salubritate percepta, quem praeter aegritudinem Venedi quoque urgeant bello, convalescat et pacatis Schlavis ad Angilaemorum regiam se conferat, praeterea imperator iustus haeres certior fiat; tum consilio amicorum habito universa iure, non ex libidine transigi posse. at Carolus nihilominus, quod facere constituerat,

5 nostris *B* 10 tibi *st.* ibi *A u. B*

BSB

perficere conatur, quanta potest celeritate Verodunum contendit, Hattonem episcopum, cives sibi sacramenta dicere iubet. nonis deinde Septembribus Mediomatricos petit, Adventium urbis episcopum, Franconem Tungrensem, Arionulphum Tullensem pontifices cum oppidanis et conpluribus aliis in fidem accipit.

Posthaec quinto idus eiusdem mensis in templo divi Stephani coram rege et episcopis, advocata concione populi, Adventius huiuscemodi verba fecit: ‚quas calamitates, quae maleficia sub rege Luthario, fratres charissimi, perpessi sumus, sensistis; eius morte perterriti, ad opem caelestis imperatoris, cuius omne regnum est, confugimus, divos suppliciis invocavimus, caelos praece, abstinentia satis ardua fatigavimus, ut nobis princeps iustus, clemens, qui nos tutaretur, contingeret. voti compotes sumus. hunc regem nostrum a deo nobis datum ultro ambivimus, sponte eundem in hanc huius regni primariam sedem accepimus. sed ipsum iam audiamus.‘ haec ubi dicta, Carolus suscipit primum omnium: ‚populares pientissimi, oro, quaeso, bonum habetote animum, quemadmodum me regem summa concordia designastis atque recepistis, ita summa ope pietatem inprimis iusticiamque colam. dabo equidem operam, ne mutetis factum neve quisquam a sermone nostro tristis discedat; bonos praemiis, malos poenis exercebimus.‘ posthaec Hincomarus, archiepiscopus Rhemorum (nam Treverum pontifex, cuius hoc munus erat, in Italia, ut et Agrippinensis, obierat nec aduc alius cooptatus in locum demortui fuerat) caeteris episcopis sacra operantibus, sacerdotibus carmina divina perstrepentibus Carolum regio diademate adornat, quod felix faustumque foret populo adclamante. plaerique procerum, quibus haec displicebant, ad Litavicum in Germaniam Boiariamque aufugiunt.

Carolus deinde ad Aquas Graneas, hinc Neomagum, regias Francorum, se confert. Richildam concubinam, cum qua post fata Irmotrudae iustae coniugis rem habere consuevit, uxorem ducit, nuptias ingenti apparatu apud Aquas Graneas concelebrat. ibi tum Beritulphum, nepotem Adventii, Treveris, Hyldovinum, monachorum magistrum, Agrippinensibus pontifices designat, nuncupat ipsique a Francone, Tungrorum episcopo, consecrantur. eo quoque tempore Gothardus, Paulus et Leon episcopi, oratores imperatoris pontificisque romani veniunt iubentque Carolum regno alieno manus abstinere, Lutharea mox discedere. ni obtemperet, arma, proscriptionem atque per omnium sacerdotum religiones devotionem minitantur; non posse alium Lutharii

3 Septenbribus *B* 7 Adventicius *B*

haeredem esse quam germanum fratrem, imperatorem romanum. Carolus respondet, se a libero Francorum populo vocatum, non posse eos deserere, qui ad suam fidem et tutelam confugerint. inde ratus haud dubie fratri ultima fata inminere, Elisatios petit, Hugonem, Litofridi, et Veronardum, Veronardi filium, in ditionem redigit moxque Aquas Graneas repetit, ibi natalis Christi anniversarium sacrum peragit.

Interim Litavicus, frater eius, maturius expectatione vigorem animi et corporis recuperat. viribus itaque corporis receptis celeritate, quanta potest, calendis Februariis Francophoron festinat. confugiunt ad eum plaerique omnes ex Gallia, Germania, Belgica et Celtica, quibus rex Carolus cordi non erat. Litopertus archiepiscopus Mogontinus, Aldofridus Saxonum, Hyldesemensis pontifex, vitae probitate, morum sanctimonia sapientiaque nobilissimi, ad Carolum legati proficiscuntur receptique ab Agrippinensibus invito Carolo Vilopertum iussu Litavici episcopum urbi consecrant. inde ad Carolum se conferunt hancque orationem ibi habuerunt. ‚quoniam' (inquiunt) ‚hactenus tibi ludibrio fuimus tuque animo indulgens consilia, praeces, postulata nostra floccifacis neque ulla iuris, pietatis, sanguinis ratione habita aliena intercipis, nihil ultra verbis frustra tempus teremus, factis opus est, armis praerepta repetemus, vi ablata ferro adseremus. vulgo apud nos dici solet: qui aliena appetit, sui est neglegens et nimis multa concupiscens perpauca adipiscitur. proinde pacem et bellum hic offerimus. utrum vis, mox tibi summe, aut continuo cum omnibus comitibus in tuum regnum quovis gentium ex hisce discede terris aut iam aciem instrue. iamiam invictissimus rex noster regiique iuvenes Carolus, Litavicus, Carolomanus fulmina belli, victrices copiae aderunt, ingruent, cum his bellicosissimi et ferocissimi Germaniae pugnacis populi nationesque ne sociis satis quidem notae, Schlavi, Venedi, Cimbri, Dani, Nordomani, Abotridae, Boiemi, Zechi, Sorabes, Moravi, Bolii, Velatabi, Turogi, Franci, Saxones, Boii, Suevi, Chariones et caeteri, quos scrupulosius referre supervacuum est. hi superis faventibus frenos aviditati imponent, te ferro docebunt, quidnam pericli sit fratrem fallere et alienam haereditatem praeripere.

Carolus conmotus authoritate et constantia gravissimorum pontificum amicorumque suorum suasu evestigio Luthaream liberam relinquit, uno itinere in regnum suum Conpendium remigrat. deinde Otonem Bellovacorum episcopum, Hardovinum equestrem praefectum cum decem

5 que *fehlt B* 21 negligens *B* 23 summe *sic A u. B*

21 qui — neglegens *Sall. Cat. 5, 4* 22 pacem — summe *Liv. XXI, 18* 28 nationesque — notae *Curt. IV, 12, 9.*

proceribus Francophoron ad fratrem ire iubet. placuit, reges quemque cum decem consultoribus, triginta vero equitibus apud Marsanam in ripa Mosae coire ibique controversiam tollere, quod aequum fasque foret, de dividundo nepotis regno constituere.

Rector orientalis, anniversarias supplicationes, quinquagenalia Bissostadii apud Vangionas rite feriatus, Maio consedit, Iunio occidentem petit. apud Flammarosaemos, Ribuariorum pago, dum in diversorio caenaculum ascendit, contignatio vetustate laxata conlabitur rexque tigno latus adflictus casu duas costas fregit. aulicis continuo provolantibus locumque detergentibus ac purgantibus illico prosilit, se incolomem esse proclamat, dissimulato victoque dolore postridie ad fratrem (uti condictum erat) Marsanam pervenit regesque Francorum regnum Lutharii, nulla ratione imperatoris iusti haeredis habita, ita bifariam partiuntur. quicquid intra Mosam Rhenumque amnes citra Vosegum Iuramque montes austrum orientemque spectat, Neomagum, Geldubam, Novesium, Agrippinensem Coloniam, Traiectum, Aquas Graneas, Leodium, cuncta citra Mosam, Epteronacum, Luxovium, Divum Gundolphum, Sanctum Theodatum, Treveros, Mediomatrices, Elisatium, Argentoratum, Basiliam, Solodurum, Suitones Litavicus possedit; caetera, Viennam, Lugdunum, Vesontionem, Tullum, Verodunum, ultra Mosam ad aquilonem occiduumque solem vergentia, Tungros, Toxandrorum praefecturam, Cameracum, Brabantinos, Flandros, Pictonas, Hannonios Carolus accepit. qui facta divisione Heristellionas petit; Litavicus ad Aquas Graneas accedit. ibi pene duos menses decubuit, obligari costas demum iussit.

Sub idem tempus eo Vinoclodius, Ioannes et Petrus episcopi, Veronardus purpuratus ab imperatore romanoque episcopo veniunt postulantque, ut Litavicus imperatori nepoti suo haereditatem paternam restituat. ipse benigne respondet ad se ultro confugientes in tutelam recepisse prohibuisseque, ne totum regnum Galli praeriperent; per se non stare, quo minus reddat, nisi quid aliud aut frater aut Luthariani velint. at hisce princeps propinquus et praesens ab ipsis creatus et acceptus placebat ingratusque erat longinquus et imperator italicus, qui hactenus venire gravatus esset. ille vero imperium, quod obtineret et possideret, invitis popularibus alteri tradere stultum censebat. ita legati re infecta in Italiam Romamque redierunt.

7 *Flameresheim bei Regino zu 870, l. c. p. 582, u. Hincm. zu 870* 26 *Die Gesandten nennen Hincmari Remens. Annales zu 870, M. G. Scr. I, 490. Vinoclodius ist Bischof Wibod von Parma.*

Cogitur deinde 6 kalendas Octobris iussu regis nostri conventus ecclesiasticus apud Coloniam Agrippinensem. interfuere archiepiscopi Litopertus Mogontinus, Beritulphus Treverorum, Billepertus Agrippinensis, Adalovinus Iuvavensis cum episcopis, sacrificulis, sacerdotibus, monachis suis. divi Pauli ad Timotheum Titumque de libro epistolae recitatae sunt. sacerdotes, episcopi, avari, Veneri ventrique dediti ignominia notati tribuque moti sunt. caeteri iussi sunt vivere iuxta Christi servatoris nostri placita. imperatum mystis, ut literis sacrae philosophiae operam darent, ut oves pascerent neve gregem a deo creditum malis exemplis trucidarent neu lac consumerent, de lanis se contegerent; ante omnia ut curam pauperum agerent episcopi parochique, praeceptum fuisse lego. calendis Novembribus rex germanus Reginoburgium in hibernacula concessit. eodem anno terrae motus, varia prodigia evenisse curiosius quidam nimis meticulosi tradunt. unum notasse satisfaciat: nubes in aere quarto idus Augusti velut exercitus vibratis invicem igneis spiculis concurrerunt.

Dum haec in Francia fiunt, Adalogisus dux Beneventanus in Italia imperatori rebellat. plures urbes Campaniae, Lucaniae a caesare Litavico ad illum deficiunt. augustus Beneventum obsidione urbem cincturus petit. Adalogisus ubi se imparem esse videt, magno pecuniae numero pacem mercatur, deditionem facit, gratiam recuperat, iurat se in potestate caesaris perpetuo posthac fore. imperator inde in Campaniam exercitum transfert, omnes civitates sine labore recipit. sola Capua portas clausit. cingitur obsidione civitas, omnis aditus, exitus intercluditur, circumcirca olivae, vites, arbores fructiferae succiduntur. universa iratus miles diripit, aedes, casae, praedia, agri incenduntur. his calamitatibus Capuani adacti, fame inopiaque debellati, cum episcopo suo, et divi Germani urna, alia quoque sacra progerentes, portis apertis prodeunt, castra imperatoris inermes, togati adeunt, pedibus augusti supplices accidunt, veniam errorum obsecrant ac a clemente principe impetrant. qui civitatem praesidio firmat et dimissis copiis Beneventum cum paucis adit.

Adalogisus superior contemnens paucitatem caesarianorum, adversus imperatorem conspirat, subito arma corripit, palatinas aedes, ubi meridie imperator acquiescebat, expugnare nititur. Litavicus tumultus strepitu excitatus, arma corripit, cum corporis custodibus, qui sane perpauci erant, ad hostium provolat, aditu latrones ferro arcet. Adalogisus ubi expugnare praetorium diffidit, ignem subiicit exurique regiam iubet. augustus in eo articulo rerum, a fortuna depraehensus,

15 sufficiat *A* 38 diffidat *B*

pacem postulat, conditiones, quas Adalogisus dixit, accipit, manus pignoribus divorum imponit, iurat se Beneventi fines continuo relicturum neque unquam perpetuo. reversurum hancve contumeliam vindicaturum. postridie illico Benevento Romam migrat, convocato pontifice, senatu populoque romano fraudem, dolum, perfidiam Adalogisi conmemorat. fit senatus consultum, Adalogisus hostis reipublicae iudicatur, proscribitur. Ioannes pontifex maximus imperatorem religione iuramenti iure suo solvit, Adalogisum per omnium sacrificulorum ceremonias diris devovet. imperator quidem manus bello, ratus etiam hosti fidem servandam, abstinuit. caeterum Angilodruda augusta arma in Adalogisum movet. qui ubi se peti cernit, conscientia stimulante, desperatis rebus suis, fuga sibi consuluit; in Corsicam evadit. Beneventum augusta recipit.

Eadem tempestate Methodius philosophus Venedas invenit literas vertitque divina oracula in vernaculum Schlavorum sermonem persuasitque popularibus Dalmatiam incolentibus, ut explosa lingua latina, exibilato ritu romano suum consecrarent eloquium. posthaec in regnum Boiariae perrexit, in Liburnia, Norico, Pannoniis Venedis habitantibus idem persuasurus. Richovalda sacrificulus pontifex, Adalovinus, archimystes Saliburgensis, item Iuvavenses sacerdotes, qui hactenus in superioribus regionibus ex decreto Caroli Magni per quinque et octoginta annos rebus divinis praefuerant, sacrificia privata, publica procurarant, religionem interpraetati fuerant, reges adeunt, concionibus, epistolis populum concitant adversus Methodium, qui regno Boiariae factione Iuvavensium mystarum pulsus, in Moraviam aufugit. ubi humatus est in urbe, quae nunc caput Moravorum censetur, vulgo Olmonts, hoc est Iulii mons, adpellari solet. duos fuisse Methodios necesse est, nisi eundem dixeris, ad quem supra Eugenium secundum pontificem maximum scripsisse narravi, qui ob bella crebra Moravia relicta in Dalmatiam abierit ibique inventis literis rursus ad Moravos redierit, quem ipsi in album superum adscripserunt aducque religiose colunt. sacerdotes Liburniae, quae archiduci Noricorum nostro aevo paret, aduc ignari sunt romanae linguae, sacrificia patrio sermone, nempe Schlavorum, procurant. quorum literis in publicis monumentis summos Noricorum principes (sicuti Viennae Austriae in templo divi Stephani cuivis conspicere in promptu existit) usos esse reperio. sed ordinem rerum prosequar.

Litavicus et Carolus fratres germani cum quibusdam adolescen-

14 — **humatus est**, *vgl. Conversio Bagoar., M. G. Scr. XI, p. 13—15*
38 — **concelebrat** *vgl. Ann. Fuld. zu 871, 872.*

tulis imperitis rerum et aliis, qui ob scelera aula moti erant, adversus parentem et fratrem Carolomanum conspirare conantur. coniurati et rerum novarum avidi frequentes ad iuvenes regios coeunt, pagum Pirensem occupant. amabatur plus caeteris fratribus ob virtutes atque prudentiam Carolomanus a parentibus famaque dissipatum erat, Carolo et Litavico, veluti vulgo conceptis posthabitis, parentem Litavicum post fata sua Carolomano summam rerum destinasse. is posteaquam rem accepit, Boiaria exit, Francophoron calendis Februariis se confert. ibi nunciis ultro citroque missis in conventu celebri orientalium Francorum pax utrimque religione iureiurandi firmata est. rex in Boiariam Reginoburgium revertitur. filii eius Litavicus et Carolus ad limites imperii proficiscuntur.

Vix civile incendium ope et consilio bonorum restinctum erat, alia rursus procella ingruit. Suatobogus, nepos Rastizolai, Moravorum regulus, rerum novarum perduellionisque incusatur. Carolomanus eundem in vincula coniicit. Schlavi Moraviae rati principem suum iam poenas dedisse Schlagomarum cognatum eius licet sacerdotem rebus imponunt isque continuo adversus Vilelmium et Angilosalicum, legatos Carolomani, arma movet, eos ex civitatibus, quibus cum praesidiis praefecti erant, exigere summa ope connititur. illi vero in hostem perfidum toties a se devictum et superatum alacres ruunt, Moravos caedunt, adfligunt, sacerdotem cum Schlavis terga vertere cogunt.

Litavicus rex Maio Triburiam ad conventus, ut solenne tum Francis erat, agendos proficiscitur. Saxonem quendam, Honorici praefecti equestris clientem excaecari iubet, quod inter parentem liberosque discordiam serere conaretur. aegre id tulere filiorum amici, sed prudentia regis, benignitate et pollicitis filii in officio retenti sunt. rex Iunio Galliam Celticam Belgicamque, quatenus sibi parebat, peragrat. inter haec Suatobogus, quod crimina, quorum postulabatur, nemo legitime arguere poterat, a Carolomano postliminii iure libertati et potestati restituitur atque, uti eidem satisfieret, muneribus regiis collocupletatus in Moraviam ab exercitu Carolomani reducitur iuratque Carolomano, se Schlagomaro hostem futurum expugnaturumque. sed ubi domum venit, magismagis pericli sui quam beneficii Carolomani memor fuit ignominiaque pertinacius animo haesit. quippe ipse non eadem fide in gratiam redierat cum Carolomano, qua is cum illo reversus fuerat. quamobrem omisso bello contra Schlagomarum aemulum suum, vires, studium omne dolosque ad vindicandam contumeliam et eluendam sanguine Boiorum notam a Carolomano sibi inustam versu-

33 periculi *A*

tum callidumque ingenium convertit. comparatis ergo copiis, quasi Schlagomarum expugnaturus innumeris, Boios, qui eum reduxerant, nimium securos, nil prorsus mali suspicantes, in castris subito invadit, inopinatos imparatosque multos vivos capit, exercitum paucissimis fuga elapsis ad internecionem delet. ita fortuna, qua nihil versatilius est et quae nunquam simpliciter indulget, maiestatem populi Boiariae hac strage foede sugillavit et serenitatem tot triumphis a Boiis hactenus adversus hanc gentem praecipue partam subita tempestate obscuravit. nulla domus Boiariae exors publicae cladis fuit, ubique pernicies, luctu omnia conpleta sunt. Carolomanus tanta suorum ruina perturbatus, omneis obsides, qui in Boiariae regno erant, Suatobogo, ut suos, quos captivos ab hoste detineri rebatur, redimeret, reddidit, verum dumtaxat unum Rathobodum seminecem recepit; caeteri omnes a Suatobogo contrucidati erant.

Iisdem diebus Litavicus Adolardum ad Carolum fratrem in Gallias ire iubet, eundem ad conloquium pacemque renovandam invitat ipsique mense Augusto apud Traiectum Mosae conveniunt. eo filii Litavici minores natu accedere recusarunt, excusantes sibi verbis promissa pridem non ex fide contributa esse. caeterum rex orientalis salutato fratre ad Aquas Graneas redit. ubi cum audiret imperatorem, nepotem suum, ab Adalogiso duce Beneventano dolo necatum esse, Aquis Graneis egreditur, confinium Boiariae atque Italiae, nempe Tridentum petit. eo Angilopyrga augusta ad eum pervenit, quae de caesare marito suo temere vulgata erant, falsa esse docet repetitque ab eo Luthareae partem; Litavicus se vero facturum respondet, si idem quidem Carolus frater fecerit. augusta ad huncce amicos, qui partem postularent, mittit atque is rursus suos remittit. ita tempus internunciis inanibusque consultationibus tractum est.

Posthaec princeps germanus ad Aquas Graneas revertitur. ut sibi filios Litavicum ac Carolum minores natu placaret, Rhetiam ipsis praecario concessit. inde mense Octobri Francophoron, inde in Boiariam Reginoburgium se confert. Boiemi tum irruptionem in Boiariam meditantur. ipsi quendam locum aditu difficilem vallo firmissimo munierant unoque itinere angusto accessus patebat; quo si quis temere ingressus foret, velut in cavea depraehensus, inultus more pecudum, cum nusquam ferre pedem posset, trucidabatur. contra hos iussu regis Boii armati procedunt, quorum duces erant Arno Viridoburgensis pontifex et Rudolphus, limitis Boiorum septentrionalis praefectus.

4 caepit *B* 25 et Litavicus *B*

17 & 22 — tractum est *vgl. Hincmar zu 872.*

inter haec Moravi nuptias in Boiemia fecerant secumque novam nuptam, filiam ducis boiemici, instructam domum ducebant. ubi id nostri per speculatores comperiunt, insidias nuptiis intentis et nimium securis tendunt seque condunt. mox in Moravos praetereuntes impetum faciunt; illi terga vertunt ad munimentum superius, quod Taboriam vocant, in angustias feruntur. Boii fugitantium tergo haerentes equis, armis, gaza, instrumento nuptiali, nova nupta potiuntur. nam Moravi omnibus impedimentis abiectis, equis quoque, onera et impedimentum rati, relictis, quo expeditior fuga foret, nudi aufugiunt aegreque evadunt; in latebris Hercyniae se condunt. Boii sexcentos et quadraginta quatuor equos stratos militaribus ornamentis in castra sua nemine resistente reducunt. haecque victoria atque praeda in proverbium de sponsa et nuptiis, quod aduc vulgo protritum est, cessit. nam ad nuptias venire et dubium esse, quisnam sponsam domum ducet, crebri apud nos adagiones in ore vulgi sunt; quibus id significamus pene, quod Latini inter os et offam, Graeci inter calicem supremaque labra, multa saepius solere intervenire aiunt; id, quod et nos aliter dicimus, nempe inter telum et metam sive scopum.

Circa eundem temporis tractum Basilii Macedonis Graecorum imperatoris legati cum epistolis atque muneribus adventare nunciabantur. Carolomanus ipsis obviam officii causa procedit eosdem Saliburgii excipit et deinde nonis Ianuarii ad parentem Reginoburgium deducit. Graeci inter caetera munera cristallum prodigiosae magnitudinis, auro, gemmis praeciosissimis inclusam dona ferunt. maxima quoque salutiferae crucis portione et aliis sacris regem nostrum donarunt. foedus, sicut apud maiores fuerat, ictum cum Graecis.

Litavicus postea in medio anniversarii ieiunii sacro Variochamis conventum regni cogit. ne post mortem discordia, uti fere fit, de dividundo imperio excitetur, consilio procerum habito regnum orientale in tris partes distribuit. Carolomano regnum Boiariae Schlavorumque provinciae destinantur. Franciam, Saxonas, Turogos, Frisios, Lutharii regnum Litavicus demum post fata parentis obtinere iussus est. Suevia Carolo, qui minimus natu erat, relicta est. hique duo fratres in conspectu totius exercitus iurarunt se parenti fidem perpetuo servaturos.

Inde rex germanus in Boiariam revertitur paschalibusque rite Reginoburgii perpetratis vindicare ab ultimo dedecore a Suatobogo iniuncto nomen gentemque Boiorum parat. quatuor exercitus ad

23 christallum *A* 24 dona *sic A u. B* 30 partis *A*

13 *Wers Glück hat, führet die Braut heim; Luth. VI, 157a* 16 — aiunt *Gell. XIII, 18; vgl. Dindorf in Steph. Thes. VIII, 1372 s. v.* χεῖλος 27 *Forchheim.*

diversos orbis cardines in Venedos arma movere praecipit. primi Saxones atque Turogi ab aquilone Moravos, qui tum latissime omnium Venedorum imperitabant, invadunt. cum sine rege essent ac ductores dissentirent, terga dedere hostibus in fugamque fusi, compluribus amissis domos turpiter repulsi sunt. quidam praefecti dum pavidi pedem referunt, a mulierculis hostium fustibus verberati de equisque reiecti, trucidati sunt. Arno pontifex Viridoburgensis, Segardus, Fuldensium monachorum pater, cum Francis ab austro hostibus congressi, eos pugna superarunt victoresque vastata sibi destinata portione, tamen pluribus praelio desideratis, magnis difficultatibus annonae et itineris (nam per Boiemorum confinia ductabant) domos rediere. at Litopertus archimystes Mogontinus cum Rheni accolis cumque Lutharianis Boiemiam per saltus Hercynios vi penetravit, manu ferroque viam fecit. Zentizolaum, Utizolaum, Herimanum, Spotimarum et Mosolaum, regulos quinque Boiemorum cum manu valida occurrentes, coniuratos Suatobogi in fugam coniecit; multos occidit, plaerosque in Multam amnem actos submersit, paucis in civitates munitissimas elapsis, Boiemiam praedando, exurendo peragrat, incolomis cum triumpho revertitur.

Carolomanus cum Boiis orientis ab ora superat navibus Histrum, Amboricum episcopum Reginoburgensem cum parte copiarum, stationes et excubias ad classem sedulo agitare iubet. ipse extremos fines Moravorum adoritur, fruges incendit, arbores succidit, in homines, pecora, aedificia ferro, igne iuxta saevit. hostes in latebras sylvarum paludumque se condunt. inter haec Suatobogus mittit clam exercitum, qui Boios ad tutandas naveis in flumine Histro relictos ac non attentiore cura excubias agentes, incautos opprimit; hos ferro occidit, illos in flumen agit atque mergit, paucos captivos abducit. solus Amboricus cum paucissimis elapsus est, fuga sibi consuluit servatusque est; sex millia Boiorum caesa fuisse referunt nostri scriptores. Carolomanus ob acceptam cladem saevior totam Moraviam percurrit, quicquid obvium, velut turbo sternit victorque in Boiariam in hiberna concedit.

Eadem tempestate grandines, fulgetrae crebriores solito territarunt mortaleis, fruges, homines, pecudes adflixerunt. templum divi Petri Vangionum de caelo tactum conflagravit, parietes solo aequatae sunt; tercio nonas Decembris hora prima terra intremuit, Mogonciacum eversum est. Litavicus Francophoron ad conventum agendum migrat, natalem Christi ibidem concelebrat; ibique in frequentissimo pontificum,

8 congessi *B* 26 relictas *B*

30 *Quelle?* 38 — extinguuntur, *S. 600, 15, vgl. Annal. Fuld. zu 873.*

tetrarcharum, ducum, rege quoque praesente, septimo calendas Februarii Carolus, minimus natu filiorum regis, subito prosiliit menteque emota insanire coepit, abiecto ense et balteo vestem quoque exuturus, a sex robustissimis viris aegre sustinetur; et modo tenui, modo maiore voce mugiebat magis, quam clamabat hiantique ore, dentibus minabatur. angi eum malo genio instinctuque demonis, percitum dementia interpraetabantur, opinabantur. tum Litavicus ad alterum filium cognominem sibi infit: ‚viden, ut perversae potestatis servituti ultro vos subiicitis, ut incestis, vagis, nequissimis spiritibus vestro periculo vos mancipatis? deserere ac fallere parentem, nedum adversus hunc inimico animo conspirare, paricidium haud unquam leviter piatum habetur. vulgo apud Germanos dici solet nullum homicidium diutius latere; tantum abest, út scelus in vitae dignitatisque authorem conmissum impune cadat. in neminem quempiam flagitiosorum quam paricidas a deo optimo maximo, rerum naturaeque parente, gravius exempla eduntur. proinde crimen depraecamini et resipiscite, supremum numen sedulo propiciate; ego quidem paterno animo gratiam facio erroremque condono, lachrymis et precibus obsecro, ut ille praeses mundi et rector universi, qui scit omnia, cuius oculis nihil septum est, faxit, ut tandem mutuo erga me animo sitis.‘ porro Carolus effertur, insanit, ululat, minatur, furoribus quatitur, intorquetur, in templum ducitur. ibi contaminatus ille subdolus ac perditus spiritus per maiestatem Christi solennibus sacrificiis et carminibus efficacibus archimystae adiuratus a Litoperto Mogontino, de corpore, quod obsederat, excedit Carolusque ab animo incursibus furiato liberatus in sensusque pristinos restitutus, propalam pro concione confitetur continuo se incursum conturbatae ac pravae mentis sensisse, posteaquam in animo conceperit, se adversus parentem, quod is sibi solam Sueviam tribuerit, res novas moliturum.

Carolum quoque occidentalium Galliarum rectorem fortuna itidem in sobole destituit. tulerat ille ex Irmodruda priore coniuge treis mares liberos, Carolomanum, Carolum, Litavicum. Carolus dum solus noctu Albini, fratris Bivini et Bettonis, a venatione domum redeuntis vires ac fortitudinem (quae tum vulgo praedicabantur) temere periclitari ac superare contendit, ab eodem suspicante se a grassatore peti, confoditur in terramque datur, semivivus relinquitur Albinusque victor equo, armis occisi potitur. verum ubi filium regis illum esse comperit, fuga mortem vitavit. Carolomanus alter filius sacris iniciatus aduc puer, parentis iussu in classem diaconorum (ut vocant), ministros

1 tetracharum *B* 6 daemonis, daementia *A*

3 abiecto — exuturus *vgl. Hincm. zu 873* 29 — coniectus, *S. 599, 5, vgl. Regino zu 870.*

sacrificantium sacerdotum et pauperibus opes templi elargientes, cooptatus fuerat. post, ubi adolevit, relictis aris, bellum sacerdotibus indicit, templa, opes mystarum diripit; saepius a parente admonitus, redire ad mentem noluit. propterea captus a genitore luminibus orbatus est in vinculaque coniectus. reperio quosdam id insidiis iniustae novercae tribuere. haec in Gallia facta sunt.

In Germania sub idem tempus rex Teutonum Venedorumque Francophori hiemavit. perpetratis ritu patrio paschalibus Bissestadium in agro Vangionum ad conventus agendos petit; filios suos Litavicum ac Carolum in album praetorum adscribit, eosdem adventantium causas cognoscere, ius unicuique reddere, lites dirimere, controversias minuere, si quid gravius sit, ad se referri iubet. ipse legatos Danorum Cimbrorumque foedus petentes audivit. peracto concilio Mogonciacum, inde ad Aquas Graneas se confert. mense Augusto in Mediomatricum urbe concilium procerum agit. ibi Berithoramus dynasta Suevus, superiore anno a Moravis captus, a Suatebogo hac lege, ut legationem ad regem susciperet ac ex fide defungeretur, dimissus, persuasit Litavico regi nostro, ut gratiam Suatebogo supplici faceret, peccata fatenti veniam praeteritorum donaret, in fidem ac clientulum acciperet.

Eodem concilio Rorichus quoque, Nordomanorum satrapes, in clientelam se nostro regi dicavit. Segifridus, Halbdanus fratres, reges Cimbrorum, iisdem diebus magnum auri pondus et argenti puri, puti ensesque regi nostro donant, supplices pacem et amiciciam petunt, se tanquam filios pientissimos in tutelam Litavici parentis indulgentissimi conmendant. aurum et argentum ex conposito in solum abiicitur, pedibus conmeantium remeantiumque passim provolvitur; ensem in manus rex Francus accipit; dumque mucronem capulo admovere conatur, rumpit. mox alium, quem Danus porrigit, eodem pacto, integrum tamen, quod mollius ferrum erat, intendit atque remittit. tum Cimbri, faxit deus, inquiunt, ut et nostris regibus magis ferrum quam aurum cordi siet. foedus deinde datur Nordomanis, in quo conpraehensum, ut pax festa in omni Germania, conmuni patria, foret et apertum mare, quodcunque alluit Germaniam, hospitali litorum omnium appulsu esset, mercatores securi ultro, citro conmearent nec amplius permitterent Nordomani reges populares suos Germaniam, conmune genitale solum, latrociniis infestam reddere. utrimque deinde legati missi, in confinio Saxoniae Cimbrorumque religione iureiurandi huiuscemodi pacta sanxerunt. utraque natio iuxta ritum suum, Franci sacris

15 Berithomarus *B*
25 — cordi siet *Monach. Sangall. II, 18.*

christianis, Dani more veterum Germanorum, frameis interpositis iurarunt.

Posthaec Litavicus ad Elisatium gentisque caput Argentoratum se confert. ibi Theodomarum archimysten Boiorum in demortui Adalovini locum declarat. inde hiemandi causa in Boiariam Reginoburgium concedit, ubi superior Theodomarus idibus Septembris consecratur. huc quoque Carolomanus, filius Caroli, e vinculis elapsus ad patruum aufugit, acerbitatem inimicorum et novercae conmemorat et tragico more aerumnas suas deplorat. Litavicus rex miseratus inopem et tali calamitate oppressum Litoperto Mogontino archiepiscopo conmendat; eidem monasterium divi Albani atque divi Billebrodi Epteronacum adtribuit; hic paucis post diebus moritur ac sepelitur. legati Boiemorum, qui dolo speculandi gratia in Boiariam Reginoburgiumque concesserant, in catenas coniecti sunt. eodem anno dira fames per universam Germaniam Italiamque supra modum saevit; plures inedia extinguuntur.

Prima aestate grandiores solito locustae, pollicem viri implentes, ab oriente, externa pabula quaesiturae, occiduum solem versus tanto stridore pennarum provolarunt, ut aliae alites crederentur solemque per quinque millia passuum obumbrarent; sollicite spectantibus populis, ne suas operirent terras, dira messes contegebant nube, multa contactu adurentes, omnia morsu eradentes, cortices quoque arborum atque fores tectorum. centum quinquaginta iugera uno die depastas fuisse memoriae proditur. viginti millibus passuum uno die per aera, instructa acie conpositisque ordinibus ferebantur; terrae incumbentes castra faciebant. duces cum paucis itinere unius diei praecedebant agmen, quasi loca opportuna castris capturi. eadem hora, qua antecursores pridie venerant, universae copiae postridie aderant. ante ortum solis a loco, cui insiderant, non movebantur; orto sole demum per cohortes suas proficiscebantur. Varro author est a locustis in Africa pulsam esse civitatem. illud quoque traditur a gravissimis scriptoribus, etiam longinqua maria ab iis transsiri continuata plurimum dierum profectione. populus Germaniae inopiae metu ad divina remedia confugere coactus est. tandem illae a vento sublatae in oceanum Belgicum actae sunt reiectaeque aestu ad continentem, fetore corruperunt aera; subsecuta dira pestilentia est. in Italia quoque eadem tempestate, in agro

6 — consecratur *nach Auct. Garst. zu 873, M. G. Scr. XI, 565, oder einer verwandten Quelle* 7 — coniecti sunt *vgl. Reg. zu 870, Hincm. zu 873* 16 — pestilentia est *vgl. Reg. zu 873, l. c. p. 585;* — fores tectorum *Plin. XI, 103—105* 29 *Plin. VIII, 104* 30 — coactus est *Plin. XI, 103—105* 33 *Reg. l. c.* 35 *Zum flgd. vgl. Ann. Fuld. zu 873, 874, 875.*

Brixensi tribus diebus et noctibus sanguine pluisse in acta et fastos relatum est.

Subsequenti anno, mense Iunio Rudolphus Nordomanus de regio genere ortus, qui occidentale Caroli regnum crudeliter longo tempore vastarat, ad orientalem appulit Franciam. praefecturam Frisiorum invadit; incolis tributum denegantibus ac imperata detrectantibus superbe respondet se omnes mares occisurum, pueros, puellas, mulieres captivos abducturum minatur hocque impetu arma in Frisios movet. at hi contra armati, sua defensuri procedunt. fit praelium atrox, Rudolphus cum octingentis conmilitonibus caesus est a Frisiis; caeteri, cum fuga ad naveis non pateret, in quadam aede se muniunt. quos cum nostri obsiderent, vitam praeda omni, quam ex Galliis hactenus coegerant, a Frisiis mercantur nec se unquam imposterum regnum Litavici ingressuros promittunt hisque pactis iureiurando sancitis, incolomes, omnium rerum nudi a nostris ad naveis deducuntur; etenim hi desperarant; nostri fessi erant timebantque varium belli eventum fortunamque, quae nunquam simpliciter indulgere solet; proinde non fuit rerum humanarum memoribus et victoria insperata potitis consilium Martem ultra lacessere.

Novembri Agathon archiepiscopus orientalis, imperatoris legatus, Reginoburgium ad Litavicum venit. Tachulphus, dux Sorabici limitis, eisdem diebus vita defungitur. quamobrem Sorabi, Venedorum ferox populus, et finitimi eorum res novas moliuntur. Litobertus Mogontinus pontifex, Rathulphus, quem rex Tachulpho successorem dederat, Ianuario Salam flumen superant, igne, ferro, praeda in obsequio hostes continent. Litavicus calendis Februarii Francophoron venit. temere vulgatum erat, Litavicum filium a parente descivisse. post paschalia rex Fuldam adit, inde ad conventus agendos Tribuariam proficiscitur; unde per Alpes Noricas Italiam petit. Veronae Ioannem pontificem maximum, imperatorem Litavicum nepotem suum adpellat. adfuere oratores Schlavorum, Suatebogi, Moraviae reguli, et Boiemorum. princeps legationis erat Ioannes mysta, oriundus Venetiis. petebant Venedi et Suatobogus supplices pacem, se in clientelam et servitutem regi nostro dicabant, modo liceret frui pace ab armisque cessare; quaecunque imperarentur, se obedienter facturos promiserunt atque iurarunt. annuit Litavicus postulatis hisceque rebus confectis in Boiariam se confert. Iulio Francophoron et ad Aquas Graneas contendit. Decembri Heristellione apud divum Landobertum fratrem Carolum convenit; unde tercio decimo calendas Ianuarii reversus, reliquum hiemis Francophori exegit. saeva admodum lues hoc anno plaerosque mortalium extinxit; vix tercia pars superstes evasit diram pestem.

38 Heristellione *nach Hincm. zu 874.*

BSB

Peractis hibernis Litavicus in Boiariam ad Hemmam uxorem aegrotam pergit, quae Reginoburgii morbo, quem Graeci paralysin et hemiplexian vocant, correpta, subito obmutuit; tribus literatorum apoplexian nuncupant. vulgo persuasum est id evenire gutta e capite in cor delata; ideo id genus morbi a Teutonibus conviciis et maledictis frequentatum, trophe atque schlage, hoc est gutta ac percussio adpellari solet. non desunt, qui discernant, paralysin esse, cum pars corporis, apoplexian, cum totum corpus adficiatur. Litavicus rursus Iunio Tribuariam ad conventus agendos proficiscitur. octavo tum idus eiusdem mensis cometes visus est. Aschobrunnam vicum in pago Nitensi subita imbrium inundatio quinto nonas Iulii intempesta nocte obruit, pecudes, iumenta, homines, octo et octoginta in cubilibus mares, foeminas, pueros, puellas extinxit, casas, horrea, conditoria, templa, arbores radicitus evertit, adeo ut ne vestigium quidem illius adparuerit. cadavera mortuorum tellure pluviali, humore soluta, alio delata in finibus alterius pagi inventa sunt.

Cap. 17. Dumque haec fiunt et rex germanus concilium Tribuariae mense Augusto celebrat, imperator Litavicus in Italia moritur sepeliturque Mediolani in templo divi Ambrosii. quod ubi Carolus conperit, inconsulto fratre, quam maximis potest itineribus, contra pacti religionem in Italiam festinat, caesarea gaza et supellectile potitur, urbeis, Italiam universam sibi subigere conatur. quamobrem Litavicus, ne frater imperium interciperet, filios suos, Carolomanum per Boiariae fines, Carolum per Sueviam in Italiam adversus Carolum occidentalem cum copiis proficisci iubet. ipse interim, ut fratrem ad sua tutanda revocaret, occidentalem Franciam invadit cum filio Litavico; Galliam percurrit, eam rapinis vastat, diripit. Attiniaci natalem Christi celebrat. eo ad eum optimates Caroli atque pontifices veniunt supplices, orant, obsecrant, ut populo insonti, qui nil conmeruerit, quae sua sit clementia ac iusticia, parcat, arma in authores perfidiae, qui cum Carolo in Italiam concesserint, vertat; se quidem operam daturos, quoad fieri liceat, persuasurosque Carolo, ut pacem servet, Italiam cum fratre secundum foederis pridem verbis pacti condiciones dividat. Litavicus pro sua mansuetudine, misericordia innocentis plaebeculae conmotus praecibusque procerum et episcoporum exoratus, per Treverum Augustam Mogontiacum ultimo Ianuarii venit, unde ad conventus Februario agendos Francophoron se contulit.

1 Haemmam *B*

17 — dividat *vgl. Annal. Fuld. zu 875* 24 — Augustam *vgl. auch Hincm. zu 875* 34 — delatum sepelitur, *S. 604, 26, vgl. l. c. zu 876; Ann. Fuld. zu 876; Reginonis chron. zu 876, 877.*

BSB

In Italia, cum Carolus nepotes suos vi arcere aditu non posset (etenim superatis angustiis ac iugis montium iam plana Italiae cis Padum occuparant atque armis tenebant) legatos de pace mittit, magno pecuniae numero auri gemmarumque pondere nepotes donat, ad conloquium invitat, benigne adpellat, se ideo intrasse Italiam, ut eam sibi ac fratri suo subigeret, commemorat; nihil perfidius ac mobilius esse Italorum animis; moleste ferre eos alienam dominationem, praecipue Francorum et Germanorum; timuisse, ne a Francorum imperio ad graecum imperatorem deficerent aut de suo corpore regem crearent; discederent igitur nepotes ab armis, exercitus dimitterent, ex Italia se domum conferrent; se quoque idem facturum; posse parvo labore hanc controversiam tolli; se quamprimum ad fratrem accessurum, eius consilio et authoritate Italiam ex aequo divisurum promittit. Carolomanus igitur et Carolus creduli verbis patrui, sine cunctatione abeunt, domos revertuntur, exercitus dimittunt. caeterum Carolus occidentalis quam celerrime magnis itineribus Romam contendit. quo cum sexto decimo calendas Ianuarii pervenisset, corruptis pecunia pontifice, senatu populoque romano, contra foederis fidem nono deinde die natali Christi servatoris nostri celebri, octavo calendas Ianuarii augustus salutatur.

Ioannes primarius sacerdos Senonum pontificem primarium sacerdotem, patriarcham Galliae et Germaniae constituit. augustus nonis Ianuarii ex urbe egreditur, in Gallias redit; contempto Francorum vestitu, calciatu et caetero habitu cultum Graecorum summit; pallam auream indutus sericatusque, balteo ad pedes dependente in publicum procedit; se principem omnium regum summum adpellari iubet. Irmogardam, filiam Litavici augusti, Bosoni, Richildae uxoris suae fratri, dat in matrimonium eumque regem Galliae Narbonensis nuncupat. inter haec Hemma, uxor Litavici Germani, Reginoburgii in media quadragesima diem obiit, in monasterio sacratarum foeminarum superiore sepelitur, sicuti imperator Carolus tercius, filius eius, prodit in diplomate, quod in eodem caenobio servatur et eius supra in Magno mentionem feci. sunt tamen, qui eam in templo divi Haemerani conditam tradunt, ubi et aduc eius mausoleum ostenditur, quod ego Utae augustae uxoris Arionulphi imperatoris esse credo.

26 Bisoni *B*

29 *Das Datum Mittfasten (25. März) beruht wohl auf Missverständniss der Ann. Fuld. zu 876 in.; die Nekrologe von St. Emmeram, (Mon. Boic. XIV, 369), Ober- und Niedermünster (Böhmer, Fontes, III, 485), nennen übereinstimmend 2. kal. Febr. als Todestag* 31 *Urk. Karl des Dicken vom 16. Febr. 886 oder 887; Ried, Cod. dipl. Ratisbon. I, 66; Böhmer Nr. 1014* 33 *Auch Dümmler, Gesch. des Ostfränk. Reichs, I, 862, Anm. 50 hält diess für wahrscheinlich.*

Litavicus ubi coniugi funus duxit et secutis diebus iusta peregit, Francophoron adit, procerum ibi concilium cogit. Billebertum archimystam Agrippinensem, Adolardum et Moenogardum praefectos equestreis ad Carolum fratrem legatos cum mandatis proficisci iubet. postulabat, ut frater aliquem locum medium utriusque conloquio deligeret, ubi, quemadmodum pridem inter eos convenisset religioneque iureiurandi sancitum esset, Italiae regnum divideretur atque maiori natu, qui Litavicus erat, augustale cognomen decerneretur. ei legationi Carolus primum superbe respondit. ‚si molestus mihi', inquit, ‚rex germanus esse perrexerit, copiis militaribus atque equestribus Rhenum exhauriam siccòque pede in Germaniam inrumpam totque equis vastam illam solitudinem obruam, ut rivi, flumina, lacus, paludes haud potui suppetant.'

His responsis relatis Litavicus vehementer conmotus, mature vanitati augusti occurrendum sibi existimat, bellum caesari indicit, undique copias contrahit, certissima semper auxilia Teutonas et Schlavorum robora, Boiemos atque Moravos. verum amicis utriusque, Gallis, Italis, Germanis, ultro citro conmeantibus, imperator a Rhemorum urbe Ioannem et Otonem, pontificis maximi episcopos, cum suis oratoribus ad fratrem legat, pacem postulat dumque die dicto regnum Italiae cum fratre dividere statuit, is morbo corripitur. gliscente in dies magis atque magis aegritudine, quinto calendas Septembris Francophori decedit, anno aetatis septuagesimo, regni Franciae sexto et tricesimo, Boiariae altero et quinquagesimo, christianae aerae octingentesimo septuagesimo sexto. corpus a Litavico filio ad contubernium divi Nazarii in Vangionum agrum delatum sepelitur. Laureacum et Laurosaemum nuncupant literatores, ubi et Thessalonum Boiorum regulum conditum esse supra conmemoravi.

Sed de Litavici moribus pauca explananda sunt. extitit enim princeps sane optimus, cuius virtutes nullo confinio viciorum laederentur. fuit magna vi animi et corporis ingenioque bono, corpore firmo ac procero, oculis nitidis atque micantibus, voce clara atque virili, vultu vel in sermone vel tacitus adeo tranquillo, ut intuentis in eum tristiciam discuteret; forma eximia, venustissima dignaque, ut Graeci aiunt, imperio, patientissimus laboris, dolorum tolerantissimus extitit; inertiam, ocium, libidinem, luxuriam, superbiam, arrogantiam velut pestem

26 Laureacum ac *A* 34 vetustissima *B*

2 Billebertum — decerneretur *vgl. Hincm. zu 876* 5 aliquem — deligeret *Caes. b. G. I, 34* 14 — existimat *Caes. I, 35* 18 imp. — postulat *Hincm. l. c.* 28 *S. 417, 26* 29 *Für die flgd. Charakteristik Ludwigs vgl. Reginonis chron. l. c.; Monach. Sangallens. II, c. 9, 11, 17, Jaffé, Bibliotheca IV, 679, 681 flgd., 695 flgd.*

vitavit; fortis ac durus in adversis; armis felix, fortunatus. civiles sacrasque res et disciplinas iuxta calluit; assiduo studio res gestas veterum principum evolvit. in templum innocentiam ac sanctitatem, puram castamque mentem magis quam meditatum carmen aut aurum inferre studuit; in pauperes pietatem, benignitatem, liberalitatem exercuit. dum Reginoburgii Francophorique sacras aedes muro haerentes moenibus solo aequatis ampliari iubet, auri thesauros reperit egenisque elargitus est. christianis in Asia, Africa opem eius exposcentibus denarios singulis regiis praediis exactos ad inopiam sublevandam misit.

Sacerdotibus et monachis pravo ingenio indoctisve ne in conspectum quidem eius venire licuit. idem in vitandis inimicorum insidiis et praetorum suorum moribus agnoscendis, supra quam cuiquam credibile est, callidus et astutus fuit. ius diligentissime dixit, controversias accuratius deminuit; avariciam magistratuum maxime odio habuit atque punivit. nemo ei impune verba dedit. invitos contemptoresque pecuniae provinciis praefecit. nemo aut ambitione aut muneribus in eius animum irrepere valuit. haud quispiam ad civilem ecclesiasticamve dignitatem malis artibus, auro, cupiditate temere aspirare ausus fuit. nunquam captores munerum avariciave notatos, ambitus aut repetundarum condemnatos sive ob aliud quodvis crimen semel magistratu abdicatos posthac restituit, ratus vulpem pilos, nunquam animum mutare et magis illos periculi quam beneficii memores haud unquam syncere fidos fore. armorum apparatus quam conviviorum studiosior fuit; plus ferrum quam aurum dilexit; usum auri sericique praecipue militibus ademit. si quem in exercitu sericatum aut inauratum conspicatus fuit: ‚eho, mortalium stultissime, non satis est tibi', inquit, ‚ut solus pereas, nisi et res tuas hostibus tradas atque eos collocupletes, quo diutius faciliusque nobis resistant?' externos habitus edicto prohibuit; sumptuariam legem exercuit severissime. simplici ac parabili victu vestituque patrio contentus, cum infimo quoque parsimonia et frugalitate certavit; plaerumque carne, huiuscemodi lautioribus cibis abstinuit.

Quatuor liberos, tres mares, Carolomannum, Litavicum, Carolum, unam foeminam Litogardam, virginum in Chimino lacu Noricorum maximam, reliquit. hos ex Hemma, ut aiunt, Hispana tulit.

1 foelix *B* 8 est *fehlt B*

22 vulpem — mutare *Sueton. Vespas. 16* 35 *Dass eine Tochter Ludwig des Deutschen, die jedoch nicht Liutgard, sondern Irmingard hiess, Aebtissin im Kloster Frauenchiemsee war, scheint richtig. S. Riezler, Gesch. Baierns, I, 216, Anm. 3.*

Posteaquam vero mors Litavici, regis Germaniae, Carolo imperatori nunciata est, totum orientale regnum, quicquid fratri paruit, animo invadit in ditionemque vel vi redigere decrevit. coactis idcirco quam celerrime copiis, cum quinquaginta amplius millibus absque cunctatione Franciam Austriacam intrat. Aquas Graneas, regiam Francorum sedem, occupat, paucos ibi dies conmoratus, ad Agrippinensem Coloniam contendit ibique castra facit; hucque ad se, tanquam augustum et regum Franciae seniorem et perinde iustum haeredem, omneis Francos venire imperat; imperata detrectantibus excidium minatur.

Dum haec fiunt, filii Litavici Germani, Carolomanus et Carolus fratres rursus expeditionem meditantur armaque Italiae inferre parant. Litavicus, qui funeri parentis, dum effertur, interfuerat Francophorique iam degebat, ubi patruum urbeis primarias regni sui tenere accepit, cum paucis in adversa ripa Rheni conatibus caesaris, ne Rhenum superaret, occurrit. e regione Ubiorum in altera amnis ripa stativa locat, ibi suorum adventum, quos celeriter ad se maturare praeceperat, operitur. legatos inter haec ad patruum proficisci iubet, qui peterent ab augusto, ut ab haereditate nepotum manus abstineret, in suum regnum rediret, pacem, quam teste deo optimo maximo iuramento cum genitore sanxisset, cum filiis servaret; id aequum fasque, imperatoria maiestate, charitate patrua dignum esse. caesar se pepigisse cum fratre, non cum nepotibus respondet. hocque ad Litavicum relato, supplicationem decernit, superos testes suae iusticiae invocat, candenti ferro, aqua fervida (quod tum solenne erat) regnum paternum vindicat. sed istaec omnia ludibrio fuere Carolo.

Iam globi Saxonum, Turogorum, Francorum gregatim ad Litavicum propere provolabant. castra Litavicus, quam maximo potest ambitu, metatur, paucos admodum, qui ignes incendant, excubias simulent, relinquit. ipse clam imperatore (qui castrorum dumtaxat locum observabat) cum omnibus copiis inter Confluentes et Antoniacum nemine resistente Rhenum superat iuxtaque Antoniacum considet. augustus cum se dolo a nepote occupatum animadverteret, et ipse fraude agere coepit. Richildam augustam cum Hyldovino praesule et Francone episcopo apud Heristellionas subsistere, eventum belli expectare iubet; fretusque multitudine virium, recta Rheni ripa ascendit, pacem simulat, oratores, qui cum nepote de amicicia mutua et summis utriusque rebus agant, praemittit. Litavicus benigne legatos adpellat, mandatis paret,

12 parenti *A u. B* 34 Heristelliones *B*

1 — Mediomatricos petit, *S. 608, 18, vgl. Ann. Fuld., Hincm. u. Reginonis chron. zu 876.*

BSB

nil malique suspicans, securus de pugna, maximam partem exercitus sui pabulatum frumentatumque dimittit, adventum imperatoris diemque conloquio dictum praestolatur. Carolus nihilo secius immo magis hostili animo adversus nepotem pergit. nonis Octobribus ad Meginensem pagum haud longe ab Antoniaco et castris Litavici cum robore exercitus pervenit noctuque surgens (cum forte fortuna pluviarum crepitus dolos tegeret, stridorem armorum, strepitum proficiscentium hebetaret atque obtunderet) infestis signis per angustas et invias semitas in nepotem nihil minus opinantem subito et de improviso inruere et incautum opprimere contendit.

Billepertus archimystes Ubiorum ubi hoc animadvertit, intrepidus imperatorem increpat, talem perfidiam detestatur, paricidium abominatur, deum inmortalem haud dubie ultorem fore praedicit. dumque a pertinacia Carolum revocare non valet, per quendam fidum sacrificulum suum, nomine Hartovicum (qui ut sine armis et gnarus locorum expeditior compendio imperatori copiisque antevertit) technam omnem patrui Litavico aperit. iam augustus ad Antoniacum pervenerat et Litavicus certior factus, ut dixi, de insidiis et animo in se caesaris arma cum suis corripuerat in aciemque processerat. mox candida lintea signum dat bello, inruentem patruum haud imparatus, ut ille rebatur, excipit. Saxones ciere pugnam et primum impetum hostium sustinere frangereve iubet. qui territi multitudine adversariorum retro referre pedem coeperunt. verum Francones per confertissimos Celtarum cuneos penetrant, Regomarum dynastam, qui aquilam ferebat, trucidant, signo potiuntur, aciem caesarianam perturbant et velut turbo humi obvios quosque prosternunt armis. nec mora, fit fuga, caesariani abiectis armis, laxatis ordinibus in fugam passim effunduntur. augustus quoque terga vertit, ad uxorem fugam capessit solusque relicto caesareo cultu cum paucis evasit. Austriaci fugientes Vestriacos persequuntur; multi, qui effugissent, multitudine suorum adtriti interierunt. maximus hostium numerus interficiebatur, ubi se in angustiis viarum constiparant recessumque primi ultimis non dabant, alius alii obstabant invicemque conflictabantur. equites, qui equis aufugere parabant, ab agricolis trucidati, spoliati et exuti sunt. iacebant passim strata cadavera virorum, equorum, impedimenta, arma, sarcinae mercatorum, qui exercitum imperatoris secuti fuerant, hisceque via fugientibus intercludebatur; perpaucos fuga servavit. omnibus impedimentis, machinis, gaza caesarea, gemmis, mercimoniis, armis, castris potitus est Litavicus; ea diripuit inter militesque praedam omnem divisit. accepit hoc

26 armis *fehlt A*

30 maximas — dabant *Caes. b. g. V, 43.*

tam grave vulnus ob avariciam suam (etenim, ut vulgo dici solet, cui aliena cordi sunt, sua odio habet) Carolus octavo idus Octobris.

Postridie eius diei, ubi augusta maritum male pugnasse audivit, ab Heristellionibus, actum de caesare rata, aufugit. noctu peperit infantem recensque natum humeris gestans non ante fugere destitit, quam Attiniacum perveniret; tanta fama victoriae erat, quae referebat omnes copias ad internecionem ne uno quidem superstite deletas esse. eodem die Carolus ad monasterium divi Landoberti profugus pervenit. Orthulphus episcopus et Gotholinus praesul monachorum, Ragenarius, Adaloramus, Adolardus, Eburovinus, Hieronymus, Veronardus, dynastae et duces Franciae occidentalis, cum multis aliis vivi capti, humaniter a victore accepti liberique omnes tandem et incolomes dimissi sunt. Litavicus pulso hoste liberatisque Germanis, victricia signa ad Aquas Graneas confert; triumphabundus regnum Lutharii lustrat, compositis rebus, receptis oppidis, vicis, quae ad augustum patruum suum defecerant, ad confluentem Rheni et Mosellae redit, ubi Carolus frater eius ex Suevia gratulatum ei occurrit. Litavicus inde Francophoron, Carolus Mediomatricos petit.

Cap. 18. Dein Novembri tres fratres ad Saloveltas conveniunt, imperium paternum, quemadmodum parens statuerat, inter se partiuntur. Carolus minimus natu Rhetias, Sueviam, Elisatiam, superiorem Luthareamatque Germaniam, quae est in Gallia celtica, accepit. Litavicus inferiores Luthareos, Belgas, Mediomatricos, Treveros, Aquas Graneas, Ubios, Mogontinos, Francos, Bathavos, Frisios, Saxonas, Turogos retinuit. Carolomanus, qui natu erat maximus, regnum Boiorum, Schlavorum tetrarchias, Boiemos, Moravos, Pannonios, Carnos, Noricos, Vindelicos possedit. Italia quoque, quam ab caesare armis repeteret, eidem destinata est.

Litavicus Ianuario insequentis anni conventum Francophori agit, captivos omneis in Galliam remittit, Venedos transalbianos ab imposito iugo resilientes, tributum, quod hactenus pensitare soliti fuerant, regibus nostris pernegantes per duces in officio armis continet, ad obsequium vi cogit, vectigal annuum solvere cogit. inter haec Carolomanus rex Boiorum expeditionem in Italiam parat, copias contrahit, comparata Boiorum, Venedorum diversorum validissima manu in Longobardorum fines arma movere coepit. imperator Carolus, ut Italia nepotem arceret, ex Galliis in Italiam contendit Ticinumque se confert,

19 — destinata est *vgl. Reginonis chron. zu 876* 29 — septuagesimo septimo *vgl. Ann. Fuld., Hincm. u. Reginonis chron. zu 877.*

conventus agit. interfuit et Ioannes pontifex maximus. at Carolomanus superatis Alpibus ad plana Italiae descendit, Veronam, Mantuam, cuncta cis Padum occupat; decertaturus ferro cum caesare, Ticinum infesto intentoque exercitu procedit. cumque adventare nunciaretur, imperator suorum animis superioris anni adversa pugna aduc perterrefactis et inmanium Schlavorum robore exanimatis fugam adornat. primo augusta Richilda, deinde caesar fugam capessit, comites ducem sequuntur. pontifex Romam festinat. imperator dum in Gallias properat, profluvio ventris extinguitur anno christianae aerae octingentesimo septuagesimo septimo.

Posthaec certatim civitates Italiae ad Carolomanum gratulatum proficiscuntur, in eius verba iurant. pacata citeriore Italia in fidemque accepta in Boiariam ipse redit. caeterum Landopertus et Albertus, filii Bonifacii, duces copiarum cum firmissima manu Romam procedunt, Ioannem octavum pontificem romanum, qui regi Boio adversabatur, arcta custodia claudunt. senatus populusque romanus se fore in potestate iurare adacti, in clientelam Carolomani se dicant, universa quoque Italia ad ipsum redit. quamobrem Ioannes episcopus ira percitus, divi Petri aedem claudit, sacrificia ibi procurari vetat, expilatis templis, ecclesiasticis opibus secum ablatis, per mare Tyrrhenum in Gallias navigat annumque integrum ibi moratur. imperii titulos in Litavicum Balbum, filium imperatoris Caroli, transferre conatur. ubi hoc non procedit, cum Bosone, quem Galliae Narbonensi atque Provinciae Carolus Calvus praefecerat, Romam redit; Bosoni Italiam subdere, Carolomano auferre summa ope, frustra tamen studuit. nam Italiae populi germanica fide Carolomano virtutis ergo favebant; qui se tamen dumtaxat regem, non imperatorem aut augustum caesaremve nuncupat, quemadmodum diplomata ab eo sacerdotibus et monachis data, quae aduc servantur, indicant, quorum quaedam in Utinensi historia iam publicavi. unius, quod Reginoburgii in templo divi Haemerani integrum extat, caput et calcem subtexo: ‚in nomine sanctae et individuae trinitatis. Carolomanus divina favente gratia rex . . . donat quaedam praedia coenobio . . . aera haec est 12. calendas Octobris, anno tercio regni Carolomani serenissimi regis in Boiaria et in Italia secundo. actum ad Hohberahah curte regia'. Pannoniae tum limiti orientalique regno Boiariae Arionulphum filium suum Carolomanus

35 Pannonio *B*

11 — solo aequat, *S. 613, 31 vgl. Ann. Fuld., Hincm. u. Regin. chron. zu 878, 879* 30 *Oben Bd. I, S. 39 flgd.* 31 *Urk. K. Karlmanns v. 20. Sept. 879, Mon. Boic. XXVIII, a, 64.*

praeficit. ipse frequens Utini habitavit, ubi templum mystis divi Benedicti extruxit, quod conlocupletavit etiam italicis praediis, sicuti diplomata testantur. ibi etiam divum Maximilianum, divam Felicitatem, brachium divi Philippi, legati Christi, conplura alia sacra reverenter condidit, quemadmodum in Utinensi historia diligentius explanavi.

Dum talia in Germania Italiaque geruntur, Litavicus Balbus, filius imperatoris Caroli, cognomento Calvi, Celtarum rector, successu patruelium suorum territus, ad Litavicum Austriacum legatos mittit; iniuriam a parente se invito illi inlatam depraecatur, foedus et pacem exposcit. orientalis princeps benigne legatos patruelis sui accipit absolvitque; mense Octobri ad Aquas Graneas se confert. haud inde procul in ripa Mosae apud Marsanam ambo Litavici, Austriacus et Vestriacus, conveniunt, societatem hisce legibus sanciunt. Luthareae partem quisque regum, quemadmodum parentes divisere, retineto; Italiam Carolomanus, uti subegit, possideto. uterque utrique cordi sunto; auxilium mutuum alius alii, absque dolo malo ferunto. superstes defuncti vita liberum tutor esto, consilio et armis, quo illi haereditatem paternam mancipent, fautor ac consultor adesto. discordiae, simultatum, odii authores procul in malam crucem ex aula abigunto. quisquis publice iure potius quam vi atque fraude disceptare recusarit, utroque regno in exilium sine lare, sine pignore extrudatur. ad Carolomanum et Carolum clarissimos reges amici proficiscantur, qui ipsis, ut haec quoque pacta recipiant atque observent, persuadeant. nam ut respublica christiana stabiliatur, salva sit et stare possit, idem nos nolle atque idem velle necesse est.

Posthaec Litavicus Germanus in Franciam hibernandi causa Variochamos redit hocque anno dira lues in boves saevit, maxime circa Rhenum, ubi in Vangionum agro, haud procul ab Angilaemis, in Valesaemo pago canes villatici omnes cadavera laniatum, ut fit, convenerunt. deinde uno die, una simul cohorte, nemo scit, quonam gentium, ex hisce finibus migrarunt; nec vivi nec mortui cuiusquam vestigium postea inventum. circa idem tempus, nempe anno ab orbe servato octingentesimo undeoctogesimo Carolomanus morbo materno Utini adficitur et decumbit officioque linguae subito destituitur. Litavicus frater eius ubi hoc audivit, maturius ex hibernaculis progreditur Boiariamque petit. Reginoburgium ad se omnes proceres Boiorum accersit sibique nullum alium regem, si Carolomanus decesserit, recepturos, sacramenta dicere iubet. rebus Boiariae conpositis, Francophoron se recipit, paschalia ibi celebrat.

5 *Oben Bd. I, S. 33, 39 flgd., 51* 29 *Walsheim, abgegangener Ort bei Heidesheim in der Nähe von Mainz* 32 — accersit *vgl. Reg. zu 880.*

In Gallia eadem tempestate Litavicus Balbus tercio idus Aprilis moritur, princeps simplex, mansuetus, religionis et pacis studiosus. Adolaedam uxorem gravidam et duos filios, Litavicum et Carolomanum, quos ex Ansogarda concubina procrearat, reliquit moxque de regno certamen editur. Theodericus et Hugo abbas, dux limitis inter Sequanam et Ligerim, Carolomanum ac Litavicum adolescentes admodum scitos, bonae indolis ingentisque animi ad avitum paternumque solium sublevandos decernunt. quidam Bosonem, Richildae augustae fratrem, quem imperator Carolus Calvus Narbonensi provinciae praefecerat, accersendum putabant. atque Boso, ubi ei renunciatum est de morte Balbi, novum imperium adulescentulorum velut vulgo conceptorum aspernatus, partim minis, partim pollicitationibus episcopos atque Burgundiam sine certo regis et regni haerede sibi adtrahit Lugduniqne ab Aureliano urbis archimysta et caeteris episcopis rex Burgundionum adpellatur sacroque oleo inungitur.

At Gotholinus, monasterii divi Vincentii atque Germani extra moenia Luteciae antistes, et Chunradus, Parisiorum praeses, cum plaerisque Gallias Germaniae, unde omnis nobilitas Franca oriunda esset, rursus coniungendas censebant. hactenus ambo regna sub unius imperio florentissima extitisse et ad summum orbis terrarum fastigium evecta fuisse, divisa vero in partes, sensim conlabi et ad interitum properare imperiumque Francorum, quod sub uno stare posset, dum a multis sustinetur, haud dubie tandem casurum esse; has ob causas Litavicum Franciae orientalis regem iustum haeredem, cuius humanitatem, iusticiam vimque bellicam iam factis sensissent, ultro vocandum ad avitum regnum esse. nec mora, rogatus ab hisce Litavicus Germanus cum exercitu ad Mediomatricos accedit, inde Verodunum petit. copiae eius, quod ipsis annona ab incolis carius venditaretur, ad praedam conversae, quicquid conmeatus in agris, villis, vicis, oppidis fuit, diripiunt.

Hugo et Theodericus, qui rebus iuvenum regum favebant, Baltherum Aurelianensem episcopum, Goeramum et Ansocherum equestris praefectos ad Litavicum legant; ipsi Luthareae partem, quam avus parensque suorum regum possedere, ultro reddunt orantque, ut caeteras Gallias, principibus suis omni destitutis humana ope, pro iure consanguinitatis relinquat ac domum absque maleficio redeat regesque, suos cognatos, uti filios amet. rector Austriacorum cum iam etiam insolentiam germanici exercitus Gothelmo et Chunrado displicere animadverteret, postulatis annuit, conditionem accepit. Veroduno in fidem accepto atque Leucorum Tullo, ad Mosam inferioremque Luthareae partem,

35 consanguinis *A u. B*

quae imperatori Carolo Calvo filioque eius, Litavico Balbo paruerat, migrat, ad se omneis optimateis, episcopos ultra Mosam incolentes venire iubet sacramentaque dicere praecipit. Cameracum itaque, Tornacum, Flandri, Brabantini, Toxandri, Hannonii iussu Litavici et Carolomani, regum Celtarum, illum accipiunt, eidem deditionem faciunt. inter haec Adolaeda, uxor Litavici Balbi, marem edidit, cui Carolo cognomen avi fecit, qui et Carolus Posthumus dictus est.

Caeterum Litavicus noster, auctus regno Lutharii integro praeter Lugdunum, quod Boso occuparat, Mogonciacum, inde Francophoron ad uxorem Litogardam frementem iurgiaque crebro ingerentem, quod non omneis Gallias ultro oblatas accepisset, sese recipit. id ubi accepere Gothelmus et Chunradus, ad reginam in Germaniam divertunt; inde cum literis in Gallias redeunt, parteis regis germanici confirmant, eum mox cum copiis adfuturum, ubi res Boiariae, quam praeripere nepos ex fratre conaretur, conposuerit, adfirmant. iisdem enim diebus Arionulphus, filius Carolomani ex concubina genitus, Landobertum aliosque plaerosque praefectos Boiorum, quos minus dicto audientes aegroto parenti esse cavillabatur, dignitate moverat, Boiaria exegerat ipsique ad Litavicum opem eius implorantes aufugerant criminabanturque Arionulphum, tanquam regnum Boiariae sibi adserere vellet. Litavicus igitur cum uxore Litogarda et filio Litavico in Boiariam, vocatus quoque a fratre Carolomano, properat. adest et Carolus frater natu minimus, rex Suevorum. ambo Utinum ad Carolomanum germanum conveniunt. Carolomanus desperata salute, cum aegritudo glisceret, ne discordia bellove post fata sua populus adtereretur, cum lingua non posset, autographo Litavico regnum Boiariae tradit, ipsi uxorem et filium conmendat Caroloque per manus dat Italiam.

Hic conparato undique milite, cum Richarda uxore in Italiam irrepere tentat per Alpes Iulias, circa quarum radices ipse Litavicus et Carolomanus germani fratres, reges Galliarum, Bosonem tum oppugnantes, officii causa obviam procedunt. Carolus salutatis nepotibus de improviso Italiam invadit, cis Padum omnia celerius opinione occupat. et ut maior authoritas foret, archimystes primarius Germaniae, Litobertus Mogontinus, iussu Litavici, et Theodomarus Iuvavensis, archiepiscopus Boiorum, mandato Carolomani cum Carolo proficiscuntur. ubi Ravennam ventum est, concilium ibi procerum Italiae cogitur. Ioannes pontifex romanus, patriarcha Foriiuliani, archiepiscopus Mediolanensis, senatores, episcopi, tetrarchae, dynastae, proceres italici

2 incolenteis *A* 15 *Am Rande in A neben* adfirmant: renunciant 25 adteretur *A u. B* 37 Foroiuliani *B*

frequentes coeunt, in verba novi principis iurant. conventu peracto Carolus cum uxore Romam proficiscitur, a Ioanne octavo pontifice maximo cum coniuge inauguratur augustusque a senatu populoque romano adclamationibus solennibus consalutatur octavo calendas Ianuarii. accepto igitur augusti cognomine in Italia habitavit. Theodomarus divum Vincentium a romano episcopo impetravit in Boiariamque Iuvaviam transtulit.

Porro Litavicus Boiariae totum regnum in deditionem accipit, alimenta sumptusque praetores fratri praebere iubet. partem Pannoniae, ubi fontes Dravi Savique amnium sunt, Arionulpho in tutelam commendat, Charini limitis ducem adpellat. Etichonem socerum suum, Suevum genere oriundum ex Aldodorypho Raveburgioque Lycatiis, occidentali Boiariae termino praeficit, ubi haud longe a fontibus Ambronis fluvii in vico eiusdem cognominis templum divo Benedicto eiusque duodecim consecraneis dicavit. Honoricus, filius eius, a sororis marito, quicquid in superiore Boiaria aureo vehiculo a prima luce ad meridiem ambiret, quasi ludo exposcit. Litavicus ratus fratrem coniugis pauperiorem esse, quam ut aureum carrum possideret, postulatis annuit. mox Honoricus plaustro rustico, in sinu quidem aureum curriculum admodum parvum gestans, unde cognomen ei adhaesit, circumvectus est a Lyco ad Ambronem, a Gelono flumine ad Alpes Peninas. arrisit Litavicus dolo et, quaecunque hisce finibus continentur, Honorico donavit. huius proles, itidem Honoricus, Hatam ex Hochovarito et Damasia oriundam uxorem ducit, ex qua divum Chunradum tulit. nam eius posteritas potita est Boiaria in superioreque Vindelicia construxere et collocupletavere coenobia: Altonis monasterium, Raedobochos, Stonogades, ubi eorum mausolea aduc ostenduntur. sed haec suo tempori reservabo.

Litavicus per duces suos Hugonem, filium Lutharii regis et Valdoradae concubinae, latrocinia in Galliis agitantem haud longe a Veroduno superat, commilitones eius trucidat, arce potitur, eam solo aequat. dumque Reginoburgii Boiorum negociis intentus est, Litavicus filius eius impubis, quem Litogarda uxor iusta peperit, de fenestra palatinarum aedium decidens, cervices fregit animamque efflavit. parentes luctu tristiciaque saturi hiematum Francophoron tendunt. deinde primo vere cum uxore Litogarda rex Boius Francorumque ad Aquas Graneas migrat. dein Gallias subacturus Clusiacum petit. obviam veniunt

13 *Ammergau* 14 — donavit *vgl. Annalista Saxo, M. G. Scr. VI, 764* 22 Beata *statt* Hata *in Hist. Welfor. Weingart., M. G. Scr. XXI, 459; vgl. auch unten Lib. VI, c. 1* 33 — proficisci iubet *vgl. Ann. Fuld., Hincmar u. Regino zu 880* 33 — efflavit *vgl. Regino zu 882.*

Gothelmus et Chunradus cum suae factionis hominibus regemque germanum cum uxore honorifice excipiunt, per Galliae occidentalis oppida vicosque Attiniacum, Hercuriacum, Ribodi montem circumducunt. tandem Litavicus et Carolomanus germani, Vestriacae Franciae reges, armati cum suae partis proceribus sese adversariis opponunt, ab ulteriore regno eos vi prohibere meditantur. at amicis connitentibus pax, quae superiore anno inter reges convenerat, redintegratur et iurandi religione sancitur. universo Luthariano regno (uti supra) Galli denuo caedunt et ad id, quod quasi mancipio dare regi Austriaco debuerunt, veluti liberales venditores solent, auctarium addidere, Attrebates nimirum atque divi Vedasti templum.

Facto itaque foedere cum nepotibus et indicto Gundolphiam conventu, Litavicus noster domum revertitur. inter redeundum in Carbonaria sylva ad Salitam fluvium, iuxta pagum regium Thimum Nordomanos cum praeda magna classem repetere conantes offendit, signo dato in latrones irruit, quinque millia trucidat. reliqui fugam capessunt ad superiorem vicum; ibi gradum sistunt, ibi se defendere atque munire parant. Hugo, filius regis naturalis, dum incautius dimicat, graviter vulneratur ab hostibusque capitur interque eorum manus animam efflat. Litavicus ratus filium vivere, receptui canit, suos ab oppugnatione, si quo pacto filium redimere queat, revocat. interim nox intercedit, conloquium et praelium dirimit nostrosque ad castra redire conpellit. noctu Dani corpora suorum, qui praelio ceciderant, flammis exurunt; ita tenebris tuti ad classem evadunt. ubi inluxit, Litavicus inter cadavera agnoscit filium, corpus eius ad Laureacum monasterium transfert.

Eodem tempore in Dania grave vulnus accepimus. Nordomani nostros fraude superarunt penitusque deleverunt, ut dici solet, a calvo ad calvum. Bruno, regulus Saxoniae, patruus Honorici primi caesaris Germaniae, Bardo frater Litogardae reginae, Theodericus, Marichardus Hyldesaemensis, episcopi, Vichomanus, Bardones duo, Theoderici duo, Gericus, Luthulfus, Folomarus, Avanus, Lutharius duces, undeviginti praefecti, quorum nomina subtexo, Aderami, Asovini, Addastae, Aedones bini, Botho, Valo, Adalovini duo, Veronardi duo, Theodericus, Aelovaritus, Arionistus, Isenothus cum valida manu in Nordomaniam ad perdomitandos toties perfidos proficiscuntur ibique castra faciunt. est Danorum regio cavernosa, mare interfluit, sed obiicibus arcetur; hos cum Cimbri reiecere admisereque undique aquam, castra aquis operta

22 diremit *A u. B*

4 — templum *vgl. Reg. zu 879* 13 — transfert *l. c.* 32 *Ann. Fuld. p. 393 haben statt* Asovini — Alfwini. *Auch sonst stimmen die Namen bei Aventin mit denen der Quelle theilweise nicht überein; mehrere sind von A. übergangen.*

sunt. nostri omnes a calvo ad calvum (uti dicitur) a minimo ad maximum undis obruti, extincti sunt, ne unus quidem, qui cladem nunciaret, evasit. mea memoria eodem stratagemate Cimbrorum regi populares sui rebellantes aliquot millia abstulere.

Per idem tempus Litavicus reversus e Gallia Francophori paschalia celebrat. Sorabes, Boiemi, caeteri transalbiani Schlavi, ubi male pugnasse Saxones audierunt, Turogorum fines invadunt, iuxta Salam flumen omnia ferro, flamma devastant. Poppo, dux limitis Sorabici, Venedos onustos praeda incautiusque velut profligato deletoque hoste ovantes, de improviso adgreditur, caedit, fundit et ad internetionem, ne nuncio quidem cladis superstite, delet.

Sub idem tempus Carolomanus rex Boiorum et Italiae 12 kalendas Aprileis, anno salutis octingentesimo super octogesimum Utini diem obit ibique sepelitur, quemadmodum eius sepulchrum extat. fuit peritus literarum, pietatis et abstinentiae atque armorum iuxta studiosus. quoties ipse quidem cum hoste conflixit, semper victor extitit. imperii sui terminos ferro plurimum prolatavit. adversus Venedos orientales. Boiariae conterminos, bella plurima sub patre per duodeviginti continenter annos feliciter gessit. omnibus bonis artibus corporis atque animi praeditus, forma fuit venusta, iusta statura, corpore robustissimo; affabilis, placidus, clemens erga supplices, saevus ac truculentus hostibus, summa facilitate atque modestia cum suis versatus est. nil popularitatis omisit, populum, plaebem omni comitatis occasione, salva tamen maiestate, tractavit. in republica administranda, magistratibus constituendis, officiis delegandis peculiarem praestitit solertiam; in his non solum principis sed et parentis adfectum exhibuit unicum; omnium laudum concordia, omnis gloriae concentus huic regi contigit. tanto tamen principi legitima soboles nata non est ob sterilitatem uxoris. ex Litovinda concubina, ex Charinis oriunda, foemina rarae nobilitatis, eximiae speciei filium tulit, cui Arionulpho nomen, sanctissimi Mediomatricum episcopi, authoris generis sui nomen dixit.

Litavicus interea, frater Carolomani, conventum in Vangionum urbe agit; Gundolphiam, uti constitutum erat, ad nepotes suos ipse quidem non venit, at legatos cum haud contemnenda manu misit. duces suos Honoricum atque Albertum adversus Hugonem, nothum Lutharii regis, Gallias latrociniis infestantem proficisci iubet. ipse contra

14 sepulcrum *A*

4 *In den Kämpfen der Ditmarschen gegen König Hans von Dänemark 1500* 13 *Ann. Fuld. und zwei Todtenbücher von St. Emmeram nennen 11. kal. April. Wahrscheinlich war jedoch erst der 22. Sept. der Todestag; s. Dümmler, Gesch. d. Ostfränk. Reichs, II, 139, Anm. 73* 36 — conditur *vgl. Ann. Fuld. u. Regin. chron. zu 881, 882; Hincmari Remens. annal. zu 882.*

Nordomanos, qui Neomagum occuparant, exercitum ducit hostesque obsidet nec praedas agere sinit; levia utrimque fuere praelia. ex nostris Eburonardus, filius Meginardi, Saxonum dynasta, captus est, quem Evesa mater aere redemit incolomemque postliminio recepit. dum ibi stativa habet rex noster, eius duces Honoricus et Albertus cum Hugonis copiis manus conserunt; acriter utrimque pugnatum est. Theodovalda tribunus militaris, ex sorore Hugonis progenitus, multis inlatis acceptisque vulneribus tandem in fugam a nostris coniectus evasit. Hugo praelio non interfuit. duces nostri victoriam, haud tamen incruentam adepti, profligatis latronibus, triumphantes Gundolphiam se ad reges Vestriacos conferunt, quo et imperator Carolus ex Italia perrexerat.

Vestriaci Austriacique coniunctis viribus cum regibus Galliae Litavico et Carolomano, cum Carolo romano imperatore adversus Bosonem Burgundiae regem arma simul movent. Matisconem urbem Burgundiae obsident vique expugnant. Veronardum, quem cum valido praesidio in ea Boso reliquerat, in ditionem accipiunt. Boso Viennam fugam capessit ibique se munit. imperator, reges Celtarum fugientis vestigiis inhaerent, simul ad Viennam armati contendunt. Boso relictis ibi Richardo fratre et filia, item uxore Irmodruda, filia Litavici augusti, consanguinea principum, territus ad cacumina Alpium inaccessa perfugit. imperator foedere iuramenti religione cum patruelibus sancito in Italiam abit.

Galli Germanique Viennam obsidione claudunt. Nordomani cum Litavico rege Germaniae paciscuntur, se nunquam de caetero regnum eius invasuros dant fidem, si rex incolomes abire abductis copiis sinat. Litavicus ex pacto Francophoron redit, exercitum dimittit. Dani incenso praetorio hostia Rheni repetunt, navibus conscensis in occidentale regnum inrumpunt, vicos, oppida, templa diripiunt, conburunt. Litavicus rex occidentalis relicto fratre Carolomano in obsidione Viennae, in Galliam belgicam secundam contra Cimbrorum incursationes properat. eidem Gundolphiae Litavicus noster obviam venit. huc quoque Hugo, adversa pugna et caede suorum fractus, accepta publica fide accessit; gratiam, veniam praeteritorum impetravit, principi germano se in clientelam dedicavit. is ipsi quasdam praefecturas et contubernia in fidem commendat. verum Hugo pravis obsequens consultoribus, fidem frangit; quamobrem a militibus nostris regno orientali in Burgundiam expulsus est. Litavicus inde germanicus in Boiariam transsitum facit, totam ibi aestatem versatur.

7 multis — vulneribus *Caes. b. G. I, 50.*

Litavicus gallicus cum Nordomanis dimicat; novem millia Danorum trucidavit potitusque tanto triumpho paulo post diem obiit. Carolomanus frater eius dimissis quibusdam in Burgundia, adversus Nordomanorum reliquias contendit, perpaucos hostium, quos fuga servavit, domum retro ferre pedem cum ignominia et dedecore, vi et armis cogit. ubi illi reparatis viribus utraque regna inundare meditantur, interim Vienna expugnatur. uxor Bosonis et filia, frater Richardus captivi ad Haeduorum urbem Augustudunum deducuntur ipsique Carolomano se dedunt. auxiliares copiae, quas rex noster miserat Carolomano, domum revertuntur.

Vix hic armorum crepitus tubaeque sonitus conticuerat, ab aquilone saevior tumultus inauspicatumque fulmen intonuit. Godofridus et Segifridus reges, Vormus et Haliso, duces Cimbrorum, mense Novembri ad hostia Rheni adpellunt; deinde Hasalon in ripa Mosae oppidum 14 millia a Rheno passuum firmissimum occupant; locum castris capiunt, validius vallo, fossa muniunt. dein finitima quaeque loca germanici regni crudeliter ferro, flamma depopulantur. Cameracum, Attrebates, Tornacum, Tarvannam, pagum Hispanicum, Morinorum, Menapiorum, Bathavorum fines, divi Valarici et Richarii contubernia, Gandavos, quicquid ad Ascaldem flumen pertinet, adterunt; Lovanium, Tungros, Traiectum, Leodium, monasterium divi Landoberti concremant; universam inde Ribuariam invadunt, Novesium, Iuliacum, Ubiorum urbem, Bonnam simili clade adficiunt, Aquas Graneas incendunt, in sacra, aedicula regia equos stabulantur. Indum, Malomundarium, Stabulum, Monasterium diripiunt, exurunt, in cineres et favillas cuncta redigunt. Arduennam post sylvam haud mitiore animo percurrunt. Prumiam, templum monachorum opulentissimum, epiphaniorum festo die inrumpunt, triduo ibi considerent, circumcirca omnia devastant, nihil intactum relinquunt. agricolae, cives, vulgus inconditum inermeque, bellandi imperitum nec disciplinae militaris expertum absque ordine, ingenti edito clamore quasi lupos venaturi in hostem irruunt, sed veluti pecudes inulti mactantur a Cimbris. fit fuga ex vicis, oppidis, coenobiis; pars in moenia firmiora se confert, pars latebras sylvarum paludumque et cacumina montium petit. monachi, sacerdotes, foeminae sacratae, qui aufugere potuerunt, Mogonciacum se conferunt, sacra secum auferunt. hostes ingenti onusti praeda, Prumia incensa ad castra revertuntur.

Nam Litavicus rex reversus ex Boiaria Francophori aegrotabat

8 Angustudunum *B* 20 Gandanos *B*

18 Morinorum — pertinet *vgl. Sigeberti chron. zu 882, M. G. Scr. VI, 343.*

contractisque undique copiis duces suos contra Nordomanos proficisci imperat, qui proxime hostes consedere. tum tercio calendas Ianuarii Mogonciaci terra intremuit; postea 15 calendas Februarii sidus crinitum visum est. tercio deinceps die Litavicus rex noster naturae concedit, anno christianae aerae octingentesimo octogesimo secundo; mox effertur ad Laureacum ibique iuxta parentem conditur.

Cap. 19. Exercitus morte regis conturbatus velut sine capite corpus tabescit atque dilabitur, quisque domum suam redit. Nordomani ubi haec cernunt, vestigiis nostrorum haerent, usque Mosellae confluentem nil intactum inviolatumque relinquunt. Mogonciaci tum trepidatum est; murus semidirutus instauratus celeriter atque refectus fossaque perducta. Dani recta Mosellae ripa ascendunt, Treverum Augustam, civibus atque incolis partim caesis partim in fugam datis, invadunt, nonis Aprilibus, qui tum dies quintus septimanae erat, quem cultores deorum Iovis vocant et nos ob vespernam novissimam Christi servatoris nostri anniversario sacro celebrem habemus, capiunt. paschalibus quietem agunt, iumenta militesque conmeatu reficiunt. posthaec urbem, omnem agrum finitimum flamma proterunt, concremant; ad Mediomatricos infesta acie contendunt. Valo, urbis pontifex, Adolardus praefectus, Berithulphus, Treverensis archiepiscopus, armati se Cimbris opponunt. primo impetu Valo occiditur; caeteri in fugam passim effunduntur.

Accessit ad hoc malum, quod Boso Burgundiam occupare, Hugo Luthaream connitebatur; ille occidentali, hic orientali Franciae inminebat; ambo pari insania praedas agebant, latrocinia exercebant, utrumque regnum infestum reddebant. iam imperator Carolus caesar augustus, filius Litavici regis Boiorum Francorumque, Litavici Pii nepos, pronepos divi Caroli Magni, audita morte fratris et hostium saevicia, ex Italia cum pluribus legionibus adventare fama iactabatur. quamobrem Nordomani coeptum deserunt iter, retrorsum vela dant, cursus iterant relictos, onusti praeda, ne palantes circumvenirentur, ad castra sua iuxta Mosam, ubi Aschilocha a Rheno 14 millia passuum distat, festinant, ibi imperatorem expectare statuunt.

At caesar certior factus est de morte fratris et incursatione hostium; crebris nunciis Germanorum Gallorumque rogatus, ultimo

10 violatumqueve *B*

7 — cecidit, *S. 621, 2, vgl. Ann. Fuld. pars V. zu 882, M. G. Script. I, 395 flgd.; Reginon. chron. zu 882: Hincmari Rem. ann. zu 882* 23 — connitebatur *vgl. Sigebert l. c. zu 882* 30 — relictos *vgl. Hor. C. I, 34.*

BSB

Aprili in Boiariae regnum metu Arionulphi, nepotis ex fratre, ex Italia movet, incolas Vindelicos, Noricos, Pannonios, Schlavos, Venedos sibi sacramenta dicere iubet. Arionulpho Charinorum ducatum, quem a fratre acceperat, in tutelam committit. eundem copias Boiorum et Venedorum, quas contra Danos duceret, contrahere seque sequi iubet. ipse calendis Maii ad conventus in urbe Vangionum agendos proficiscitur. certatim proceres, episcopi, sacrorum antistites, cives advolant, in verba imperatoris iurant et de exigendis hostibus consultant. ex Italia, Gallia, Germania, qua latissime porrigitur, undique legiones evocantur. placuit copias partiri. imperator cum Longobardis, Suevis, Francis ab occiduo sole recta Rheni fluminis ripa descendit. Arionulphus cum Boiis et Venedis adversa amnis parte arma movet, Antoniaci copias transmittit coeuntque exercitus.

Hic rursus in tria agmina vires dividuntur. Honoricus cum Franconibus, Arionulphus cum Boiis praemittuntur, diversis itineribus properant, si insidiis hostem occupare possent, praecedunt; subsequitur Carolus cum Italis et Suevis iustoque exercitu. Honoricus et Arionulphus caelerius opinione et praeter spem ad hostium castra delati, de improviso hostes adoriuntur, plaerisque occisis, caeteros in oppidum repellunt. expugnanda castra esse decernunt. at quidam Francorum proceres, auro a regibus Cimbrorum corrupti, periculosam esse oppugnationem pro concione proponunt, se adversus tantam multitudinem haud aequo Marte dimicaturos, ad imperatorem, ne ob paucitatem ab hostibus contemnantur ac denique circumveniantur, redeundum esse vociferantur. milites ab his concitati, invitis ducibus ad Carolum retro caedunt.

Imperator coniunctis copiis ad Cimbrorum munimenta infesto ac intento procedit exercitu. illico reges, duces omnis equitatus, pedites universi hostium in castra obtrusi sunt obsidioneque cincti. nec aditus nec exitus cuiquam patebat. in duodecimum diem iam circumsessio protracta fuerat, ecce tibi subito duodecimo calendas Augusti post meridiem nubila obducuntur, tenebrae castra nostratium obumbrant. tum fulgetra crebra oculos praestringere, crebra item tonitrua aures obtundere coeperunt. grando dira nec antea nostris visa, conglaciato imbre, ovi anserini instar cadit; equi adflicti, repagulis praefractis, habenis abruptis sursum deorsum recalcitrando feruntur. moenia quoque oppidi, quod circumsidebatur, corruunt, adeo ut equestris turma, nisi vallo fossaque arceretur, inrupisset. secuta est ob aestum plus solito graviorem pestilentia. ea foris et intus, extra et intra moenia in homines et iumenta iuxta saevire coepit. dira lues et cadaverum foetore gliscebat; in eodem luto et obsidentes et obsessi haesitarunt.

In eo articulo utrimque constrictis, primi hostes de pace oratores suppliciter mittunt augustusque vocato consilio mandata Godofridi et Segifridi regum Cimbrorum cognoscit, quibus mandatis potestas appellandi caesarem foedusque faciundi amicorum utriusque partis arbitrio et interim induciae ab augusto postulabantur. ea Honorico et Arionulpho et plaerisque placuere; pauci vero ferocius decernunt, scilicet ignari rerum humanarum et fortunae, qua nihil versatilius est; illae quoque fluxae et mobiles saepius in adversa mutantur et ex tranquillissimo portu. caeterum Dani impetratis omnibus fideque publica accepta, prodeunt et primo Segifridus, cuius vires validiores erant, ex oppido cum suis egreditur, ad imperatorem in castra deducitur, ibi se continuo cum omnibus imperio excessurum nec unquam de caetero eo venturum iurat; duos dies ita simul rex et maior potestas summunt. inde Segifridus cum quadraginta millibus ad naves properat finibusque orientalis Franciae excedit. porro Godofridus in verba imperatoris iurat, christianam philosophiam recipit fitque regis lustricus pater imperator Cimbroque dat in matrimonium Gisalam, patruelis sui Lutharii filiam; eandem instruit Francis auri libris bis mille atque octoginta, quod est nunc nostratis pecuniae, aureum nempe nummum millia duocenta sexaginta sex et paulo plus, ducenti nimirum atque quadraginta aureoli. insuper novus sponsus ducatu Frisiorum donatur ab augusto.

Qui hisce rebus gestis ad confluentes Mosellae atque Rheni cum exercitu redit, ubi omnes honesta missione exauthoratos domos abire iubet. Boiis revertentibus gravis pestilentia comes fuit, quae toto Boiariae regno ubique grassata est. civilem tumultum inter Turogos ac Saxonas Poppo et Egino, praefecti Turogum, concitant. Saxones superiores Marte fuerunt. imperator Borbetomagum ad conventus agendos proficiscitur. interfuere huic concilio Venedorum legati. ibi Boso, qui Burgundiam occuparat, se regem vocarat, imperatori deditionem facit et Hugo, filius Lutharii, in gratiam caesaris redit, Mediomatricum templi sacerdotibus curator datur. Hugo abbas, legatus Carolomani regis Galliae, ex pacto partem Luthareae reddi postulat. universos pacatos Carolus dimittit. Angilopyrgam augustam Romam, ubi degat regiam vitam, per Lithardum Vercellensem episcopum, magistrum epistolarum, deducit.

Interea Segifridus Nordomanus inferiorem Germaniam contra foedus incursationibus infestat. Honoricus, frater Popponis, palanteis Nordomanos praedationibusque intentos subito adgressus universos ad

7 rerum — mutantur *Sall. Iug. 104, 2* 33 & 34 *bei Hincmar zu 882, der hier Quelle:* Engilberga, Leudoardus.

internetionem cecidit. imperator soluto Borbetomagi conventu calendis Novembribus in Sueviam se recipit; ad lacum Brigantinum progreditur, Galliae, oppido Suevorum, nataleis Christi concelebrat. Hardomodum, monachorum magistrum, virum tum prudentem tum senem in aulam adsciscit, Veronardum druidibus atris praeficit. inde in Boiariam Reginoburgium se confert, paschalibus ibidem conventum cogit, quo peracto Romam contendit. Ioannes octavus, pontifex urbis, animam efflarat. Marinus a senatu populoque romano communi omnium consensu in pontificatum maximum cooptatur caesarque author fit. eisdem diebus Vido, Tusciae dux, rerum novarum postulatur, Spoletum ei dies dicitur; verum ipse sibi fuga consulit, cum Saracenis Mauritaniam incolentibus foedus icit. Berinogerion consanguineus imperatoris cum exercitu Vidonem persequitur; at peste saeviente in militem caesarianum non penitus debellare hostem atque omnibus oppidis et castellis exuere potuit. imperator ex Italia in Sueviam revertitur, inde Boiariam petit Boiosque arma in Italiam movere adversus Vidonem praecipit illique ad obsequium Vidonem coegere.

Dum haec ita fiunt, Gallia ab occiduo sole, Boiaria ab orientis ora gravissimum accepere vulnus. Vilelmius et Angilosacus vita decedunt. hi fratres, proceres Boiorum, bellicis artibus praeclari, a Litavico, rege Boiorum, parente augusti, limiti Boiorum austriaco, hoc est, Pannoniae iuxta Ptolomaeum sive Norico iuxta Romanos, quatenus ab Arrhabone flumine ad Danubium Dravumque amnes pertinet, praefecti fuerant; nec minus fortiter quam prudenter inferiorem Boiariam administrarant, Moravos, Schlavos, Venedos, Suatebogum saepius debellarant, saepius vicerant; terminos Boiorum ad Moraviam usque promoverant. et ut de Pannonia, quod ad Ptolomaei opinionem facit, explicem: etiam nunc pars Norici, quae Iuvavensi archimystae subdita est, Pannonia vulgo vocari solet. quamobrem crediderim totum eum tractum Norici usque Histrum ab Ptolomaeo Pannoniam superiorem nuncupari, de qua romani scriptores ne verbum quidem, qui regnum Noricorum usque ad Dravum amnem protelant unamque Pannoniam enumerant, quae intra Savum, Dravum Histrumque amnes contineatur. huncce ducatum imperator Carolus (ut redeam, unde evagatus sum) Ariboni Boio tradit. id permoleste Veronaro, Vezilo, Megigothus et Poppo, Boiorum ditissimi, superiorum praesidum liberi et cognati, tulerunt coepereque Aribonem missum a caesare procuratorem flocci facere minusque ei, quam par est, dicto audientes esse.

3 *St. Gallen;* — praeficit *vgl. Herim. Aug. zu 883, M. G. Scr. V, 108*
5 — Ticini cogit, *S. 624, 3, vgl. Ann. Fuld. zu 883, 884.*

Erat horum capitalis inimicus, quod a parentibus eorum crebris cladibus perdomitus, Suatebogus Moraviae regulus. cum hoc Aribo societatem facit, eidem filium dat obsidem, in auxilium eundem accersit. Suatebogus, homo callidissimus atque versutus, sub specie huiusce foederis clades sibi a Boiis iam diu inlatas ulciscendi nactus opportunitatem ad praetextum crudelitatis et vindictae, quam in Boiariae gentes exercere iam pridem concupiscebat, adversus hostes caesaris cum magno Venedorum numero in Boiariae orientalis fines ingreditur; speciosum titulum sceleri praetendit, se adversus hostes reipublicae atque augusti christianissimi arma ferre iactitat, se opitulatum ire legato principis romani divulgat. casas, villas, agros exurit, sine discrimine inimicos, amicos iuxta obterit, ferro, praedationibus universa vastat, in homines et iumenta saevit et cum magna praeda, incolomi exercitu in Moraviam redit.

Superiores dynastae conlectis copiis, connitentibus plaerisque Boiorum primoribus, Aribonem, authorem huiusce mali, ex orientali Boiariae limite vi et armis exigunt, ipsi ducatum Pannoniae, quae tum a Boiis expulsis Hunnis atque Avaribus incolebatur, usurpant. Suatebogus ceu augusto principi suo rebelles domiturus rursus arma in Boiariam movet. obviam procedunt Schlavis in aquilonari Danubii ripa, vim vi repulsuri, Veronaero et Vezilo praesides praeliumque cum Moravis conmittunt, sed a Suatebogo superantur atque capiuntur ipsisque genitalia, lingua, dextrae amputantur. conmilitones eorum vicissim leva dextraque mutilantur. deinde Moravi victores superato Histro ab Arrhabone flumine orientem versus cuncta terrarum, ubi tum Boii (uti plus millies iam dixi) habitabant, vastando percurrunt, nemine resistente rapiunt, caedunt, urunt, hominum, superum opes diripiunt. ubi satis saevitum est, domos redeunt.

Megigothus et Poppo, hisce malis coacti, cum plaerisque eum tractum incolentibus ad Arionulphum confugiunt. is tum orientalem Boiariae limitem. qua ad austrum vergit, hoc est superiorem portionem inferioris Pannoniae, ubi Savi Dravique fontes sunt, procurabat. amnes hi clari atque navigabiles in Danubium fluunt, Dravus ex Noricis violentior, Savus ex Alpibus Carnicis placidior; atque ea regio aduc summo Noricorum principi, quem archiducem vocamus, parere solet. porro Suatebogus ad Arionulphum legatos ire iubet suos et reipublicae atque caesaris, rerum domini, hostes sibi reddi poscit adigitque minis ac criminibus Arionulphum, ut is solenni ritu iuraret et religione

18 Suatebogus rursus *A* 33 clari et navigabiles *A*

iureiurandi se expiaret neque res novas moliri neque in necem augusti atque Suatebogi, quemadmodum rumore dissipabatur, conspirasse neque cum Vulgaribus, qui superiore anno imperii fines vastarint, sensisse.

Posthaec Suatebogus rursus Schlavos suos cogit, Boiariam austriacam invadit, regionem copiarum multitudine operit, adeo ut ab ortu solis ad vesperam locum quemvis datum vix praeteriret exercitus. Megigothus et Poppo cum quibusdam Pannoniam incolentibus arma corripiunt, adversus Suatebogum procedunt. dum primo impetu incautius pugnam cient, superantur, terga vertunt, armis abiectis versus Arrhabonem flumen fugam intendunt. ibi consistunt, praelium instaurant; victi Boii rursus ab hostibus in flumen acti submerguntur, Volipherus episcopus trucidatur, Megigothus et Poppo cum plaerisque Boiorum haud inulti cadunt. Beritholdi praefecti frater cum nonnullis captus est. posthaec Suatebogus atque Moravi ab Arrhabone versus eurum cuncta crudelissime depopulatur; nemini saevissimus hostis parcit; quicquid antea reliquerat intactum, obterit, colonos caedit, trucidat, servos, ancillas cum parvis liberis extinguit; greges, pecora abacta sunt. nobilitas partim caesa, partim capta, lingua, manibus, genitalibus truncata est. ita ea Boiariae sive Pannoniorum sive Noricorum pars ab Arrhabone flumine orientis oram spectans, alioquin (ut nunc quoque) raris habitata cultoribus, per tris continenter annos, imperatore aliis rebus occupato ac dissimulante, ita truculentissime adtrita, in vastam redacta est solitudinem. id, quod eius tempestatis scriptor versiculis hisce non admodum cultis summatim conpraehendit, quos libuit ad faciendam fidem subtexere:

Omne dicit Iesus fieri non stabile regnum
In se dividuum et nil dissociabile firmum.
Hinc dolus, anxietas tibi, formosissima tellus,
Hinc labor exoritur, quondam Pannonia felix,
Hinc patriae planctus et et miserabile funus.

Imperator tandem ex superiore Boiaria in Pannonias et fines orientalis Boiariae ad componendum tumultum hunc proficiscitur, ad flumen Tullinam montemque Comagenum conventum Boiorum atque Venedorum agit. ibi Suatebogo in verba sua iuranti Moraviam, tum latissimam Schlavorum tetrarchiam, conterminam Boiariae, dat in fidem. caeterum ducatum Pannoniae secundae, quae tum portio Boiariae erat et ad inferiorem partem Dravi, Savi amnium et ad Danubium perti-

12 — trucidatur *vgl. Ann. Altah. mai. zu 885, M. G. Scr. XX, 785* 30 *sic A u. B. Annal. Fuld., pars V, p. 400, woraus die Verse entnommen, haben:* planctus simul et 13 Berithodi *A u. B*

BSB

nebat, Vratizolao viro bellicoso commendat. totius vero boiarici regni curam Arionulpho, filio Carolomani, regis Boiorum et Italiae, nepoti suo, tradit et conmittit. hisce peractis in Italiam se confert, procerum et civium concilium Ticini cogit. in epiphaniorum feriis Vido superior apparet, se et omnia imperatori permittit, se a criminibus falso obiectis iuramento exolvit.

In Galliam interea Segifridus, Cimbrorum rex, qui ex orientali Francia confoederatus Carolo discesserat, impetum facit, ad Sonnam, Galliae belgicae inferioris flumen, adpellit, regnum occidentale ferro, flamma, rapinis depopulatur. Carolomanus rex, quod impar viribus nihil adversus Danorum incursationes armis proficeret, abs gente auri praedarumque cupida pacem maximoque pecuniae signatae numero cauponatur; in duodecim quoque annos argenti pondo millibus duodenis, auri quatuor et viginti inducias paciscitur. his atque pecunia acceptis Nordomani ad classem, quam in litore oceani gallici habebant, revertuntur. inter haec Carolomanus venatum proficiscitur et, dum ab apro occupatur, a stipatore opem ferre conante venabuloque incautius feram petente letali vulnere sauciatur in paucisque post diebus interiit. verum ne innocens occideretur, ab apro se percussum divulgavit.

Dani certiores facti de morte regis cursus relictos iterant, in Franciam Vestriacam redeunt, praedas agunt, aedificia conburunt. Hugo abbas, inter Sequanam et Ligerim praeses, caeteri optimates legatos ad Cimbros mittunt, foedus violatum vociferantur. ad haec Nordomani respondent, se cum rege, non cum incolis pepigisse, illo defuncto pacta soluta esse, oportere successorem pacem tantidem redimere. hanc ob rem continuo pontifices, duces, dynastae, primores Galliarum occidentalium ad imperatorem Carolum ut legitimum haeredem in Italiam frequentes abeunt deditionemque faciunt. moxque augustus rogatus vocatusque ex Italia in occidentalem Franciam transsitum facit Gallique ad Gundolphiam ipsi occurrunt, in ipsius verba iurant. ita Galliae, Germaniae, Italia quarto ac quadragesimo anno, posteaquam divisae fuerant, ad unius potestatem rediguntur. Nordomani, quod foederati erant augusto, retro caedunt domumque revertuntur.

Caesar rebus gallicis pacatis ad conventus agendos Borbetomagum in Germaniam pergit. quo dum Marinus romanus episcopus contendit et iam medium iter perfecerat, diem obiit. eadem tempestate Hugo, filius naturalis Lutharii regis, quibusdam solita vanitate spem eius

8 Somnum *B*

4 — revertuntur *vgl. Ann. Fuld. zu 885 u. Reg. chron. zu 884* 18 *12. Dez. 884*
34 — sancitur, *S. 626, 32, vgl. Ann. Fuld. u. Reg. chron. zu 885.*

BSB

inflantibus, olim agitatum scelus exequi statuit; clam a Godofrido rege Danorum, cui Gisala soror sua nupta erat, exposcit auxiliares copias, quibus avitum paternumque regnum adserat atque cum sorore et Godofrido partiatur. Godofridus igitur cum Hugone, inaudita antea facinoris societate inita, in augustum conspirat; eum tollere, eidem regnum praeripere decernit. quod cum vi atque iure non posset, fraude adsequi tentat.

Gerolphum et Gardolphum, Frisiorum primores, ad imperatorem mittit; ea postulat, quae sive negata sive concessa prorsus sibi opportuna forent. proponebat autem, se in palustribus locis atque incultis vitam abstemiam, indignam genere et meritis suis, in omni rerum penuria agere direptuique Danis vicinis et popularibus suis (quibus ob lares, sacra, mores patrios desertos invisus esset) patere; petere igitur a caesare, ut in meditullium imperii, ad loca culta, vitifera et tutiora, nempe ad confluentes Mosellaeque ripas amoenissimas, ubi more regio pro virtute sua degat, transferretur. caesar etsi fallacem gentem, semper alia cogitantem, alia simulantem bene cognitam habebat atque eum, tam impiae voci quantum nefas subesset, non lateret, tamen nunc animo temperat; si enim ea, quae petebantur, aperte negarentur, se iure desciscere posse, iam sibi Danus persuaserat. ne igitur merito, cum velit, queri ac res novas moliri Nordomanus queat, imperator legatos benigne adpellat, cuncta sibi curae fore respondet; Godofrido nunciare iubet, ut constituto die in Bathavorum insula cum paucis praesto sit; eo se missuros amicos, qui cum illo de summis utriusque rebus conloquantur ac de postulatis ex voto animique sententia, prout aequum, utrisque dignum fuerit, transsigant. posthaec imperator remotis arbitris Honoricum, militaris disciplinae praefectum, prudentem ac fortem vocat.

Deinde augustus et legatus secretum consilium ineunt; diu aliud atque aliud consilium volutant, quonam pacto externum et advenam regem in fines imperii, velut aspida in sinum soricemve in bulgam receptum, rursus abigant. cum id vi ob inaccessa paludinosaque loca haud fieri posse perspicerent, placuit fallaciam fallacia trudere et perfidum atque fraudulentum caput dolo adgredi ac tollere insidiis. caesar Eburonardum praefectum equestrem apud se exulantem, a Godofrido domo pulsum, clam in Bathaviam cum armatis proficisci iubet; ibi latitare atque tandem die dicto in curiam armis veste tectis inrumpere, fidem caesaris invocare, Godofridum accusare atque respondere con-

11 generi *A u. B* 21 quaeri *B* 24 missuros *sic A u. B* 31 soricemque ve *A u. B* 35 Ebunardum *B*

nitentem ferro adgredi praecipit. Honoricus quoque suos non catervatim, sed sparsos per Saxoniam ad Bathavos inrepere, ibi se cum armis occulere, adventum suum expectare auditoque tumultu ad se convolare ex latebris imperat. ipse cum paucis Agrippinensem Coloniam accedit secumque Billeberto, urbis archimysta, adsumpto in Bathaviam pergit.

Godofridus audito horum adventu obviam illis procedit coeuntque parteis Hoeroburgii, ubi Rhenus bicornis huc et illuc dispargitur et parte, quae vulgo Vala, a Caesare, nisi fallor, Vacalos adpellatur, insulam Bathavorum efficit. ubi primus dies usque ad vesperam sermonibus ultro citroque de imperio et regno habitis extractus est, utrique postridie reversuri diversoria quisque sua petunt. ubi inluxit altero die, Honoricus mandat episcopo, ut Gisalam, uxorem Godofridi, ex insula ad se vocet, cum ea conloquatur atque eam cohortetur, ut ipsa virum mitiget persuadeatque pacem servare, amiciciam caesaris, certa incertis praeferre. interim ipse cum Godofrido coit. cum consedisset uterque cum paucissimis amicorum, Eburonardus superior intrat, fidem augusti, rerum domini praesidisque mundi, implorat, legatum eius quiritando adpellat, Godofridi saeviciam, iniuriam sibi inlatam conmemorat. dumque hisce intentus respondere Danus parat, ab Eburonardo subito ense stricto letaliter in capite vulneratur. excitato mox strepitu ac tumultu caesariani omnes undique ex latibulis provolant; concursu facto universos Nordomanos, quos in insula inveniunt, obtruncant. sublato hoste atque inimico perniciosissimo postea ad caesarem Gunolphiam pergunt, ubi Hugo huiusce tumultus author captus, cum suis consultoribus poenas luit. imperator oculos Hugoni erui imperat, eundem in Sueviam in aedem divi Galli deportat, inde in Prumiam transfert, ubi ille decedit atque humatur.

Dum haec ad Rhenum geruntur, pax foedusque inter Arionulphum regulum Boiorum et Suatebogum Moravum in Austriaco Boiariae limite, in conventu celebri Boiorum sacramenti religione, affinitate et lustrica liberum adoptatione sancitur. Suatebogus Gisalam sororem Arionulphi uxorem duxit, filium Arionulphi ex concubina genitum lustrali die arrogat. imperator hibernatum in Boiariam se confert, Reginoburgii hiemem consumpsit.

At Nordomani caeteri audita caede suorum undecumque confluunt, duce Rollone Germaniam inferiorem invadunt, Lovanii trans Mosam castra faciunt. contra quos Honoricus cum exercitu profectus, praedas

8 Herispich *bei Regino, heute Heerwen* 9 *Caes. b. G. IV, 10* 33 filium – arrogat *vgl. Reg. zu 890* 36 — sepelitur, *S. 629, 31, vgl. Reginonis chron. u. Ann. Fuld. zu 886, 887* 36 clade *st.* caede *B*

agere gentem ferocissimam prohibet. ipsi Favonium versus iter tendunt, Luteciam Parisiorum, caput occidentalis Franciae, obsident. Honoricus iussu imperatoris dux copiarum cum utriusque regni valida manu urbi et obsessis suppetias fert.

Inter haec caesar in Italiam pergit, pontificatum maximum Hadriano tercio, a populo romano in album romanorum episcoporum inscripto, sicuti tum mos fuit, conmittit atque iure suo fit author. dumque Ticini conventus agit, paschalia ibidem celebrat, Litovarda, scribarum praefectus, episcopus Vercellensis, Romam ad causas cognoscendas litesque dirimendas pergit; decretum a romano episcopo refert, licere episcopis parochias, quas hostis alienus a religione Christi invaserit, deserere atque ad alias migrare urbeis hasque incolere.

Seditio tum atrocissima orta est Ticini inter cives praetorianosque milites. hi caesi, illi graviter vulnerati, dum metu poenae urbem relinquunt, fugam capessunt, inter fugiendum adflicti sunt. letalis quoque ambitus invidiaque, conmune malum aulicorum, inter purpuratos in apertum Martem exarsit. Litovarda, de quo iam dixi, amicorum imperatoris locupletissimus erat, omnes senatores caesaris dignitate vincebat, ab omnibus colebatur, omnes ad eum decurrebant, gratiam eius expetebant, ipsi parebant. nemo nisi per illum ad gradum amiciciae caesarianae ascendere quibat. omnes illius amici esse volebant, sed totidem, quot volebant, esse non poterant. huic Berinogerion, dux Foriiulii, bellum indicit, Vercellas capit, suppellectilem, gazam opulentissimi sacerdotis diripit.

Cumque talia in Italia fiunt, in Gallia Nordomani certiores facti, adversus se exercitus, robora Germanorum, Gallorum adventare, ante castra sua foveas crebras, unum pedem quoquo versum latas, treis altas effodiunt, virgultis ac stirpibus operiunt et quasi perterriti in castris se continent, paucissimos suorum in faucibus viarum latitare iubent. ubi Honoricus legatus imperatoris cum copiis eo pervenit, cum paucis exploratoribus speculatum castra, ubinam facillima expugnatu forent, obaequitat. qui angustias viarum insederant, prodeunt, virum sagittis cominus lacessunt. Honoricus calcar equo subdit, contempta hostium paucitate, acri impetu in eos invehitur. Dani fugam simulant, nota diverticula petunt. Honoricus studio insequendi ad scrobes trahitur; equus in foveas actus cadit excutitque ducem. Nordomani adsunt, vidente toto exercitu legatum occidunt, armis exuunt. nostri quidem opem laturi, verum sero provolant; in fugam hostibus coniectis corpore potiuntur, quod Suessonum Augustam deportatum, in templo

2 orientalis *B* 9 scribarum Litovarda praefectus *B*

divi Methardi humatur. exercitus amisso capite dilabitur, domum quisque suam revertitur.

Imperator posteaquam certior factus est de nece legati et virium suarum dissipatione, copias contrahit, ex Italia per Burgundiam in Gallias infesto intentoque exercitu contendit, Gallias percurrit, in agro Parisiorum adversus Danos castra locat. Hugo, tum dux Vestriae, Gothelinus, Parisiorum episcopus, duo fulmina belli terrorque hostium, moriuntur. in demortuorumque locum caesar Otoni Saxonia oriundo, filio ducis Ruperti a Danis occisi, ducatum in tutelam, sacerdotium Ascherico in fidem conmendat. foedus deinde cum Nordomanis, origine Danis facit traditque ipsis urbes trans Sequanam, quae ipsum nondum receperant imperataque detrectabant. Cimbri confirmata pace initaque societate cum Carolo, regionem ab imperatore condonatam invadunt, Rhotomagum occupant, caeteras urbeis in ditionem redigunt, superant, subigunt; cum coniugibus et liberis ibi sedes perpetuo mansuri capiunt. eaque Galliarum pars aduc ab ipsis Nordomania vocari solet. id factum esse reperio anno Christi 886. Rollonem ducem gentis anno postea abhinc sexto atque vicesimo Carolus posthumus, uxore illi data, cum popularibus religionem nostram amplecti persuasit, ipsum Rupertum vocavit.

Porro caesar pacata Gallia Germaniam petit, in Elisatio gravissimo capitis dolore decumbit, cui incisione mederi ob atrocissimos morbi cruciatus coactus est. recuperata sanitate in Sueviam procedit; apud Bibelicos conventus agit. ubi Berinogerion Litovardo satisfacit, delicti veniam impetrat. Irmodruda, filia imperatoris Litavici secundi, mortuo Bosone coniuge, Litavicum filium impuberem (qui postea Italiam occupavit, ab Berinogerione excaecatus est) ad augustum deducit, eidem illum conmendat. imperator liberis legitimis carebat, puerum, sobolem iustam augustorum, nepotem Litavici secundi caesaris augusti, patruelis sui, cognatum suum apud Chirichaemos, pagum Rheni, adoptat haeredemque atque successorem designat.

Sub idem tempus Litovarda, magister epistolarum, a Suevorum proceribus stupri insimulatur, quod familiarius, quam domus caesareae maiestatis postularet, cum augusta viveret; dignitate movetur, praetorio eliminatur, in Italiam abit. Richarda tanta contumelia adfecta, tam sinistro rumore aspersa, candenti ferro crimen adulterii obiectum diluit, divino beneficio rumorum temeritatem coarguit. deinde haud unquam tactam se a caesare, nedum a quopiam alio mortalium vio-

24 Litovardo *sic A u. B*

latam esse persancte deierat. misso ac remisso repudio Andelochiam, sacratarum foeminarum aedem, quam ipsa dedicavit, petit; ibi obiit et sepulta est.

Carolus posthaec rursus asperrima aegritudine adficitur; non solum corporis, verum animi quoque vigorem amisit; ingenio, mente torpescere et repuerascere coepit. dum ergo Francophori mense Novembri conventum agit, omnes subito proceres, maxime Franci, Turogi, Boii, Saxones, ne sine capite corpus imperii tabesceret, ab eo tanquam desipiente ac plane iam delirante deficiunt; connitente Hyltegarda, foemina cordata, sorore Caroli, Arionulphum, regulum Boiorum, filium Carolomani, regis Italiae atque Boiariae, ultro ad subeundam imperii molem trahunt, rebus imponunt, curam reipublicae suscipere iubent Carolumque patrueli bellum indicere parantem Suevi quoque, qui hactenus maximam habuerant apud illum authoritatem et necdum desciverant, deserunt, ad novum regem certatim, ne tarditas fraudi foret, properant.

Imperator ab omnibus desertus, ne uno quidem ministerii misericordiaeve causa remanente, triduo in summa egestate fuit; fame perisset, nisi Litopertus Mogontinus archimystes, conmiseratus versatilem rerum humanarum sortem, eum aliquot dies pavisset. nihil infirmius ac mobilius esse potentia documentum est clarissimus princeps; qui cum esset Italiae, Galliarum, Germaniarum, Rhetiarum, Vindeliciae, Noricorum Pannoniarumque rector locupletissimus, tamen in illum fortunae saevienti tantum licuit, subito de summo generis humani fastigio ad ima deiectus, obolo etiam eguit. quamquam literarum peritia, pietate in deum, liberalitate erga pauperes insignis fuit, tamen fati iniqui vim inmeritissimus sensit patienterque toleravit. nam tandem filium naturalem Veronardum supplex ad nepotem misit, se atque prolem eius fidei ac tutelae conmendavit, victum dumtaxat oravit. Arionulphus patruo Nidingam, pagum Sueviae, ubi habitaret, concedit, redditus eiusdem vici, unde victitaret, tribuit. et in paucis post diebus Carolus vita defungitur idibus Ianuarii anno ab humano genere servato octingentesimo octogesimo octavo. imperavit annos 7 dies 10. in Veneto Rheni lacu sepelitur. primus annos Christi servatoris nostri omnibus epistolis, libellis, diplomatibus addidit. posthac id usque ad nostrum aevum hactenus observatum est.

1 misso — repudio *in A über ausgestrichenem:* dato acceptoque repudii libello.

30 *Neidingen, am Fusse des Fürstenbergs in der Baar, nennt als Todesort Herimann. Augiens. zu 888, M. G. Scr. V, 109* 34 *Kloster Reichenau auf der gleichnamigen Insel im Untersee.*

Cap. 20. Porro nepos illius ex fratre Carolomano, Arionulphus caesar a Francis designatus, in Boiariam concedit, Reginoburgium conventum indicit. Francones, Turogi, Suevi, Boii, Venedi, Saxones frequentes adsunt, in verba novi principis iurant; atque ipse Arionulphus, tanta fortuna sibi de improviso data, quam maximo potest apparatu, natalem Christi paschaliaque Reginoburgii perpetrat. laetus praesenti rerum statu, rudis tantae molis, extrema imperii membra curare negligit; quae si absque cunctatione continuo in tempore, quod omnium rerum primum est, adiisset, haud dubie imperii corpus integrum servasset. dum itaque cessat et potestate accepta frui quam uti mavult, praeclarissima Europae regna, quae ante treis annos coiverant, rursus dilacerantur. Berinogerion, filius Eburonardi, Foriiuliani praesidis filius, Italiam intercipit, se regem adpellat. Ramulphus Aquitaniae sibi diadema imponit. Rudolphus, filius Chunradi, nepos Hugonis abbatis, ducis Galliae Lugdunensis, cuius saepius supra mentionem feci, superiorem Burgundiam inter Iuram montem et Alpes Cottias invadit, apud divi Mauricii oppidum, quod Rhodanus alluit, accitis proceribus et episcopis quibusdam, quos muneribus ac blandimentis pellexit, rex salutatur. Galliam Narbonensem Litavicus, Bosonis filius, ambit, Belgis inhiat Vido, filius Landoberti, ducis Spoletani. nec Luthareorum animos tres hi aviditate pares, praecibus, pollicitationibus, missis oratoribus tentare et sollicitare cessant. Oto, Franciae orientalis procurator, filius Ruperti praesidis a Nordomanis occisi, a Saxonia oriundus, a Celtis, quibus hactenus iussu imperatoris Caroli tercii praecario praesederat, Galliae Lugdunensi imponitur.

Arionulphus intellecta perfidia hominum, sero tandem Franciam petit, Francophori concilium agit; superiores tyrannos, nisi ad praescriptam diem praesto Borbetomagi sint, proscribit; eos contra rempublicam Francorum fecisse videri iudicat contractisque copiis transsito Rheno in Vangionum urbem contendit. solus Oto, Galliae celticae legatus, supplex ad Arionulphum, quod Carolus posthumus nactus annos decem, nepos imperatoris Caroli Calvi, iustus haeres superstes esset, pergit. eius sic ratio erat, sic animum induxerat suum, stultum esse bello sanguineque quaerere, quod benivolentia possis retinere. posteaquam ergo fandi potestas facta est, ‚veni', inquit, ‚maxime principum, ducatum a patruo fidei meae conmissum, nepoti reddo; nec poenitet me famae solum fecisse id, quod alii facere summopere fugitant. christianus sum, concordiam amo. Christus deus optimus maximus prohibeat nefas, ne eorum incommodo, quibus prodesse debeo, meam

1 — concelebravit, *S. 634, 17, vgl. Ann. Fuld. u. Reginonis chron. zu 888.*

comparem dignitatem. non sum tam perditus ambitione; maius est regnum fastidire, si verum fateri volumus, quam accipere. Franci occidentales, Francorum tuorum progenies, a Germania, orbis regina, quae tibi summam rerum commendavit, migrarunt in Gallias. nuper quoque Vitechundus, avus meus apud Saxonas ortus, evocatus ab imperatore Carolo Calvo, patruo tuo magno, in Galliis cum suis consedit. nunquam equidem committam, ut ob aviditatem meam nefarium bellum inter cognatos atque consanguineos concitetur populusque christianus trucidetur. si per te regnare licet, utar beneficio tuo et dabo operam, ne sim ingratus; si aliud tibi placuerit, malo pace tua, tranquillo ocio, procul a republica aulaeque strepitu perfrui quam te invito regnum, quod undique arma crudelissimorum hostium et nomini christiano infestissimorum circumfremitant, non tam possidere quam a Nordomanis obsessum vi vendicare. et regiam et privatam vitam pati didici; aequo animo opes atque inopiam iuxta fero. nimiarum opum magna iactura esse solet. tu modo vide, amicumne fidum atque cognatum an forsan quempiam advenarum hostiumve rerum gallicarum potiri malis.' Arionulphus contentus sorte, quae praeter spem oblata erat, ipsam vel Germaniam maiorem, quam ut ab uno commode regatur, ratus, Franciam occidentalem fidei tutelaeque Otonis committit, addit et Aquitaniam; ut hanc Ramulpho auferat, illam adversus Cimbros iure suo tutetur, mandat.

Et Oto, quo vicissim Arionulpho gratificaretur, sacra Galliae peculiaria surripit, Arionulpho tradit: nempe Dionysium, illum Gallorum tutelarem caelitem et quem tanti aestimant, librum auratum atque gemmatum ob honorem tanti herois (iussu imperatoris Caroli Calvi, rectoris occidentalium Francorum) aureis literis scriptum et aedi eiusdem divi amplissimae in agro Parisiorum sitae dono datum. Arionulphus haec pietatis monumenta Reginoburgii in templo divi Haemerani, tutelaris Boiorum numinis, condidit, ubi aduc monstrantur, religiose coluntur; passim coit frequens populus, vota reddit. nosque hos dies, quibus illa religionis pignora ex Gallia furto sublata et in Boiariam translata sunt, in fastos, acta retulimus et festos habemus. atque is, de quo dixi, codex, vitam et divinam philosophiam Christi, domini deique nostri, quos quatuor evangelistas vulgus nuncupat, continet. in liminari pagina imperator Carolus Calvus, rex Franciae occidentalis,

24 *Ueber die Literatur über die Translation des hl. Dionysius nach Regensburg, die Aventin grösstentheils gekannt haben wird, s. Riezler, Gesch. Baierns, I, 500, 501* 25 *flgd. über dieses jetzt unter den Kimelien der Münchener Hof- und Staatsbibliothek aufbewahrte Evangelienbuch hat Coloman Sanftl 1786 eine Dissertation veröffentlicht.*

depictus cultu regio, solio residet in alto; dextra levaque adorabundi ac supplices cornucopiae exhibent cum hisce carminibus:

Francia grata tibi, rex inclyte, munera defert,
Gothia te pariter cum regnis inchoat altis.

Circum regem haec penthametra hexametraque elegiaca scripta leguntur:

Hic residet Carolus, divino munere fultus,
Ornat quem pietas et bonitatis amor.
Hludowuic iustus erat, quo rex non iustior alter,
Qui genuit prolem hanc tribuente deo.
f. 172 Alma viro peperit Iudith de sanguine claro,
Cum genitor regnis iura dabat propriis,
Hic nomen Magni Caroli de nomine sumpsit,
Nomen et indicium, sceptra tenendo sua.
Istius imperio codex resplendet et auro,
Qui bona construxit multa favente deo.

Ad umbilicum hi versiculi sunt:

Bis quadringenti volitant et septuaginta
Anni, quo deus est virgine natus homo.
Ter denis annis Carolus regnabat et uno,
Cum codex actus illius imperio,
Hactenus undosum calamo descripsimus aequor,
Litoris ad finem nostra carina manet.
Sanguine nos uno patris matrisque creati
Atque sacerdotis servat uterque gradum.
En Beringarius, Leuthardus nomine dicti,
Quis fuerat sudor difficilisque nimis.
Hic tibi met, lector, succedant verba precantis,
Ut dicas, capiant regna beata poli.

Servantur insuper in contubernio divi Haemerani saxa quadrata, in quibus hoc epigramma literis romanis maiusculis insculptum est: I DIONYSIVS AREOPAGITA HIC | REQVIESCIT SVB ARNVLPHO | IMP ET OTONE REGE SVB | EVBVLONE ABBATE MONAS | TERII SCI DIONYSII GISALPERTVS | FVRATVS EST | QVINTO NONAS IVLII FVRTO | SVBLATVS HVC VENIT | PRIDIE NONAS DECEMBRIS | TEMPE TVTONIS EPI. |

Is Gisalobertus procerum locupletissimus fuit, ex composito sacri-

37 *Für das flgd. vgl. Translatio st. Dionysii, M. G. Scr. XI, besonders p. 367; auch Veit Arnpeck, chron. Boiar. (Pez, Thes. III, c, 128) oder dessen Quelle, den Bericht Otloh's, von dem ein Bruchstück bei Pez l. c. b, 400 gedruckt ist.*

legii condemnatus, de industria ad monasterium divi Dionysii deportatus, libenter a monachis recipitur, cum quibus frequenter bene victitans (nam et habebat, quod dabat, et dabat nemo largius) longe gratior factus est. ubi satis fidei sibi haberi videt, sumptus adfatim suppeditans, dubiam coenam, vinum studiose optimum monachis et contubernalibus omnibus monasterii regio luxu apparat, in noctem protrahit convivium; illisque omnibus vino somnoque sepultis tum Gisalopertum sacrilegium perpetrasse literis proditum est. quin etiam ostenditur diploma datum divi Haemerani mystis a Leone nono pontifice maximo qui coram oratoribus Galliae Reginoburgii in aede divi Haemerani, in re praesenti, scrinia et monumenta universa eiusdem fani perscrutatus, litem diremit, sententiam dixit, tantum caelitem e Gallia furto sublatum, imperatori Arionulpho traditum, in Boiaria Reginoburgii situm esse pronunciavit. Gallos, nisi mentiri desinant, devovet. et quid satis est, cui haec parum sunt? ego cum pertinacibus digladiari nolim; nam istis testimoniis non credere conplorata perditaque est impudentia.

Caeterum Arionulphus (inde enim ablatus sum) conposita pace cum Otone Belgas, Germanos, celticae atque belgicae Galliae incolas atque regnum Luthareum percurrit in ditionemque accipit, Vidonem in Italiam propellit. deinde adversus Rudolphum in Burgundiam arma moturus, petit Elisatium. ibi consilio cum Suevorum dynastis habito, Burgardo regulo Sueviae, ut cum popularibus Rudolphum atque Burgundionas ad obsequium ferro cogat, praecipit; ipse per Franconas in Boiariam hiematum Reginoburgium redit. porro Rudolphus Burgardo adversus se adventanti Bintroduri Suevos a finibus suis vi prohibiturus, armatus occurrit, praelium committit, sed amissis multis a Burgardo superatur, castris exuitur et cum paucis aegre ad iuga inaccessa Alpium sibi nota perfugit praeruptisque rupibus latitare coepit. verum mente meliore usus, cum sero suo periculo didicisset omnia consilio prius quam armis sapienti tentanda esse, maluit prius omnia experiri verbis quam aleam iactare et rursus armis fortunam belli lacessere; de pace ad Suevos legatos mittit, suppliciter conloquium petit. accepta igitur publica fide Reginoburgium ad Arionulphum pergit; Burgundiam ab eo in tutelam accipit sacra-

5 suppetitans *B*

9 *Eine solche Urkunde scheint nicht bekannt, wohl aber meldet Ekkehardi chron., M. G. Scr. VI, 196, dass Papst Leo in Regensburg die Echtheit der Reliquien des hl. Dionysius ‚praesentibus Parisiorum legatis' geprüft und anerkannt habe. Sollte A. eine andere Quelle als diese gehabt haben?* 25 — superatur *vgl. Herim. Aug. zu 919.*

mentumque dicit, se Arionulpho regibusque Francorum perpetuo fidem servaturum. Bertham postea, filiam Burgardi Suevi, quo firmiores res illius forent, uxorem ducit mansitque regnum Burgundionum annos centum quadraginta duos.

Perdomita Burgundia placuit Italiam adserere. Arionulphus igitur comparata valida manu per Tridentina iuga Athesinamque vallem in Italiam contendit. quod ubi nunciatum est Berigerioni, suos amicos, nobilissimum quemque officii causa obviam procedere Arionulpho iubet; foedus, amiciciam, pacem petit, se in potestate regis Francorum Germaniaeque fore pollicetur. quibus impetratis ipse Tridentum ad Arionulphum se confert deditionemque facit, iussus quotannis militibus Francis stipendium pendere rectorique germano exercitum alere; caeterum Italiam universam ab Arionulpho in fidem recepit praeter paucas urbes, quae Germaniae Boiariaeque regno addictae sunt.

Italia pacata Arionulphus Forum Iulii petit, Pannoniarum superiorem partem, quae ad Italiam vergit, Carnos, Savum, Dravum, Noricos tractus, Charionum fines perlustrans, ibidem hiemavit. apud Charionas natalem Christi concelebravit. reversus in Boiariam, Reginoburgii ver exegit. aestate prima apud Variochamos concilium cogit procerum, pontificum. Suatebogum ac Ratholdum, filios suos naturales, quos ex Helenorada tulit, reges constituit, si quidem Uta iusta uxor legitimam sibi prolem non enixa foret. eodem concilio adfuere Venedorum, Nordomanorum oratores, cum quibus foedus more maiorum renovatum est. soluto conventu caesar Reginoburgium ad hibernandum proficiscitur.

In Gallia Nordomani agro Parisiorum vastato Burgundiae terminos invadunt, sex menses Senonum urbem frustra obsident, fortiter incolis civitatem defendentibus. soluta igitur obsidione Lutetiam repetunt; inde recta Matronae fluminis ripa ascendunt, Tricassiorum urbe potiuntur, eam diripiunt, incendunt, usque Verodunum Tullumque oppida et confinia utriusque Franciae rapinis, caede, incendiis, luctu conplent, igne, ferro universa depopulantur. male tum quoque a nostris pugnatum est trans Albim adversus Schlavos. Arno Viridoburgensis episcopus inter sacrificandum caesus est. Litopertus archiepiscopus Mogontinus vita decessit. Sunderoldus literis ab ineunte aetate Fuldae institutus, a Poppone Turogorum tetrarcha educatus, ab Arionulpho ad sacerdotium trahitur, sublevatur. grando insolita, eluvies aquarum fruges, foenum corrupit, obtrivit, vias oblimavit; apud Turogos nimbus

19 Variochaemos *B*

2 — ducit *vgl. Liudprandi Antapod. II, 60; M. G. Scr. III, 299* 18 — redeo, *S. 636, 12, vgl. Ann. Fuld. u. Reginon. chron. zu 889* 25 — defendentibus *Reg. zu 888* 31 — caesus est *l. c. zu 892.*

de caelo repente cadens villas obruit, trecentos amplius homines cum pecoribus extinxit.

Eodem anno, qui fuit aerae christianae octingentesimus super undenonagesimum, vicini nostri Ugri, qui sua lingua sunt Maegari, rege Cussale, ex Scythia Sarmatiaque asiatica, ex maximo Roxalanorum ducatu, transsito Tanai in Europam Sarmatiamque Germaniae veniunt. quidam soli melioris gratia patrios reliquisse lares, alii ad exonerandam praegravantem domi regnum multitudinem, alii pulsos a finitimis ferunt; pars ab Arionulpho adversus Schlavos et Suatebogum, cuius tum imperium in Germania interiore latissimum erat, evocatos inmissosque Germaniae tradunt. utcumque sit, hae sententiae tamen minime repugnant neque sibi adversae sunt; simul omnia confieri potuere. hoc satis constat, eius gentis progenitores (sicuti periti eius regionis scriptis produnt) aduc habitare ultra Tanaim Rhaque flumen extra Sarmatiam asiaticam, in Scythia, in extremo aquilone esseque accolas oceani Scythici, maxime septentrionalis, quibus sedes nemora, alimenta pisces feraeque, vestimenta lupi, vulpes, martes, ursi sint, sub imperio principis magni Moschorum atque Roxalanorum, quos nos Massogetas atque Albos Russos adpellamus, hisque quotannis pro tributo praeciosas pelles murium, quos venantur et nos zobelos vocamus, pensitare; ubi alii Hyperboreos, montes aureos gryphas custodientes ponunt et eos, qui felicitate telluris aerisque temperie diutissime vivant, donec eos sacietas magis quam taedium vitae capiat. hoc anno, quo haec scripsimus, dynasta ille Massogetarum maximus cum sacratis Teutonum equitibus in Sarmatia sinuque Venedico considentibus cumque Alberto illorum praefecto ex Brandeburgensibus principibus oriundo foedus iniit, illis auxilia misit adversus Segimundum Bolaniae regem. diutius istuc bellum protractum est ob Boruscos a Boliis interceptos.

Sed ad Ugros redeo; qui treis annos per orientalis Germaniae Magnae, Sarmatiae utriusque fines ferocissimas nationes, vastas solitudines sylvasque palantes pererrarunt, praedando, latrocinando, venando victum quaeritarunt. quarto demum anno ab Arionulpho statas sedes impetrant. tum Daciam ultra Tibiscum amnem, quae cum Histro ad eurum vergit, invadunt. Avaros, Hunnos (quos eo submotos, propulsos esse ex Noricis, Pannoniis a Pipino Boiisque conmemoravimus) excindunt, delent, terram illorum occupant, quam aduc tenent. Ava-

7 patrias *B* 8 regum *B* 15 adcolas *A* 33 Tibiscam *B* 33 Daciam, quae ultra Tibiscum amnem .... vergit *A*

9 tradunt *Liudpr. I, 13* 16 — alimenta *Plin. VI, 34* 21 montes — custodientes *l. c. VII, 10* 24 *Bündniss des Grossfürsten von Moskau mit dem Deutschorden gegen Polen 1518.*

rorum tum atque Hunnorum gens, nomen in Europa quidem interiit. ubi Histri accolae fuerunt, partim in Dacia, partim Pannoniis Noricoque quingentos super novem annos hactenus habitarant. iidem tum Ugri Venedos quoque, qui Daciam incolentes Moraviae regulo Suatebogo parebant, magis ruina quam strage adficiunt; universam Daciam subigunt, quae aduc ab ipsis Ungaria Germaniae Magnae adpellatur. post mortem denique Arionulphi Moemaro, Suatebogo regulis Moravorum interfectis, Moraviae quoque portionem occupant et superato Danubio Boiariam invadunt. Pannonias ad Histrum pertinentes regno Boiorum auferunt. sanguinem humanum potant, qualia aptius suis locis referentur. nunc ad ordinem rerum redeo.

Primo vere subsequentis anni Arionulphus Pannoniam, tum orientalem Boiariae limitem lustrat, Omontobergomi conventum agit. adfuere legati Stephani quinti pontificis maximi senatusque populi romani oratores; orabant, ut rex Francus iure suo urbem Romam, Italiam adsereret a Saracenis et pessimis christianis liberaret Francorumque rursus imperio coniungeret. quippe Vido, filius Landoberti Spoletani ducis, repulsam in Gallia passus, in Italiam redit, urbem Romam, Ravennam, Italiam ultra Padum cum filio Landoberto Berinogerioni abstulerat. Saraceni quoque Fraxinetum in confinio Italiae Narbonensisque provinciae invaserant, utraque regna incursationibus vexabant. Arionulphus legatis respondet se non passurum, quam primum per negocia licuerit, ut se vivo terrarum dea gentiumque Roma victrixque mundi Italia Saracenis et pessimis quibusque ludibrio sit atque direptui pateat.

Snatebogo postea Moraviae regulo, quod is privato amicus fuerat et filio suo lustrico die nomen indiderat, Boiemiam quoque condonat. verum iuxta proverbium Moravus auctus regno, dum fortunae sese permittit, naturam suam dedidicit. soluto posthaec concilio istoc Arionulphus aliud solenne mense Maio more gentis apud Variochamos habet. ubi ab eo Irmodruda, Bosonis imperatoris Litavici secundi filia, cum filio Litavico Galliam Narbonensem in fidem accepit. Hugo ex Francia antiqua oriundus Arelatensi praefecturae praeficitur hocque conventu peracto Germanus praeses supplicandi gratia Constantiam, inde Venetum lacum adit. posthaec Reginoburgium in hiberna

28 *Am Rande in B:* guet macht muet.

12 — calendas Iulii, *S. 638, 7, vgl. Ann. Fuld. u. Regin. chron. zu 890, 891* 13 *Omuntesberch [wahrscheinlich Münzberg in Obersteiermark] nennen den Ort Ann. Fuldens.* 17 — abstulerat *Reg. zu* 888 20 — pateat *Liudpr. 1, 1; Sigeb. zu 891* 31 *Bei Regino zu 877 Hirmingardis.*

concedit. Amboricus, urbis episcopus, tum defungitur, Tuto in album pontificum Reginoburgensium ab Arionulpho adscribitur anno salutis octingentesimo nonagesimo primo. eiusdem anni quarto idus Augusti Reginoburgium conflagravit cum universis templis praeter duas aedes Haemerani et Cassiani.

Nordomani ab Otone, Galliarum rectore, apud Axonam flumen adflicti sunt. a Britonibus quoque duobus praeliis superati, duodecim millia hominum amisere. succenturiatis igitur copiis novoque populariorum delectu acto in orientale regnum tendunt. Segifridus quoque et Godofridus reges ex septentrionali Germaniae angulo Cimbrorum, Suionum, Danorum, Nordovicorum, Fennorum, Gotorum, Nordomanorum maximo numero conlecto (super centum millia fuisse tradunt annalium scriptores) successu suorum (qui, ut dixi, Galliae partem ab imperatore Carolo tercio extorserant) invitati, conparata classe vestigia priorum insequuntur, in Gallia belgica Germaniaque inferiore adpellunt. coniunctis deinde viribus, quibusdam ad tutandas naves relictis, ne via abeundi intercluderetur, orientalem Franciam ultra Mosam invadunt; incolae ad munita loca fugam intendunt. Nordomani propter Lovanium in ripa Thiliae amnis locum palustrem occupant, ibi copias exponunt.

Dumque talia fiunt, Suatebogus auctus Boiemia se regem adpellat, res novas molitur, Arionulpho rebellat. Arionulphus ad hunc motum conprimendum austriacum Boiariae limitem petit. Sunderoldum archimystam Mogontinum, Arionulphum, praefectum rei bellicae, adversus Cimbros cum Luthareis proficisci iubet. hique repente contractis copiis ex Germania superiore et inferiore, quae sunt in Gallia celtica et belgica, circa Leodium propter Mosam castra locant, praetoria tendunt; a traiectu amnis hostes arcere decreverant. at Dani prius traiecti, quam omnes nostratium copiae coirent, Mosam superant, relictis a tergo castris nostris ad Aquas Graneas in sylvis, paludibus et aliis locis opportunis insidias locant. in quos nostri, ut qui passim sine ordine ad exercitum festinantes conmeatum convehebant, incidunt atque cum annona intercipiuntur. quod ubi Francis nunciatum est, vocata concione, quo nam pacto aut ubi nam gentium hostibus occurrendum sit, consultant. inter haec pauci Nordomanorum adparent, nostri incomposito agmine, quo quemque irae impetus tulit, non praemissis speculatoribus, Nordomanos fugam simulantes insequuntur ad insidiarumque locum pertrahuntur. fit clamor, Cimbri undique erumpunt, pharetras more patrio gentis concutiunt; it clamor utrimque

24 Luthariis *B*

6 — adflicti sunt *vgl. Sigeb. zu 892.*

BSB

caelo, praelium conmittitur. Lutharius, quod invitus solutis ordinibus, iniquo loco pugnare cogebatur, terga vertit, passim fugit, passim more pecudum trucidatur. Sunderoldus archiepiscopus, Arionulphus dux copiarum, plaerique nobilium, vulgus promiscuum sine numero caesi sunt. hostes deinde castris, quae vino conmeatuque et opibus referta erant, potiti, ea diripiunt, captivos trucidant, occisis spolia detrahunt. accepimus hoc vulnus septimo calendas Iulii. Dani posthaec victores nemine resistente ad praedam conversi, omnem tractum inter Mosellam Rhenumque luctu conplent, Ribuarium pagum usque Bonnam vastant, Landolphiam occupant.

Sed reliquiis profligati exercitus, quae iam vires receperant, advolantibus, noctu descendunt, Prumiam tendunt; monachi diffugiunt, servicia trucidantur. inde Cimbri in Arduena sylva castellum in loco editiore conditum, quo vulgi inconditi magnus numerus confluxerat, expugnant, diripiunt interfectisque omnibus, superata Mosa ad Lovanium, ubi, ut dixi, consederant, cum ingenti praeda revertuntur. nam Arionulphus crebris literis, item nunciis certior de strage suorum factus, conposito ut cumque orientali Boiariae regno, Boios domi reliquit, Suatebogo opponit, cum Suevis et Franconibus, fidissimis semper germani principis auxiliis, infesto intentoque exercitu, quam maximis potest nocturnis et diurnis itineribus, spem summam in celeritate existimans, ad hostes contendit, quos trepidos certamenque detrectantes offendit. mox proxime eos tabernacula figere iubet animoque volutat, quo nam modo praelium conmittat. tutabatur a tergo Danos Thylia flumen, a fronte et leva dextraque lacus palustris erat nec equitatu Cimbri adiri poterant. Suevi, quod Nordomanos incredibili virtute atque exercitatione in armis esse audierant, perculsi metu perterritique superioris pugnae eventu clam dilabuntur. Arionulphus, infracti animi heros, nihilominus aut vincere aut honeste mori voluit pedestrique certamine confligere decrevit vocatoque Francorum equitatu: ‚en latrones mundi, supremae maiestatis hostes', inquit, ‚comites devotissimi, conspicite, obsecro, quemadmodum caelitus attoniti et mortis inminentis metu perterriti, velut ante lanium victimae trepident ac vix arma retineant. Christus, dominus et deus noster, scelerum ultor adest, cuius divinitatem gens impia conviciis lacessere ausa est; eius religionem polluit, sacra prophanavit, mystas occidit, templa diripuit, aras evertit, aedes diruit ac solo aequavit; venit hora; praedones, sacrilegos

35 divitatem *B*

7 — revertuntur *vgl. Reginonis chron. zu 892* 17 — missa sunt *vgl. Ann. Fuld. zu 891* 26 — audierant *Caes. b. G. I, 39.*

supremum caeli numen in has angustias constipavit, ut a nobis, militibus eius, velut in cavea depraehensi, inulti more pecudum mactentur. non parentes, cognatos, adfines, fratres, sorores, coniuges et liberos atque amicos, iniuriam nostram vindicare in animo est; contumeliam dei optimi maximi ferro nostro execratae nationis sanguine expiabimus. maiores nostri, socii proceresque pientissimi, saepenumero admodum pauci cum infinitis hostium legionibus feliciter pugnavere. paucorum fere victoria est, qui freti causae et caelo, cautiores sunt. multitudo confisa viribus suis, paucitatem adversariorum contemnens, oblita dei, incautius agens, ruinae magis quam stragi obnoxia esse solet. proinde, conmilitones optimi, spem in Christo deo optimo maximo habete, virtutem parentum aemulamini, sicut bonos ac pios decet viros; ut hactenus factitare consuevistis, fortiter agite, et quo servator noster superique caelesti auspicio nos vocant, ite; me ducem et imperatorem sequimini; ego primus hoc ense capita devota petam, ego primus aciem perrumpam.'

Hisque dictis de equo in pedes desilit; caeteri idem faciunt obsecrantque, ut ipse equo sedens se pugnantes a tergo procuret, ne quid detrimenti a tergo accipiatur. moxque alacres composito agmine a fronte et sinistra et dextra undique Danos confertissimos invadunt, contis hastisque primo sternunt, in flumen, quod, uti dixi, tergo haerebat, propellunt. hostes ira dei constipati, alius alii impedimento erat nec arcus tendere, quo volebant, quibant. deinde cominus strictis gladiis res agitur. nec ullus modus Franco caedis fuit, donec hostes caesi, fusi, in flumen praecipitati, ibi submersi, ad internecionem (ne uno quidem, qui ad classem custodienteis nuncium cladis referret, superstite) penitus deleti fuerunt. duo reges Godofridus et Segifridus cum nonaginta amplius millibus popularium caesi sunt. alveus fluminis cadaveribus oppletus sicco pede transsibatur; aqua cruore hostis infecta est. nostris omnino incruenta victoria cessit; nemo desideratus est. donum id dei fuit. quamobrem eodem in loco calendis Septembribus Arionulphus cum universo exercitu supplicatum ivit, caelesti numini grates egit, superis honorem habuit isque dies in fastos Boiariae relatus est. sexdecim signa hostibus ablata, in monumentum victoriae in Boiariam missa sunt.

Posthaec Arionulphus, ingenti onustus praeda, victorem exercitum Mogontiacum reducit, Francorum copiis dimissis. Hattonem, druidum

23 valebant *A u. B*

37 — nuncupat *vgl. Ann. Fuld. u. Reginonis chron. zu 891.*

lacum Venetum Rheni incolentium magistrum perquam callidum et prudentem, pontificem Mogontinum nuncupat. inde Sueviam in hiberna se confert, Ulmae hiemavit. hacque clade factum est, ut gens ferocissima, quae per quadraginta amplius annos continenter utrumque regnum Franciae crebris incursationibus devastavit, in posterum domi se continuerit. etenim Nordomani, qui ad naveis servandas relicti fuerant, domum aufugere. nam et illi, quos imperator Carolus tercius in Gallia conlocavit, eadem tempestate a Carolo posthumo, data in matrimonio regia puella Hunthoni, regi eorum, quem alii Rollonem vocant, pace christiana imbuti sunt. atque hunc Carolum, filium Litavici Balbi, nepotem imperatoris Caroli Calvi, hisce diebus Franci occidentales apud Rhemos, dum Oto in Aquitania adversus Ramulphum et filios eius bellum gerit, regem salutant. Folco archiepiscopus Rhemensis eundem sacro oleo inungit diuturnumque certamen his duobus de regno occidentalis Franciae fuit. uterque amiciciam crebro missis legatis et muneribus favoremque Arionulphi ambivit.

Is primo vere austriacum Boiariae limitem petit, mense Maio celebrem regni conventum apud Hengistoveltas agit. quo cum Suatebogus venire contemneret, hostis reipublicae iudicatur. interfuere eidem concilio Vratizolaus, ulterioris Bolaniae praeses, et Cusalae regis Ugrorum, qui aduc incertis sedibus in Sarmatia europea vagabantur, legati, pollicentes omnes vires suas adversus Suatebogum, si sibi quasi pro stipendio terra, quam armis occuparent, daretur. grata legatio Arionulpho fuit; statim ipse postulatis annuit et Moravos triplici exercitu invadere decrevit; Cusalae et Ugris, popularibus suis, Dacia destinatur. Vratizolaus a tergo iussus est cum Venedis suis arma inferre. Arionulphus a fronte cum Francis, Suevis, Boiis ingruit; per integrum mensem, nempe per totum Iulium Moraviam universam percurrit, cuncta incendiis, caede, rapina, luctu conplet. quicquid obvium fuit, trucidatur; fruges, agri, villae, casae, aedificia ardent; arbores pomiferae ab irato milite radicitus succiduntur. porro Cusala et Ugri longe crudelius saeviunt, utramque Daciam, citra et ultra Tibiscum, quatenus a Grano flumine cum Suevo monte Danubioque amne ad Pontum Euxinum excurrit, velut nimbus inundant, ferro viam aperiunt, colonos veteres trucidant, regionem inter se sorte dividunt ibique perpetuo mansuri domicilia locant. quae aduc Ungaria, Transsylvani, Septem Castrenses a literatoribus vulgo nuncupantur. ea loca quondam incoluere Iaziges, Getae, qui et Daci et Goti, contermini Suevis; a

33 Pontem *B*

2 — permitteret *vgl. Reg. u. Ann. Fuld. zu 892* 9 Hunthoni *Sigeb. zu 892.*

veteribus proprie Dacia, conmuni vocabulo Scythia vocatur. Getas pepulere Attila et Hunni. post mortem Attilae, Hunnis exactis Gepidas, sobolem Getarum, ibi consedisse authores sunt. Longobardi, gens Suevorum, Gepidas devicere. ubi illi in Italiam migrarunt, postea ibidem Venedi invaluere. pars quoque Hunnorum atque Avarorum a Boiis et Carolo Magno Norico et Pannoniis pulsi, ultra Tibiscum amnem armis submoti sunt haeque gentes tum dicto audientes fuere Suatebogo, Schlavorum potentissimo bellicosissimoque principi. Ugri igitur Venedos, Avaros, Hunnos Daciam incolentes delevere, Suatebogo ea loca iussu Arionulphi abstulere, ibi sedes sibi delegere. Ugris nunc Turcae inminent excidiumque quotannis minantur. ita nihil humanarum rerum certum est; ut homines, ita et regiones suus finis manet, sua fata urgent.

Suatebogus nondum satis tot cladibus perdomitus in pertinacia mansit, latebras Hercyniae petit. Vratizolaus et Arionulphus peragrata Moravia hostili animo victoresque rursus conveniunt; iussu Arionulphi Vratizolaus legatos eius ad Litomarum Vulgarum regem deducit; foedus more maiorum cum Vulgaribus ictum, in quo conprehensum est, ne rex eius gentis salem ad Moravos devehi e regno suo de caetero permitteret.

Sequenti anno Arionulphus templa orientalis Franciae supplicandi gratia conlustrat, in Vangionum urbe concilium procerum cogit. eo Carolus posthumus, quem Oto, conpositis rebus in Aquitania, et frater eius Rupertus Gallia exturbarant, venit, opem patruelis implorat oratque Arionulphum, ne se, sanguinem suum et legitimum Franciae haeredem destituat, advenae et externo ludibrio esse patiatur. ad haec Arionulphus: ‚per me‘, inquit, ‚patruelis charissime, non stabit, quo minus avitum paternumque regnum adsequare; te puero et impubere ne a Nordomanis undique urgentibus Galliae interciperentur, Otonem virum fortem et bellicosum praecario ibidem regnare permisi; si quid ab eo forte vel vi vel praece, quovis modo extorquere poteris, Luthareos, Galliae finitimos, opem ferre iubeo.‘

Carolus itaque accepto Galliae regno in fidem ab Arionulpho ab eoque auxiliaribus copiis adiutus, trans Mosam procedit, in Galliam vi inrumpere contendit. verum Oto armatus occurrit, ab aditu regni vi adversarios prohibiturus. non placuit Francis cognatas acies conmittere victricesque dextras in sua viscera convertere. idcirco dimisso utrimque milite, Oto Luteciam Parisiorum, Carolus Burgundiam petit. inter haec Angilosalicus, orientalis Boiariae praefectus, quem marchi-

20 — liberarent, *S. 642, 40, vgl. Reginonis chron. u. Ann. Fuld. zu 893* 38 marchionem Pannoniae *Her. Aug. zu 893.*

onem Pannoniae vocant, gener Arionulphi, Vilelmius, patruelis eius, Reginoburgii in celebri Boiorum conventu, quod cum Suatebogo clam senserint, munera ab eo acceperint, sententia crimine lesae maiestatis condemnantur; Angilosalico oculi exculpuntur, Vilelmius capite poenas luit. huius frater ad Moravos fuga elapsus est gentemque alioqui avidam belli concitavit.

Arionulphus ergo rursus Moraviam invadit, perfractis claustris iuxta Granum amnem montemque Suevum Cusalam regem Ugrorum in Moravos iterum inmittit. tota Moravia rursus caede, rapina, incendiis, luctu conpletur. Suatebogus sero tandem intellexit, quas vires lacessierit; coactus denique tot et tantis malis pacem supplex petit, filium Moemarum ultro dat obsidem aegreque pacem ab Arionulpho impetrat. ipse in paucis post diebus tristicia aegritudineque animi morte oppetiit. filii eius Moemarus et Suatebogus ab Arionulpho Moravis imponuntur. circa idem tempus austriaco Boiariae limiti Litovaldam, virum bellicosum, a quo cuncti principes boii genus paternum trahunt, Arionulphus praeficit.

Cusala in Daciam, quam armis subegerat, revertitur. posthac sex annis, quoad vixit Arionulphus, Ugri sibi ab incursationibus finitimorum contemperarunt seque intra terminos armis partos continuere. ubi Arionulphus obiit, superato Danubio Pannonias, quatenus Danubio cohaerent, Boiis praeripuere; quae suo tempore conmodius narrabo. Arionulphus perdomito Suatebogo, Moravis subactis, cum Ugris foedere facto, Utinum, Boiariae oppidum in Norico, Oeno conterminum, victor petit. Uta, uxor eius, ibidem habitare consueverat; ea ibidem tum puerum peperit, quem Hatto archiepiscopus Mogontinus et Adalopero, clarissimis ortus natalibus, episcopus Augustae Rhetiarum, sacro fonte lustravere eique nomen Litavici proavi fecerunt.

Eadem tempestate Berinogerion, nepos Arionulphi, cui Italiae regnum conmendarat, bis cum Vidone conflixit, bis acie victus est; quamobrem in Boiariam ad Arionulphum aufugit. Arionulphus filium Suatebogum et Berinogerionem cum exercitu in Italiam contra Vidonem proficisci iubet; ipsique usque Ticinum incolomi milite penetrarunt ibique unum et viginti dies haesere. proceres a Vidone auro corrupti certamen detrectabant. ideo nulla memorabili re gesta Berinogerion et Suatebogus inviti in Boiariam ad Arionulphum revertuntur. legati quoque Formosi pontificis maximi, senatus populique romani his diebus Utinum veniunt; eos Reginoburgii Arionulphus audivit; postulabant, ut Franci rerum domini Romam Italiamque a servitute Vidonis liberarent.

15 — praeficit *Ann. Fuld. zu 895* 29 — revertuntur *Liudpr. I, 18—22.*

Arionulphus consilio procerum habito italicam expeditionem meditatur annoque orbis servati octingentesimo nonagesimo quarto copiis contractis apud Amblicos in superiore Boiaria festos dies, quos in ultimo Ianuario celebres habemus, consummit. inde cum Suevis per iuga Tridentina in Longobardiam tendit. receptus a Veronensibus et caeteris Venetiae et finitimis urbibus, Bergomum, quod cum firmo praesidio Ambrosius, praefectus Vidonis, tenebat, intento petit exercitu. cumque portae urbis occlusae essent et nemo omnium prodiret, proxime moenia castra fieri imperat. sagittis de muro defensores deturbat, tota nocte excubias agitare suos, partito opere, cives lacessere iubet. postridie ubi inluxit, rebus divinis rite perpetratis, Bergomum diviso exercitu ab omni parte oppugnat calendis Februariis urbeque vi potitur; civibus trucidatis, eam diripiendam militi dedit. Ambrosium, urbis praesidem, cum balteo, armillis militaribus cumque cultu principali et insignibus potestatis ante portam in crucem agit.

Caeterae inde civitates metu perculsae ultro oratores mittunt; certatim obviam cum clavibus portarum procedunt, deditionem faciunt, se imperata obedienter facturos pollicentur. Arionulphus Otonem, Saxonum regulum, generum suum, ad recipiendum Mediolanum praemittit, ipse recta Ticinum pergit. Vido cum uxore Angilodruda et Landoberto filio fuga salutem quaesivit. Arionulphus itaque pulso fugatoque tyranno totam Italiam a supero ad inferum mare percurrit, cuncta in deditionem cogit. nihil tam firmum tamque munitum fuit, quod ei resistere auderet; Valdofredo levum Italiae latus, Meginofrido dextrum conmittit. inde oppidum Eporediam, Sibyllinis libris a populo romano condi iussum, in potestatem, fugato Ansogerione, eius tractus praeside, redigit.

Subacto itaque Longobardorum regno per Alpes Cottias, oppidum divi Mauricii, per Burgundiam in Franciam redit. apud Vangionas conventum agit, Suatebogum filium regem Luthareae adpellat. ibi Litavicus, filius Bosonis, cum matre Irmogarda ab caesare quasdam urbes Burgundiae impetrat. Oto quoque Galliarum rex cum amplissimis muneribus adest, Arionulphum sibi conciliat, ab eo de integro occidentalem Franciam in fidem accipit; sancitaque pace in Gallias rediit. paucis post diebus et rex Carolus Posthumus advenit; Ario-

10 partita opera *A* 19 *Am Rande in A:* Litogarda, filia imperatoris Arionulphi.

1 — revertit *vgl. Liudprand, Ant. I, 23, 24, 25, Ann. Fuld. u. Reg. zu 894, 895* 20 Angilodruda *vgl. Ann. Fuld. zu 896* 24 Valdofredo — conmittit *vgl. Herim. Aug. zu 895* 26 *Plin. III, 123* 35 *vgl. Herim. Aug. l. c.*

nulphum, eius amicos orat, ambit regnum avitum paternumque sibi a patruele ante traditum recuperare ope patruelis connititur. verum auxilium illi adversus Otonem negatum responsumque redditum est, expectanda esse suprema fata Otonis; eum (quem Franci regem sciverint, quandoquidem et summus Francorum rex author sit factus) impugnari contra rempublicam praeter aequum bonumque videri. licere Carolo, ubi velit, in Francia orientali et sub imperio patruelis suo more degere. at Suatebogus quidem, filius Arionulphi, rex Luthareorum declaratus, quasi Carolo adversus Otonem suppetias laturus, Lugdunum obsidet. Oto, qui tum in Aquitania bellum gerebat, obsessis in auxilium festinat. quod ubi Suatebogus audivit, soluta obsidione domum revertit.

Eadem tempestate Arionulphus Litogardam, amitam suam, cuius ope imperium Francorum nactus fuerat, quod connubium regnumque adfectare incusabatur, ad Chiminum lacum, Noricorum Boiariaeque maximum, in contubernium sacratarum foeminarum, ubi aduc eius sepulchrum ostenditur, relegat.

In Italia tum Vido divinitus percussus interiit. filius eius Landobertus cum matre a Constantino et Stephano, qui principes tum senatus romani erant, Romam evocatur augustusque nuncupatur. quamobrem Arionulphus, literis et nunciis aliorum Romanorum et Formosi pontificis maximi accitus, mense Octobri iterum Italiam petit. cumque ad Padum pervenisset, divisis copiis Suevos Bononia per Apeninum Florentiam adire iubet. ipse eodem ora Ligustici Tyrrhenique maris perlustrata proficiscitur. Lunae, quod primum Ethruriae oppidum, portu nobile, anniversarium sacrum ultimo Ianuario concelebrat, quos dies natales Christo domino deoque nostro habemus.

Ob crebros imbres iugesque pluvias in superando Apennino (qui mons Italiae amplissimus perpetuis iugis ad Siculum fretum tendit) Suevi nonnihil detrimenti in impedimentis suppellectileque acceperunt. in equos pestis grassata est; bobus clitellae impositae. accessit aliud incommodum. Berinogerion, nepos Arionulphi, solitus scutum ac ensem praegerere rectori Francorum atque caesari, secreto conloquio cum Alberto, Tusciae praedivite dynasta, habito conspirasse clamculum adversus Arionulphum ferebatur; nihilosecius tamen copiae Florentiae

12 *In A über durchstrichenem:* Hyltegardam. *Hildigardis heisst sie in Ann. Fuld. zu 895, p. 410, bei Regin. zu 894 u. Her. Aug. zu 895* 15 sepulcrum *A* 24 Ethuriae *A u. B* 35 Agilodruda *B*

12 — expugnat, *S. 646, 4, vgl. Ann. Fuld. u. Reg. zu 894, 895, 896* cuius — fuerat *vgl. Her. Aug. zu 895* 14 *Verwecheslung mit Irmingard, Tochter Ludwig des Deutschen? Ueber deren Grab in Chiemsee s. Mon. Boic. II, tab. VII* 25 *Plin. III, 50* 31 solitus — praegerere *Liudpr. I, 22.*

BSB

incolomes conveniunt rectaque Romam tendunt. Angilodruda et Angilobertus advenienti caesari portas urbis claudunt. ille in templo divi Pancratii supplicatione unius diei decreta perlitat; deinde concione vocata ita verba facit: ‚invicti orbis christiani proceres, meretrix impudica paucorum scelere Romam, terrarum caput, mercedem stupri tenet, pontificem maximum conmunem mundi parentem, in vinculis habet vestrasque victrices dextras scortum contemnit. agite, principes et milites optimi, more vestro facinus antehac inauditum, ne syncera pars trahatur, ad vivum ferro resecate. quae sit imbellicitas adversariorum, satis foemina imbellis, quae eis dominatur, ostendit; ipsi ne vultum quidem vestrum atque aciem oculorum, nedum arma ferre poterunt; modo expugnationem simulate et diffugient.‘ dum haec heros magnanimus loquitur, forte fortuna lepus concionantis voce excitatus, urbem versus fugam tendit. milites (uti fit) leporem sublato clamore insequuntur; qui in muro erant, se peti rati, moenia relinquunt. quod ubi conspicatus est exercitus, undique urbem adgrediuntur; pars scalas moenibus admovent in urbemque invadunt et dolabris portas effringunt; caeteri ariete crebro, ferratis vectibus moenia quatiunt ac suffodiunt. tandem vesperi urbe potiuntur. inter haec Angilodruda et Landobertus fuga elapsi sunt.

Pontifex, senatus populusque romanus a servitute muliebri liberati, frequentes nullo honoris genere praetermisso sacerdotum tribus cum sacris divina carmina laudesque superum perstrepentes, obviam caesari ad pontem Milvium procedunt, eum veluti liberatorem urbis cum triumpho in templum divi Petri deducunt, augustum adpellant imperatoremque romanum consecrant. populus deinde romanus in aede divi Pauli imperatori sacramentum dicit, quod huiuscemodi fuisse in annalibus nostris reperio: testor deum optimum maximum omnesque caelites et per divina mysteria iuro, me, quoad vivam, fore in potestate imperatoris Arionulphi caesaris augusti; haud unquam, ita me deus beet, Landoberti aut matris eius rebus studebo, nec facto nec verbo fautor aut consultor adero; per me ipsi nunquam quippiam dignitatis adipiscentur; tantum abest, ut hanc urbem ope mea rursus in servitutem redigant.

Posthaec Constantinus et Stephanus, qui principem locum in senatu obtinebant, cum Angilodruda coniurarant, ei urbem romanam prodiderant, perduellionis crimine condemnati, in vincula coniiciuntur, in Boiariam in exilium deportantur. caeteri huius conspirationis authores

10 — ferre *Caes. b. G. I, 39* 13 — adgrediuntur *Liudprand Ant. I, 27* 28 *Ann. Fuld. zu 896, p. 412; von A. frei wiedergegeben.*

capite supplicium luunt. hisce rebus confectis imperator Pharoldum quendam e suis praefectum urbis creat Romaeque relinquit. ipse quintodecimo, posteaquam eo venerat, die urbe egreditur. Spoletum oppidum, ubi Angilodrudam latitare rumor erat, obsidet, expugnat. quam cum hic non invenisset, Camerini, quo aufugerat et quod oppidum firmissimum erat, eam obsidet.

At venefica, cum vi nil proficeret, ad astum muliebrem convertitur. per Rodopyrgam, quae lineas vestes aulicis lavabat, auro corrumpit Gramanum et Curtium, praegustatores augusti; his virus pestiferum quasi poculum amatorium, quo animus Arionulphi erga Angilodrudam leniretur, tradit. id illi potioni caesaris indidere isque continuo capitis asperrimo dolore excruciatur. metuens, ne sub alieno caelo morbus latius serpens pergliscerat, relicto filio Ratholdo in Italia, genitale solum festinus repetit. Verona atque per iuga Tridentina mense Maio in Boiariam pervenit; deinde Pannoniam orientaleisque Boios lustrat. Moseburgium Vratizolao duci conmittit. inde Reginoburgium se confert.

Ibi Lazarum, episcopum Leontis imperatoris Constantinopolitani, Basilii filii legatum, audit; pax foedusque more veteri inter utrumque imperatorem sancitum est. princeps occidentalis Utini hiemat, Moravorum legatis societatem amiciciamque petentibus annuit. Maio mense Reginoburgii concilium procerum cogit, quo soluto, quod aeger erat, in Boiariae secessibus hiemare decrevit. fames eodem anno Boios adflixit; conplures inedia perierunt. augustus Iunio insequentis anni in urbem Vangionum conventum indicit, Suatebogum filium et proceres eius in gratiam redigit; propiciandi supremi numinis gratia Fuldam proficiscitur, Salsam inde praetorium petit, Venedorum, Sorabum mandata cognoscit. postea in hibernacula Reginoburgium concedit; ibi Boiemiae duces cum muneribus benigne accipit opemque ipsis, quemadmodum postularant, contra Moravos, quorum res tum validiores erant, pollicetur. totum autumnum in aquilonari Danubii ripa tum ob vires corporis recuperandas, tum ut Boiemis continuis Boiariae opem sua authoritate praesentem ferat, transsigit.

Civile tum bellum Moravos involvit, quibus duo fratres Moemarus et Suatebogus imperitabant. inter hos pravis consultoribus discordiae

2 quemdam *A* 9 Curtium *sic A u. B; vgl. S. 647, 25 u. Anm.* 14 solus *A* 7 — excruciatur *vgl. Ann. Fuld. zu 899, die jedoch nichts von Rudpurcs Stand erwähnen; dass sie Hofwäscherin war, dürfte Zuthat Aventins sein* 9 — tradit *vgl. Liudpr. l. c.* 12 — pergliscerat *Her. Aug. zu 896* — undenoningentesimo, *S. 648, 16, vgl. Ann. Fuld. zu 896—899; Reginonis chron. zu denselben Jahren.*

letalis flamma adeo exarsit, ut non solum invicem mutuis caedibus, rapinis, incendiis saevirent, verum alter alterius vitae insidiaretur. pars, q̄uibus hoc paricidiale bellum displicebat, ad fidem imperatoris confugiunt. Suatebogus quoque caesari obtemperabat, Moemarus autem imperata detrectabat. Aribo praefectus, Litovalda, progenitor principum nostrorum, austriaci dux limitis, augusti iussu arma in Moraviam movent, eos, qui dicto audientes non erant, igne, ferro perdomitant. per idem tempus Ariobertus, Boiorum dynasta, quod hostibus faveret, munera ab hiis acciperet, ab Vratizolao duce in vincula coniicitur, Litovaldae superiori traditur, cathenatus ab eodem imperatori exhibetur, qui tum hiemabat in Norico apud Ranterodoryphos Oeno conterminos, ubi nunc templum Aurelianorum mystarum est, proxime urbem Brundunum. eadem hieme Boii rursus Moravos vastant, cum ingenti praeda, incolomi exercitu domos abeunt.

Sub idem tempus in Gallia mortuo Otone Carolus Posthumus ab omnibus occidentalibus Francis recipitur. is cum copiis primum hostili animo ad Suatebogum filium augusti iuxta Mosam venit. verum amicis ultro, citro conmeantibus pax ac foedus inter duces convenit, religione iureiurandi sancitur.

Exacta hieme imperator Reginoburgium migrat, ubi Uta augusta iuramento se ab adulterii suspicione exolvit; eam insontem esse duo et septuaginta optimates iurarunt. iisdem diebus Arionulphus paralysi adfectus, aegrotare coepit erupitque tandem fama venenum illi datum, authores sceleris esse, quos supra conmemoravi. Rodopyrga et Gramanus capti, quaestionibus adacti, facinus confitentur. Curtius fuga sibi consuluit in Italiaque delituit. Gramanus Utini capitali poena plectitur. Rodopyrga apud Amblicos, vicum primae Vindeliciae, in crucem agitur.

In Moravia Moemarus Suatebogum fratrem prodente Isenorico, Boiorum purpurato, capit, in vincula coniicit, necare parat. Boii iussu imperatoris in tempore suppetias capto ferunt; urbem, ubi captivus detinebatur, expugnant, duces omnes captivos liberant, Suatebogum secum in Boiariam deducunt. imperator vero, quod adversa valitudine laborabat, navibus secundo Danubio in orientalem Boiariam devehitur, Isenoricum Mutarae (urbs est aduc Austriae) obsidet, oppido vi potitur. Isenoricus, licet fortiter repugnaret, vivus tamen in potestatem caesaris devenit. dumque Reginoburgium ducitur, negligenter custoditus, con-

25 *Zu Curtius: Ann. Fuld. sagen ohne Nennung eines Namens:* alter vero fuga lapsus. *A. dürfte durch die Flüchtigkeit seiner Excerpte (wo er etwa* tertius *geschrieben?) getäuscht worden sein.*

scientia scelerum se ad supplicium trahi ratus, fuga evasit; ad Moravos et eorum regulum Moemarum transfugit.

Eodem tempore Angilomarus, Bathaviae episcopus, diem obiit; Bichingus ab imperatore sacerdotio condonatur. is fuit primo Moravorum episcopus, quem petente Suatebogo Magno Stephanus quintus pontifex maximus consecrarat. ipsum Suatebogus non Moraviae antiquae, quam pontifex Bathavensis in rebus divinis procurabat, sed ulterioribus Schlavis imposuit, quos idem dux armis domitarat, philosophiam christianam recipere coegerat. cumque Suatebogus imperatori rebellat, Bichingus ad imperatorem aufugit atque ab eo Bathaviam accepit.

Verum in paucis diebus, quibus haec acta sunt, imperator moritur. Theodomarus Iuvavensis, archimysta Boiorum, cum conlegis suis ad gregem desertum redire iubent, classe Bathavensium episcoporum movent, Richarium in tribum pontificum Bathaviae referunt anno ab orbe ex servitute inferorum liberato undenoningentesimo. cuius anni sexto calendas Decembris imperator Arionulphus caesar augustus paterna aegritudine Utini extinguitur; ubi quidam eum apud parentem sepultum tradunt, alii eundem inde Reginoburgium translatum ferunt; ibidem quippe mausoleum eius in aede divi Haemerani monstratur et eidem quotannis eo die, quo ex hac vita migravit, parentatur et ex testamento panes pauperibus erogantur. sunt, qui Arionulphum pediculari morbo, qui phthiriasis graece vocatur, interiisse velint, qua foeditate et Sylla dictator et Alcman ex clarissimis Graeciae poetis obiere.

Posteaquam autem Arionulphus e medio excessit, saevissima armorum tempestas tranquillitatem christianam conturbavit. discors Italia, victrix quondam orbis, nunc foecunda tyrannorum externisque ob dissensiones civiles direptui patens, a pluribus misere dilacerata est tyrannis. Ratholdus, filius imperatoris, per lacum Larium in Germaniam redit. Landobertus, filius Vidonis, capto securique percusso Maeginofrido, legato caesaris, Mediolanum, Ticinum et continuas urbes invadit. Berinogerion Valofredo, itidem Arionulphi praefecto, honesta

32 Moeginofrido *B*

17 *Diem st. Virgilii = 27. Nov. nennt Andreas von Regensburg bei Eccard, Corp. hist. I, 2051* 19 *Oetting als Begräbnissort nennt Regino zu 899, Regensburg die Ann. Fuld. zu 900. Vgl. auch Dümmler, Gesch. d. ostfränk. Reichs, II, 472, Anm. 37* 22 — velint *Liudpr. I, 36; Sigeb. zu 902* 23 *Plin. XXVI, 138* 23 qua — obiere *l. c. XI, 114* 30 — occupat *vgl. Ann. Fuld. zu 896, l. c. p. 412* 33 — obiit *vgl. Liudprandi Antapodosis, I, c. 37, II, c. 33, 48; M. G. Scr. III, 284, 294, 297.*

morte defuncto, Veronam et finitima loca occupat. Albertus, locupletissimus Ethruriae princeps, Ravennam, Bononiam, Romam in potestate habuit. eius socrus Theodora, scortum nobile atque imperiosum, Romae dominabatur Ioannemque nonum, amatorem suum, Bononiensibus primo, deinde Ravennatibus, postremo Romanis imposuit primariumque sacerdotem creavit, unde fabellam ortam crediderim, quae temere vulgarit hisce temporibus fuisse sacerdotem maximam foeminam, quae adpellata sit Ioannes. Albertus, praefectus Eporediae, Alpibus, qua iter est in Narbonensem provinciam, incubabat. Saraceni item ex Africa in Campaniam, Calabriam, Apuliam iussu imperatorum Constantinopolitanorum, quibus superiores regiones rebellabant, traiiciunt, crudeliter eam Italiae partem depopulantur. nec mitiores fuere superiores tetrarchae, qui, ut dissociabile est regnum, in se, licet adfinitate coniuncti forent, saevire coeperunt. Landobertus in venatione ab Hugone filio Meginofridi trucidatur; is patris necem ulciscebatur. Berinogerion inde potentia et authoritate crevit, maxime data filia sua Gisala in matrimonium Alberto Eporediae principatum obtinenti. unde susceptus est Berinogerion, secundus et ultimus Italiae tyrannus, qui cum uxore Villa exul in Boiaria Babobergomi diem obiit.

Cap. 21. Dum talia post obitum Arionulphi in Italia geruntur, in Germania proceres, pontifices, populus Francorum anno ab orbe liberato noningentesimo apud Variochamos, oppidum Franciae Boiariaeque antiquae, conveniunt frequentes, conmuni consensu Litavicum, legitimum filium Arionulphi, septimum agentem annum, regem nuncupant. tutores eius Otonem, Saxoniae regulum, cui soror Litavici nupta erat, et Hattonem Mogontinum archiepiscopum esse iubent. rei militari Litovaldam, orientalis Boiariorum limitis ducem, parentem principum Boiariae, virum bellicosum praeficiunt. Valdoni Fruxinensi episcopo, ut regem puerum literis instituat, mandant; scribarum epistolarum magistrum Theodomarum Iuvavensem, archimystam Boiorum, constituunt.

Moxque Lutharei a Suatebogo, filio naturali Arionulphi, quod episcopos verberaret, nobilitatem, gravissimos quosque floccifaceret, scortorum, venatorum et vilissimi cuiusque tinearum soricumque arbitrio regnum administraret, ad Litavicum, orientalis Franciae regem

17 obtinente *A u. B* 27 Boiorum *A*

1 Albertus — princeps *Liudpr. I, 39* 9 Saraceni — depopulantur *l. c. II, 44?* 14 — ulciscebatur *l. c. I, 42* 20 — nuncupant *vgl. Reginonis chron. zu 900* 32 — interficitur *vgl. l. c.*

declaratum, deficiunt, certatim ad eum procurrunt, eundem armis trans Rhenum Theodoviam producunt, ubi in novi regis verba iurant. Litavicus receptis Germanis, quae sunt in Gallia belgica celticaque, in Boiariam rediit. Utini frequens habitavit. frater eius Suatebogus, impare matrimonio natus, contractis latronum et sceleratorum viribus, incendiis, depraedationibus Luthaream devastat. dum incautius iuxta Mosam cum copiis fratris Litavici confligit, a Stephano, Gerardo, Machofrido praefectis interficitur.

Creverant sub principe puero tum in Germania vicia sacerdotum. nam et romanus pontifex ob scelera male audiebat vulgo, venter et ea, quae sub ventre, illis deus erat. vino, ocio, Veneri et Cereri dediti, sacras, prophanas literas iuxta contemnebant. virgines sacratae passim incestu polluebantur. adulterio nihil conmunius erat. arrogantia, superbia, luxus, libido, avaricia, conmunia sacerdotum mala, invaluerant. levitatem illi omnem veste, incessu, armis quasi carnifices circulatoresque prae se ferebant; pauperes, pupillos, viduas compilabant. nemo hos defendebat. carmina amatoria passim cantitabantur, emere, vendere sacra pietas erat. Chunradus Haeopagus atque Gephardus Argentoratensis, vates divini, tum facundiam in vicia sacerdotum et monachorum aviditatem exercebant ac, nisi resipiscerent, flagellum dei Attilam adfore propediem praedicabant. sed nemo his recte praecipientibus admonentibusque obtemperabat. ira dei mortaleis urgebat; cum insipientissimi essent, sapientissimos se esse credebant, superstitionem religioni, umbram, rei speciem pietati praeferebant, sed mox poenas pecudes stolidissimae crudelissime dederunt, quia patri indulgentissimo bene monenti obedire detrectarunt.

Hactenus Moravia episcopis Bathavensibus, a quibus religionis nostrae rudimenta acceperat, in rebus divinis dicto audiens fuerat. mortuo autem imperatore Arionulpho Moravi, qui Moemaro parebant, Isenorico transfuga instigante ad Ioannem pontificem romanum, stupris et avaricia infamem, legatos mittunt, graviter sacerdotum boiorum mores accusant. eos cum Ugris alienis a religione Christi amiciciam foedusque iniisse; Ugros, ut Italiam invadant, ab his concitari, insuper illos per canes, lupum deierare; cum Suevis et Francis dissidere, Schlavis inimicos intolerabiles esse criminantur. pecunia denique Moravi se ab iugo episcoporum Boiariae redimunt.

9 — detrectarunt *in A u. B eingeklammert.*

18 *Konrad v. Hewen (im Hegau); vgl. Chronicon Eberspergense antiquius, M. G. Scr. XX, 10* 27 *Zum flgd. vgl. das Schreiben des bairischen Episcopats an Papst Johann bei Gewold, Chron. monast. Reichersberg., Anhang, p. 33 flgd.*

BSB

quippe Ioannes archiepiscopus, Benedictus et Daniel episcopi, oratores romani pontificis, in Moraviam proficiscuntur, Moravos a legibus mystarum Boiariae solvunt, ipsis archimystam peculiarem designant et ex una pontificali provincia quinque conficiunt, reclamantibus Boiariae sacerdotibus.

Nam Moravi hinc ansa arrepta Litavico regi rebellant, praefectis Boiorum obtemperare recusant. quamobrem Boii per Boiemiam, in conmilitium secum Boiemis adscitis, in Moraviam hostili animo transsitum faciunt; per mensem fere totam regionem ferro, flamma, caede, incendiis, rapinis foede devastant, cum praeda copiosa incolomes domos redeunt.

Hatto archiflamen Mogontinus, quinque Boiorum pontifices, quorum nomina iam infra conmemorabo, Ioanni, urbis Romae primario sacerdoti, literis conqueruntur se falso et inmeritissimos accusari a Schlavis; Ioannem facinus indignum, adversum pietati christianae et maiorum decretis conmisisse, libere et aperte multisque verbis docent. hortantur postremo, ut Moravos, mendaciorum loquacissimos, corrigat, nisi Boiorum praefectis et episcopis pareant, fulmine suo terreat. oportere primarium sacerdotem plus tribuere Boiis, qui rem romanam restituerint, quam Moravis, qui romanam maiestatem vastant et manubrio, ex facto huiuscemodi legatorum episcopi romani occupato, a rege Litavico deficere conentur. Boios tam sacratos quam populares pietatis christianae officio nulli genti secundos esse, a quibus nolint velint Schlavi, Moravi sub iugum mittentur. claudunt denique his versibus epistolam:

Alme pater mundi, dignus praenomine Petri,
Nomine, quem sequeris, utinam virtute sequaris
Sisque tuis ovibus protector verus et ipsas
Conmendes domino, caelo qui praesidet alto.

Ugri igitur septimo anno, posteaquam Daciam occuparant, ubi imperatorem Arionulphum obiisse, imperium in tot principes et inter se dissidentes dissectum, christianorum discordias vident, contempta puericia regis, cuius aetas obnoxia fraudi foret, Pannoniam, terram fertilissimam, ipsis finitimam, pecoribus pascendis opportunam, occupare statuunt. quod ut facilius feliciusque adsequerentur, Cusala rex gentis celebrem admodum suorum legationem ad Litavicum Boiosque vicinos suos mittit hisque mandat, ut diligentius cuncta, situm Boiariae, mores incolarum explorent. legati per Boiariae fines equis vecti, Regino-

7 — redeunt *vgl. Ann. Fuld. zu 900* 12 *flgd. nach den Schreiben bei Gewold, vgl. unten S. 653, 15 flgd.* 30 — agunt, *S. 654, 14, vgl. Ann. Fuld. l. c.*

burgium perveniunt, nunciare iubent regi, velle se ad eum mandata popularium suorum perferre. admissi in regiam iussique considere, foedus, quod cum Arionulpho convenerat, de integro renovari exposcunt. Ugros amiciciam Boiorum, vicinorum suorum, quorum ope statas sedes possideant, omnibus praeferre nationibus conmemorant, semper huius beneficii memores fore, insuper Moraviam se suis armis perdomituros subacturosque Boiis pollicentur. rex germanus et proceres fidem habent, pacem confirmant. Vratizolaus quoque Bolaniae ulterioris Venedorumque rector fidus nobis in hac societate conpraehenditur.

Posthaec Ugri specie societatis cum Boiis factae Moravos, hosteis Boiorum, invadunt, omnia incendiis, caede, luctu conplent, Moemarum et Suatebogum regulos praelio occidunt, Moraviae partem sibi usurpant. deinde Moravis quibusdam (quibus religio christiana sordebat et qui odio Boiorum ob antiquam simultatem tenebantur) duplici agmine Boiariae regnum (sicuti imperator Oto secundus caesar augustus in diplomate, quod dedit Pilegrimo Bathavensi episcopo, et is in epistola ad Benedictum septimum pontificem maximum data refert) invadunt. pars aquilonarem ripam Danubii usque ad Anassi hostia sibi destinat. rex Cussal alteram oram sibi deposcit. erat autem tum Boiaria latissima; a septentrione et occidente et austro (uti nunc quoque est) Francis, Boiemis, Moravis, Lyco et Suevis atque Italiae continua fuit; ab orientis ora Savo flumine claudebatur; eratque eiusdem pars Pannonia, cui Cussal, rex Ugrorum, superato Histro de improviso se superfudit Boiosque ulteriores ob foedus factum, nihil mali suspicantes, proinde imparatos adgreditur, fundit, trucidat, ducenta quinquaginta amplius millia passuum longe lateque uno die Boiariam infra Anassum depopulatur, omnia aedificia incendit vulgus inermeque caedit, nobilitatem, viros ac foeminas in servitutem redigit, captivos abducit, monachos, sacerdotes cum templis conburit, adeo ut in Boiaria orientali et Pannonia, maxima Boiorum provincia (ubi hactenus quatuor fuerint pontifices quatuorque ecclesiasticae iurisdictiones, quas tum parochias, nunc dioceseis vocant, quae archimystae Boiorum Laureacensi, episcopo Bathavensi paruerant) ne una quidem aedes sacrata relicta fuerit eaque regni Boiariae pars ad eurum vergens, inde Austria dicta, ita deserta ac in solitudinem redacta sit, ut nullum usque ad Otonem Magnum cultorem christianum habuerit. verbis utor Benedicti septimi pontificis maximi, quae ad Honoricum secundum, regulum Boiorum, scripsit.

16 *Urkunde K. Otto's II. vom 5. Oktober 977; Mon. Boic. XXVIII, a, 223; Piligrims Schreiben bei Ludewig, Script. rer. Germ. II, 365.*

BSB

Pars quoque Ugrorum Italos, quod imbelles ac dites esse audierant, petunt; ferro sibi viam aperiunt, duces limitis Charini Godofridum et Eburonardum occidunt, Gregorium Aquileiensem patriarcham in fugam vertunt, Aquileiae, Veronae agros vastant. Berinogerionem primum cum urbibus totius Italiae occurrentem superant, eius copias caedunt, ipsum in fugam vertunt; viginti amplius millia hominum uno die, milites, equites, sacerdotes, pontifices, monachos, contrucidant. inde Italiam cis Padum simili ruina involvunt. Litovardum Vercellensem pontificem, omnium locupletissimum, imperatoris Caroli tercii olim magistrum epistolarum, cum maximis thesauris fuga salutem quaerentem, in eos incidentem mox interficiunt, opibus eius potiuntur. Longobardia ita crudeliter devastata incolomes eadem via, qua venerant, ad regem revertuntur. atque ego non chronicariorum, ut ita loquar, somnia, ne dicam mendacia, sed publicam instrumentorum fidem pontificumque Boiariae sector authoritatem. servantur in bibliothecis Boiorum publicis Hattonis archiepiscopi Mogontini, Theodomari archimystae Saliburgensis, Richarii Bathavensis, Valdonis Fruxinensis, Erchinovaldae Aechostadensis, Zachariae Sabonensis (qui iam est Brixinensis) episcopi epistolae, datae ad Ioannem nonum pontificem maximum, in quibus, quae scripsi, quae ipsi praesentes senserunt, quorum maxima pars fuerunt, plus quam tragico more complorant. sed ad reliqua pergamus.

Boii citeriores ubi de strage Boiorum austriacorum certiores facti sunt, ad arma, ad arma ingeminant; pars in ripa Anassi amnis, communi impendio, non longe ab Laureaco, vetustissima atque celeberrima quondam Romanorum colonia, novum oppidum extruunt, conmuni impendio adversus Ugros fossa, vallo muniunt praesidioque firmant; Anassoburgium ab amne praeterfluente nuncupant. Segichardus, Senonum princeps, in superiore Boiaria, inter Oenum et Senonem amnes in sylva, quam Carnodunensem vocatam reperio, arcem adversus Ugrorum irruptiones, admonentibus sacris vatibus Chunrado et Gephardo (quos supra nominavi) condidit; ab apro, quem ibi invenit, Eburobergomum, quod apri montem valet et nunc in templum amplissimum atratorum druidum versum est, vocavit.

18 Aechostadiensis *B*

4 — vertunt *Liudpr. II, 9 flgd.* 8 — potiuntur *vgl. Reginon. chron. zu 901* 15 *flgd. Schreiben Hatto's von Mainz, wahrscheinlich eine Fälschung Piligrims, bei Gewold, Chron. Reichersberg., Anhang p. 20 flgd.; und Schreiben der bairischen Bischöfe ebendort, p. 33 flgd.* 28 — vocavit *vgl. Chron. Ebersperg. antiq., M. G. Scr. XX, 10* 32 *oben S. 650, 17.*

Inter haec pars primusque Litovalda praefectus militaris cum paucis, cum Richario Bathavensi episcopo, infesta acie, Ugris obviam ire, perfidiam ulcisci festinant. hoc ubi Cussal comperit, caedit, castra ad Phischam amnem infra Viennam Austriae cum principibus suis locat. at partem eius exercitus, qui ab aquilone usque ad Anassi hostia cuncta adtriverat ibique sedens pro victore se agebat, Litovalda adsecutus, de improviso inopinatos adgreditur, primo impetu mille et ducentos in Danubium agit, praecipitat atque submergit, caeteros in fugam dat, caedit, prosternit usque ad Vratizolaburgium, nunc primam Ungariae urbem. ubi traiecto Histro Cussalem victoria cum suis exultantem invadit, aciem perrumpit, turbat, regem cum maximo procerum suorum numero ad superiorem amnem Phischam interficit. nostri caesis hostibus ibi stativa aliquot dies habent, deo inmortali gratias agunt; per omnia templa Boiorum supplicatio decreta est.

Dumque Ugros rege orbatos, caede procerum fractos Boii rursus regno pellere, ad internecionem excindere meditantur, mox civilium armorum strepitus in Francia Luthareaque, quo quinque duces ablati sunt, intonat. Litavicus rex, Litovalda militaris tribunus Boiorumque proceres eo ad domesticos tumultus conprimendos proficisci coguntur. nam in Francia antiqua proceres mutuis vulneribus in se ipsos saeviebant; in Lutharea trans Rhenum incendia, rapinas, caedes agitabant.

Rudolphus Viridoburgensis episcopus et Albertus, Adolardus, Honoricus fratres, filii Honorici ducis, qui Babobergomi habitabant, discordia perniciosa digladiabantur, leviculam sane atque pudendam ob causam, nempe de claritate generis opumque magnitudine ferro decertabant. Albertus cum fratribus et Francorum valida manu adversus Rudolphum hostili animo de Babobergomo in aciem procedit. nec segniores Eburonardus et Gephardus Hassi et Chatti, fratres episcopi, germano suppetias ferunt; inruentem temere Albertum fortiter pugna excipiunt; ferro aciem perrumpunt, militem Alberti sternunt, Honoricum pugna occidunt, Adolardum vivum capiunt; is paulo post iussu Gephardi securi percutitur. Eburonardus quoque multis vulneribus in praelio confossus, inter cadavera semianimis inventus domumque a suis deportatus brevi animam efflat. Albertus, qui fuga elapsus fuerat, reparatis copiis Rudolphum Viridoburgio pellit, opes, praedia episcopi diripit, incendit, colonos interficit. Eburonardi filios oppidis, castellis

23 Babobergami *B* 27 Babobergamo *B*

11 — interficit *vgl. Ann. Ratispon. zu 902, M. G. Scr. XVII, 583; Ann. Alemannici, M. G. Scr. I, 54?* 22 — in Boiariam redit *vgl. Regin. chron. zu 897, 902, 903, 905.*

spoliat, ultra Hercyniae particulam, quae Spisonarze vocatur, relegat, omnia caede, incendiis, rapinis complet. contra haec Chunradus Hassonum praeses Fritesolariae copias equitum peditumque cogit; frater eius Gephardus in pago Franciae antiquae, quae Bederuna dicitur, adversus Albertum armatus considet. Albertus ex Babobergomo, antequam vires illi iungerent, cum suis prosilit seque Gephardum petere simulat moxque iter et arma in Chunradum convertit, eundem imparatum occupat vulneribusque multis confossum neci dedidit, tercio calendas Martii, caeteros in fugam vertit, inter fugiendum ense prosternit. inde per tres continuo dies regionem eam ferro, flamma crudelissime depopulatur, cum maxima praeda atque cum sociis posthaec Babobergomum se confert.

Sub idem tempus in Lutharea Chunradus dux Mosellanus, filii eius Gephardus et Chunradus adversus Gerardum et Machofridum pugnis decertant. Argentoratenses quoque cum Baldoramo episcopo suo dissentiunt. hisce coacti Litavicus rex et eius magister equitum Litovalda Boiorumque equites (utçunque conpositis firmatisque limitibus adversus Ugros, quos interea quieturos ob necem regis primorumque sperabant) ad conventum celebrem Triburiae (vicus est in agro Mogontino Rhenique ripa) indictum abeunt. ibi Alberto dies dictus, quo venire recusavit. Litavicus eum Therassae in agro Babobergensi circumsessione claudit. cumque obsidio longius opinione traheretur et fames urgere obsessos inciperet, Albertus ad fraudem conversus, deditionem simulare statuit; ubi soluta obsidione, periculo exemptus copiaeque, quae tam facile cogi rursus non possent, dissipatae forent, se demum omnia latrociniis, caede, flamma, ferro, igne devastaturum, adversarios perdomitaturum decernit. supplex igitur in castra venit. veniam praeteritorum orat. verum Egino, qui eius intimus fuerat, ab ipso ad Litavicum salute proposita deficit, universa consilia prodit. quamobrem Albertus conmuni optimatium sententia, manibus post terga revinctis, spectante universo exercitu, securi percutitur, quinto idus Septembris. Tharissae sepelitur; opes eius et praedia infiscantur, inter purpuratos quasi stipendia distribuuntur. fama vulgatissima est, Alberto, quod se regi conmittere metueret, ab Hattone Mogontino episcopo, impune venturum, impune reductum iri, fidem datam ambosque proinde, posteaquam ex regia egressi erant, rursusque quasi ienta-

5 Babobergamo *B* 19 Tribuariae *B* 28 verum ab Egino *B*

33 *Die folgende Erzählung wohl nach Liudprandi Antapodosis, lib. II, c. 6, M. G. Scr. III, 289.*

culum oblitos rediisse, deinde epulatos in castra venisse; ibi Albertum nec quicquam quiritantem fidemque pontificis, qui reditu iureiurando se liberatum interpraetabatur, implorantem poenas capite persolvisse. pacata Francia Litavicus in Mediomatricum urbem se confert; in frequenti procerum concilio Gerardum et Machofridum proscribit. inde Argentoratum petit; episcopum et cives in gratiam redigit hisque confectis in Boiariam redit.

Sub idem tempus Boiorum universi episcopi, praesules, nobiles, proceres, cives, quibus iter in orientale Boiariae regnum, quam Austriam vocamus, erat, ad Litavicum regem Utinum conveniunt, rapacitate publicanorum, magnitudine portoriorum vicos, civitates, colonos, sacerdotes expilari et exinaniri conqueruntur. rex benigne supplices audit, negocium cognoscit; Ariboni, austriaci limitis duci, praecipit, ut cum Boiis orientalibus a senibus diligenter inquirat, quonam pacto portoria tempore Litavici et Carolomani regum Boiariae data sint. praeterea Theodomaro archiepiscopo Saliburgensi, Burgardo Bathavensium pontifici, Odagrio praefecto negocium conmittit, sua voce hos defungi ac in rem praesentem itare mandat. fit igitur frequens conventus Boiorum Rasoveltostadii praesidentibus, quos iam numeravi, episcopis et dynasta Ariboneque limitis praefecto. quadraginta amplius nobiles iurarunt portoria ita exacta esse, sicuti hisce legibus, quas tum tulere, conpraehenditur:

Merces, naves inprofessae publicae sunto. navis, quae ab occidentali regno venit, posteaquam sylvam Bathavensem praetergressa est sive Rosodoryphi sive alibi venundandi gratia adpellitur, semidrachmam, hoc est unum scutatum pendat; si infra Linzium tendit, semimodios tres, hoc est tres scaphulas salis solvat; copia postea sit cuique quolibet versus Boiemiam distrahendi gratia vehi. de mancipiis caeterisque rebus nihil penditur. Boius domum salem transvehens nil pendit. Boii, Schlavi bobus, caballis, clitellis, ut victum emant, conmeantes, inmunes sunt. naves Tranorum nil praestant. carri, clitellarii, qui Anassum transeunt, scaphulam praebent. Venedi, qui de Rugiis, Boiemis mercandi gratia veniunt, de clitella unum scutatum tribuunt, de mancipio, caballis venditis saicam unam. Venedi vero in Boiaria incolentes, ementes, vendentes nil tribuunt. naves salinariae sylvam Bathavensem egressae nil pendant, donec ad Eburonobergomum veniant; si quis ad Moraviam navigat, de nave solidum

27 *Zweimal* tris *A*

8 — pendant vectigal, *S. 657, 2, vgl. Leges portorii, M. G. Leg. III, 480 flgd.*

solvat. mercatores, Iudaei, undecunque sint, de rebus et mancipiis iustum pendant vectigal.

Dum autem talia in Francia et Lutharia et Boiaria fiunt, Ugri duos reges, Durosacum et Bugothum creant, Pannonias ante in vastam solitudinem Danubio tenus redactas occupant, eas Boiis auferunt, ubi colonias Ugrorum deducunt. ipsaque Pannonia toties mutatis cultoribus saepenumero variis est adpellata nominibus. a graecis et latinis rerum authoribus Pannonia ultra Dravum, citra vero a Romanis Noricum, Ptolomaeo superior Pannonia nuncupatur. eadem Gallograecia quondam dicta a Scordiscis, Boiis et caeteris Gallis (hoc est Teutonibus), reliquiis Boiorum ex Italia pulsorum et Brenni, quae ex Graecia ducibus Euridano et Thessalono eo conmigrarunt. post Gotos ab Hunnis ex Dacia pulsos et mortem Attilae Goti et Rugi hanc tenuere regionem, quocirca Gothia et Rugilandia moxque Longobardia, hinc Hunnia atque Avaria, postremo denique Venedia et Boiaria, sicuti ante Iulium Caesarem erat, fuit. nunc est sexcentos et viginti ferme annos Ungaria. parum abest, quin et nostro aevo Turcia tandem fiat; et eveniet (ea est ignavia nostra), nisi quid deus prospiciat. sed ad rem redeo.

Litavicus, rex Germaniae atque Boiorum, ex omni Boiaria peracto delectu Anassoburgium, novam Boiorum coloniam, se confert. adsunt episcopi, monachorum antistites, proceres Boiorum, quinto decimo calendas Iulii, anno christianae salutis noningentesimo super septimum. ibi decretum omnium sententia Ugros Boiariae regno eliminandos esse. vires igitur ex universis Boiariae provinciis, ex Nariscis, Boethis, Chamabis, Vindelicis, Noricis, Vennonibus, Athesinis, Stiriis, Venedis, Charinis, Carnis contrahuntur; bellum Ugris indicitur, intento infestoque exercitu utraque Danubii ripa proceres Boiorum in hostes contendunt. Litavicus cum Burgardo Bathavensi episcopo, Aribone praefecto Anassoburgii substitit. belli deinde periti omnes copias in tria agmina

29 Burchardo *B* Arabone *B*

4 *Dursac et Bugat bei Liudprand, II, c. 61* 11 — conmigrarunt *Justin. 24, 6, 7* 20 — super septimum *vgl. die Urk. für St. Florian v. 17. Juni 907, Mon. Boic. XXXI, a, 176* 24 *In seinen kürzeren Annal. duc. Bavar. beruft sich A. für die Ungarnkämpfe v. 907 auf* ‚Ungarici annales' *[etwa dieselbe mit der ungarischen Chronik von 1358 verwandte Quelle, deren Benützung im 5. Buche der Annales deutlich hervortritt?]*; Annales Menosaei *[von Mondsee. In seinen Adversarien, t. I, f. 6 v. flgd. hat A. Annales excerpirt, ‚quos in cenobio Menosenensi invenit', und welche im wesentlichen mit dem uns als Annal. st. Rudberti Salisburg. bekannten Werke übereinstimmen; auch zu 907 findet sich dort fol. 9 v wörtlich dieselbe kurze Angabe wie in den Salzburger Annalen, M. G. Scr. IX, 771]*; Annales Maticenses *[von Mattsee; in ihrem älteren Theile wohl ebenfalls mit den Salzburger Annalen zusammenfallend]*; Georgius episcopus Chymensis *[Georg Altdorfer † 1495]*.

partiuntur. Litovalda, austriaci limitis dux, ripa aquilonari, meridionali vero in parte Theodomarus archimysta Iuvavensis, Zacharias Sabonensis, Oto Fruxinensis cum captorum praesulibus Gundovalda, Hartovico, Helenoberto Vratizolaum usque procedunt ibique castra faciunt. eodem in Danubio navibus copias Sigardus, Senonum princeps, cognatus regis, Ratholdus, Hathochus, Meginovardus et Isenogrimus, dynastae Boiorum, perducunt.

Nec Ugri segniciei atque socordiae, ubi se tantis apparatibus peti vident, se dedunt. cuncta antea, quae necessaria forent, arma, viros, equos compararant iamque non pro gloria sed salute pugnaturi, acriter resistunt. interim aliquot equites caeteras Boiorum legiones lacessere iubent. regesque utrique infinito equitatu, quo plurimum tum valebant, agmen episcoporum incessunt, quasi perrupturi aciem pernicibus equis magna vi impetunt, ingentem sagittarum imbrem infundunt, Boios spiculis, quae corneis arcubus iaculabantur, obruunt rursusque caedunt. velociores erant quam exercitus noster gravi armatura instructus. rursus, cum procul abesse credebantur, aderant; eadem velocitate et sequebantur et fugiebant. dum te vicisse putaras, in discrimine maximo eras. eminus sagitta Ugri inimicos petebant. nec enim aperto Marte, pedestri praelio, acie congredi, ense cominus pugnare, urbes obsidere, oppida oppugnare, castella expugnare tum noverant; sed nunc caedendo, nunc urgendo insidiisque dimicare soliti erant. et tantus in illis dolus, tanta velocitas, tanta peritia militiae inerat, ut absentes an praesentes, fugitantes an instantes, pacem simulantes an bellum gerentes perniciosiores essent, in incerto haberetur. dum igitur vasto impetu advolant, eadem rursus vi evolant; nunc fugam simulant, rursus verso equo instant; utroque modo spicula spargunt, tela ingerunt, dextra, leva, a fronte, a tergo incursant; nostros defatigant; tandem undique ingruunt, undique Boios fessos invadunt, superant, sternunt, caedunt, quinto idus Augusti noctuque clamculum Danubium tranant, Litovaldam, legatum Litavici, Isenogrimum, epularum magistrum, cum omnibus copiis, cum quindecim dynastis in castris trucidant. postridie, hoc est tercio idus Augusti, eos, qui ad naves erant, facile absque labore, metu perterritos, simili strage adficiunt.

Tris dies continenter irato caelo pugnatum. maxima pars nobilitatis Boiariae perit, vulgus promiscuum sine numero occisum. Litovalda, dux orientalis Boiariae, author generis regulorum Boiariae

8 secordiae *B* 35 Tres *B*

14 *Schilderung der ungarischen Kampfweise besonders nach Regino zu 889; Liudprand Ant. II, c. 4; Chron. Ebersperg. poster., c. 11, 16, M. G. Scr. XXV, 868, 869?*

praefectorumque praetorio Rheni, cum tribus episcopis, cum tribus monachorum magistris, cum undeviginti Boiorum dynastis, quorum haec sunt nomina, caesus est: Pilegrimus, Theodovalda, Hebbo, Isenogrimus, Hathochus, Bero, Rudomundus, Litofridus, Valtherus, Ariebertus, Babo, Iringus, Gundovalda, Isenogrimus, Hathochus, Meginovaritus Ratholdus, Isenogrimus, Albertus. Litovaldam hunc, nostrorum principum progenitorem, Nariscum Boethumque, ex prosapia imperatorum et regum nostrorum oriundum esse, in diplomatibus vetustis reperio. nam ipsum Litavicus rex inlustrem comitem et dilectum propinquum suum adpellat. conditum ferunt cum uxore Adolaeda, filia Otonis Saxonici, sorore Honorici primi, caesaris Germaniae, Melici, quod contubernium divi Benedicti est in Austria. reliquit duos filios, Arionulphum et Beritholdum, qui regno Boiariae potiti sunt. nec quicquam ultra de paternis Litovaldae maioribus, quo gradu contingat familiam Caroli Magni, ego quidem hactenus reperi, licet accurate vestigarim. in bibliothecis Nariscorum, Boethorum, Babobergensium, ubi ortus fuit, amplius quaerendum censeo. perpauci (ut revertar ad id, unde evagatus sum), quos fuga servavit, ad Litavicum Anassoburgium perveniunt. Aribo in demortui Litovaldae locum substituitur.

Ugri tanta perpetrata caede, potiti castris et praeda, fugientium vestigia insequuntur. ad quos coercendos Litavicus vires exercitus dissipati colligit recentesque copias, quas secum retinuerat, ignarus insidiarum, quas hostis paraverat, educit. nam Ugri in sylvis, quae erant forte campo iunctae, suos condiderant. ubi in conspectu uterque exercitus fuit, hostis fugam simulat. nostri avidius inconposito agmine solutisque ordinibus insequuntur, ad insidias perducuntur. ubi praetergressi sunt sylvam, qui in ea latitabant, ex improviso terga nostrorum cum clamore adoriuntur. qui ante fugerant, gradum sistunt, fortiter repugnant. Boii a tergo, a fronte undique circumventi interimuntur. Litavicus rex Bathaviam aufugit. quidam similitudine nominum, quae una dumtaxat literula distant, decepti, hanc cladem Boios accepisse tradunt ad Augustam Rhetiae, quae Teutonum sermone Ausburg, ut Anassoburgium Ansburg nuncupatur.

Ugri bis triumphatores, tanto rerum successu elati, nondum sanguine humano satiati, totam Boiariam caede, rapina, incendiis, luctu, cadaveribus complent; urbes quidem, oppida, arces, loca munita decli-

4 Hathechus *B* Aroebertus *B* 33 Anassaburgium *B*

6 *Zu dem Berichte über die Schlacht und zu den Namen der Gefallenen vgl. auch Dümmler, Ostfränk. Reich, II, 545; Riezler, Gesch. Baierns, I, 257* 10 *U. a. 903, Mon. Boic. XXVIII, a, 128* 11 *Diess beruht auf Verwechselung mit dem Babenberger Liutpold, Markgrafen der Ostmark* 20 — aufugit *Quelle?*

nant, quippe vi oppugnare, expugnare, obsidere aduc ipsis res incognita erat. monasteria, conlegia, virgines sanctas, viros sacratos, quod hos inermes esse, auro, argento, gemmis, vestibus sericatis praeciosae artis, signis aureis, argenteis, pecunia abundare acceperant, maxime petunt. monachi, sacerdotes partim capti et trucidati, partim igne excocti sunt, pars aufugit. primo itaque hostes infra Anassum templum divi Floriani divique Hippolyti diripiunt, conburunt; nihil intactum relinquunt; latebras omnes perscrutantur, colonos occidunt.

Fit fuga; christiani ira dei attoniti, metu perculsi, desertis vicis, oppidis, pagis ad Iuvaviam, Bathaviam, Reginoburgium, pars ad Alpes et ad latibula sylvarum, paludum, viligines, cacumina montium ad munitaque loca aufugiunt. nemo nisi in tutissimis locis Ugrorum praestolatur adventum. qui ut maiorem terrorem sui mortalibus vulgoque incuterent, sanguinem occisorum potant, supra cadavera epulantur, alvum excindunt, intestina scrutantur, corda particulatim dissecant atque quasi efficax remedium devorant; nulla clementia, nulla misericordia, caede et sanguine gaudentes, moventur. eadem ferocitas foeminis inerat. tot servicia post fata in alio mundo contingere, quot hosteis hic mactassent, credebant.

Vastatis Boiariae finibus infra Anassum amnem equis (ut Turcarum mos et Scytharum esse fertur) tranant. Matichoviae praetorium, Mateseum templum mystarum incendunt, diripiunt. inde nemine omnino resistente Utinum petunt, ibi urbem regiam et monachorum aedem in cinerem et favillas redigunt. cives, monachi, sacerdotes cum sacris, brachio divi Philippi, legati Christi, divo Maximiliano et aliis divorum pignoribus Bathaviam aufugiunt eaque in pariete inter duas pyramidas condunt, quae Friderico secundo imperante, pariete vetustate conlapso atque refecto, primum prodita atque reperta sunt. posthaec Ugri Chiminum lacum adfligunt, Oeno superato ad Tigurinos, quod ibi locupletissimos degere monachos a perfugis certiores fiebant, contendunt; templum solo aequant. Silurnos eadem ruina involvunt, deinde Isaram traiiciunt, Scapholariam, Buros, Cochiliam, Silechodoryphos, Staphilios invadunt; foeminae sacratae, virginum maximae, capti magistri contuberniorum diffugiunt. Ugri spoliatis sacris aedibus, igne aedificiis inmisso Pollionas, Damasiam, Vessobrunnam, ubi septem sacerdotes depraehensos excruciant, adoriuntur, conburunt. nec mitiorem

11 viligines *sic A u. B*

1 *Vgl. Reg. zu 889, p. 600, Z. 33. Die flgd. Schilderung der Verheerungen durch die Ungarn beruht wohl nur auf Schlüssen aus dem Verfalle der genannten Klöster; nur die Nachricht über Wessobrunn, Z. 35, deutet auf eine uns unbekannte Quelle* 13 — inerat *vgl. Reg. zu 889.*

fortunam Sandunum, Siverostadium, Therabetha, Lycatiorum monasteria, sensere; et haec ab Ugris excisa eversaque sunt. inde hostes peragrata superiore Vindelicia Fruxinum et ad inferiorem Boiariam tendunt, Monachorum monasterium haud longe a patria mea destruunt rectaque Danubii ripa ad Abudiacum perveniunt, captivorum numerum maximum veluti pecorum gregem ante se abigunt. pueros, puellas, mulieres capillis colligarant.

Boii rursus aleam belli tentare statuunt; iuxta Legioveltas vicum viam prohibituri praedamque excussuri, armatos se opponunt, sed vincuntur, funduntur, sternuntur ab Ugris. qui exusto Reginoburgio novo nondum moenibus cincto (nam eam urbem imperator Arionulphus, sicut ipse in quodam diplomate refert, ampliavit) Austeraviam, ubi monasterium, aedes palatinae mausoleumque regulorum Boiariae erant, conburunt. ibi Danubium transseunt, Aldaechium superius, inferius, templum locupletissimum, spoliant. Boiariam continuam Boiemiae, Nariscos, Boethos, Chamabos peragrant, vastant. in confinio Franciae et Boiariae Francos occurrentes superant, trucidant. Gephardum, regulum Francorum, Burgardum, Turogorum tetrarcham, cum copiis occidunt. Suevos, Saxonas, Turogos, Francos impune nemine prohibente adterunt; iram dei fuisse manifestum est. nationes pugnacissimae, gentes fortissimae, tot hactenus triumphis clarissimae, desperatione caelitus debilitatae animoque fractae nil nisi de fuga cogitabant. quas strages, quae vulnera tum orientalis Francia et praecipue Boiaria ab hostibus religionis christianae acceperit, haud facile dictu est. materia maior est viribus meis, disertioribus istaec enarranda relinquo. rex Boiorum Francorumque, his malis post tot acceptas clades coactus, pacem auro tributoque annuo ab Ugris emit. pontifices Boiariae sacras vestes, lineas, sericas, laneas, opes templorum, vasa ecclesiastica, signa divorum aurea, argentea sacraque ob tenuitatem aerarii, egestatem populi, hostibus contribuere adacti sunt.

Litavicus in paucis post diebus aegritudine animi animam efflat Reginoburgii, duodecimo calendas Februarii. ibi in templo divi Haemerani extat aduc eius sepulchrum. liberos non reliquit; Litogarda, soror Otonis, amita imperatoris Honorici primi, ei desponsa fuit. explevit annos potestatis undecim, aetatis duodeviginti. in eo familia regia in Germania et Boiaria defecit.

2 agris *st.* Ugris *B* hostis *B* 6 puellas et mulieres *A*

12 *Mon. Boic. XXXI, a, 148, nach Hirsch, Heinrich II, I, 23, Anm. 8 eine St. Emmeramische Fälschung* 16 — occidunt *vgl. Continuator Reginonis zu 910, M. G. Scr. I, 614* 21 — emit *scheint auf der unbegründeten Angabe Liudprands l. II, c. 5 zu beruhen* 32 *Diesen (falschen) Todestag nennen Necrologien von St. Emmeram, Niederaltaich, Weltenburg.*

BSB

Cap. 22. Ugri quoque audita morte eius venalem pacem Boiis offerunt ac, nisi auro actutum amiciciam mercentur, excidium universae nationi minantur. has ob causas Boiorum proceres atque pontifices, Narisci, Vindelici, Norici, Chariones, Austriaci frequentes Reginoburgii conveniunt, inferias regi reddunt; ex veteri instituto (quo ipsis ex se et Nariscis principem, ubi defecisset principalis prosapia, instaurare licebat) Arionulphum regem Boiorum salutant; regio auspicio opus esse ad atrocissimos hostes superandos rebantur. fuit is filius Litovaldae, quem ab Ugris praelio caesum diximus, vir prudens, pacis ac belli artibus iuxta praeclarus, qui fortiter Boiariae regnum tutatus est primusque Ugros, quos invictos crediderant, vinci posse docuit atque non solum populum christianum ab incursatione eorum defendit atque liberavit, verum etiam hostes religionis ad foedus et societatem, quoad vixit, armis coegit. sub hoc principe maiestas tot cladibus vastata surrexit.

Franci quoque iure suo et Hatto Mogontinus archiflamen, Oto, regulus Saxonum, penes quos summa rerum post mortem Arionulphi hactenus fuerat, rebus Germaniae et orientali Franciae Chunradum Hassum, filium Chunradi, quem Albertus Babobergensis praelio occiderat, nullo gradu contingentem regum caesarumque domum imponunt. ideo Arionulphus rex noster, Gisalobertus, dux Luthareorum, Ariogerion, Beritholdus fratres et Burgardus, Suevi, Chunradum recipere recusarunt, Carolum posthumum iustum haeredem ex Galliis et occidentali Francia accersendum censebant. et a Luthareis Carolus acceptus est cumque in paucis post diebus Oto, Saxonum praeses, diem obiisset, filius eius Honoricus Chunrado quoque parere contempsit.

Et ne quid mali deesset, Albertus Tuscus et Albertus Eporedus, gener regis Berinogerionis, qui principatum in Italia obtinebant, Litavicum, Bosonis regis Narbonensis provinciae filium, nepotem ex filia imperatoris Litavici secundi, adversus Berinogerionem regem in Italiam vocant, Romam perducunt. ubi ab pontifice, senatu populoque romano imperator, caesar, augustus uno die adpellatur. ipse deinde totam Italiam cis et ultra Padum, Veronam quoque tam fidelem Berinogerioni armis aufert. Berinogerion secundo in Boiariam aufugit ibique aliquot annos delituit. Litavicus cum totam Italiam subegisset,

9 *Am Rande in A:* nepos Arionulphi occisi a Nordomannis Lovanii.

10 — liberavit *vgl. Fragment. de Arnulfo, M. G. Scr. XVII, 570* 16 — contempsit *vgl. Liudpr. II, c. 18, 19* 19 — occiderat *Cont. Reg. zu 911* 25 — obiisset *vgl. Cont. Reg., 614 zu 912* 27 — potitur *vgl. Liudprand II, c. 34—41, p. 295, 296.*

in ditione et obsequio retineret, Itali mandata obedienter facerent, dimisso exercitu Veronae nimium securus cum paucis degit. quod ubi Berinogerion in Boiaria rescivit, auro quosdam Veronensium portarios et moenium custodes corrumpit. ab hisce noctu in urbem receptus, Litavicum imparatum occupat, in templum confugientem capit, eidem oculos eruit et rursus Italia potitur.

Ugris istaec omnia opportuna erant. ubi christianos flagrare bello, simultate vident, armis conparatis ab Arionulpho et Chunrado rege novo tributum postulant; quod nisi ut Litavicus reddat, omnia se devastaturos soloque aequaturos conminantur. Arionulphus legatis respondet; ‚ego', inquit, ‚ab ineunte aetate caeteris imperare, non parere didici; veniant Ugri et nos habere ferrum et in pugna (hanc ostentabat) quinos digitos sentient'. Ugri his auditis continuo Boiariam copiosissimo equitatu invadunt. Arionulphus imbelles cum rebus suis et supellectile ad tutiora loca migrare iubet. milites, equites per sylvas, paludes et loca Noricorum oportuna in insidiis passim condit; cum paucis expeditis delectoque equitatu hostibus adparet rursusque caedendo fugam simulat. Ugri superato Anasso amne per Noricum, quatenus Oeno conterminum est, freti viribus suis et multitudine fidentesque superiori prosperitati, pervagantur, pernicibus equis sursum deorsum volitant. Utini tandem, cursitando fessi, traiecturi Oenum, coeunt ibique consident; se pro victoribus incautius agitant et, quasi secum nemo armis congredi audeat, serio triumphant. Arionulphus explorata hostium socordia cum omnibus, qui latitabant, undique subito erumpit; de improviso adest, undique ab omni parte hostem circumvenit, omnem caedendi copiam, quo pacto gens bellicosissima confligere consueverat, intercludit. vasto impetu a leva cataphracti hastatique, a dextra milites contis, Arionulphus a fronte cum sagittariis Ugros adgrediuntur, caedunt, propellunt, fundunt, in Oenum agunt ibique submergunt. flumen, quod ante pro ipsis erat, in contrarium versum et alteram Oeni ripam nostratium pars, signo ab Arionulpho dato, armati insederant; tranare conantes excipiebant; ita ne locus quidem ad fugam hosti fuit. omnes ad internetionem, ne uno quidem superstite, deleti sunt. victor Arionulphus vota pro victoria suscepta reddit, Boiariae limites firmissimis munit praesidiis, fratrem suum Beritholdum Vennonas et Athesinos administrare iubet.

17 apparet *B* 27 cataphratti *B* 31 nostratuum *B*

11 *Quelle?* 21 *Der Continuator Reginonis zu 913 sagt nur, dass die Niederlage der Ungarn am Inn erfolgte* 36 *Wohl gefolgert aus den Urk. Bertholds bei Meichelbeck, Hist. Frs. I, a, 164.*

Austriae infra Anassum Rogerium armorum martisque studiosissimum, inclytum fabulosis Teutonum carminibus, cuius et Metellus Tigurinus in lyricis meminit, praeficit, Ugris opponit. ibi vicos, templa reparare, colonias Boiorum, Venedorum deducere studet. nam et ante Ugros ea pars Norici cum Pannonia pluribus vicis quam urbibus frequens fuerat. Charinis rectorem dat Ratholdum, Senonum dynastam. caeteri Ugri, qui domi erant, quod repulsi a Boiis, Franciam, Sueviam, Saxoniam intrare nequibant, facto cum Arionulpho et Boiis perpetuo foedere, iram in Italos vertunt. Berinogerion ab ipsis pacem venalem mercatur.

Hisce diebus Ariogerion et Beritholdus fratres Sueviam adversus Chunradum regem occupant, partium eius episcopos oppugnant. Aenardus igitur, Nemetum pontifex, excaecatur. Solomon, Constantiae primarius sacerdos, in vincula coniicitur. Otobertus Argentoratensis ferro necatur; Ragovinus demortui dignitatem invadit.

Inter haec Ugri Schlavos, Saxoniam, Turogos, Franciam usque Fuldam pervastant; inde per Sueviam delati Rhenum transseunt, Lutharios, Elisatium depopulantur, Basiliam evertunt. Chunradum pacem pecunia redimere annuo tributo stipendioque adigunt. deinde Longobardos impetunt Berinogerione consentiente. adversus Landobertum episcopum Mediolanensem et Albertum, generum regis, Hyldebertum praefectum praetorio, item contra Gisalobertum et alios principes Italiae, regi rebelles, feliciter dimicant, cum ingenti praeda domum incolomes revertuntur.

Eadem tempestate, anno ab orbe servato noningentesimo super sextum decimum, indictione quarta, duodecimo calendas Octobris, regni Chunradi piissimi et christianissimi regis quinto, concilium sacerdotum frequens Althaemis in pago Rhetiae cogitur ab Ortonensi episcopo, legato Ioannis decimi pontificis maximi, ubi haec decreta fuisse reperio: quisquis regi fidem non servarit aut eidem rebellare conatus fuerit, diris devotus esto; Ariogerion quandoquidem cum sociis vitae regis, domini sui, et Christi dei insidiatus est, a classibus reipublicae

1 *Der im Nibelungenliede besungene Markgraf Rüdiger v. Pechelaren* 3 *Met. Tig. bei Canisius, Lect. ant. 1601, I. app. p. 107: Rogerius comes* 6 — dynastam *vgl. Chron. Ebersperg., M. G. Scr. XX, 10* 7 — mercatur *vgl. Liudprand II, c. 42* 11 — occupant *vgl. Herim. Aug. zu 917* 12 — ferro necatur *vgl. Continuator Reginon. zu 913, 914* 16 — evertunt *vgl. Contin. Reginonis zu 915, 917* 19 — revertuntur *vgl. Liudprand II, c. 61* 25 — accipiatur *vgl. die Synodaldecrete von Hohenaltheim (bei Nördlingen), Mon. Germ. Leg. II, 555. Auszüge daraus in A's. Adversarien, T. V, f. 39 v.*

armorumque exors esto, in monasterio captus perpetuo arctioris religionis disciplina scelus expiato; Ragovinus, Argentoratensis aedis occupator, Herigerioni Mogontino archimystae satisfacito; quod si contempserit, curia sacerdotum exaugurator; episcopi Saxonum, qui praesto esse recusarunt, sacrificiis abstinentor, donec Romam ad eluendum facinus perveniant; Ariogerion, Beritholdus, Burgardus, Arionulphus, quod nostro decreto non steterunt nec dicto audientes fuerunt, in numero impiorum atque sceleratorum habentor; nemo non eorum aditum atque sermonem defugito, ne quid ex contagione inconmodi accipiatur.

Conventu hoc peracto Chunradus in Boiariam adversus Arionulphum cum exercitu transsitum facit, castra Reginoburgio admovet. Arionulphus, sive vim eius ferre non valens sive ne civili bello dissidentibus Ugri ingruerent, Iuvaviam secedit ibique se continuit. Chunradus Reginoburgium acceptus, Boios sibi sacramentum dicere iubet, Vindelicos, Nariscos occupat. nonis Octobribus Reginoburgii concilium procerum et episcoporum cogit. ibi Arionulphus proscribitur, eidem sacerdotes male praecantur. huiuscemodi denique praecibus Thyestaeis ipsi sacrificiis interdictum est: quoniam Arionulphus et socii eius (inquiunt) regi et principi suo parere detrectant, inferis perpetuo devoti sunto nec uHo unquam piaculo resolvuntor; cum Iuda proditore, cum malis geniis ignis aeterni carnificina excruciantor. posthaec Chunradus Boiariam in tutelam tradit Eburonardo fratri suo et contra Ariogerionem et Beritholdum proficiscitur redactosque in potestatem Aldingae securi percuti iubet.

Interea Arionulphus e Iuvavia erumpit, Eburonardum Boiaria pellit, Reginoburgium et Boios recipit. quod cum Chunrado nunciatum esset, hostili rursus animo in Boios castra movet, Arionulphum Reginoburgii obsidet. at is eruptione facta evasit et ad Alpes Noricas Charinosque fugam capessit. Chunradus deinde Reginoburgium ad deditionem facile cogit Boiariaque in obsequium redacta in Franciam redit, in Hoeroveltarum monasterio natalem divi Ioannis celebrat. sequenti anno morbo adfectus cum desperasset salutem, convocatis proceribus Francorum Honoricum regulum Saxoniae, nepotem ex filia Litogarda imperatoris Arionulphi, successorem designat; sceptrum, ensem, diadema, insignia imperii per fratrem Eburonardum eidem

4 exaugurantor *A u. B* 32 *Am Rande in A:* vulneratus tamen 34 *Ebendort:* uxor Honorici diva Mathylda, filia Theoderici Ringolaemi.

11 *Zum flgd. vgl. Fragm. de Arnulfo duce, M. G. Scr. XVII, 570; Ann. St. Rudberti Salisb. zu 916, M. G. Scr. XI, 771* 25 *vgl. Her. Aug. zu 917* 32 — aiunt *vgl. Contin. Reg. zu 918, 919.*

mittit; populum germanum, rempublicam christianam eius fidei et tutelae commendat. decessit anno Christi domini deique nostri noningentesimo undevigesimo, regni septimo; Fuldae sepultum esse aiunt.

Arionulphus ubi certior factus est de morte caesaris, evestigio ex latebris prodit Reginoburgiumque redit. certatim ad eum optimates, pontifices Boiorum conveniunt, reditum gratulantur, eundem denuo regem Boiariae salutant. Honoricus Saxo posteaquam haec accepit, Boiariae fines cum exercitu petit. e diverso Arionulphus intrepidus procedit. ubi in conspectum utraque acies iam dimicaturae steterunt, Honoricus caduceatorem cum mandatis praemittit, qui denunciaret interesse reipublicae, ut Arionulphus solus cum solo communis salutis causa de summis utriusque rebus secreto conloquatur. non respuit conditionem Arionulphus amboque duces absque cunctatione aequo fere spacio a copiis utriusque ad colloquium venerunt. priorque Honoricus: ‚non te tam barbarum', inquit, ‚aut imperitum religionis nostrae existimo, quin plane intelligas regem non a fortuna temere dari nec a fatis imponi, sed a supremo caeli numine constitui. cuius mandata qui non facit, is haud dubie caelo naturaeque repugnat. senatus, proceres, populus, plaebes, quae multorum capitum bellua est, me regem uno omnium consensu declararunt. horum mentibus nisi unus et summus deus, author pacis et concordiae, incubaret atque moderaretur, haud unquam fieri posset, ut non suus cuique mos esset, non tot sententiae, quot homines essent. undique inimici inminent, Galli, Burgundi, Itali, Ugri lacerant, diripiunt, in nos saeviunt, incursant. si quis gregem ab inmortali maiestate sibi creditum non tutatur, non universa ad plaebis utilitatem veluti parens communis a deo datus refert, nihil aliud quam latro et eius regnum publicum est latrocinium. proinde si senatus populusque Francus me hoc fasce levarit tibique hoc oneris imposuerit, libens cessero, libentissime tibi paruero. atque ut aperte tute sentias, quam nihil minus mihi cordi quam dominandi libido siet, non solum Boiariae regnum locupletissimum, Nariscos, Alemanos, Chamabos, Boethos, Sudinos, Ilissios, Marcomanos, Quados, Vindelicos, Noricos, Austriacos, Tyrolios, Athesinos, Vennonas, Stirios, Charionas, Venedos, Carnos, Pannonios tibi, sicuti possides, permitto; verum sacratarum aedium quoque, opum ecclesiasticarum, episcoporum, sacerdotum, mystarum, monachorum, antistitum omnium curatorem te esse

4 *Das flgd. mit Benützung von Arnpeck, Chron. Baioar. III, c. 19, u. dessen Quelle, Liudprand II, c. 21—23. Was A. Heinrich sprechen lässt, sagen bei L. zum Theil die bairischen Grossen. Auszüge aus Liudprands lib. II. s. in A's. Adversarien, I, f. 157 flgd.; zum obigen vgl. fol. 158 v.* 12 de — rebus *Caes. b. G. I, 34* 13 *l. c. 42 u.* aequo — venerunt *l. c. 43* 15 — religionis *l. c. 44* 36 *flgd. vgl. S. 667, Z. 28.*

iubeo et patronum; illos tibi in clientulos dico, modo nomen regis inutile abdicato. cuncta alia tibi habeto. quid nunc aliud tibi vis? quid ultra desideras? quae concupiscis? quae postulas? universa tibi favore atque gratia mea absque periculo, sine vi, sine armis obtinere licet.' facile ratio tam salubris consilii ab Arionulpho recepta est. quocirca principes absque cunctatione dextris datis pacem faciunt, quam liberorum connubio sponsalibusque confirmant; Iuditha, filia Arionulphi, Honorico, filio caesaris, despondetur. Saeopyrga, filia caesaris, Arionulpho, filio ducis, datur in matrimonium. coniunctisque viribus Boiemiam undique pro nativo muro saltibus Hercyneis clausam penetrant, Boiemos ad obsequium cogunt. Tuto Reginoburgensis episcopus, cuius provincia tum erat, ibidem Pragae (caput est gentis) templum divo Vito dedicat.

Hactenus Boiaria per centum et triginta annos reges et imperatores habuit atque dedit; postea per duces administratur. quorum primus Arionulphus Reginoburgium novum ab Arionulpho augusto, ut dixi, prolatatum nec dum muro cinctum, moenibus, brevius opinione, diviso opere inter proceres Boiorum communivit. pontifices Boiariae, tum Iuvavensis, Bathavensis, Fruxinensis, Sabonensis, Augustanus, Aechostadiensis et subsequenti saeculo Babobergensis, ingentia condidere accepereque Reginoburgii circum aedes reguli Boiorum praetoria, quae aduc ibidem nostro aevo et dux Boiorum et hi episcopi possident. fuit enim Reginoburgium sedes longo tempore regulorum Boiariae sacerdotesque superiores aulam principis Boiorum frequentes sectabantur, statis diebus quotannis conventibus iuridicis caeterisque Boiariae conciliis interesse solebant. reges illo saeculo in demortuorum episcoporum locum, in senatum pontificum, praesulum, quoscumque libuit, adlegebant. eam cooptationem pontificum, praesulum, mystarum, monachorum Honoricus in Arionulphum transtulit eaque potestas sacerdotes creandi beneficium posthac Arionulphi fuit.

Qui Digulofinem, oppidum inferioris Boiariae, in ripa Isarae situm, concilium Boiorum convocat. interfuere quinque Boiariae primarii sacerdotes, Hyldebertus archimysta Iuvavensis, Isenogrimus episcopus Reginoburgensis, Gerardus Bathavensis, Voliphoramus Fruxinensis, Nithardus Sabonensis, et Saralochus et Godobertus sacrificuli,

20 Aechostadensis *A* 35 Sarolochus *B*

6 — pacem faciunt *vgl. Liudprand, II, c. 23, p. 292* 10 pro nat. mur. *Caes. b. G. VI, 10* 11 — dedicat *nach Cosmae Prag. chron., M. G. Scr. IX, 46 zu 929, wo jedoch der Regensburger Bischof Michael genannt wird. Vgl. auch unten S. 672, 15 flgd.* 16 — conmunivit *vgl. Arnoldus de St. Emmeramo, M. G. Scr. IV, 552* 28 — fuit *vgl. Liudprand II, 23, p. 293* 31 *Ueber die Dingolfinger Synode vgl. M. G. Leg. III, 482.*

quos chorepiscopos vocant, nuncii Hyldefridi Aechostadiensis tum aegroti. hoc concilio Arionulphus praediorum ecclesiasticorum, quae Ugri depopulati fuerant ab aliisque occupabantur, ususfructus sacerdotibus, captis restituit; templa, sacras aedes refici, instaurari iussit. Maias et Caninas, item vicos, vineas aliaque praedia prope Tyrolios in Vennonum Athesisque valle, quae aduc ibi mystae Fruxinenses possident, Voliphoramo reddidit. episcopos, monachos, sacerdotes, quorum quidam excusso severioris religionis iugo populariter vivere coeperant, sub arctioris disciplinae iugum misit.

Sub idem tempus in occidentali Francia Rupertus, frater Otonis regis, Carolo posthumo rebellat seque regem adpellat. Carolus Rupertum pugna victum hasta confodit, Franciam orientalem Germaniasque sicuti iustus haeres repetit; usque Mogonciacum procedit, castra in agro Vangionum facit, sed ab Honorici copiis in fugam vertitur. eodem anno Honoricus Mediomatricum urbem obsidet in deditionemque cogit. in Italia Landobertus archiepiscopus Mediolanensis caeterique principes Italiae a Berinogerione desciscunt, Rudolphum, regem Burgundiae (cui filia Burgardi Suevorum reguli nupta erat) evocant in Italiam regemque constituunt. is praeter Veronam Italiam totam Berinogerioni praeripuit trisque annos quiete regno Longobardorum potitur. dum quarto anno in Burgundiam redit, Berinogerion Foroiulianus, qui hactenus se Veronae continuerat, a Flammoberto quodam trucidatur; fugitivam a se Italiam conpraehendere nisus, cum Vidone, eius filio Landoberto, Spoletanis, Litavico Narbonensi, Rudolpho Burgundo vario eventu per quinque et triginta annos ferro disceptavit. bis pulsus in Boiariam aufugit, bis revocatus regnum recepit; tandem Veronae necatus, vitam simul cum regno amisit. mox Longobardi a Rudolpho quoque deficiunt, Burgardum, socerum Rudolphi, qui genero suppetias ferebat, dolo circumveniunt, interficiunt; Rudolphus Italia excidit. Hugo Arelatensis ab Italis accitus regno potitur longobardo. Albericus, eius privignus, cum matre Marozia urbem Romam occupat, vitricum urbe pellit, Ioannem fratrem suum pontificem maximum designat.

Dum itaque christiani civilibus armis in sua viscera saeviunt, Ugri a novo rege tributum postulant. quod cum negatum esset, Italiam duce Salardo invadunt, Ticinum conburunt. inde Sueviam,

1 Aechostadensis *A* 32 victricum *B*

4 — reddidit *vgl. Meichelbeck l. c. oder Arnpeck, Chron. Baioar. III, c. 19* 10 — cogit *vgl. Contin. Reginonis zu 921—923* 16 — designat *vgl. Liudprand, II, c. 60, 64 flgd.; III, 9, 13, 15 flgd., 43* 36 — paciscuntur *vgl. l. c. III, c. 2, II, c. 24—31.*

Luthaream, Gallias ferro, flamma vastant. transsito in agro Vangionum Rheno Franciam, Turogos, Saxonas armis praedando perlustrant, sed a rege Mersoburgii superati proceresque plaerique capti sunt. caeteri, ut hos redimerent atque incolomes domum dimitterentur, novem annorum inducias paciscuntur.

Posthaec Carolus et Honoricus Confluentiae primo, deinde Bonnae conveniunt, amiciciam iureiurando confirmant. Carolus Germaniis, tota orientali Francia excidit neque posthac ad nostrum usque saeculum sub unius ditionem coiere Galliae atque Germaniae regna, quamvis istuc summa ope superiore anno Franciscus occidentalis rex Franciae (dum candidatus atque conpetitor romani imperii Carolo Belgae atque Norico fuit) studuerit efficere, id quod antehac quidem saepius factitatum fuisse et hinc usque ad imperatorem Honoricum secundum, pronepotem Arionulphi ex filia, tentatum fuisse reperio.

Atque is Arionulphus tum a Ratherio, genere Belga, religione monacho professione, eius tempestatis eruditissimo, dignitate episcopo Veronensi, sicut finitimus, praeclaris virtutibus domi bellique insignis, adversus Hugonem evocatus, per Tridentinam vallem recta Athesis ripa et per fauces, quae pilae Veronenses adpellantur (iter vix binos capit armatos) in Italiae plana cum exercitu descendit Veronamque suae ditionis fecit. cumque pars Boiorum de Gauseningo, castello Boiariae, incautius erumperet, ab Hugonis equitatu intercepta est. Arionulphus eo vulnere accepto perfidiam gentis metuens, in Boiariam, cum maioribus copiis reversurus, abiit secumque quosdam Veronenses abducit. moxque Verona Hugoni redditur, Ratherius capitur Ticinumque in exilium deportatur. moxque Hugo munera, legatos pacem et foedus petitum mittit ad Honoricum, regem Germaniae, qui Schlavos, Danos, Cimbros intima Germaniae Magnae tenentes perdomuerat sub iugumque religionis christianae miserat; amicicia confirmata est inter reges.

Iisdem diebus finitis induciis Ugri tributum a rege nostro exposcunt. Honoricus illis canem villaticum, auribus, cauda mutilum, scabie sordidum reddi iubet, se aliud tributum populo falsorum deorum cultori pendere pernegat. inde apud Teutonas fabulam, Ugris canem imperitasse, ortam crediderim. Ugri tam insigni contumelia irritati arma

15 Racherio *B*

4 — paciscuntur *vgl. Widukind, I, 32, M. G. Scr. III, 431* 6 — excidit *Cont. Reg. zu 924* 10 *I. J. 1519* 15 — deportatur *vgl. l. c. III, c. 48—52* 22 Boiariae *ist Zuthat As.* 26 — reges *vgl. l. c. III, 21, 47* 31 — consalutatur *vgl. die Weltchronik bei Waitz, Jahrbücher d. deutsch. Reichs unter K. Heinrich I., S. 245, oder eine der verwandten Darstellungen* — Otonem *(S. 670, 21) Widuk. I, 38, 39, 41.*

capiunt, dolo copias augent. equitum propemodum innumerabilis turba maiorem etiam quam pro numero speciem praebens, relictis Boiis, cum quibus et Arionulpho ut vicinis pacem initam pridem persancte servabant, per Franciam, Schlavos, Suevos, Turogos interiora Saxoniae, ubi rex versabatur, penetrat, cuncta praeda, incendiis, rapina, luctu conplet, passim diffunditur; centum amplius millia fuisse perhibentur. Honoricus votum nuncupat; si victoria potiatur, se nundinas sacrorum ex Germania sublaturum promittit. nactusque nebulosum diem, subito inopinatos, palanteis hostes invadit, sternit, caedit, terga vertere cogit. qui fugam dedere, a colonis passim trucidati sunt. caeteris deletis septem dumtaxat servati, quos auribus, manibus, naribus truncatos rex ad confinia Ungariae deducit; ‚et ite', inquit, ‚et nunciate vestris popularibus, ut de caetero domi se contineant nec aliena adpetant neque ad ea loca, ubi huiuscemodi in eos carnificina exercetur, ultro accedant.' Ugri imposterum vivente Honorico Germania manus abstinuere, Graecis Bulgaribusque in Moesiis considentibus negocium exhibuere. Honoricus triumphans Christo domino deoque nostro honorem habet, supplicatione decreta grates summo imperatori caeterisque caelitibus agit paterque patriae consalutatur.

Dumque expeditionem italicam meditatur, ex hac vita migrat, successorem testamento declarat filium suum Otonem cognomento Magnum. eodem tempore, nempe sequenti anno aerae christianae noningentesimo tricesimo septimo, Arionulphus quoque dux Boiorum honesta morte defunctus est, sicuti in fastis publicis Boiariae mystarum, monachorum reperio, pridie idus Iulii. in quem diem paschalia incidere non possunt, quibus eum, quod praedia monachorum diripuerit, proceribus Boiorum distribuerit, subito interiisse ad Stygias paludes, quasi Cyclopas ad Aethnam, raptatum cadaver in lacum Schirensem abiectum fabulantur. qui amisso puro veritatis fonte ad lacunas lutosas convertuntur et pietatem quaestum, religionem praedam existimant, homines suaves se aedituos caeli faciunt, ubi nec fuerunt nec sunt neque unquam erunt, nisi tandem nugari desinant. referam, quod ego comperi, quod hisce auribus audivi: imperatorem Litavicum quartum monachi et sacratae virgines Boiariae, in quos is beneficus fuit, deum faciunt

32 conperi *A*

11 *Vgl. A's. Adversarien I, f. 159:* hystoriographi ungarici septem dumtaxat evasisse referunt 22 — defunctus est *Widuk. II, 8; Cont. Reg. zu 937* 25 *Diesen Todestag nennt das Necrologium von St. Peter in Salzburg; Oesterr. Archiv XIX, 261* 26 — fabulantur *vgl. Andreas Rat., Arnpeck III, c. 20 und Chron. monasterii Tegernseens., Pez, Thes. III, c, 500, wo jedoch keine Zeit angegeben* 30 pietatem — existimant *Paul. 1, Tim. 6, 5.*

caeloque locant, unde eum ad inferos deturbant romani flamines, quod eorum superbiae obviam iverit; item divum Honoricum secundum caesarem augustum Babobergenses mystae, quos ditavit, in album superum adscripserunt; at audivi quosdam, nempe quorum templis nihil tribuit: hi illum ignominiose Claudum adpellant et nuditate aliorum spoliisque Babobergense templum dedicasse cavillantur. quid plura dicam? in proverbium iam venere vulgo protritum fastus, avaricia salacitasque, communia sacerdotum mala. leges quidem vivendi aequissimas complures et proximas quaeque duriores sibi praescribunt; statuta provincialia nuncupari audio; at ne literulam quidem in illis observant. doleo vicem eorum, nolint, velint; si non Antichristi, non certe Christi vestigia sectantur, sicuti et semet suo gladio sese concionantes iugulant. opera, qui sint, eos produnt; circulatores, carnifices, archimimos credas, ita levitatem vestitu, habitu, gestu, incessu, armis, vultu, verbis prae se ferunt. vetus eruditorum dictum est, quod et a Pontano, viro nostrae aetatis doctissimo, refertur: genuino germanoque christiano fugiendam esse familiaritatem sacerdotum et monachorum. teutonici numeri in ore vulgi frequentes sunt, quibus significatur lupum, Iudaeum, sacerdotem iuxta cavendum esse.

Sed ad Arionulphum, unde evectus sum, redeo. is Reginoburgii in templo divi Haemerani sepultus est ibique eius sepulchrum ostenditur. suscepit ex Saeopyrga, filia Rudolphi, ut opinor, fratris divi Chunradi, quatuor liberos, tris mares, Eburonardum, Arionulphum, Herimanum, unam foeminam, Iuditham, uxorem Honorici primi.

Cap. 23. Male humana ingenia sibi consulunt, quod plaerumque non futura, sed transacta perpendunt; avidus imperii animus impatiens veritatis haud facile sibi temperat. quippe nemo est, qui non ob regnum iusticiae violatorem, si in caeteris pietatem colat, crimine solvat. Eburonardus statim post fata parentis, quod natu maximus erat, principatum in Boiaria occupat atque exercet. Arionulphus et Herimanus fratres minores natu et ipsi imperium ambiunt. Beritholdus, patruus eorum, Otonis regis authoritatem expectandam atque sententiam exequendam esse docet; morte beneficiarii beneficium ad summum principem lege rediisse; oportere rem integram ad eius adventum servari. nepotes suasu quorundam optimatium (ut sunt mores) consilium

6 quid — cavendum esse *in A eingeklammert* 13 sunt *st.* sint *B* 21 sepulcrum *A* 23 tres *B*

15 *Gregorius Pontanus (1483—1557), Kanzler des Kurfürsten Friedrich von Sachsen* 21 *Metellus, Quirinalia; Canisius, Lect. antiq. ed. Basnage, III, b, 146* 22 Saeopyrga *Quelle?* 29 *vgl. Contin. Regin. zu 938* 30 — servari *wohl nur gefolgert aus den späteren Ereignissen u. Contin. Regin. zu 938.*

patrui rectum aspernantur, ferocius, quam aequum ac bonum erat, agunt; Otonem floccifaciunt; nihil iuris Saxonibus penitus vel omnino regi, praecipue novo et alieno a genere veterum regum et imperatorum in Boios esse aiunt; hactenus a maioribus semper ita observatum, semper filios in Boiariae regno successisse; Boios eam libertatem ab atavis accepisse, semper principem de suo corpore creasse et citra cuiusquam authoritatem lege sua usos esse neque par esse, ut Oto Saxonesque aliena, quae nihil ad eos attinerent, curarent; qui sua defendere nequeant, quo pacto (inquibant) aliena largientur?

Imperium novi regis, sicuti fieri solet, sub idem tempus Eburonardus, praefectus praetorio Francorum, Gisalobertus Luthareorum praeses, cui nupta soror Otonis erat, detrectabant. fratres quoque regis Dancomarus et Honoricus non solum dicto non audientes erant, sed hostilibus viribus suas quoque copias iungebant et regium nomen adfectabant. Bolozolaus quoque, Boiemorum regulus, occiso fratre Vincissolao, quem Oto ducatu Boiemiae praefecerat eidemque Pragae Tuto episcopus Reginoburgensis templum divo Vito dicarat, Otoni rebellat. Ugri etiam subdole cum muneribus amplissimis ad novum regem quasi officii gratia legatos exploratum res Germaniae et discordias intestinas mittunt.

Honoricus primus Otonem ante regnum, Honoricum in regno susceperat. Oto natu maximus aetatis privilegio ex testamento patris regnum sibi vindicabat, quod ius et ordo nascendi et natura ipsa gentibus dedit. porro Honoricus controversiam esse non de ordine, sed nascendi felicitate referebat. Otonem quidem primum Honorico, sed privato provenisse; fratrem, qui ante genitus esset, private privatum patrimonium, quod eo tempore Honoricus habuisset, non regnum sibi vindicare posse. se regi primum natum, se esse primum, quem in regnum rex pater sustulerit. huc accedere, quod Oto non patre tantum, sed et matre privatae aduc fortunae creatus sit; se vero et matre regina natum et patrem non nisi regem vidisse. Litavicus quoque, rex Galliarum occidentalium, filius Caroli Posthumi, tanquam legitimus haeres, ab Otone velut haereditatis alienae captatore et regni peculatore, Germanias armis repetere decrevit. Elisatium armatus petiit, Brisiacum castellum, edito loco supra Argentoratum conditum et quod Rhenus alluit, praesidio firmat.

Quin etiam alia discordiarum flamma in Boiaria exarsit. episcopi

33 captore *B M*

10 — firmat *vgl. Liudprand IV, 14, 17, 19, 20; Contin. Reginon. zu 937—939*
15 — Vincissolao *vgl. Cosmas Prag. l. c.* 16 *vgl. oben S. 667, Z. 11 flgd.*

inter se tumultuabantur paucis ante diebus, quam Arionulphus concederet. Gundovalda Bathavensis pontifex, Hyldebertus Saliburgensis archimysta mortem obierant atque huic Aegilulphum, illi Gerardum Arionulphus suffecerat. hi post ducis mortem de archiepiscopi dignitate disceptare coeperunt. Iuvavensis honorem a Carolo Magno templo suo traditum, a Bathavia eo translatum retinere mordicus conabatur. Gerardus rursus Laureaco, quod in primordio religionis christianae initiatum esset, cuius fundamenta comites Christi iecissent, quod denique tot martyrum et confessorum sanguine dedicatum esset, vi ablatum ignavia sacerdotum adserere summa ope nisus est et ad pontificem maximum provocavit, rem ad Leonem septimum urbis Romae primarium sacerdotem detulit, suos conlegas negligentiae et socordiae acrius accusavit. romanus episcopus pallium insigne archimystae antistiti Saliburgensi detrahit, Laureacensibus pontificibus restituit. huiuscemodi rescripta Boiis mittit: Leo episcopus, servus servorum dei, reverentissimo ac sanctissimo confratri nostro Gerardo, sanctae Laureacensis ecclesiae archiepiscopo. pallium, vestem philosophi christiani tibi reddimus; quo pacto utare, praescripsimus. sis norma speculumque bene beateque vivendi filiis tuis; inopibus, viduis, pupillis, qui direptui et rapinae opulentorum patent et quos locupletes, item praetores, scribae, lictores et tondere et deglubere solent, fortiter adesto; iisdem, qui illos servitute premunt et iniuriosi in proximos sunt, modeste obviam ito. notam inmortalis dei tibi progerendam curato. disce conpati infirmitati fratrum; te in alio cogita. qui vicia odit, homines odit; nemo viciis sine nascitur; optimus ille est, qui minimis urgetur. caeteris ita ignoscas, tanquam ipse quotidie pecces; ita peccatis abstine, tanquam nemini ignoscas, tibi implacabilis. exorabilis esto etiam istis, qui dare veniam nisi sibi nesciunt. adfectus omnes, iram, cupiditatem in crucem age. victu et cultu corporis levi, parco et parabili sis contentus. quae nobis divina virgula suppeditantur, ad valetudinem et vires corporis, non voluptatem referenda sunt. vere copiosus, vere dives est, qui Christum totumque mundum possidet et cui, quod habet, satis est; proinde satis omne putato, quod est. christianus nulla re eget, nihil sibi deesse sentit, nihil requirit, nihil quaerit, optat, expetit amplius. non tantum decet sacerdotem opes non possidere, sed nec oblatas recipere. illud inprimis considera, sacerdotium non honorem, sed onus esse, quamobrem paupertatem, ignominiam, contumelias (quae

12 secordiae *B* 13 antisti *B* 30 valitudinem *B*

3 *Wohl aus den zwei flgd. Schreiben gefolgert* 15 *Jaffé, Regesta pontificum Rom. Nr. 2757, eine Fälschung Piligrims von Passau* 24 qui — odit *Plin. ep. VIII, 22* 24 nemo — urgetur *Hor. sat. I, 3, 78.*

maxima putantur onera et sunt certissimae verissimaeque germani christiani diviciae) ita ferto, ut eis pene delectari videare. idem quoque pontifex ita Boiariae duci Eburonardo eiusque mystis ita scribit: Leo episcopus, servus servorum dei, Aegilulpho Iuvavensi, Isenogrimo Reginoburgensi, Landoberto Fruxinensi, Visundo Sabonensi, Starichando Aechostadensi, venerabilibus episcopis et caeteris per Boiariam conmorantibus. conmemorat primo negligentiam horum, quam a Gerardo archimysta Laureacensi cognoverit; deinde eosdem accusat, arguit, increpat, quod adulentur apparitoribus et magistratibus assentandoque praetoribus, connivendo locupletibus pietatem violent, religionem polluant, sacram philosophiam prophanent, pacem christianam conturbent; obiicit postea, quod inter eos sit inexplebilis honorum cupido, certamen gloriae et honoris, splendoris, cupidinis atque ambitio potentiae, quae maximas inimicicias etiam inter amicissimos excitent. christiani, inquit, in vestris provinciis authoribus episcopis (qui canes muti sunt, non valentes latrare, et speculatores caeci) invicem imponunt; tenues opulenti fraudant, decipiunt, circumveniunt, foenerant, poscunt, paciscuntur, auferunt, eripiunt; nemo pactione, dono, munere, xeniis abstinet. in lites coitur, veniunt advocationes, veniunt etiam praevaricationes. ex spoliis pauperum magni et stati reditus et gloriae loco sunt. ultra modum sumptu et magnificentia, ne dicam luxu, aedificando, epulando, egregii sane pastores christiani gregis prodeunt. gravissimus solet esse morbus, qui a capite diffunditur.

Refert etiam illud, sacerdotes scilicet tum publice duxisse uxores sicuti caeteros christianos; posthaec respondet ad ea, quae sciscitati fuerant. si quispiam, ait, uxori adulterae repudium remiserit nec hi coniuges in gratiam redigi quiverint, nulla lex, nulla religio vetat illum novas facere nuptias. satius enim est casto connubio frui quam multarum amore deperire aut scortari passimque vagae Veneri operam dare. patruelium, amitinorum, consobrinorum et horum liberum nuptiae incaestae sunt, omnino non fiant; si huiusce modi coniuncti fuerint, discessionem faciant; supplicamentum, quod orationem dominicam vocant et Christus docuit, quod eius comites dumtaxat sacrificiis solennibus usurparunt, epulis non adhibeatur.

Postremo hortatur, ut episcopi, quos in capite recenset, Gerardo archimystae Boiorum pareant atque Eburonardo regulo Boiorum officium

9 apparitoribus *in B durchstrichen* 13 cupidis B^1 24 — adhibeatur *in B eingeklammert.*

4 *Jaffé l. c. Nr. 2767, ebenfalls eine Fälschung Piligrims, bei der jedoch sehr wahrscheinlich ein echtes Aktenstück benutzt wurde, da die Namen der Bischöfe richtig sind; vgl. Dümmler, Otto der Grosse, 78* 15 — caeci *Isaias 56, 10.*

suum delegat; praecipit, ut vicem pontificis maximi defungatur, Gerardo fautor, adiutor, consultor pro viribus in omnibus adsit. idem pontifex maximus plaeraque alia imperat, quibus nostro aevo capti et illi, qui se theologos nuncupant, nihil magis delyrum ducunt. tantum abest, ut episcopi ad se pertinere quicquam existiment; profecto si verum fateri et imperatori hominum deumque eiusque legato primario Paulo credere volumus, nobis periculosa tempora et ingenia superstitiosa sortitis fucus et umbra pietatis perplacent. atque totius iniusticiae nulla capitalior quam eorum, qui, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni videantur. quidam cum libidini serviant, sic aliorum viciis irascuntur, quasi invideant, et gravissime puniunt, quos maxime imitantur. si quispiam prophanus adolescentulus adolescentulam caelebs caelibem adamarit/aut sacerdotulus egenus concubinam, sine qua vivere et rem familiarem administrare non potest, loco iustae uxorculae habuerit, decuriones mystarum et parochi intonant, fulminant, divina, humana cuncta miscent, caelum claudunt, inferos aperiunt; ipsi interim impune et passim incestu, adulteriis, stupris omnia contaminant. amant, potant, subant, virgines plures uno anno viciant et implent, sub superficie pietatis nepotantur, fraudant, conpilant, litigant, templa, sacerdotia diripiunt, quasi caballos venalicios conmutant; ceremonias nundinantur, religiones cauponantur, scortantur, lasciviunt, venantur, belligerantur, humanum sanguinem et impune sitiunt, effundunt, latrocinia exercent. videas quosdam alienas rapere uxores, scorta impudica ac vilissima quasi sacra circumferri passim et monstrari. eaque non solum a minutulis sacerdotibus et parochis, sed a sanctissimis quoque monachorum magistris, ut propicium habeant Iovem, ambiri, adorari. cumque/ huiuscemodi hominum genus pessimum nihil in rempublicam penitus conferant, mortalium tamen scelera conmedunt et bibunt, gaudiis corporis dediti, per ignaviam summam, luxum maximum aetatem transigunt, literas, literatos omnis tanquam pestem devitant, bellum literis, bellum virtuti, bellum omnibus bonis artibus, bellum denique Christo domino deoque nostro (ita vivitur, is status rerum est) indixisse videntur; inter se mendacii silentium velut orgia quaedam sanciunt, quibus caeteris veluti pueris ac infantibus more suo fabulis inludant. quamobrem vel pro concione indignantur, irascuntur, insaniunt, si quis prophanus sacras literas, mandata Christi, comitum eius doctrinam

2 idem — agnoscant sua *in A eingeklammert* 4 tantum abest — agnoscant sua *in B eingeklammert.*

6 *Paul. 2, Timoth. 3, 1? 5* 28 gaudiis — transsigunt *Sall. Jug. 2, 4.*

legerit. timent talpae, ne eorum caecitas depraehendatur et avaricia tenebraeque luce appareant.

Inferi ac superi vectigales, vivi, mortui tributarii sunt; caelum et terram stipem emendicare coguntur. non licet gratis nosse deum, ptochotyranni illi adversus pontifices, principes, parochos, sacerdotes, populum Christi conspirarunt; quotannis statis diebus coeunt, illam coniurationem renovant, quae ubique terrarum gerantur, scrutantur, circuunt domos more canicularum. ut vulgo dici solet: mendicans religio, iuxta vulgo protritum dictum sacrificulus cum fano, ara cum aedituo, cuncta venalia sunt, ceu vero a summo rerum imperatore lege atque perpetuo edicto non sancitum sit, non sit mendicus, non sit meretrix in Israel, aut Paulus, fulmen eloquentiae christianae, non intonet: beatius est dare quam accipere; et si caelitum quispiam aliter docuerit, execratus esto. neque ego audita noto carpoque; inopis plaebeculae me miseret, quam ita ab illis rapacissimis lupis, nemine penitus auxilium ferente, devorari video, sentio et sub specie, quemadmodum Paulus praedixit, pietatis. sed haec nihil ad me. Christus deus faxit, ut resipiscant peccataque agnoscant sua. ego nunc ad reliqua pergo|et ad Otonem revertor.

Qui undique armorum procellis frementibus, ingenti animo fortunae malignanti restitit fretusque deo, comparato exercitu, hostes suos adgreditur. et primo Boiariam petit, Reginoburgium aliquot menses obsidet, urbem ad deditionem cogit, Boios ad se vocat, sibi sacramenta dicere iubet. Eburonardum ferocius resistentem capit in Sueviamque relegat. Beritholdum, fratrem Arionulphi superioris, Boiariae regno praeficit eique neptem suam ex sorore Gariopyrga, filiam Gisaloberti, despondet. Arionulphum inferiorem et Herimanum, fratres Eburonardi, curatores templi Fruxinensis, praefectos praetorio Boiariae declarat, quae tum maxima dignitas secundum regulum erat. comes palatinus vocatur; is vicem caesaris praesidendo senatui principali defungebatur, fidem imperatoris implorantibus aderat iusque reddebat; fiscum augusti, praedia salica, reditus regios procurabat, caesareum censum exigebat. nihil citra eius authoritatem duci aut decernere aut statuere licebat.

8 circuit *A u. B* 12 meritrix *B* ñ ⁊

10 ceu — Israel *Deuter. 15, 4; 23, 17* 12 *Act. apostolor. 20, 35* 13 et — esto *Paul. ad Galat. 1, 8* 17 *2. Timoth. 3, 5* 22 — relegat *vgl. Contin. Reginon. zu 938* 25 — praeficit *vgl. Herim. Aug. zu 937;* — despondet *Liudprand IV, c. 31* 27 *Arnulf wird Pfalzgraf genannt in Gerhardi vita st. Oudalrici, c. 10, M. G. Scr. IV, 398. Ein Zeugniss für die gleiche Würde Hermanns ist nicht bekannt. Vielleicht verwechselte ihn A. mit dem gleichzeitigen lothringischen Pfalzgrafen Hermann* 28 — Fruxinensis *vgl. A's. Ann. Schirens., oben, Bd. I, S. 6, Z. 15 flgd., 20 flgd.*

si senatus consultum reguli displicebat, intercedebat ad caesaremque referebat.

Arionulphus Schiram oppidum in superiore Boiaria in pago Schirorum (prosapia est Boiorum haud dubie nobilissima, tum magna, tum vetusta) condidit, unde posteri eius dynastae Schirorum cognominati sunt, quibus et Abusinam patriam meam et Chelamos et plaeraque superioris Boiariae castella paruisse reperio. illud castellum ab Arionulpho conditum, modo longo tempore in templum divi Benedicti conmutatum, aduc perquam celebre est nomenque vetus servat.

Inter haec dum talia in Boiaria geruntur, Ugri Germaniam Magnam ac Saxoniam invadunt, sed fortiter cum ignominia et detrimento repulsi sunt a ducibus Otonis. qui pacata Boiaria adversus Litavicum regem Vestriacum intento exercitu in Tribochorum agrum procedit; castra transsito Rheno Brisaco admovet. Fridericus archiepiscopus Mogontinus, Ruthardus episcopus Argentoratensis ab Otone ad hosteis deficiunt, relictis/impedimentis castra deserunt, noctu clam se ab exercitu regis abducunt, urbem Mediomatricum petunt, ubi Litavicum regem occidentalem, Gisalobertum, Luthareorum ducem, Eburonardum Franconem, Honoricum, fratrem Otonis, convenisse aceperant. interim Otoniani Haeriburgii Dancomarum, fratrem regis ex concubina susceptum, occidunt. Oto, frater Herimani Suevorum ducis, Chunradus cognomento Sapiens et ipsi partium Otonis prope Antoniacum Gisalobertum et Eburonardum epulantes invadunt de improviso in fugamque vertunt. Gisalobertus in Rhenum praecipitatus, Eburonardus ense periit. Honoricus frater regis in brachio graviter vulneratus, aegre fuga evasit, tandem captus, Angilaemis arcta custodia servatur. Fridericus archiflamen Fuldam, Ruthardus episcopus Corbeiam relegatur (monasteria sunt, illud Franciae, hoc Saxoniae); Hutogitha regina Laureaci interea degebat. Brisacum deinde se Otoni dedidit. Litavicus Germania excessit, cum Otone pacem fecit; sororem Otonis, viduam Gisaloberti, uxorem ducit, Germaniis, Lutharea iureiurando caedit. Bolezolaus quoque paricidii poenas ab Otone perdomitus luit. Litavicus rex Francus occidentalis ab Hugone, Ruperti filio, et suis pulsus in Germaniam aufugit, ab Otone vi restituitur. Lugdunum, Rhemi, Rhotomagus, Laudunum, reliquae urbes a Saxonibus

3 *Konrad v. Scheiern (M. G. Scr. XVII, 620) nennt den Baiernherzog und Kaiser Arnulf als Gründer der Burg Scheiern* 10 — redactus est *vgl. Contin. Reginon. zu 938, 939, 946; Liudprand IV, c. 23—35* 28 *Edgid beim Continuator Reginonis zu 939.*

BSB

expugnatae et redditae Litavico. Hugo Lutetiae obsessus ad obsequium Litavici a rege germano redactus est.

Per idem tempus Ugri duplici agmine Boiariae fines invadunt; pars Tranos, pars Charionas vastat. Beritholdus, Boiorum regulus, duces suos ad Charinos proficisci hosque ut tutentur, iubet. ipse robur hostilis exercitus petit, iuxta Valentiam, urbem Noricorum, quam maximo potest impetu, antequam gens pugnacissima arcus rursus tenderet, in Ugros fertur, hostem in fugam vertit, in Tranum flumen agitat atque submergit, tercio idus Augusti. praefecti quoque Beritholdi auspicio apud Charinos eadem prosperitate dimicant, Ugros ad internetionem delent. nec antea unquam gens ferocissima tantum vulnus a nostratibus accepit; more enim pecudum a Boiis mactati sunt Ugri. Oto rex et Beritholdus, qui maximopere rebus Otonis studebat, invicem gratulatorias scribunt literas; ut qui sollicitudinis publicae participes fuerant, leticiae quoque communis socii forent, matrimonio amiciciam firmarunt. Beritholdus neptem Otonis uxorem duxit. haec in Germania quidem ac Gallia gesta sunt.

In Italia Berinogerion secundus, nepos ex filia Gisala primi Berinogerionis, limitis Eporedici dux, res novas molitur regnumque adfectat; fratrem eius Ansogerionem, Spoleti et Camerinorum praefectum, ante Hugo rex bello occiderat. quamobrem is et Berinogerionem tollere, eidem oculos eruere eumque benigne vocatum dolo in vincula coniicere decrevit. cui consilio cum rex Lutharius aduc puer, filius Hugonis, interfuisset, Berinogerionem salutis suae admonet. vetus est crebrumque apud Germanos proverbium, tria genera hominum, maxime pueros, temulentos, moriones veritatem dicere. Berinogerion igitur cum uxore Villa fuga sibi consulit, in Sueviam ad Herimanum ducem, inde ad Otonem regem aufugit. Hugo legatos in Germaniam proficisci iubet, transfugam repetit, muneribus regis amicos orat, ambit, corrumpit; Otoni ingentem vim pecuniae offert, ut sibi perfuga reddatur. rector Francus respondet, populum germanum ferro, non auro pugnare solere, ad suam fidem confugientibus opem ferre nefasque ducere quemquam hospitem tecto arcere aut denique deserere, nedum prodere.

16 *Am Rande in A:* Gariopyrga extruxit monasterium Boiorum supra Angilostadium et Neoburgium.

6 *Wels. Vgl. zu diesem Absatze Contin. Reginon. zu 944, Annal. Altah. und Ratispon. zu 943, St. Emmerami zu 945* 14 *Liudprand IV, c. 30 berichtet nur von einer Botschaft des Königs, wodurch dieser Berthold seinen Sieg über die Empörer meldet* 16 — duxit *vgl. Liudprand l. c.* 18 — recipitur *vgl. Liudprand V, 8, 10, 12, 13, 26; 27, 28, 30, 31; VI, 2* 32 nefasque — arcere *Tac. Germ. 21.*

BSB

Berinogerion, confisus favore et nomine Otonis, cum uxore in Italiam ex Suevia per Vennonas sive/Venustam vallem revertitur, a Longobardorum proceribus honorifice recipitur; Carolum Magnum advenisse ominabantur. primo ille Formicariae castra facit, castello fraude potitur. Milo ei Veronam quoque tradit. Vido, Mutinae episcopus, cum conpluribus ad ipsum deficit. Hardericus archiepiscopus eundem Mediolanum asciscit. huc Hugo mittit filium Lutharium; ipse Ticini se continet. Lutharius consilio Berinogerionis a proceribus rex Italiae salutatur. ideo Hugo rex declarato filio suo Luthario rege Arelatum, unde venerat, rediit ibique in paucis post diebus moritur. Lutharius inane nomen regis ferens (quippe omnis potestas penes Berinogerionem erat) altero regni anno decedit. Berinogerion ab omnibus rex Italiae nuncupatur atque recipitur.

Eadem tempestate Beritholdus, Boiorum rector, ex hac vita migrat, nono calendas Decembris, anno ab orbe adserto noningentesimo duodequinquagesimo; in conlegio monachorum apud Aldaechios inferiores sepelitur. huc usque per centum et sexaginta annos Francia oriundi potiti sunt Boiaria, quam posthac aliquandiu Saxones administrarunt. hos deinceps in quinto dicam libro.

19 *In A u. B folgt:* finis libri quarti annalium Boiariae authore Ioanne Aventino.

16 *Bertholds Todesjahr nach den Annal. Altah., M. G. Scr. XX, 786; Todestag nach dem Necrolog von St. Emmeram, Mon. Boic. XIV, 402. Ueber sein Grabmal s. Mon. Boic. XI, 6.*

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

BSB

Verlag von CHRISTIAN KAISER in München.

		M.	₰
Aristoteles über die Farben. Erläutert durch eine Uebersicht der Farbenlehre der Alten von Dr. C. A. Prantl	1849	3	—
Arnold, Dr. Bernhard, Versuch einer griechischen Uebersetzung der Oden des Horaz	1858	—	60
—»— Sophokleische Rettungen	1866	1	20
Brenner, Dr. Oscar, Nord- und Mittel-Europa in den Schriften der Alten bis zum Auftreten der Cimbern und Teutonen . .	1877	2	40
—»— Ueber die Kristni-Saga. Kritische Beiträge zur altnordischen Literaturgeschichte	1878	3	—
—»— Angelsächische Sprachproben mit Glossar	1879	1	80
—»— Speculum regale, siehe Speculum.			
Brinz, Dr. Alois v. und **Maurer, Dr. Konrad v.,** Festgabe zum Doktor-Jubiläum des Dr. L. Arndts. (Das Alter des Gesetzsprecheramtes in Norwegen v. K. v. Maurer; Zum Rechte der bonae fidei possessio v. A. v. Brinz)	1875	3	—
—»— Festgabe zum Doctor-Jubiläum des Dr. Leonhard v. Spengel. (Studien über das sogenannte Christenrecht König Sverrirs von K. v. Maurer; Zur Contravindication in der Legis actio sacramento von A. von Brinz)	1877	3	—
Buchrucker, Karl, Christian Friedrich Buchrucker. Ein Seelsorgerleben	1877	4	80
Bugge, S., Studien über die Entstehung der nordischen Götter- und Heldensagen. Vom Verfasser autorisirte und durchgesehene Uebersetzung von Dr. O. Brenner. Heft 1 . .	1881	2	—
—»— Heft 2	1882	4	—
Burger, Dr. C. H. A. v., Die Offenbarung St. Johannis nach dem Grundtexte deutsch erklärt	1877	5	—
Ergebnisse der Civil- und Strafrechtspflege bei den Gerichten des Königreiches Baiern im Jahre 1880. 4°	1882	3	—
Ergebnisse der Strafrechtspflege im Königreich Bayern während der Jahre 1867, 1872, 1873, 1874, 1875		à —	75
—»— während der Jahre 1868, 1869, 1870, 1871		à 1	—
Friedauer, Ernst, Wissenschaft und Offenbarung in vollem Einklange	1882	2	—
Geschäftsaufgabe der Gerichte des Königreiches Bayern in bürgerlichen Rechtsstreitigkeiten und in der nichtstreitigen Rechtspflege während des Jahres 1875. 4°	1875	1	50
—»— in bürgerlichen Rechtsstreitigkeiten und in der nichtstreitigen Rechtspflege, dann Ergebnisse der Strafrechtspflege im Königreich Bayern während der Jahre 1876 und 1877. 4° . . .	1876	à 3	—
Geschäftsaufgabe der Gerichte des Königreiches Bayern in den Jahren 1878 und 1879 und **Uebersicht über die Ergebnisse der Zivil- und Strafrechtspflege** in den Jahren 1872 bis 1879. 4°	1880	3	—
Harless Dr. C. G., Adolf von, Aus Luthers Lehrweisheit. Ein Brevier für Geistliche und Laien	1867	2	25
—»— Dasselbe, Prachtausgabe mit Porträt des Herrn Verfassers von P. Barfuss. Gebunden mit Goldschnitt	1867	6	—
Hartmann, A., Weihnachtlied und Weihnachtspiel in Oberbayern	1875	2	—
Koch, Dr. Anton, Die Psychologie Descartes' systematisch und historisch-kritisch bearbeitet	1881	6	—
Koch, Dr. Max, Helferich Peter Sturz. Nebst einer Abhandlung über die Schleswigischen Literaturbriefe. Mit Benützung handschriftlicher Quellen	1879	4	—
Kunstmann, Dr. Fr., Grundzüge eines vergleichenden Kirchenrechtes der christlichen Confessionen	1867	4	—

BSB

Verlag von CHRISTIAN KAISER in München.

		M. ₰
Laroche, Paul, Ueber die Einführung in die Lektüre der attischen Redner auf Gymnasien, nebst einem Commentar zur Rede des Lysias »pro Mantitheo«	1855	1 60
Lehmann, Karl, Verlobung und Hochzeit nach den nordgermanischen Rechten des früheren Mittelalters	1882	3 —
Lossen, Dr. M., Die Reichsstadt Donauwörth und Herzog Maximilian	1866	1 60
Maurer, Dr. Konrad v., Das Alter des Gesetzsprecher-Amtes in Norwegen, siehe Brinz und Maurer.		
—»— Beiträge zur Rechtsgeschichte des Germanischen Nordens .	1852	3 —
—»— Bekehrung des norwegischen Stammes zum Christenthume. 2 Bde.	1856	22 80
—»— Das älteste Hofrecht des Nordens	1877	3 —
—»— Island von seiner ersten Entdeckung bis zum Untergange des Freistaats	1874	10 —
—»— Studien über das sogenannte Christenrecht König Sverrirs, siehe Brinz und Maurer.		
Müller, Frz., Lohengrin und die Gral- und Schwan-Sage . . .	1867	9 —
—»— Tristan und Isolde nach Sage und Dichtung	1865	3 —
Panzer, Fr., Beitrag zur deutschen Mythologie. 2 Bde. . . .	1855	6 —
von der Pfordten, Hermann, De Dialecto Thessalica commentatio	1879	1 —
—»— Zur Geschichte des griechischen Perfectums	1882	1 60
von der Pfordten, Ludwig Freiherr, Studien zu Kaiser Ludwigs Oberbayerischem Stadt- und Landrechte	1875	8 —
Prantl, Dr. Carl v., Geschichte der Ludwig-Maximilians-Universität in Ingolstadt, Landshut, München. 2 Bde.	1872	20 —
—»— über die dianoetischen Tugenden in der nikomachischen Ethik des Aristoteles	1852	— 80
—»— Die Philosophie in den Sprichwörtern 4°	1858	— 90
—»— Ueber die Berechtigung des Optimismus. Rede gehalten am 29. November 1879		— 60
—»— Das Wittelsbach'sche Regenten-Haus und die Ludwig-Maximilians-Universität. Festrede, gehalten am 26. Juni 1880 .		— 40
—»— Aristoteles über die Farben, siehe Aristoteles.		
Rockinger, Dr. L., Ueber Formelbücher vom 13. bis zum 16. Jahrhundert als rechtsgeschichtliche Quellen	1855	4 60
Rönnefahrt, J. G., Schillers dramatisches Gedicht Don Carlos, Infant von Spanien	1865	1 50
Roth, Dr. P. R., Ueber Entstehung der Lex Bajuvariorum . .	1848	1 20
Seuffert, Dr. H., Ueber Schwurgerichte und Schöffengerichte . .	1873	1 50
Sicherer, Dr. H. v., Ueber die Gesammtbelehnung in deutschen Fürstenthümern	1865	1 50
—»— Staat und Kirche in Bayern vom Regierungs-Antritt des Kurfürsten Maximilian Joseph IV. bis zur Erklärung von Tegernsee. 1799—1821	1874	10 —
—»— Ueber Eherecht und Ehegerichtsbarkeit in Bayern	1875	2 —
Speculum regale. Ein altnorwegischer Dialog nach Cod. Arnamagn. Fol. 243 B und den ältesten Fragmenten, herausgegeben von Dr. O. Brenner	1881	5
Tzetzes, Dr. Joh., Ueber die altgriechische Musik in der griech. Kirche	1874	3 50
Walther, Fr., Beitrag zur Lehre vom hochverräther. Komplott	1849	1 —
Zahn, Joh., Evangelisches Choralbuch für den Männerchor. 4. Aufl.	1881	1 80
Zink, E., Ermittlung des Sachverhaltes im französischen Civilprozesse. 2 Bde.	1860	6 —
Zorn, Dr. Ph., das Beweisverfahren nach Langobardischem Rechte	1872	1 50

BSB

Notiz.

Über Handschriften, Quellen und Bedeutung des Werkes wird ein Nachwort handeln. Einstweilen sei über die ersteren nur so viel bemerkt, dass mit *A* das Münchener Autograph Aventin's, mit *B* eine unter Aventin's Aufsicht gefertigte Abschrift in der Stuttgarter Bibliothek, mit *C* und *D* die in Wolfenbüttel und Stuttgart befindlichen Bruchstücke eines mit *A* und *B* fast völlig übereinstimmenden Entwurfes ebenfalls von Aventin's eigener Hand bezeichnet sind. Auch die Randbemerkungen in *A* rühren, soweit sie hier aufgenommen sind und nicht das Gegentheil bemerkt ist, von Aventin's Hand. Die Deutung der Orts- u. Personennamen wird mit dem Register verbunden werden. Die biblischen, klassischen und patristischen Quellencitate sind zum grösseren Theil von Herrn Professor A. Keilerbauer in Kempten erbracht.

Riezler.

Vorliegende Ausgabe der Werke Aventins erscheint in 5 Bänden, von denen Band I die kleineren historischen und philologischen Schriften, herausgegeben von Prof. Dr. K. v. Halm und Dr. Franz Muncker, und Aventins Biographie, verfasst von Prof. W. Vogt, Band II, III, Annales Ducum Boiariae mit ausführlichem historischem Index, herausgegeben von Archivrat S. Riezler, und Band IV, V, die Bayerische Chronik, die deutsche Bearbeitung der Annales nebst Glossar über Aventins deutsche Schriften, herausgegeben von Prof. M. Lexer, enthalten.

Erschienen sind hievon Bd. I. (M. 15. —); Bd. II. Annales, Buch I—IV (M. 13. 50) und Bd. IV. Erste Hälfte. Bayerische Chronik, Buch I (M. 10. 80).

3 Gr. 35 L. 3 Ut. 36. 410 Gr. 1. 412. 495. 562: 67
16 duo. 9

Königl. Hof- und Universitäts-Buchdruckerei von Dr. C. Wolf & Sohn.

BIBLIOTHECA REGIA